Arcana Cœleſtia

QUÆ IN

SCRIPTURA SACRA,

SEU

VERBO DOMINI

SUNT, DETECTA:

Hic Primum quæ in

GENESI.

Una cum Mirabilibus

Quæ viſa ſunt

In Mundo Spirituum, & in Cœlo Angelorum.


PARS PRIMA.

MDCCXLIX.

MATTH. VI: 33.

Quærite primo Regnum Dei, & Juſtitiam ejus, & omnia adjicientur vobis.

13873
14/4/91



nach J. T. Martin lith. v. Helwig 1840

Eman. Swedenborg

gebr. zu Stockholm, den 29. Jan. 1688   æt 84   gest. zu London, den 29. März 1772

26
4626 De charitate et fide

Charitas datur absque fide, ut apud infantes et gentiles, id facile se [illegible] [illegible], ut patet ab illis quae de infantibus et gentilibus dicta sunt; fides vero absque charitate non datur. ×

(Fac Simile aus einem Notizenbuch desselben.)

× This writing is a manifest forgery

* * * *

ARCANA COELESTIA, quæ in Scriptura Sacra ſeu Verbo Domini detecta ſunt, continentur in Explicatione, quæ SENSUS INTERNUS Verbi eſt: de quo Senſu qualis ſit, videantur quæ de illo ab Experientia, oſtenſa ſunt, n: 1767 ad 1777; n: 1869 ad 1879: & præterea in Contextu, n: 1 ad 5. 64. 65. 66. 167. 605. 920. 937. 1143. 1224. 1404. 1405. 1408. 1409. 1502 fin: 1540. 1659. 1756. 1783. 1807.

MIRABILIA, quæ viſa in Mundo Spirituum, & in Cœlo Angelorum, cuivis Capiti præmiſſa & ſubnexa ſunt: in Parte hac Prima.

1 *De Reſuſcitatione Hominis a mortuis, & introitu ejus in vitam æternam*, pag. 49, 50.
2 *De Reſuſcitati introitu in vitam æternam*, pag: 51.
3 *Continuatio, de introitu hominis in vitam æternam*, pag: 84, 85.
4 *Qualis vita Animæ ſeu Spiritus tunc*, pag: 86, 87.
5 *Exempla quædam a Spiritibus, quid cogitaverint in vita corporis de Anima aut Spiritu*, pag: 120 *ad* 122.
6 *De Cœlo & Gaudio Cœleſti*, pag: 123 *ad* 125.
7 *Continuatio de Cœlo & Gaudio cœleſti*, pag: 143 *ad* 146.
8 *Continuatio de Cœlo & Gaudio Cœleſti*, pag: 147 *ad* 149.
9 *De Societatibus, quæ Cœlum conſtituunt*, pag: 193 *ad* 195.
10 *De Inferno*, pag: 196 *ad* 198.
11 *De Infernis eorum, qui in Odiis, Vindictis, & Crudelitate, vitam tranſegerunt*, pag: 237 *ad* 241.
12 *De Infernis eorum, qui in Adulteriis & Laſciviis vitam tranſegerunt: tum de Infernis Doloſorum, & Præſtigiatricium*, pag: 242 *ad* 246.

13 *De Infernis Avarorum; & de ſpurca Hieroſolyma, & Latronibus in deſerto: tum de Infernis excrementitiis eorum, qui in meris Voluptatibus vixerunt*, pag: 292 *ad* 296.

14 *De aliis Infernis, quæ a prioribus diſtincta ſunt*, pag: 297 *ad* 303.

15 *De Vaſtationibus*, pag: 367 *ad* 369.

16 *De Eccleſia Antiquiſſima, quæ appellata Homo ſeu Adam*, pag: 370 *ad* 374.

17 *De Antediluvianis, qui perierunt*, pag: 414 *ad* 417.

18 *De Situ Maximi Hominis, tum de Loco & Diſtantia in altera vita*, pag: 418 *ad* 420.

19 *Continuatio de Situ & Loco, ut & de Diſtantia & Tempore in altera vita*, pag: 451 *ad* 453.

20 *De Perceptione Spirituum & Angelorum; & de Sphæris in altera vita*, pag: 454 *ad* 458.

21 *Continuatio, de Perceptionibus, & de Sphæris in altera vita*, pag: 492 *ad* 496.

22 *De Luce, in qua vivunt Angeli*, pag: 497 *ad* 500.

23 *Continuatio, de Luce, in qua vivunt Angeli: deque illorum Paradiſiacis & Habitaculis*, *n*: 530 *ad* 534.

24 *De Loquela Spirituum & Angelorum*, pag: 535 *ad* 541.

25 *Continuatio, de Loquela Spirituum, & diverſitatibus ejus*, pag: 581. 582.

26 *De Scriptura Sacra ſeu Verbo, quod Divina recondat, quæ patent coram Spiritibus bonis, & Angelis*, pag: 583 *ad* 586.

27 *Continuatio*, *de Scriptura Sacra ſeu Verbo*, pag: 624 *ad* 628.

----*Quædam de Spiritibus & Angelis in genere*, pag: 628 *ad* 630.

LIBER *GENESEOS.*

I. *QUOD Verbum Veteris Teſtamenti contineat arcana cœli, & quod omnia, & ſingula ſpectent Dominum, Ipſius Cœlum, Eccleſiam, Fidem, & quæ ſunt fidei, nemo mortalium ex litera capit; nam ex litera ſeu ſenſu literæ, nemo aliud videt, quam quod in genere ſpectent externa Eccleſiæ Judaicæ; cum tamen ubivis interna ſunt, quæ nuſquam patent in externis, præter pauciſſima, quæ Dominus revelavit, & explicuit Apoſtolis; ſicut quod Sacrificia ſignificent Dominum; quod Terra Canaan, & Hieroſolyma, Cœlum, unde vocatur Canaan & Hieroſolyma cœleſtis; ſimiliter Paradiſus.*

II. *Sed quod omnia & ſingula, imo ſingulariſſima, uſque ad minimam jotham, ſignificent & involvant ſpiritualia & cœleſtia, adhuc Orbis Chriſtianus alte ignorat, quare etiam Vetus Teſtamentum parum curat. Ex unico hoc uſque ſcire poſſunt, quod Verbum, quia Domini, & a Domino, nuſquam dari poſſit, niſi interius contineat talia, quæ ſunt Cœli, quæ Eccleſiæ, quæ Fidei, alioquin non vocari poteſt Verbum Domini, nec dici quod vita aliqua illi inſit; nam unde vita, niſi ex illis, quæ ſunt vitæ, hoc eſt, niſi inde, ut omnia & ſingula ſe referant ad Dominum, Qui eſt ipſiſſima vita; quare quicquid non interius ſpectat Ipſum, non vivit, imo, quæ vox in Verbo, non involvit Ipſum, ſeu ad Ipſum ſe refert ſuo modo, non eſt divinum.*

III. *Abſque Vita tali, Verbum quoad literam eſt mortuum; ſe enim habet Verbum ſicut homo, qui, ut in Orbe Chriſtiano notum eſt, Externus eſt & Internus; Externus homo ſeparatus ab Interno eſt corpus, & ſic mortuum; Internus autem eſt, qui vivit, & dat Externo vivere; Internus homo eſt ejus Anima: ita Verbum, quoad literam ſolum, eſt ſicut corpus abſque anima.*

IV. *Ex ſolo ſenſu literæ, cum ei inhæret mens, nuſquam videri poteſt, quod talia contineat; ſicut prima hæc Geneſeos, ex ſenſu literæ nuſquam aliud noſcitur, quam quod agatur de Creatione Mundi, & de Horto Edenis, qui vocatur Paradiſus; tum de Adamo, ut primo homine creato; quis aliud autumat: ſed quod hæc arcana contineant, quæ nuſquam adhuc revelata ſunt, ex illis quæ ſequuntur, ſatis conſtabit; & quidem quod Primum Caput Geneſeos, in ſenſu interno, agat de* NOVA CREATIONE *hominis, ſeu de ejus* REGENERATIONE *in genere, deque Antiquiſſima Eccleſia in ſpecie, & quidem ita, ut ne minimum vocis ſit, quod non repræſentat, ſignificat, & involvit.*

V. *Sed quod ita ſe res habeat, nemo mortalium uſquam ſcire poteſt, niſi ex Domino; quare in anteceſſum licet manifeſtare, quod ex Divina Domini Miſericordia, conceſſum ſit, nunc per aliquot annos jugiter & continue intereſſe conſortio Spirituum & Angelorum, eos audire loquentes, & cum iis viciſſim loqui; inde datum audire & videre ſtupenda, quæ in altera vita, quæ nuſquam ad alicujus hominis cognitionem, nec in ejus ideam, venerunt; inſtructus ibi ſum de Spirituum diverſis generibus; de Statu animarum poſt mortem; de Inferno, ſeu ſtatu lamentabili infidelium: de Cœlo, ſeu ſtatu feliciſſimo fidelium; imprimis de Doctrina fidei, quæ agnoſcitur in univerſo Cœlo; de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, plura in ſequentibus.*

CAPUT PRIMUM.

1. IN principio creavit DEUS Cœlum & Terram.
2. Et Terra erat vacuitas & inanitas; & caligo ſuper faciebus abyſſi.
Et Spiritus DEI ſe motitans ſuper facies aquarum.
3. Et dixit DEUS, ſit Lux, & facta eſt Lux.
4. Et vidit DEUS Lucem, quod bona; & diſtinxit DEUS inter lucem,
& inter tenebras.

5. Et

5. Et vocavit Deus Lucem, Diem, & Tenebras vocavit, Noctem. Et fuit veſpera, & fuit mane, Dies primus.

6. Et dixit Deus, ſit Expanſum in medio aquarum, & ſit diſtinguens inter aquas, aquis.

7. Et fecit Deus Expanſum illud, & diſtinxit inter aquas, quæ ſub expanſo, & inter aquas, quæ ſupra expanſum; & factum ita.

8. Et vocavit Deus Expanſum, Cœlum. Et fuit veſpera, & fuit mane, Dies ſecundus.

9. Et dixit Deus, congregentur Aquæ ſub cœlo, ad locum unum, & appareat Arida, & factum ita.

10. Et vocavit Deus Aridam, Terram; & congregationem aquarum vocavit Maria: & vidit Deus quod bonum.

11. Et dixit Deus, progerminare faciat Terra Herbam teneram; Herbam ſeminificantem ſemen; Arborem fructus facientem fructum, ſecundum ſpeciem ſuam, in quo ſemen ejus, ſuper terra, & factum ita.

12. Et produxit Terra herbam teneram; herbam ſeminificantem ſemen, ſecundum ſpeciem ſuam; & arborem facientem fructum, in quo ſemen ejus, ſecundum ſpeciem ſuam, & vidit Deus, quod bonum.

13. Et fuit veſpera, & fuit mane, Dies tertius.

14. Et dixit Deus, ſit Luminaria in expanſo cœlorum, ad diſtinguendum inter Diem, & inter Noctem, & erunt in ſigna, & in ſtata tempora, & in dies, & annos.

15. Et erunt in Luminaria in expanſo cœlorum, ad lucem dandum ſuper terra, & factum ita.

16. Et fecit Deus duo Luminaria magna, Luminare magnum ad dominandum die, & Luminare minus ad dominandum nocte, & Stellas.

17. Et poſuit illa Deus in Expanſo cœlorum, ad lucem dandum ſuper terra.

18. Et ad dominandum in die, & in nocte, & ad diſtinguendum inter lucem, & inter tenebras; & vidit Deus quod bonum.

19. Et fuit veſpera, & fuit mane, Dies quartus.

20. Et dixit Deus, prorepere faciant aquæ Reptile, animam viventem: & Avis volitet ſuper terra, ſuper faciebus expanſi cœlorum.

21. Et creavit Deus Cetos magnos; & omnem animam viventem, reptantem, quam prorepere fecerunt aquæ, ſecundum ſpecies ſuas: & omnem Avem alæ, ſecundum ſpeciem ſuam: & vidit Deus quod bonum.

22. Et benedixit iis Deus, dicendo, fructificate & multiplicate vos, & implete aquas in maribus; & avis multiplicabitur in terra.

23. Et fuit veſpera, & fuit mane, Dies quintus.

24. Et dixit Deus, producat Terra animam viventem ſecundum ſpeciem ſuam; Beſtiam & ſe movens, & Feram iſtius terræ, ſecundum ſpeciem ſuam; & factum ita.

25. Et fecit Deus Feram terræ, ſecundum ſpeciem ſuam; & Beſtiam ſecundum ſpeciem ſuam; & omne reptans humi ſecundum ſpeciem ſuam; & vidit Deus quod bonum.

26. Et dixit Deus, faciamus Hominem in Imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram; & dominabuntur in piſces maris, & in avem cœlorum; & in beſtiam, & in omnem terram, & in omne reptans, quod reptat ſuper terra.

27. Et creavit Deus Hominem in imaginem Ipſius, in imaginem Dei creavit illum; maſculum & fœminam creavit illos.

28. Et benedixit illis Deus, & dixit illis Deus, fructificate & multiplicate vos, & implete terram, & ſubjugate eam, & dominamini in piſces maris, & in avem cœlorum, & in omne vivum, reptans ſuper terra.

29. Et dixit Deus, ecce, do vobis omnem herbam ſeminificantem ſemen, quæ ſuper faciebus totius terræ; & omnem arborem, in qua fructus; arbor producens ſemen, vobis erit in cibum.

30. Et omni Feræ terræ, & omni Avi cœlorum, & omni reptanti ſuper terra, in quo anima vivens, omne viride herbæ in eſcam: & factum ita.

31. Et vidit Deus omne quod fecit, & ecce bonum valde. Et fuit veſpera, & fuit mane, Dies ſextus.

CONTENTA.

6. SEX Dies ſeu Tempora, quæ ſunt tot ſucceſſivi Status *Regenerationis* hominis, in genere ita ſe habent.

7. *Primus* Status eſt, qui præcedit, tam ab Infantia, quam proxime ante Regenerationem, & vocatur vacuitas, inanitas, & caligo. Et primus motus, qui eſt Miſericordia Domini, eſt Spiritus Dei motitans ſe ſuper faciebus aquarum.

8. *Secundus* Status eſt, cum diſtinguitur inter illa, quæ ſunt Domini, & quæ ſunt hominis propria: quæ ſunt Domini, vocantur in Verbo, Reliquiæ, ſuntque hic imprimis Cognitiones fidei, quas ab infantia didicit; quæ reconduntur, nec patent, priuſquam in ſtatum hunc venit: qui ſtatus

ſtatus raro hodie exiſtit abſque tentatione, infortunio, triſtitia, quæ faciunt, ut ea quæ ſunt corporis & mundi, ita quæ ſunt propria, quieſcant, & quaſi moriantur: ita quæ ſunt externi hominis ſeparantur ab illis, quæ ſunt interni; in interno ſunt reliquiæ, a Domino ad hoc tempus, & ad hunc uſum, reconditæ.

9. *Tertius* Status eſt Pœnitentiæ; in quo, ex interno homine, loquitur pie & devote, & producit bona, ſicut charitatis opera, ſed quæ tamen ſunt inanimata, quia putat a ſe; & vocantur herba tenera, tum herba ſeminis, dein arbor fructus.

10. *Quartus* Status eſt, cum afficitur Amore, & illuminatur Fide: prius quidem loquutus eſt pia, & produxit bona, ſed ex ſtatu tentationis & anguſtiæ, non ex fide & charitate: ideo illa in interno homine nunc accenduntur, & vocantur bina Luminaria.

11. *Quintus* Status eſt, quod ex fide loquatur, ſeque inde confirmat in vero & bono; quæ tunc producit, ſunt animata, & vocantur piſces maris, & aves cœlorum.

12. *Sextus* Status eſt, cum ex fide & inde ex amore, vera loquitur, & bona facit: quæ tunc producit, vocantur anima vivens, & beſtia. Et quia tunc incipit ſimul ac ex fide, etiam ex amore agere, fit homo Spiritualis, qui vocatur Imago. Ejus vita ſpiritualis delectatur & ſuſtentatur illis, quæ ſunt Cognitionum fidei, & quæ ſunt Operum charitatis, quæ vocantur ejus cibi: & ejus vita naturalis, delectatur & ſuſtentatur iis, quæ ſunt corporis & ſenſuum, ex quibus pugna, uſque dum amor regnat, & fit homo cœleſtis.

13. Qui regenerantur, non omnes ad ſtatum hunc veniunt, ſed quidam, & maxima pars hodie, ſolum ad primum; quidam modo ad alterum; quidam ad tertium, quartum, quintum, raro ad ſextum; & vix ullus ad ſeptimum.

SENSUS INTERNUS.

14. *IN ſequentibus per* DOMINUM *unice intelligitur Salvator mundi Jeſus Chriſtus, & Dominus appellatur abſque cæteris nominibus: pro Domino agnoſcitur & adoratur in univerſo Cœlo, quia Ipſi omnis poteſtas in cœlis & in terris: mandavit etiam, dicendo, "Vos vocatis Me "Domine,*

"*Domine, recte dicitis; ſum namque,*" Johan: XIII. 13. *Et diſcipuli poſt reſurrectionem appellarunt Ipſum Dominum.*

15. *In univerſo Cœlo nec ſciunt alium Patrem, quam Dominum, quia unus, ſicut Ipſe dixit.* "*Ego ſum via, & veritas, & vita; dicit Phi-*" *lippus, monſtra nobis Patrem, dicit ei Jeſus, tantum temporis vobiſcum* "*ſum, non noſti Me, Philippe; qui vidit Me, vidit Patrem; quomodo* "*ergo tu dicis, monſtra nobis Patrem; nonne credis, quod Ego in Patre,* "*& Pater in me, ſit; credite mihi, quod Ego in Patre, & Pater in* "*Me,*" Johan XIV. 6, 8, 9, 10, 11.

16. Verſ. 1. *In principio creavit Deus Cœlum & Terram:* Principium vocatur Antiquiſſimum tempus; per Prophetas paſſim Dies antiquitatis, ut & Dies æternitatis. Principium etiam involvit Tempus primum, cum regeneratur homo, nam tunc e novo naſcitur, & vitam accipit; ipſa Regeneratio vocatur inde Nova hominis Creatio. Creare, Formare, & Facere, ubivis fere in propheticis ſignificant Regenerare, cum differentia, & apud Eſaiam, "Omnem "vocatum nomine meo, & ad gloriam meam creavi illum, formavi illum, "etiam feci illum," XLIII. 7. Quare Dominus vocatur Redemptor, Formator ab utero, Factor, ut & Creator, ut apud eundem Prophetam, "Ego Jehovah, "Sanctus veſter, Creator Iſraelis, Rex veſter," XLIII. 15. apud Davidem, "Populus creatus laudabit Jah," Pſalm. CII. 19. apud Eundem, "Emittis "ſpiritum tuum, creabuntur, & renovas facies humi," Pſalm CIV. 30. Quod Cœlum ſignificat Internum hominem, & Terra, ante regenerationem, Externum, ex ſequentibus videatur.

17. Verſ. 2. *Et Terra erat vacuitas & inanitas, & caligo ſuper faciebus abyſſi & Spiritus Dei ſe motitans ſuper facies aquarum.* Homo ante regenerationem vocatur Terra vacua & inanis, etiam Humus, cui nihil boni & veri inſeminatum eſt; Vacuum, ubi nihil boni, & Inane, ubi nihil veri; inde Caligo, ſeu ſtupor & ignorantia omnium, quæ ſunt fidei in Dominum, proinde quæ ſunt vitæ ſpiritualis & cœleſtis; qui homo deſcribitur a Domino per Jeremiam, "Stolidus "populus meus, Me non norunt; ſtulti filii ii, & non intelligentes, ſapientes "ad malum faciendum, & bonum facere non ſciunt; vidi *Terram*, & ecce "vacuitas & inanitas, & ad *Cœlos*, & non Lux eorum." IV. 22, 23, 25.

18. Facies abyſſi ſunt ejus Cupiditates, & inde Falſitates, ex quibus, & in quibus totus eſt; qui, quia ei nihil lucis, eſt ſicut abyſſus, ſeu confuſum obſcurum quid: vocantur tales quoque abyſſi & profunditates maris paſſim in Verbo, quæ exſiccantur, ſeu vaſtantur, antequam regeneratur homo; ut apud Eſaiam, "Expergiſcere juxta dies antiquitatis, generationes æternitatum, "nonne tu exſiccans mare, aquas abyſſi magnæ, & ponens profunditates "maris in viam, ut tranſeant redempti: redempti Jehovæ revertantur," LI. 9, 10, 11. Homo etiam talis, cum inſpicitur e Cœlo, apparet inſtar molis nigræ, cui

cui nihil vitale. Involvunt eadem in communi Vaſtationem hominis, de qua apud prophetas plura, quæ præcedit regenerationem; nam antequam homo ſcire poteſt quid verum, & affici bono, removenda ſunt quæ impediunt, & quæ repugnant; ita vetus homo moriturus, antequam novus concipi poteſt.

19. Per Spiritum Dei intelligitur Miſericordia Domini, de qua prædicatur motitare, ſicut ſolet gallina ſuper ova, hic ſuper illa, quæ Dominus apud hominem recondit, & appellantur paſſim Reliquiæ in Verbo; ſunt Cognitiones veri & boni, quæ nuſquam in lucem aut diem veniunt, priuſquam externa vaſtata ſunt; Cognitiones illæ vocantur hic facies aquarum.

20. Verſ. 3. *Et dixit Deus, ſit Lux, & facta eſt lux.* Primum eſt, cum homo incipit ſcire, quod ſit bonum & verum aliquod ſuperius: homines prorſus externi, ne quidem ſciunt, quid bonum, & quid verum, nam omnia, quæ ſunt amoris ſui, & amoris mundi, putant eſſe bona; & omnia, quæ amoribus iſtis favent, putant eſſe vera, ita neſcientes, quod bona iſta ſint mala, & vera iſta ſint falſa: At cum concipitur homo e novo, primum ſcire incipit, quod bona ejus non ſint bona; cumque magis ad lucem venit, quod Dominus ſit, & quod Dominus ſit ipſum bonum & verum: quod ſcire debeant, quod Dominus ſit, Ipſe dicit apud Johannem, "Niſi credideritis, quod Ego ſim, moriemini in pecca-" tis veſtris," VIII. 24. Dein quod Dominus ſit ipſum bonum, ſeu vita, & ipſum verum ſeu lux, ac ita, quod nullum bonum & verum, niſi a Domino, etiam apud Johannem, "In principio erat verbum, & verbum erat apud "Deum, & Deus erat verbum, omnia per Ipſum facta ſunt, & ſine Ipſo "factum eſt nihil, quod factum eſt; in Ipſo vita erat, & vita erat lux ho-" minum, lux autem in tenebris apparet; Ipſe erat lux vera, quæ illuminat "omnem hominem venientem in mundum." I: 1, 3, 4, 9.

21. Verſ 4, 5. *Et vidit Deus Lucem, quod bona, & diſtinxit Deus inter Lucem & inter Tenebras. Et vocavit Deus Lucem, Diem; & Tenebras vocavit Noctem.* Lux dicitur bona, quia ex Domino, Qui eſt ipſum bonum: Tenebræ ſunt, quæ antequam e novo concipitur & naſcitur homo, apparuerunt ſicut lux, quia malum ſicut bonum, & falſum ſicut verum, ſed ſunt tenebræ, ſuntque propria hominis, quæ manent. Omnia quæcunque Domini ſunt, comparantur Diei, quia lucis ſunt; & omnia, quæcunque propria hominis, comparantur Nocti, quia caliginis: ita pluries in Verbo.

22. Verſ. 5. *Et fuit veſpera, & fuit mane, dies primus.* Quid veſpera, & quid mane, inde jam noſcitur. Veſpera eſt omnis ſtatus præcedens, quia umbræ, ſeu falſitatis & nullius fidei; Mane eſt omnis ſtatus ſequens quia lucis, ſeu veritatis & cognitionum fidei. Veſpera in genere ſignificat omnia, quæ propria ſunt hominis; Mane autem, quæ ſunt Domini; ut per Davidem, "Spiritus "Jehovæ loquutus eſt in me, & ſermo ipſius ſuper lingua mea, dixit Deus "Iſraelis, mihi loquutus eſt Petra Iſraelis, Ille ſicut lux mane, dum oritur ſol, "mane non nubes, dum a ſplendore, a pluvia, herba tenera e terra," 2 Sam. XXIII. 2, 3, 4. Quia Veſpera eſt, quando nulla fides, & Mane quando fides, Adventus Domini in mundum appellatur Mane; & tempus, quando venit, quia tunc nulla fides, appellatur Veſpera, apud Danielem, "Sanctus dixit ad me, uſque "ad

"ad Veſperam, cum ſit Mane, bis mille & trecenta," IX. 14. 26. Similiter accipitur Mane pro omni Adventu Domini, in Verbo, ita eſt vox novæ creationis.

23. Quod Dies pro ipſo Tempore accipiatur, nihil communius eſt in Verbo, ut apud Eſaiam, "Propinquus eſt Dies Jehovæ. Ecce Dies Jehovæ venit. "Cœlum commovebo, & contremiſcet terra e loco ſuo, in Die excandeſcentiæ iræ meæ. Propinquum ad veniendum eſt tempus ipſius, & Dies ejus "non protrahentur," XIII. 6, 9, 13, 22. Et apud eundem Prophetam, "In "Diebus antiquitatis antiquitas ejus. Fiet in Die illo oblivioni tradetur Tyrus "ſeptuaginta annis, juxta Dies regis unius," XXIII. 7. 16. Quia Dies pro Tempore, etiam pro Statu iſtius temporis accipitur, ut apud Jeremiam, "Væ "nobis, quia declinavit dies, quia extenderunt ſe umbræ veſperæ," VI. 4. & apud eundem prophetam, "Si irritum reddideritis fœdus meum diei, & "fœdus meum noctis, ut non ſit diurnum, & nox in tempore ſuo," XXXIII. 20, 25. Tum. "Renova dies noſtros, ſicut antiquitus," Thren. V. 21.

24. Verſ. 6. *Et dixit Deus, ſit Expanſum in medio aquarum, & ſit diſtinguens inter aquas aquis.* Poſtquam Spiritus Dei, ſeu Miſericordia Domini produxit in diem Cognitiones veri & boni, & dedit primam lucem, quod Dominus ſit, & quod Dominus ſit ipſum bonum, & ipſum verum; & quod nullum bonum & verum niſi a Domino, tunc diſtinguit inter Hominem Internum & Externum, ita inter Cognitiones, quæ ſunt apud hominem internum, & ſcientifica, quæ ſunt hominis externi: Homo internus vocatur expanſum; cognitiones, quæ apud hominem internum, appellantur aquæ ſupra expanſum; & ſcientifica hominis externi, vocantur aquæ ſub expanſo. Homo, antequam regeneratur, ne quidem novit quod Internus homo detur, minus, quid Internus, putans non diſtinctos eſſe, quia immerſus corporeis & mundanis, etiam, quæ Interni hominis ſunt, immerſit iiſdem, & ex diſtinctis, unum confuſum obſcurum fecit: ideo primum dicitur, ut ſit expanſum in medio aquarum, tum ut ſit diſtinguens aquis inter aquas, non autem diſtinguens aquas inter aquas. Mox vera ita, verſ. 7. 8. *Et fecit Deus Expanſum illud, & diſtinxit inter aquas, quæ ſub expanſo, & inter aquas, quæ ſupra expanſum, & factum ita; & vocavit Deus Expanſum, Cœlum.* Alterum itaque, quod homo, dum regeneratur, animadvertit, eſt, quod ſcire incipiat, dari Internum hominem; aut, quod, quæ ſunt apud Internum hominem, ſint bona & vera, quæ ſolius Domini: & quia Homo Externus, cum regeneratur, talis eſt, ut uſque putet, bona, quæ agit, ex ſe agere, & vera, quæ dicit, ex ſe dicere; & quia talis, per ea, ſicut per propria, ducitur a Domino, ad bonum agendum, & ad verum loquendum, ideo præcedit diſtinctio ab iis quæ ſub expanſo, & ſequitur de iis quæ ſupra expanſum. Arcanum etiam cœleſte eſt, quod Homo per propria, tam per fallacias ſenſuum, quam per cupiditates, ducatur, & flectatur a Domino ad illa, quæ ſunt vera & bona, & ſic quod omnia & ſingula momenta Regenerationis procedant a veſpera ad mane, ſicut ab externo homine ad internum, ſeu a terra ad cœlum; quare nunc Expanſum, ſeu Internus homo appellatur Cœlum.

25. Expandere Terram, & extendere Cœlos, eſt ſolennis loquutio apud Prophetas, ubi de Regeneratione hominis agitur, ut apud Eſaiam, "Sic dixit "Jehovah, Redemptor tuus, & Formator tuus ab utero: Ego Jehovah "faciens omnia, extendens *Cœlos* Solus, & expandens *Terram* a Me Ipſo," XLIV. 24. Tum, ubi de adventu Domini aperte dicitur, "Calamum Contu-"ſum non confringit, & linum fumigans non exſtinguit, ad veritatem profert "judicium: hoc eſt, fallacias non frangit, nec cupiditates exſtinguit, ſed ad "verum & bonum flectit, ſic ſequitur: Deus Jehovah creat *Cœlos*, & exten-"dit illos, expandit *Terram*, & productiones ejus, dat animam populo ſuper "ea, & ſpiritum ambulantibus in ea," XLII. 3, 4, 5. Præter etiam alibi aliquoties.

26. Verſ. 8. *Et fuit Veſpera, & fuit Mane, Dies Secundus:* quid Veſpera, quid Mane, & quid Dies, prius ad verſ. 5.

27. Verſ. 9. *Et dixit Deus, congregentur aquæ ſub Cœlo ad locum unum, & appareat Arida; & factum ita.* Cum novit, quod homo internus & externus detur, & quod Vera & Bona ab homine interno, ſeu per hominem internum ad externum, a Domino, influant, tametſi non ita apparet, tunc illa ſeu Cognitiones veri & boni, quæ apud eum, in memoria ejus reconduntur, & inter ſcientifica referuntur; quicquid enim memoriæ externi hominis inſinuatur, ſive naturale ſit, ſive ſpirituale, ſive cœleſte, ibi manet ut ſcientificum, & inde producitur a Domino: Cognitiones illæ ſunt aquæ congregatæ ad locum unum, & vocantur Maria; ipſe autem homo externus vocatur arida, & mox terra, ſecundum hæc quæ ſequuntur.

28. Verſ. 10. *Et vocavit Deus Aridam, Terram, & congregationem aquarum vocavit Maria; & vidit Deus, quod bonum.* Quod aquæ ſignificent Cognitiones & Scientifica, communiſſimum eſt in verbo, inde quod Maria collectionem earum, ut apud Eſaiam, "Plena erit Terra ſcientia, Jehovæ, ſicut "aquæ Mare contegentes," XI. 9. Et apud eundem Prophetam, ubi de defectu cognitionum, & ſcientificorum, agitur, "Deficient aquæ de mari, flu-"vius exſiccabitur & exareſcet, & recedent flumina," XIX. 5, 6. Apud Haggajum, ubi de Eccleſia nova, "Ego commovens *Cœlos* & *Terram*, & "Mare & Aridam; & commovebo omnes gentes, & venient deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria," II. 6, 7. Et de homine regenerando apud Sachariam, "Erit dies unus ille, notus eſt Jehovæ, non "*dies*, nec nox, & erit, ad tempus *veſperæ* erit Lux, & erit in die illo, exi-"bunt aquæ vivæ a Hieroſolyma, pars earum ad Mare orientale, & pars earum "ad Mare poſterum," XIV. 7, 8. Per Davidem, ubi deſcribitur homo vaſtatus, qui regenerandus, Dominum adoraturus, "Jehovah vinctos ſuos non "ſpernit, laudabunt Ipſum *Cœli* & *Terra*, Maria & omne reptans in iis," Pſalm. LXIX. 35. Quod Terra ſignificet receptaculum, apud Sachariam, "Jehovah extendens *Cœlos*, & *fundans* Terram, & formans ſpiritum hominis "in medio ejus," XII. 1.

29. Verſ. 11. 12. *Et dixit Deus, progerminare faciat Terra herbam teneram, herbam ſeminificantem ſemen, arborem fructus facientem fructum, ſecundum ſpeciem*

ſuam, in quo ſemen ejus, ſuper terra: & factum ita. Et produxit terra herbam teneram, herbam ſeminificantem ſemen, ſecundum ſpeciem ſuam, & arborem facientem fructum, in quo ſemen ejus, ſecundum ſpeciem ſuam: & vidit Deus, quod bonum. Cum Terra ſic præparata eſt, ſeu homo, ut a Domino recipere poſſit ſemina cœleſtia, & producere aliquid boni & veri, tunc Dominus primum progerminare facit tenerum quoddam, quod vocatur herba tenera; tum aliquid utilius, quod rurſus ſe proſeminat, & vocatur herba ſeminificans ſemen; tandem aliquod bonum, quod ſe fructificat, & vocatur arbor faciens fructum, in quo ſemen ejus, quodlibet ſecundum ſpeciem ſuam. Homo, qui regeneratur, primum talis eſt, ut putet bonum, quod facit, eſſe ex ſemet, & verum, quod dicit, eſſe ex ſemet, cum tamen ita ſe res habet, quod omne bonum, & omne verum ſit a Domino, quare qui putat eſſe a ſemet, is nondum habet Vitam veræ fidei, quam tamen poſtmodum recipere poteſt; nondum enim credere poteſt, quod a Domino, quia in ſtatu præparationis ad recipiendam vitam fidei eſt; Status iſte repræſentatur hic per Inanimata; & Status vitæ fidei poſtmodum per Animata. Quod Dominus ſit ſeminans, ſemen ſit Verbum Ipſius, & quod Terra homo, Ipſe dignatus eſt dicere, Matth. XIII. 19. ad 24. 37, 38, 39. Marc. IV. 14. ad 21. Luc. VIII. 11. ad 16. Deſcribit etiam ſimiliter, "Ita eſt Regnum Dei, ut homo, dum jacet ſemen in terram, & dormit & ſurgit nocte & die, & ſemen germinat & aſſurgit, quomodo, is neſcit, ſponte enim terra fructum fert, primum herbam, dein ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica, Marc: IV: 26, 27, 28. Per Regnum Dei in univerſali ſenſu intelligitur univerſum Cœlum; in minus univerſali Eccleſia vera Domini; in particulari unuſquiſque qui eſt veræ fidei, ſeu per fidei vitam regeneratus, quare is quoque vocatur Cœlum, quia in illo eſt Cœlum; tum Regnum Dei, quia in illo eſt Regnum Dei, quod Ipſe Dominus docet per Lucam, "Jeſus interrogatus a Phariſæis, quando venit Regnum Dei, reſpondit iis, & dixit, non venit Regnum Dei cum obſervatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic, ecce enim Regnum Dei intra vos eſt," XVII: 20, 21. Hoc tertium ſucceſſivum eſt Regenerationis hominis, & ſtatus ejus pœnitentiæ, ſimiliter ab umbra procedens ad lucem, ſeu a Veſpera ad Mane, quare dicitur, Verſ. 13. *Et fuit Veſpera, & fuit Mane, Dies Tertius.*

30. Verſ. 14, 15, 16, 17. *Et dixit Deus, ſit Luminaria in Expanſo cœlorum, ad diſtinguendum inter diem, & inter noctem, & erunt in ſigna, & in ſtata tempora, & in dies, & annos: Et erunt luminaria in Expanſo Cœlorum, ad lucem dandum ſuper terra, & factum ita. Et fecit Deus duo Luminaria magna, Luminare magnum ad dominandum die, & Luminare minus ad dominandum nocte, & ſtellas. Et poſuit illa Deus in Expanſo cœlorum, ad lucem dandum ſuper terra.* Quid Luminaria magna, non ſatis intelligi poteſt, niſi ſciatur primum, quæ Eſſentia fidei, tum quæ ejus Progreſſio apud eos, qui e novo creantur. Ipſa Eſſentia & Vita fidei, eſt Solus Dominus; qui enim non credit in Dominum, non habere poteſt vitam, ut Ipſe dixit apud Johannem, "Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit

" bit vitam, ſed ira Dei manebit ſuper eo," III: 36. Progreſſio fidei apud eos, qui e novo creantur, eſt talis; primum nullius vitæ ſunt, nam in Malo & Falſo non eſt vita, ſed in Bono & Vero: dein accipiunt vitam a Domino per Fidem, primum per Fidem Memoriæ, quæ eſt Fides ſcientifica; tum per Fidem intellectu, quæ eſt Fides intellectualis; dein per Fidem Corde, quæ eſt Fides Amoris, ſeu ſalvifica. Fides ſcientifica & intellectualis repræſenta eſt a Verſu 3 ad 13 per inanimata; Fides autem vivificata per amorem, repræſentatur a Verſu 20 ad 25, per Animata; quare hic nunc primum agitur de Amore & inde Fides, quæ vocantur Luminaria; Amor eſt Luminare magnum, quod dominatur die; Fides ex Amore eſt Luminare minus, quod dominatur nocte; quæ quia unum facient, dicitur de iis in ſingulari, *ſit*, non autem, ſint, luminaria. Amor & Fides ſe habent in Interno homine, ſicut Calor & Lux in Externo corporeo, quare illa per hæc repræſentantur; ideo Luminaria poſita dicuntur in Expanſo Cœlorum, ſeu in Interno homine, magnum Luminare in ejus Voluntate, & minus in ejus Intellectu, ſed apparent ſolum in voluntate & intellectu, ſicut lux ſolis in objectis; eſt ſolius Domini Miſericordia, quæ amore voluntatem, & veritate ſeu fide intellectum afficit.

31. Quod Luminaria magna ſignificent Amorem & Fidem, & quoque nominentur Sol, Luna, & Stellæ, conſtat paſſim apud Prophetas, ut apud Ezechielem, " Obtegam, cum exſtinxero te, *Cœlos*, & atrabo ſtellas eorum, Solem nube obtegam, " & Luna non lucere faciet lucem ſuam, omnia Luminaria lucis in cœlis atrabo " ſuper te, daboque tenebras ſuper *Terra* tua," XXXII. 7, 8. ubi agitur de Pharaone & Ægyptio, per quos intelligitur in Verbo Senſuale & Scientificum, hic quod per ſenſualia & ſcientifica exſtinxerint amorem & fidem. Apud Eſaiam, " Dies Jehovæ ad ponendum *terram* in deſolationem, nam ſtellæ cœlorum, " & oriones eorum, non facient lucere lucem ſuam, obtenebratus Sol in exitu " ſuo, & Luna non ſplendere faciet lucem ſuam," XIII: 9, 10. Apud Joelem, " Venit dies Jehovæ, dies tenebrarum & caliginis, coram Ipſo contremiſcit Terra, commoventur Cœli, Sol & Luna atrantur, & ſtellæ retrahunt " ſplendorem ſuum," II: 2. 10. Apud Eſaiam, ubi agitur de adventu Domini, & illuminatione gentium, ita de nova Eccleſia, in particulari de ſingulis qui in tenebris ſunt, & lucem accipiunt ac regenerantur, " Surge, illu- " minare, quia venit Lux tua, ecce tenebræ obtegunt terram, & caligo po- " pulos, & ſuper te exorietur Jehovah, ambulabuntque gentes ad lucem tuam, " & reges ad ſplendorem ortus tui, erit Jehovah tibi in lucem æternitatis, non " occidet amplius Sol tuus, & Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit " tibi in lucem æternitatis," LX: 1, 2, 3, 19, 20. Apud Davidem, " Je- " hovah facit *cœlos* in intelligentia, expandit *terram* ſuper *aquis*, facit Lumi- " naria magna, Solem ad dominandum in die, & Lunam & ſtellas ad domi- " nandum in nocte," Pſalm CXXXVI: 5, 6, 7, 8, 9. Et apud Eundem, " Glorificate Jehovam Sol & Luna, glorificate Ipſum omnes ſtellæ lucis; " glorificate Ipſum cœli cœlorum; & Aquæ, quæ ſupra Cœlos," Pſalm: CXLVIII: 3, 4. In quibus omnibus locis Luminaria ſignificant Amorem & Fidem. Quia Luminaria repræſentabant & ſignificabant Amorem & Fidem

in Dominum, præceptum eſt in Eccleſia Judaica, ut Luminare perpetuum eſſet accenſum a veſpera ad mane, nam quicquid Eccleſiæ illi præceptum erat, Repreſentativum Domini erat; de quo Luminari ita, "Præcipe filiis Iſraelis, "ut accipiant oleum ad Luminare, ad aſcendere faciendum Lucernam jugi-"ter: In Tentorio conventus extra Velum, quod eſt ſuper Teſtimonium, "diſponet illam Aharon & filii illius, a Veſpera uſque ad Mane, coram Je-"hovah." Quæ quod ſignificent Amorem & Fidem, quæ Dominus accendit & lucere facit in Interno homine, & per internum hominem in Externo, ibi loci, ex Divina Domini Miſericordia, oſtendetur.

32. Amor & Fides vocantur primum Luminaria magna; dein Amor Luminare magnum, & Fides Luminare minus; & de Amore dicitur, quod dominabitur in die, & de Fide, quod dominabitur in nocte; hæc quia Arcana ſunt, & abdita imprimis in hoc fine dierum, ex Divina Domini Miſericordia, licet aperire, quomodo ſe res habet: quod abdita imprimis in hoc fine dierum, cauſa eſt, quia nunc eſt Conſumatio ſæculi, & Amor pæne nullus, proinde nec Fides; ſicut Ipſe Dominus prædixit apud Evangeliſtas, his verbis, "Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lucem, & ſtellæ cadent de Cœlo, "& virtutes Cœlorum commovebuntur," Matth. XXIV: 29. Per Solem hic intelligitur Amor, qui obſcuratus; per Lunam Fides, quæ non dat lucem; per Stellas, Cognitiones fidei, quæ cadunt de Cœlo, quæ ſunt virtutes & poteſtates cœlorum. Antiquiſſima Eccleſia, non aliam fidem agnovit, quam ipſum Amorem; Cœleſtes quoque Angeli non ſciunt quid fides, niſi quæ Amoris; Univerſum Cœlum eſt Amoris, nam in cœlis non datur alia vita, quam vita Amoris, inde omnis felicitas, quæ tanta, ut aliquid ejus non deſcribi poſſit, nec uſquam aliqua idea humana capi: Qui in amore ſunt, Dominum ex corde amant, ſed norunt, dicunt, & percipiunt, quod omnis amor, ita omnis vita, quæ ſolius amoris eſt, & ſic omnis felicitas, unice ex Domino veniat, & quod ne hilum amoris, vitæ & felicitatis, ex ſemetipſis habeant. Quod Dominus ſit, ex Quo omnis Amor, repræſentatum etiam eſt per Luminare Magnum ſeu Solem, cum transfomatus, nam "Splenduit facies Ip-"ſius ſicut Sol, Veſtimenta autem facta ſunt ſicut Lux," Matth: XVII: 2. Significantur intima per Faciem, & quæ ab intimis procedunt per Veſtes, ita Divinum Ipſius per Solem ſeu Amorem, & Humanum Ipſius per Lucem, ſeu Sapientiam ex Amore.

33. Notiſſimum unicuivis eſſe poteſt, quod nulla uſquam vita ſit abſque aliquo Amore, & quod nuſquam aliquod gaudium, niſi quod profluit ex Amore; ſed qualis Amor, talis vita, & tale gaudium: ſi removeres amores, ſeu quod idem eſt, cupiditates, quia eæ ſunt amoris, ceſſaret illico cogitatio, & fores inſtar mortui; quod mihi oſtenſum eſt ad vivum. Amores ſui & mundi, quoddam vitæ ſimile, & quoddam gaudii ſimile ſiſtunt, ſed quia ſunt contrarii prorſus amori vero, qui eſt, ut ament Dominum ſupra omnia, & proximum ut ſemet, conſtare poteſt, quod non amores ſint, ſed quod odia; nam quo plus aliquis ſemet & mundum amat, eo plus proximum, & ſic Dominum, odit: quare verus Amor, eſt Amor in Dominum; & vera

vita,

vita, eſt vita amoris ab Ipſo: & verum gaudium eſt gaudium illius vitæ. Amor Verus non dari poteſt niſi unicus, ita nec vera vita niſi unica, unde vera gaudia, & veræ felicitates, quales ſunt Angelorum in Cœlis.

34. Amor & Fides nuſquam ſeparari poſſunt, quia unum & idem conſtituunt; quare cum primum agitur de Luminaribus, pro uno accipiuntur, & dicitur, ſit Luminaria in Expanſo Cœlorum. Mirabilia de hoc licet referre; Cœleſtes Angeli, quia a Domino ſunt in tali Amore, ex Amore in omnibus fidei Cognitionibus ſunt, & ex amore in tali vita & luce intelligentiæ, ut vix aliquid deſcribi poſſit: Viciſſim autem Spiritus, qui in ſcientia doctrinalium fidei abſque amore ſunt, in tali frigida vita, & obſcura luce ſunt, ut ne quidem ad primum limen atrii cœlorum approximare poſſint, quin retro fugiant: dicunt quidam ſe credidiſſe in Dominum, ſed non vixerunt, ſicut docuit; de quibus Dominus ita apud Matthæum; "Non omnis dicens Mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, ſed faciens voluntatem meam: multi dicent Mihi in illa die, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus," & quæ ſequntur, VII. 21, 22. ad f. Exinde conſtat, quod qui in Amore, etiam in fide ſint, & ſic in vita cœleſti, non autem, qui ſe dicunt eſſe in fide, & non ſunt in vita amoris: Vita fidei abſque amore, ſe habet ſicut Lux Solis abſque Calore, ut in hyeme, quando nihil creſcit, ſed omnia & ſingula torpent & emoriuntur; ſed Fides ex Amore ſe habet ſicut Lux Solis tempore Veris, quando omnia creſcunt & florent, nam Calor ſolis eſt qui producit; in ſpiritualibus & cœleſtibus ſimiliter, quæ ſolent repræſentari in Verbo, per ea, quæ ſunt in mundo, & ſuper terra: nulla fides, & fides abſque amore, a Domino quoque comparatur hyemi, ubi de conſumatione ſæculi prædixit apud Marcum, "Orate, ne fiat fuga veſtra in hyeme, erunt enim dies iſti affictionis," XIII. 18, 19. fuga eſt ultimum tempus, etiam cujuſvis hominis cum moritur; Hyems eſt vita nullius amoris; dies affictionis eſt ſtatus ejus miſerabilis in altera vita.

35. Homini binæ facultates ſunt, Voluntas & Intellectus; cum Intellectus regitur a Voluntate, tunc ſimul unam mentem, ſic unam vitam conſtituunt, nam tunc quod homo vult & agit, etiam cogitat & intendit; cum autem Intellectus diſſidet a Voluntate, ſicut apud eos, qui fidem ſe habere dicunt, ſed aliter vivunt, tunc una mens in binas diſtrahitur; una vult ſe auferre in Cœlum, altera tendit ad infernum; & quia voluntas omne agit, totus quantus ad infernum rueret, niſi Dominus ejus miſereretur.

36. Qui ſepararunt fidem ab amore, ne quidem ſciunt quid fides; dum in idea fidei ſunt, quidam non ſciunt aliter quam quod ſit mera Cogitatio; aliqui, quod ſit Cogitatio in Dominum; pauci, quod ſit Doctrina fidei: ſed Fides eſt, non ſolum Cognitio omnium quæ complectitur Doctrina fidei, & eorum Agnitio, ſed imprimis eſt Obedientia omnium, quæ docet; primarium, quod docet, cui obedient, eſt Amor Domini, & Amor proximi, in quo qui non eſt, non eſt in fide; quod ita clare docet Dominus, ut nuſquam poſſit dubitari, apud Marcum, ita, "Primarium omnium præceptorum eſt, audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt, ideo amabis Domi-

"num

" num Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota " mente tua, & ex omnibus viribus tuis; hoc primarium eſt præceptum; " alterum quidem ſimile hoc, amabis proximum tuum, ſicut te ipſum; ma-" jus his aliud præceptum non eſt," XII: 28 ad 35. Apud Matthæum appellat illud Primum & Magnum Mandatum, & quod ex illis Mandatis Lex & Prophetæ pendeant, XII: 34 ad 39. Lex & Prophetæ ſunt univerſa Doctrina fidei, & omne Verbum.

37. Dicitur, quod Luminaria erunt in ſigna, & in ſtata tempora, & in dies, & in annos; hæc plura arcana continent, quam ut in præſenti dici queant, tametſi in ſenſu literæ nihil arcani apparet; nunc ſolum, quod vices ſpiritualium & cœleſtium dentur in univerſali, & ſingularibus, quæ comparantur vicibus dierum & annorum; dierum ſunt a mane ad meridiem, inde ad veſperam, & per noctem ad mane; annorum ſunt ſimiles, a vere ad æſtatem, inde ad autumnum, & per hyemem ad ver; vices inde caloris & lucis, tum fructificationum terræ; his vicibus comparantur vices ſpiritualium & cœleſtium; vita abſque vicibus & varietatibus foret una, ita nulla, nec cognoſceretur, nec dignoſceretur, minus perciperetur bonum & verum: hæc vocantur apud Prophetas ſtatuta, ut apud Jeremiam, " Dixit Jehovah, dans ſolem in lucem " diei, ſtatuta Lunæ, & Stellarum in lucem noctis, non recedent ſtatuta hæc " a coram Me," XXXI: 35, 36. Et apud eundem Prophetam, " Sic dixit " Jehovah, ſi non foedus meum diei & noctis, ſtatuta cœli & terræ non po-" ſuero," XXXIII: 25. Sed de his ex Divina Domini Miſericordia, ad Geneſ. Capt. VIII. 22.

38. Verſ. 18. *Et ad dominandum in die, & in nocte, & ad diſtinguendum inter lucem, & inter tenebras; & vidit Deus quod bonum.* Per diem intelligitur Bonum, per noctem malum; quare Bona appellantur opera diei, Mala autem opera noctis: per lucem intelligitur Verum, & per tenebras falſum, ſicut Dominus loquitur, " Dilexerunt homines magis Tenebras quam Lucem, " qui facit veritatem, venit ad Lucem," Joh. III: 19 ad 21. Verſ. 19 *Et fuit Veſpera, & fuit Mane, Dies Quartus.*

39. Verſ. 20. *Et dixit Deus, prorepere faciant aquæ Reptile, animam viventem: & Avis volitet ſuper terra, ſuper faciebus Expanſi Cælorum.* Poſtquam magna Luminaria accenſa ſunt, & poſita in Homine Interno, & inde lucem accipit Externus, tunc incipit primum vivere, prius vix vixiſſe dici poteſt, nam Bonum quod fecit, ex ſemet feciſſe, & Verum, quod loquutus, ex ſemet dixiſſe, putavit; & quia homo eſt mortuus ex ſe, & in eo nihil niſi malum & falſum, quare quicquid producit ex ſe, non eſt vivum, uſque adeo, ut ne quidem facere bonum, quod in ſe eſt bonum, ex ſemet poſſit: quod homo ne quidem cogitare bonum, nec velle bonum, proinde non agere bonum, poſſit, niſi ex Domino, ex Doctrina fidei cuivis conſtat, nam dicit Dominus apud Matthæum, " Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis," XIII. 37. Nec poteſt Bonum niſi ex ipſomet fonte venire, qui eſt unicus, ſicut etiam dicit, " Nemo Bonus eſt niſi unus Deus," Luc: XVIII. 19. Sed uſque, cum Dominus reſuſcitat in vitam, ſeu regenerat, hominem, permittit

primum,

primum, ut ſic autumet, nam homo tunc non aliter capere poteſt, nec aliter duci ad credendum, & dein ad percipiendum, quod a Domino Solo omne Bonum & Verum: dum ita autumavit, ejus Vera & Bona, comparata ſunt Herbæ teneræ, tum Herbæ ſeminificanti ſemen, dein Arbori fructus, quæ ſunt inanimata; nunc autem, cum vivificatus ab Amore & Fide, & credit, quod Dominus operatur omne Bonum, quod agit, & Verum quod dicit, tunc comparatur primum Reptilibus aquæ, & Avibus, quæ volitant ſuper terra; tum Beſtiis, quæ omnia ſunt animata, & vocantur animæ viventes.

40. Per Reptilia, quæ aquæ producunt, ſignificantur ſcientifica, quæ ſunt hominis Externi; per Aves in genere Rationalia, tum Intellectualia, quorum hæc ſunt Hominis Interni. Quod Reptilia aquarum ſeu piſces ſignificent ſcientifica conſtat apud Eſaiam, "Veni & non vir, in increpatione mea ſiccare "faciam mare, ponam fluvios deſertum, fœtebit piſcis eorum ab eo quod "non aqua, & morietur ſiti, veſtiam cœlos atrore," L: 3, 4. Manifeſtius adhuc apud Ezechielem, ubi Dominus deſcribit novum Templum, ſeu in genere novam Eccleſiam, & hominem Eccleſiæ, ſeu regeneratum, nam unus quiſque Regeneratus eſt Templum Domini, ita, "Dominus Jehovah dixit "ad me, aquæ iſtæ, quæ exibunt ad terminum verſus orientem, & venient "verſus mare, in mare deductæ, & ſanabuntur aquæ: & erit, quod omnis "anima vivens, quæ proreptabit, ad quodcunque ubi venit aqua fluviorum, "vivet, & erit piſcis multus valde, quia veniunt illuc aquæ iſtæ, & ſana-"bunt, & vivet omne, quo venit fluvius: & erit, ſtabunt ſuper illo piſca-"tores ab Engedi ad En-Eglaim, cum expanſione retium erunt; ſecundum "ſpeciem ſuam erit Piſcis eorum, ſicut piſcis maris magni, multus valde," XLVIII: 8, 9, 10. Piſcatores ab Engedi ad En-Eglaim cum expanſione retium, ſignificant eos, qui docebunt hominem naturalem de veritatibus fidei. Quod Aves ſignificent Rationalia & Intellectualia conſtans eſt apud prophetas, ut apud Eſaiam, "Vocans ab ortu volucrem, e terra longinqua virum con-"ſilii mei," XLVI: 11. Apud Jeremiam, "Vidi, & ecce non homo, & "omnis Avis cœlorum aufugerunt," IV: 25. Apud Ezechielem, "Plantabo "ſurculum cedri altæ, & attollet ramum, & faciet fructum, & erit in ce-"drum magnificam, & habitabunt ſub illa omnis avis omnis alæ, in umbra "ramorum ejus habitabunt," XVII: 23. Et apud Hoſeam, ubi agitur de nova Eccleſia, ſeu de Regenerato, "Et feriam illis fœdus, in die illo, cum "fera agri, & cum avi cœlorum, & ſe movente humi," II: 18. Quod fera non ſignificet feram, nec avis avem, unicuivis conſtare poteſt, quia Dominus novum fœdus cum iis pangit.

41. Quicquid Proprium eſt hominis, hoc nullam in ſe vitam habet, dumque ſiſtitur videndum, apparet durum ſicut oſſeum & nigrum; at quicquid a Domino, vitam habet, eſt in illo ſpirituale & cœleſte, & dum ſiſtitur videndum, apparet ut humanum vivum: & quod incredibile forte ſed uſque veriſſimum, quod unaquævis vox, unaquævis idea, & unumquodvis minimum cogitationis ſpiritus Angelici, vivat, in ſingulariſſimis ejus eſt affectio procedens a Domino, qui eſt Ipſa vita: quare, quæ a Domino, habent vitam in

in ſe, quia fidem in Ipſum, & ſignificantur hic per animam viventem; tum habent ſpeciem corporis hic ſignificatam per ſe movens, ſeu reptans: at hæc adhuc homini arcana ſunt, ſed quia agitur hic de anima vivente, & ſe movente, hic ſolum memoranda.

42. Verſ. 21. *Et creavit Deus Cetos magnos, & omnem animam viventem, reptantem, quam prorepere fecerunt aquæ, ſecundum ſpecies ſuas; & omnem avem alæ ſecundum ſpeciem ſuam; & vidit Deus quod bonum.* Piſces, ut dictum, ſignificant ſcientifica, hic per fidem a Domino animata, & ſic viva; Ceti ſignificant illorum Communia, ſub quibus & ex quibus particularia; nihil quicquam in univerſo datur, quod non ſub aliquo communi eſt, ut exiſtat & ſubſiſtat: apud Prophetas aliquoties nominantur Ceti aut Balænæ, & ibi ſignificant Communia ſcientificorum; Pharao, Rex Ægypti, per quem repræſentatur ſapientia ſeu intelligentia humana, hoc eſt, ſcientia in genere, vocatur Cetus magnus: ut apud Ezechelem, "Ecce Ego contra te, Pharao Rex Ægypti, Cete "magne, cubans in medio fluviorum tuorum, qui dixit, mihi fluvius, & "ego feci me," XXIX: 3. & alibi, "Tolle lamentationem ſuper Pharaonem, Regem Ægypti, & dicas ad eum, & tu ſicut Cetus in maribus, & prodiiſti in fluminibus tuis, & conturbaſti aquas pedibus "tuis," XXXII: 2. per quæ ſignificantur ii, qui per ſcientifica, ita ex ſe, intrare volunt in myſteria fidei. Apud Eſaiam, "In die iſto, viſitabit "Jehovah gladio ſuo duro, & magno, & forti, ſuper Leviathanem ſerpentem oblongum, & ſuper Leviathanem ſerpentem tortuoſum, & occidet "Cetos, qui in mari," XXXVII: 1. Per occidere cetos in mari, ſignificatur, ut ne quidem communia ſciant. Apud Jeremiam, "Comedit me, conturbavit "Nebuchadnezar, Rex Babelis, conſtituit me vas inane, deglutivit me, ſicut Cetus, implevit ventrem ſuum ex delitiis meis, expulit me," LI: 34. Pro quod Cognitiones fidei, quæ hic ſunt delitiæ, ita deglutiverit, ſicut Cetus Jonam, ubi Cetus pro iis, qui communia Cognitionum fidei ut ſcientifica, poſſident, & ſic faciunt.

43. Verſ. 22. *Et benedixit iis Deus, dicendo, fructificate & multiplicate vos, & implete aquas in maribus; & avis multiplicabitur in terra.* Omne, quod in ſe ex Domino vitam habet, ſe fructificat & multiplicat immenſum; quandiu homo in corpore vivit, non ita, ſed in altera vita ſtupende. Fructificare in Verbo prædicatur de illis, quæ ſunt amoris, & multiplicare de illis, quæ ſunt fidei, fructus qui eſt amoris habet ſemen, per quod ſe tantum multiplicat: Benedictio Domini etiam ſignificat in Verbo fructificationem & multiplicationem, quia hæ ex illa. Verſ. 23. *Et fuit Veſpera, & fuit Mane, Dies Quintus.*

44. Verſ. 24, 25. *Et dixit Deus, producat Terra animam viventem, ſecundum ſpeciem ſuam; Beſtiam, & ſe movens, & Feram iſtius terræ, ſecundum ſpeciem ſuam; & factum ita. Et fecit Deus Feram terræ ſecundum ſpeciem ſuam, & Beſtiam ſecundum ſpeciem ſuam, & omne reptans humi, ſecundum ſpeciem ſuam: & vidit Deus quod bonum.* Homo, ſicut Terra, nihil boni producere poteſt, niſi prius ei inſeminatæ ſint Cognitiones fidei, ex quibus ſciat, quid credendum &

fa

faciendum: Intellectus eſt audire Verbum, & Voluntatis eſt facere; audire Verbum & non facere, eſt dicere, quod credat, & tamen non ita vivit, talis ſeparat illa, & diſtrahit mentem, & a Domino vocatur Stultus, " Omnis, qui " audit verba mea, & facit illa, comparo viro prudenti, qui ædificavit do- " mum ſuam ſupra petram; at omnis, qui audit verba mea, ſed non facit illa, " comparo viro Stulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam," Matth. VII: 24, 26. Quæ ſunt Intellectus, ſignificata ſunt, ut oſtenſum, per Reptilia, quæ aquæ prorepere faciunt, & per Avem ſuper terra, & ſuper faciebus Expanſi; quæ ſunt Voluntatis, ſignificantur hic per animam viventem, quam terra producat, perque Beſtiam & Reptans, tum per Feram ejus terræ.

45. Qui antiquiſſimis temporibus vixerunt, ita ſignificarunt illa quæ ſunt Intellectus, & quæ ſunt Voluntatis; inde apud Prophetas, & conſtanter in Verbo Veteris Teſtamenti, ſimilia per Animalium genera repræſentantur. Beſtiæ ſunt duplicis generis, ſunt malæ quia noxiæ, & ſunt bonæ quia mites; quæ mala ſunt in homine, ſignificata ſunt per tales beſtias, ut per Urſos, Lupos, Canes; quæ bona & mitia, per tales quoque beſtias, ſicut per Juvencos, Oves & Agnos; Beſtiæ, quia hic agitur de regenerandis, ſunt bonæ & mites, ſignificant Affectiones: quæ inferiora ſunt, & plus trahunt a corpore, vocantur Feræ ejus terræ, & ſunt Cupiditates & Voluptates.

46. Quod Beſtiæ ſignificent Affectiones apud hominem, malas apud malos, & bonas apud bonos, conſtare poteſt ex Verbo pluries, ut apud Ezechielem, " Ecce Ego ad vos, & reſpiciam ad vos, ut excolamini & ſeminemini, & " multiplicabo ſuper vos hominem & beſtiam, & multiplicabuntur, & fructi- " ficabuntur, & habitare faciam vos ſecundum Antiquitates veſtras," XXXVI: 9, 10, 11. ubi de Regeneratione agitur. Apud Joelem, " Ne timete Beſtiæ " agri mei, quia herboſa facta habitacula deſerti," II: 22. Apud Davidem, " Ego ſtolidus, Beſtiæ fui apud Deum," Pſalm LXXVIII: 21. Apud Jeremiam, " Ecce dies venientes, & ſeminabo domum Iſraelis, & domum Jehu- " dæ, ſemine hominis, & ſemine Beſtiæ, & vigilabo ſuper iis ad ædifican- " dum & plantandum," XXXI: 27, 28. ibi de Regeneratione agitur. Quod Feræ ſimilia ſignificent, ut apud Hoſeam, " Feriam illis fœdus in die illo, " cum Fera Agri, & cum Ave cœlorum, & Reptili terræ," II: 18. Apud Jobum, " A fera terræ non timebis, nam cum lapidibus agri fœdus tuum, " & fera agri pacifica erit tibi," IV: 22. Apud Ezechielem, " Pangam " vobis fœdus pacis, & ceſſare faciam feram malam e terra, ut habitent in " deſerto confidenter," XXXIV: 25. Apud Eſaiam, " Honorabit Me Fera " agri, quia dedi in deſerto aquas," XLIII: 20. Apud Ezechielem, " In ra- " mis illius nidificarunt omnis Avis cœlorum, & ſub ramis illius genuerunt " omnis Fera agri, ac in umbra illius habitaverunt omnes gentes magnæ," XXXI: 6; ita de Aſſyrio, quo ſignificatur homo ſpiritualis, & comparatur horto Edenis. Apud Davidem, " Glorificate Jehovam omnes Angeli Ipſius, " glorificate e terra ceti, arbor fructus, fera, & omnis beſtia, reptans, & " avis alæ," Pſalm. CXLVIII: 2, 3, 4, 7, 9, 10. Hic prorſus eadem nominantur, ut ceti, arbor fructus, fera, beſtia, reptans, avis; niſi per ea ſignifi-

centur viva apud hominem, nuſquam prædicari poteſt de iis, quod glorificent Jehovam. Diſtinguitur probe apud Prophetas inter Beſtias & Feras terræ, ac inter Beſtias & Feras agri. Bona uſque adeo appellantur Beſtiæ, ut qui proximi Domino in Cœlo, dicantur Animalia, tam apud Ezechielem, quam apud Johannem, "Omnes Angeli ſteterunt circa thronum, & Seniores, & "quatuor Animalia, & ceciderunt ante thronum ſuper facies ſuas, & adora- "runt Agnum," Apoc: VII: 11. Cap: XIX: 4. Appellantur etiam Creaturæ, quibus prædicandum Evangelium, quia e novo creandi, "Euntes in "mundum univerſum, & prædicate Evangelium omni Creaturæ," Marc: XVI: 15.

47. Quod Verba contineant arcana Regenerationis, exinde etiam conſtare poteſt, quod in priori verſu dictum, quod Terra produceret Animam Viventum, Beſtiam & Feram terræ; in ſequenti verſu, alio ordine, quod Deus fecerit Feram terræ, tum Beſtiam; primum enim producit homo tanquam ex ſe, poſtea etiam, antequam ſit Cœleſtis; & ſic Regeneratio inchoat ab Externo homine & procedit ad Internum, ideo hic alius ordo eſt, & externa præcedunt.

48. Ex his nunc conſtat, quod Quintus ſtatus ſit, quod homo ex fide, quæ eſt Intellectus, loquatur, ſeque inde confirmet in Vero & Bono, & quæ tunc producit, ſint Animata, quæ vocantur Piſces maris, & Aves Cœlorum. Et quod Sextus Status ſit, cum ex Fide, quæ eſt Intellectus, & inde ex Amore, qui eſt Voluntatis, vera loquatur, & bona faciat; quæ tunc producit, vocantur Anima vivens & Beſtia. Et quia tunc incipit ſimul ac ex Fide, etiam ex Amore, agere, fit Homo Spiritualis, qui vocatur Imago, de qua nunc.

49. Verſ. 26. *Et dixit Deus, faciamus Hominem in Imaginem noſtram, ſecundum Similitudinem noſtram; & dominabuntur in Piſces maris, & in Avem Cœlorum, & in Beſtiam, & in omnem Terram, & in omne reptans, quod reptat ſuper terra.* In Antiquiſſima Eccleſia, cum quibus Dominus loquutus ore ad os, apparuit Dominus ſicut Homo, de quibus multa referri poteſt, ſed nondum eſt tempus; ideo nullum appellabant Hominem, quam Ipſum, & quæ Ipſius eſſent; nec ſemet, niſi ſolum illa, quæ perceperunt habuiſſe ex Domino, ut omne Bonum Amoris, & Verum fidei, hæc dicebant Hominis, quia Domini: apud Prophetas inde in ſupremo ſenſu per Hominem & Filium Hominis intelligitur Dominus; & in ſenſu interno Sapientia & Intelligentia; inde omnis qui Regeneratus, ut apud Jeremiam, "Vidi terram, & ecce Vacuitas & Inanitas, & ad Cœlos, & ecce non lux eorum, vidi & ecce non homo; & omnes aves cœlorum aufugerunt," IV: 23, 25. Apud Eſaiam, ubi in ſenſu interno per Hominem intelligitur Regeneratus; in ſupremo, Ipſe Dominus, ſicut unus, "Sic dixit Jehovah, Sanctus Iſraelis, & Formator ejus, Ego feci terram & "hominem ſuper ea creavi Ego, manus meæ extenderunt Cœlos, & omni "exercitui eorum præcepi," XLV: 11, 12, 13. Dominus ideo Prophetis viſus Homo, ut Ezechieli, "Super Expanſum ſicut aſpectus lapidis ſapphiri, ſimi- "litudo ſolii, & ſuper ſimilitudine ſolii, ſimilitudo ſicut aſpectus Hominis "ſuper illo ſuperius," I: 26. Et Danieli viſus, dictus Filius Hominis, ſeu

Homo, quod idem eſt; " Vidi, & ecce cum nubibus Cœli, ſicut Filius Ho-" minis veniens erat, & uſque ad Antiquum dierum pervenit, & ante Illum " appropinquare fecerunt Ipſum, & Ipſi datum eſt Dominium, & Gloria, & " Regnum, & omnes populi, gentes, & linguæ, Ipſi ſervient; Dominium " Ipſius, Dominium ſæculi, quod non tranſibit, & Regnum Ipſius, quod " non peribit," VII: 13, 14. Dominus etiam ſe ſæpius vocat Filium Hominis, ſeu Hominem; & ſicut apud Danielem de Adventu Sui in gloriam prædicit, " Videbunt Filium Hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute " & gloria," Matth: XXIV: 23, 30. Nubes Cœlorum vocatur Senſus Literalis Verbi; Virtus & Gloria, Senſus Verbi Internus, qui unice ſpectat Dominum, & Ipſius Regnum, in omnibus & ſingulis, in quo Senſu inde Virtus & Gloria.

50. Quid Antiquiſſima Eccleſia per Imaginem Domini intellexerunt, plura ſunt, quam ut dici poſſint: Homo neſcit prorſus, quod regatur a Domino per Angelos & Spiritus, & quod apud unumquemvis hominem ſint ad minimum bini Spiritus, & bini Angeli; per Spiritus fit communicatio hominis cum Mundo ſpirituum, & per Angelos, cum Cœlo; abſque communicatione hominis per ſpiritus cum mundo ſpirituum, & per Angelos cum Cœlo, & ſic per Cœlum cum Domino, nequaquam vivere poteſt; Vita ejus pendet prorſus a Conjunctione illa; ſi recederent Spiritus & Angeli, momento periret. Quamdiu homo non regeneratus eſt, regitur prorſus aliter, quam cum regeneratus; cum non regeneratus, apud eum ſunt ſpiritus mali, qui dominantur ita ſuper eum, ut Angeli, tametſi adſunt, vix quicquam efficere poſſint, quam ſolum dirigere, ne præcipitet ſe in ultimum malum; & flectere eum ad quoddam bonum, & quidem per proprias ejus cupiditates ad bonum, & per fallacias ſenſuum ad verum; tunc communicationem habet cum mundo ſpirituum per ſpiritus, qui apud eum, ſed non ita cum Cœlo, quia ſpiritus mali dominantur, & angeli ſolum avertunt: Cum autem regeneratus eſt, tunc dominantur Angeli, & omnia bona & vera ei inſpirant, ac horrorem & timorem pro malis & falſis. Angeli quidem ducunt, ſed ſolum miniſtrant, nam Dominus ſolus eſt, qui hominem regit per Angelos & Spiritus; & quia fit miniſterio angelorum, hic primum dicitur in plurali, *faciamus hominem in Imaginem noſtram*; ſed quia ſolus uſque regit & diſponit, in ſubſequente verſu dicitur in ſingulari, *creabat Deus illum in imaginem ſuam*; quod etiam Dominus clare dicit apud Eſaiam, " Ita dixit Jehovah Redemptor tuus, & Forma-" tor tuus ab utero, Ego Jehovah facio omnia, extendens *Cœlos* Solus, ex-" pandens *Terram* a Me Ipſo," XLIV: 24. Ipſi Angeli etiam fatentur, quod nihil poteſtatis apud eos, ſed quod a Solo Domino agant.

51. Quod Imaginem attinet, Imago non eſt Similitudo, ſed eſt ſecundum ſimilitudinem, quare dicitur, faciamus hominem in imaginem noſtram, ſecundum ſimilitudinem noſtram. Spiritualis Homo eſt Imago, Cœleſtis autem Homo eſt Similitudo, ſeu Effigies; in hoc Capite agitur de Spirituali Homine, in ſequente de Cœleſti. Spiritualis Homo, qui Imago, vocatur a Domino Filius lucis, ut apud Johannem, " Qui ambulat in tenebris, non ſcit, quorſum

 " abit,

“ abit, quouſque Lucem habetis, credite in Lucem, ut Filii Lucis ſitis,” xii : 35, 36. Vocatur etiam Amicus, “ Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæcunque Ego mando vobis,” Joh: xv : 14, 15. Sed Homo Cœleſtis, qui Similitudo, vocatur, Filius Dei, apud Johannem, “ Quotquot receperunt, “ dedit illis poteſtatem, ut filii Dei eſſent, credentibus in Nomen Ipſius, qui “ non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed “ ex Deo nati ſunt,” i: 12, 13.

52. Quamdiu Homo Spiritualis eſt, procedit dominium ejus ab Externo homine ad Internum, ſicut hic dicitur, dominabuntur in piſces maris, & in avem cœlorum, & in beſtiam, & in omnem terram, & in omne reptans, quod reptat ſuper terra; cum autem ſit Cœleſtis, & ex Amore bonum agit, tunc dominium procedit ab Interno homine ad externum, ſicut Dominus deſcribit Se Ipſum, & ſic ſimul hominem Cœleſtem, qui Similitudo Ipſius, apud Davidem, “ Dominari feciſti Illum in opera manuum tuarum, omnia poſuiſti “ ſub pedes Illius, gregem & armenta omnia, & quoque beſtias agrorum, avem “ cœlorum, & piſces maris, tranſeuntem ſemitas marium,” hic ideo primum dicuntur Beſtiæ, dein Avis, tum Piſces maris, quia homo Cœleſtis ab Amore, qui eſt voluntatis, procedit, aliter ac apud Spiritualem hominem, apud quem præcedunt piſces & aves, quæ ſunt intellectus, qui eſt fidei, & ſequuntur beſtiæ.

53. Verſ. 27. *Et creavit Deus hominem in Imaginem Ipſius, in Imaginem Dei creavit illum:* Quod hic bis dicatur Imago, inde eſt, quia Fides quæ eſt Intellectus, vocatur Imago Ipſius; Amor autem, qui eſt Voluntatis, Imago Dei, qui in homine Spirituali ſequitur, ſed in homine Cœleſti præcedit.

54. *Maſculum & fæminam creavit illos.* Quid per Maſculum & Fæminam in ſenſu interno intelligatur, Antiquiſſimæ Eccleſiæ notiſſimum fuit, at vero apud poſteros, quando ſenſus interior Verbi, etiam hoc arcanum periit: ſummæ illorum felicitates & delitiæ erant Conjugia, & quicquid uſquam aſſimilari potuit Conjugiis, aſſimilabant, ut inde perciperent felicitatem Conjugii; & quia Interni homines erant, delectabantur ſolum internis, externa ſolum ſpectabant oculis, ſed cogitabant de illis, quæ repræſentabant, ſic ut externa illis nihil eſſent, modo ut aliquid poſſent ab iis reflectere ad interna, & ab internis ad Cœleſtia, & ſic ad Dominum, Qui iis erat omne; proinde ad Conjugium Cœleſte, a quo felicitas eorum Conjugiorum venire percipiebant: ideo in Homine Spirituali Intellectum vocabant Maſculum, & Voluntatem Fæminam, quæ cum unum agerent, dicebant Conjugium: ab Eccleſia illa emanavit formula, quæ ſolennis facta, quod Ipſa Eccleſia ab affectione boni, vocata ſit Filia, tum Virgo, ut Virgo Zion, Virgo Hieroſolyma, ut & Uxor. Sed de his vide Cap. ſeq. ad verſ: 23. & ad Cap: iii: 15.

55. Verſ. 28. *Et benedixit illis Deus, & dixit illis Deus, fructificate & multiplicate vos, & implete terram, & ſubjugate eam, & dominamini in Piſces maris, & in Avem cœlorum, & in omne vivum, reptans ſuper terra.* Antiquiſſimi, quia conjunctionem Intellectus & Voluntatis, ſeu Fidei & Amoris, vocabant Conjugium, quicquid Boni ex Conjugio illo producebatur, appellabant fructificationes, & quicquid Veri, multiplicationes; inde apud Prophetas ſimiliter,

ut

ut apud Ezechielem, "Multiplicabo ſuper vos hominem & beſtiam, & mul-"tiplicabunt & fructificabunt ſe, & habitare faciam vos juxta antiquitates "veſtras, & benefaciam præ principiis veſtris, & cognoſcetis quod Ego Je-"vah, & ambulare faciam ſuper vobis, *Hominem*, populum meum Iſraelem," XXXVI: 8, 9, 10, 11. Per hominem hic intelligitur homo ſpiritualis, qui etiam Iſrael vocatur; per Antiquitates Eccleſia Antiquiſſima; per Principia, Eccleſia Antiqua poſt diluvium; quod multiplicatio, quæ eſt Veri, præcedat, & fructificatio, quæ eſt boni, ſequatur, eſt quia de regenerando, non de regenerato, agitur. Cum Intellectus Voluntati copulatus eſt, ſeu fides amori, vocatur homo a Domino Terra maritata, per Eſaiam, "Non dicetur terræ "tuæ amplius vaſta, ſed tibi vocabitur beneplacitum meum in illa, & terræ "tuæ maritata, quia beneplacebit Jehovæ in te, & terra tua maritabitur," LXII: 4. fructus inde, qui ſunt Veri, vocantur filii; & fructus, qui ſunt Boni, filiæ, & hoc quam ſæpe in Verbo: impletur terra, cum multa vera & bona; Domino enim benedicente & dicente, hoc eſt, operante, creſcit bonum & verum in immenſum, ſicut Dominus dicit, "Simile eſt Regnum Cœlorum "grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo, quod minus "quidem eſt omnium ſeminum, cum autem creverit, majus omnibus oleri-"bus eſt, & fit arbor, ita ut veniant aves cœli, & nidulentur in ramis ejus," Matth: XIII: 31, 32. Granum ſinapis eſt bonum hominis antequam ſpiritualis, quod minimum eſt omnium ſeminum, quia putat a ſemet bonum facere; quod a ſemet, eſt nihil niſi malum; ſed quia in ſtatu regenerationis eſt, eſt aliquid boni, ſed minimum omnium; tandem ſicut fides conjungitur amori, fit majus, & olus; demum cum conjuncta eſt, fit arbor, & tunc aves cœlorum, quæ hic etiam ſunt Vera ſeu intellectualia, in ramis ejus, qui ſunt ſcientifica, nidulantur. Quando homo ſpiritualis eſt, ſicut dum fit ſpiritualis, in pugna eſt, quare dicitur, ſubjugate terram, & dominamini.

56. Verſ. 29. *Et dixit Deus, ecce, do vobis omnem herbam ſeminificantem ſemen, quæ ſuper faciebus totius terræ; & omnem arborem, in qua fructus; arbor producens ſemen, vobis erit in cibum.* Cœleſtis homo, unice delectatur cœleſtibus, quæ quia conveniunt vitæ ejus, vocantur Cibi cœleſtes: Spiritualis homo delectatur ſpiritualibus, quæ quia vitæ ejus conveniunt, vocantur Cibi ſpirituales: Naturalis ſimiliter naturalibus, quæ quia vitæ ejus ſunt, vocantur Cibi, & ſunt comprimis ſcientifica. Hic quia de ſpirituali homine agitur, ejus Cibi ſpirituales, per repræſentativa deſcribuntur; ſpirituales per herbam ſeminificantem ſemen, & per arborem in qua fructus, qui in genere vocantur Arbor producens ſemen; Naturales ejus Cibi in verſu ſequente deſcribuntur.

57. Herba ſeminificans ſemen, eſt omne Verum, quod ſpectat uſum; Arbor in qua fructus eſt Bonum fidei: fructus eſt, quod Dominus dat homini cœleſti, ſed Semen ex quo fructus, quod homini ſpirituali; quare dicitur, arbor producens ſemen vobis erit in cibum. Quod cibus cœleſtis dicatur fructus ex arbore, conſtat ex Capite ſequente, ubi agitur de Cœleſti homine; ſolum hic quod Dominus loquutus per Ezechielem, "Juxta fluvium aſcendit ſuper

ripam

" ripam ejus hinc & illinc omnis arbor Cibi, non decidet folium ejus, &
" non conſumetur fructus ejus, in menſes ejus renaſcitur, quia aquæ ejus e
" Sanctuario illæ exeuntes, & erit fructus ejus in cibum, & folium ejus in
" medicinam." XLVII: 12. Aquæ e Sanctuario ſignificant Vitam & Miſericordiam Domini, Qui eſt Sanctuarium; Fructus Sapientiam, quæ illis Cibus; Folium eſt Intelligentia, quæ illis propter uſum, qui vocatur medicina. Quod autem Cibus ſpiritualis dicatur herba, dicitur per Davidem, " Paſtor meus, non carebo, in paſcuis herbæ cubare facis me," Pſalm: XXIII: 1, 2.

58. Verſ. 30. *Et omni feræ terræ, & omni avi cœlorum, & omni reptanti ſuper terra, in quo anima vivens, omne viride herbæ in eſcam; & factum ita.* Cibus ejuſdam naturalis hic deſcribitur; naturale ejus ſignificatum eſt hic per feram terræ, & per avem cœlorum, quibus datum eſt in eſcam olus & viride herbæ: de utroque ejus cibo, tam naturali, quam ſpirituali ita apud Davidem, " Jehovah germinare facit gramen beſtiæ, & herbam in miniſterium ho-
" minis, ad educendum panem e terra," Pſalm: CIV: 14. ubi beſtia pro fera terræ & ſimul pro avi cœlorum, quas nominat ibi verſ: 11, 12.

59. Quod hic ſolum olus & viride herbæ ſit in eſcam homini naturali, ita ſe res habet; homo dum regeneratur & fit ſpiritualis, continuo in pugna eſt, quare Eccleſia Domini dicitur pugnans; nam prius dominatæ ſunt cupiditates, quia totus homo ex meris cupiditatibus conflatus eſt, & inde falſitatibus; cum regeneratur, non poſſunt cupiditates ejus & falſitates momento aboleri, nam id foret deſtruere totum hominem, non aliam enim vitam ſibi acquiſivit; quare apud eum relinquuntur diu ſpiritus mali, ut excitent ejus cupiditates, & ſic innumerabilibus modis reſolvantur, & quidem ita, ut a Domino flecti poſſint in bonum, & ſic reformari homo: tempore pugnæ, mali ſpiritus, qui maximo odio habent omne quod bonum & verum, hoc eſt, quicquid eſt amoris & fidei in Dominum, quæ unice ſunt bona & vera, quia in ſe vitam æternam habent, nihil aliud eſcæ ei relinquunt, quam quod comparatur oleri & viridi herbæ; ſed Dominus dat ei quoque cibum, qui comparatur herbæ ſeminificanti ſemen, & arbori in qua fructus, quæ ſunt tranquillitatis & pacis, cum illarum jucundis & felicibus; & hoc per intervalla: Si Dominus non tutaretur hominem omni momento, etiam omnium minimo, illico periret, nam tale internecinum odium regnat in mundo ſpirituum contra illa, quæ ſunt amoris & fidei in Dominum, ut deſcribi nuſquam poſſit: Quod ita ſe res habeat, pro certo aſſeverare poſſum, quia nunc per aliquot annos, cum ſpiritibus, tametſi etiam in corpore, in altera vita fui, & malis, imo peſſimis, & quandoque millibus, circumſtipatus, quibus permiſſum venena ſua effundere & me infeſtare omni modo, quo poſſent, ſed uſque non potuerunt minimum capilli lædere, ita tutatus ſum a Domino: ex tot annorum experientia inſtructiſſimus ſum de mundo ſpirituum, qualis eſt, tum quoque de pugna, quam non poſſunt non ſuſtinere, qui regenerantur, ut vitæ æternæ felicitatem conſequantur: Sed quia ex communi deſcriptione nemo ita inſtrui poteſt, ut fidem indubiam habeat, quare de iis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus particularia memoranda ſunt.

60. Verſ:

60. Verſ. 31. *Et vidit Deus omne quod fecit, & ecce bonum valde. Et fuit Veſpera, & fuit Mane, Dies Sextus.* Hic Bonum valde dicitur, in prioribus modo Bonum; quia nunc illa, quæ ſunt fidei, unum faciunt cum illis, quæ ſunt amoris; ſic conjugium factum inter Spiritualia & cœleſtia.

61. Spiritualia dicuntur omnia quæ ſunt fidei cognitionum, & Cœleſtia, omnia quæ ſunt amoris in Dominum, & erga proximum; illa pertinent ad Intellectum hominis, hæc ad Voluntatem.

62. Tempora & Status Regenerationis hominis in communi & particulari diſtinguuntur in ſex, & vocantur Dies ejus creationis, nam per gradus a nullo homine fit primum aliquid, ſed parum, dein magis uſque ad diem ſextum, quo fit Imago.

63. Interea Dominus continuo pugnat pro illo contra mala & falſa, & per pugnas confirmat eum in vero & bono; tempus pugnæ, eſt tempus operationis Domini; quare Regeneratus apud Prophetas vocatur Opus digitorum Dei; nec quieſcit, antequam Amor principale agat, tunc ceſſat pugna: Cum opus ſucceſſerit, uſque ut Fides conjuncta ſit amori, tunc vocatur Bonum valde, quia Dominus tunc illum agit, ut ſimilitudinem ſui: ad finem Diei ſexti recedunt ſpiritus mali, & ſuccedunt boni, ac introducitur in Cœlum, ſeu in Paradiſum Cœleſtem, de quo Capite ſequenti.

64. *HIC nunc eſt ſenſus Verbi internus, ipſiſſima illius vita, quæ nuſquam patet ex ſenſu literæ; ſed arcana, tam multa ſunt, ut non ſufficerent volumina pro illis explicandis; hic modo pauciſſima ſunt dicta, & talia, quæ confirmare poſſint, quod de Regeneratione hic agatur, & quod illa procedat ab Externo homine ad Internum: ita Angeli percipiunt Verbum; illi prorſus nihil ſciunt, quid eſt literæ, nequidem unam vocem quid proxime ſignificat, minus adhuc Nomina terrarum, urbium, fluviorum, perſonarum, quæ toties in hiſtoricis & propheticis occurrunt, ſolum habent ideam rerum ſignificatarum per voces & per nomina; ut per Adamum in Paradiſo percipiunt Antiquiſſimam Eccleſiam, & nec Eccleſiam, ſed Antiquiſſimæ Eccleſiæ fidem in Dominum; per Noachum, Eccleſiam remanentem apud poſteros, & continuatam ad Abrami tempus; per Abrahamum nuſquam eum, qui vixit, ſed Fidem ſalvificam, quam repræſentavit; & ſic porro; ita res ſpirituales & cæleſtes abſtracte prorſus a vocibus & nominibus.*

65. *Quidam in primum atrium cæli ſublati, cum legerem Verbum, & inde mecum loquuti, dicebant, quod ne hilum vocis aut literæ ibi intelligerent,*

gerent, ſed ſolum quæ in ſenſu proxime interiori ſignificarent, quæ prædicabant tam pulchra, & in tali ordine ſequentia, & eos afficientia, ut appellarent Gloriam.

66. *Sunt in genere, quatuor differentes ſtyli in Verbo,* PRIMUS *eſt, qui fuit Eccleſiæ Antiquiſſimæ; modus illorum exprimendi erat talis, ut cum nominarent terreſtria & mundana, quod cogitarent de ſpiritualibus & cæleſtibus, quæ repræſentabant, quare non ſolum per repræſentativa exprimebant, ſed etiam in ſeriem quandam quaſi hiſtoricam redigebant, ut magis viverent, quod iis delectabile quammaxime erat: Hic ſtylus eſt intellectus, cum prophetavit Channa, dicens, "Loquimini altum, altum; "exeat antiquum ab ore veſtro,"* 1 *Sam.* II. 3. *Repræſentativa illa vocantur apud Davidem, Ænigmata ab antiquitate, Pſalm* LXXVIII: 2, 3, 4. *Ex Antiquiſſimæ Eccleſiæ poſteris habuit Moſes hæc de Creatione, de Horto Edenis, uſque ad Abrami tempus.* SECUNDUS *Stylus eſt Hiſtoricus, qui in Libris Moſis ab Abrami tempore, & ulterius, inque Joſuæ, Judicum, Samuelis, & Regum, in quibus Hiſtorica talia prorſus ſunt, qualia in ſenſu literæ comparent, ſed uſque omnia & ſingula continent prorſus alia in ſenſu interno, de quibus ex Divina Domini Miſericordia, ſuo ordine in ſequentibus.* TERTIUS *eſt Propheticus, qui natus a ſtylo Antiquiſſimæ Eccleſiæ, quem adorabant; ſed non eſt continuus, & ſicut hiſtoricus, qualis antiquiſſimus, ſed eſt ſparſus, vix uſquam intelligibilis niſi in ſenſu interno, ubi arcaniſſima, quæ concinno ordine ſequuntur connexa; & ſpectant Hominem Externum, & Internum, Eccleſiæ plures Status, Ipſum Cælum, ac in intimis Dominum.* QUARTUS *eſt Pſalmorum Davidis, qui eſt medius inter Propheticum, & Communem loquentium; ibi ſub Davidis, ut Regis, perſona, in ſenſu interno, agitur de Domino.*

GENESEOS,

GENESEOS,

CAPUT SECUNDUM.

67. *QUIA, ex Divina Domini Miſericordia, datum eſt ſcire Senſum Internum Verbi, & in illo continentur arcaniſſima, quæ nuſquam prius in alicujus cognitionem venerunt, nec venire poſſunt, niſi ſciant, quomodo ſe habent res in altera vita, nam perplurima, quæ in Interno ſenſu Verbi ſunt, illa ſpectant, memorant, & involvunt, conceſſum eſt, aperire illa, quæ nunc per aliquot annos, quibus intereſſe datum conſortio Spiritum & Angelorum, audivi & vidi.*

68. *Non me latet, quod plures dicturi, quod nuſquam aliquis loqui poſſit cum Spiritibus & Angelis, quamdiu in corpore vivit; & plures, quod phantaſia ſit; alii, quod talia tradidero, ut fidem captem; alii aliter; ſed hæc nihil moror, nam vidi, audivi, ſenſi.*

69. *Homo ita creatus a Domino eſt, ut, dum vivit in corpore, cum Spiritibus & Angelis ſimul loqui potuiſſet, ſicut etiam antiquiſſimis temporibus factum, nam unus eſt cum illis, quia ſpiritus corpore amictus: ſed quia poſt tractum temporis, homines ſe ita immerſerunt corporeis & mundanis, ut pæne nihil aliud curent, ideo clauſa eſt via; ut primum vero recedunt corporea, quibus immerſus, aperitur via, & inter ſpiritus eſt, & cum iis ſociat vitam.*

70. *Quia licet aperire, quæ per aliquot annos audivi & vidi, hic primum dicendum, quomodo ſe habet cum homine, cum reſuſcitatur, ſeu quomodo a vita corporis intrat in vitam æternitatis: utque ſcirem, quod vivant homines poſt mortem, datum eſt loqui, & converſari cum pluribus, qui mihi noti fuerunt in vita eorum corporis, & non quidem per diem & ſeptimanam, ſed per menſes & fere annum, cum quibus loquutus & converſatus ſicut in mundo: qui maximopere mirati, quod ii, dum vixerunt in corpore, fuerint, & quod alii & plerique ſint, in tali incredulitate, ut putent ſe non victuros poſt mortem, cum tamen vix intercedunt dies poſt corporis obitum, antequam in altera vita ſunt, nam eſt continuatio vitæ.*

71. *Sed quia ſparſa forent, & inconnexa, ſi interſerentur illis, quæ in textu Verbi, licet, ex Divina Domini miſericordia, ordine quodam illa adjungere,*

jungere, & quidem præmittere, & ſubnectere cuivis Capiti, præter quæ paſſim inſeruntur.

72. *Quomodo itaque homo exſuſcitatur a mortuis, & intrat in vitam æternitatis, ad finem hujus Capitis, licet dicere.*

CAPUT SECUNDUM.

1. ET abſoluti ſunt Cæli & Terra, & omnis exercitus illorum.
2. Et abſolvit DEUS in Die Septimo opus ſuum, quod fecit; & quievit in Die Septimo ab omni opere ſuo, quod fecit.

3. Et benedixit DEUS Diei Septimo, & ſanctificavit illum, quia in illo quievit ab omni opere ſuo, quod creavit DEUS faciendo.

4. Hæ Nativitates Cœlorum & Terræ, cum creavit illos, in die, quo fecit JEHOVAH DEUS Terram & Cœlos.

5. Et nullum Virgultum agri adhuc erat in terra, & nulla Herba agri adhuc germinabat, quia non pluere fecit JEHOVAH DEUS ſuper terra. Et homo nullus ad colendum humum.

6. Et Vaporem aſcendere fecit e terra, & irrigavit omnes facies humi.

7. Et formavit JEHOVAH DEUS hominem, pulverem ex humo, & inſpiravit in nares ejus ſpiraculum vitarum, & factus homo in animam viventem.

8. Et plantavit JEHOVAH DEUS hortum in Eden ab Oriente, & poſuit ibi hominem quem formavit.

9. Et progerminare fecit JEHOVAH DEUS ex humo omnem Arborem deſiderabilem aſpectu, & bonam ad cibum: & Arborem vitarum in medio horti; & Arborem ſcientiæ boni & mali.

10. Et Fluvius exiens ex Eden ad irrigandum hortum, & inde ſeparabatur, & erat in quatuor capita.

11. Nomen Primi Piſchon, is circumdans totam terram Chavillah, ubi Aurum.

12. Et Aurum terræ illius bonum; ibi bdellium, & lapis ſchoham.

13. Et Nomen fluvii ſecundi Gichon, is circumdans totam terram Cuſch.

14. Et

14. Et nomen fluvii Tertii, Chiddechel, is vadit orientaliter verſus Aſchur: & fluvius Quartus, is Phrath.

15. Et accepit JEHOVAH DEUS hominem, & poſuit illum in horto Eden, ad colendum illum, & ad cuſtodiendum illum.

16. Et præcepit JEHOVAH DEUS ſuper illum homini, dicendo, ab omni arbore horti edendo edas:

17. Sed ab arbore Scientiæ boni & mali, non edas ex illa, quia in die, quo ederis ex illa, moriendo morieris.

CONTENTA.

73. HOMO cum ex Mortuo factus Spiritualis, ex Spirituali fit Cœleſtis, de quo nunc agitur, verſ: 1.

74. Homo Cœleſtis eſt Septimus Dies, in quo Dominus quieſcit, verſ: 2. 3.

75. Scientificum & Rationale ejus deſcribitur per virgultum & herbam ex humo vapore irrigata, verſ: 5, 6.

76. Ejus Vita per inſpiratum animæ vitarum. verſ: 7.

77. Dein ejus Intelligentia per hortum in Edene ab Oriente; in quo arbores deſiderabiles aſpectu ſunt Perceptiones veri; & arbores bonæ ad cibum, ſunt Perceptiones boni: Amor per Arborem vitarum; Fides per Arborem ſcientiæ, verſ: 8, 9.

78. Sapientia per Fluvium in horto: inde quatuor fluvii, quorum primus eſt Bonum & Verum: ſecundus eſt Cognitio omnium, quæ ſunt boni & veri, ſeu amoris & fidei; quæ ſunt interni hominis: tertius eſt Ratio: quartus eſt Scientia, quæ ſunt externi hominis: omnia ex Sapientia, & hæc ab Amore & Fide in Dominum, verſ: 10, 11, 12, 13, 14.

79. Homo cœleſtis talis Hortus eſt; ſed quia eſt Domini, omnibus illis frui ei conceditur, ſed non ut ſua poſſidere, verſ: 15.

80. Eique licet ex omni perceptione a Domino noſſe, quid bonum & verum; non autem a ſemet & mundo, ſeu inquirere in fidei myſteria per ſenſualia & ſcientifica, per quæ cœleſte ejus moritur, verſ: 16, 17.

SENSUS INTERNUS.

81. IN hoc Capite agitur de Cœleſti Homine, in præcedente actum eſt de Spirituali, qui factus ex Mortuo; ſed quia hodie neſcitur, quid Cœleſtis homo, vix quid Spiritualis, nec quid Mortuus, ut ſciatur quæ differentia, licet breviter tradere, qualis unus & qualis alter. *Primum*, Mortuus homo non aliud verum & bonum agnoſcit, quam quod eſt corporis & mundi, hoc quoque adorat. Spiritualis homo agnoſcit Verum & Bonum ſpirituale & cœleſte, at ex fide, ex qua etiam agit, ſed non ita ex amore. Cœleſtis homo Verum & Bonum ſpirituale & cœleſte credit & percipit, nec agnoſcit aliam fidem, quam quæ ex Amore, ex quo etiam agit. *Secundo*, Fines Mortui hominis ſpectant ſolum vitam corporis & mundi, nec novit quid Vita æterna, & quid Dominus; ſique ſcit, not credit. Fines Spiritualis hominis ſpectant vitam æternam, & ſic Dominum. Fines cœleſtis hominis ſpectant Dominum, & ſic Regnum Ipſius, & vitam æternam. *Tertio:* Mortuus homo, dum in pugna eſt, pæne ſemper ſuccumbit; cumque in nulla pugna, dominantur apud eum mala & falſa, & eſt ſervus: Vincula ejus ſunt Externa, ut timor legis, jacturæ vitæ, opum, lucri, famæ propter ea. Spiritualis homo in pugna eſt, ſed ſemper vincit: Vincula, quibus agitur, ſunt Interna, & appellantur vincula conſcientiæ. Cœleſtis homo non in pugna eſt; ſique mala & falſa impugnant, ea contemnit, quare etiam Victor appellatur: nulla, quæ apparent, vincula habet, quibus agitur, ſed eſt liber: illius vincula, quæ non apparent, ſunt perceptiones boni & veri.

82. Verſ: 1. *Et abſoluti ſunt cœli & terra, & omnis exercitus eorum:* Per hæc intelligitur, quod homo nunc ſpiritualis factus, in tantum, ut ſit Sextus dies; Cœlum eſt Internus ejus homo, & Terra eſt Externus; Exercitus eorum ſunt amor, fides, & cognitiones illorum, quæ prius ſignificata ſunt per Luminaria magna & ſtellas. Quod Internus homo dicatur Cœlum, & Externus Terra, ex citatis in Verbo locis in Capite præcedenti conſtare poteſt; addere licet, quæ apud Eſaiam, "Rarum reddam virum præ auro ſolido, & hominem præ auro pretioſo Ophiris; propterea cœlos terrore percutiam, & concutietur Terra e loco ſuo," XIII: 12, 13. Et alibi, "obliviſceris Jehovæ Factoris tui, Qui extendit Cœlos, & fundat Terram; ſed ponam verba mea in ore tuo, & in umbra manus abſcondam te, ad extendendum cœlum, & fundandum terram," LI: 13, 16. Ex quibus patet, quod de homine prædicetur & cœlum & terra: de Antiquiſſima quidem Eccleſia agitur, ſed interiora Verbi ita ſe habent, ut quicquid dicitur de Eccleſia, dicatur de unoquovis Eccleſiæ, qui niſi foret Eccleſia, non potuiſſet eſſe pars Eccleſiæ, ſicut qui non eſt templum Domini, non poteſt eſſe quod per templum ſignificatur,

tur, quod eſt Eccleſia, & Cœlum: ideo etiam Eccleſia Antiquiſſima appellatur Homo in ſingulari.

83. Abſoluti dicuntur cœli & terra, & omnis exercitus eorum, cum homo factus Sextus dies; tunc enim fides & amor unum faciunt; & cum unum faciunt, incipit non fides ſed amor principale eſſe, hoc eſt, non ſpirituale ſed cœleſte, quod eſt, homo cœleſtis eſſe.

84. Verſ: 2, 3 *Et abſolvit Deus in die ſeptimo opus ſuum, quod fecit, & quievit in die ſeptimo, ab omni opere ſuo, quod fecit. Et benedixit Deus Diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in illo quievit ab omni opere ſuo, quod creavit Deus faciendo.* Homo cœleſtis eſt Septimus dies: & quia per ſex dies operatus eſt Dominus, dicitur opus Ipſius: & quia tunc ceſſat pugna, dicitur Dominus quieſcere ab omni opere ſuo; quare Septimus dies ſanctificatus eſt, & dictus ſabbathum a quiete; & ſic homo creatus eſt, formatus & factus; hæc a verbis manifeſte perſpiciuntur.

85. Quod Homo cœleſtis ſit Septimus dies, & ſeptimus dies inde ſanctificatus, & dictus Sabbathum a quiete, ſunt arcana nondum detecta, etiam ex cauſa, quia neſciverunt quid cœleſtis homo, pauci quid ſpiritualis, quem ii ex ignorantia non potuerunt non eundem facere cum cœleſti, cum tamen multa intercedit differentia, videatur, N: 81. Quod ſeptimum diem attinet, & quod cœleſtis homo ſit ſeptimus dies ſeu ſabbathum, conſtat ex eo, quod Dominus Ipſe ſit Sabbathum, quare etiam dicit, "Dominus eſt filius hominis, "& ſabbathi," Marc: II: 27. quæ involvunt, quod Dominus ſit Ipſe Homo, & Ipſum Sabbathum. Regnum Ipſius in cœlis & in terris ab Ipſo vocatur Sabbathum, ſeu æterna Pax & Quies. Eccleſia antiquiſſima, de qua hic, præ ſequentibus, erat Domini Sabbathum. Omnis Eccleſia ſequens intima Domini, etiam eſt Sabbathum: ita omnis Regeneratus, dum ſit cœleſtis, quia eſt ſimilitudo Domini; præcedunt ſex dies pugnæ, ſeu laboris. Hæc repræſentata ſunt in Eccleſia Judaica per dies laboris, & per ſeptimum, qui ſabbathum; nam in Eccleſia illa, nihil non, quod inſtitutum, erat Repræſentativum Domini, & Regni Ipſius: ſimile etiam repræſentatum eſt per Arcam, cum proficiſceretur, & cum quieſceret; per Profectiones ejus in deſerto, pugnæ & tentationes; per quietem, ſtatus pacis, quare cum proficiſceretur, dixit Moſes, "Surge Jehovah, & diſpergantur inimici tui, & fugiant oſores tui a "faciebus tuis; & cum quieſceret, dixit, revertere Jehovah, myriades mil-"lium Iſraelis," Num: x: 35, 36. de Arca ibi dicitur, quod profecta a monte Jehovæ, ad inveſtigandum illis requiem, ib: verſ: 33. Requies cœleſtis hominis per ſabbathum deſcribitur apud Eſaiam, "Si reducas a ſabbatho "pedem tuum, ut non facias deſiderium tuum, in die ſanctitatis meæ, & "voces illa, quæ ſunt Sabbatho, delitias Sancto Jehovæ honorabiles, & ho-"nores illud, ut non facias vias tuas, nec invenias deſiderium tuum, & lo-"quaris verbum; tunc delitioſus eris Jehovæ, & vehi faciam te ſuper excelſa "terræ, & cibabo te hæreditate Jacobi," LVIII: 13, 14. Cœleſtis homo talis eſt, ut non ex deſiderio ſuo faciat, ſed ex beneplacito Domini, quod ejus deſiderium eſt; ſic fruitur pace & felicitate interna, quæ hic exprimitur

per

per elevari ſuper excelſa terræ; & ſimul tranquillitate & jucunditate externa, quæ ſignificatur per cibari hæreditate Jacobi.

86. Spiritualis homo, qui factus ſextus dies, cum incipit fieri cœleſtis, de quo hic primum, eſt Veſpera Sabbathi, quod repræſentatum in Eccleſia Judaica per ſanctificationem Sabbathi a Veſpera; Cœleſtis homo eſt Mane, de quo mox ſequitur.

87. Quod cœleſtis homo ſit ſabbathum ſeu quies, eſt etiam, quia ceſſat pugna, cum fit cœleſtis; recedunt mali ſpiritus, & accedunt boni, tum angeli cæleſtes, qui cum adſunt, nuſquam mali ſpiritus poſſunt adeſſe, ſed longe aufugiunt. Et quia non ipſe homo pugnavit, ſed Dominus ſolus pro homine, dicitur quod Dominus quieverit.

88. Homo ſpiritualis, cum fit cœleſtis, vocatur opus Dei, quia Dominus Solus pugnavit pro eo, & eum creavit, formavit, & fecit, quare hic dicitur, abſolvit Deus in die ſeptimo opus ſuum, & bis, quievit ab omni opere ſuo; apud Prophetas paſſim appellatur opus manuum & digitorum Jehovæ, ut apud Eſaiam, ubi de regenerato agitur, "Sic dixit Jehovah, Sanctus Iſraelis, & For-"mator ejus, ſigna petite a Me ſuper filiis meis, & ſuper opere manuum "mearum præcipite mihi. Ego feci terram, & hominem ſuper ea creavi, "Ego, manus meæ extenderunt cœlos, & omni exercitui illorum præcepi: "quia ſic dixit Jehovah, creans cœlos, Ille Deus, formans terram, & faciens "illam; Ille firmans illam, non vacuitatem creavi eam, ad habitandum formavit eam; Ego Jehovah, & nemo præterea Deus præter Me," XLIV: 11, 12, 18, 21. Quod nova creatio ſeu regeneratio, ſolius Domini opus ſit, inde conſtat. Satis diſtincte adhibentur voces creare, formare, & facere, ut hic apud Eſaiam, "creans cælos, formans terram, & faciens illam," tum alibi, "omnem vocatum Nomine meo, & ad gloriam meam creavi illum, for-"mavi illum, etiam feci illum," XLIII: 7. ſimiliter in præcedente Capite, & in hoc, ut hic, quievit ab omni opere ſuo, quod creavit Deus faciendo; & hoc ſemper cum diſtincta idea in ſenſu interno; tum ubi Dominus appellatur Creator, aut Formator, aut Factor.

89. Verſ: 4. *Hæ nativitates Cælorum & Terræ, cum creavit illos, in die, quo fecit Jehovah Deus terram & cælos.* Nativitates Cœlorum & Terræ, ſunt formationes hominis cœleſtis: Quod de formatione ejus nunc agatur, conſtat manifeſte, etiam ex ſingulis, quæ ſequuntur; ut, quod nulla herba adhuc germinaverit; quod nullus homo ad colendum humum; tum quod formaverit Jehovah Deus hominem; dein quod omnem beſtiam, & avem cœlorum; de quibus tamen formatis, in Capite præcedente actum eſt; quare hic de alio homine agitur: quod adhuc patet ex eo, quod nunc primum dicatur Jehovah Deus; in præcedentibus, ubi de ſpirituali homine, ſolum Deus; tum quod nunc dicatur humus & ager, in præcedentibus modo terra; & quod in hoc verſu primum præponatur Cœlum terræ, & dein terra Cœlo; cauſa eſt, quia terra ſignificat Externum hominem, & cœlum Internum apud ſpiritualem hominem, in quo reformatio incipit a terra ſeu externo homine; hic autem, ubi de cœleſti, incipit ab Interno homine, ſeu a Cœlo.

90. Verſ:

90. Verſ: 5, 6. *Et nullum virgultum agri adhuc erat in terra, & nulla herba agri adhuc germinabat, quia non pluere fecit Jehovah Deus ſuper terra: & homo nullus ad colendum humum. Et vaporem aſcendere fecit e terra, & irrigavit omnes facies humi.* Per virgultum agri & herbam agri intelligitur in genere omne quod producit Externus ejus homo: terra eſt Externus homo dum fuit ſpiritualis; humus, ut & ager, eſt Externus homo, dum fit cœleſtis; Pluvia, quæ mox dicitur Vapor, eſt tranquillitas pacis, ceſſante pugna.

91. Sed niſi ſciatur ſtatus hominis, dum a ſpirituali fit cœleſtis, nuſquam percipi poteſt, quid hæc involvunt, nam arcaniora ſunt: Cum eſt Spiritualis, nondum Externus homo obſequia præſtare vult & ſervire Interno, quare eſt pugna; at cum fit cœleſtis, tunc Externus homo incipit obſequi & ſervire Interno, quare ceſſat pugna, & fit tranquillitas, vide N: 87; hæc tranquillitas ſignificatur per pluviam & vaporem, nam eſt inſtar Vaporis, quo irrigatur & perfunditur Externus ejus ab Interno; hæc tranquillitas, quæ eſt Pacis, producit illa, quæ vocantur virgultum agri & herba agri, quæ in ſpecie ſunt rationalia & ſcientifica a cœleſti ſpirituali origine.

92. Qualis eſt Externi hominis tranquillitas pacis, ceſſante pugna, ſeu irrequie a cupiditatibus & falſitatibus, nullus ſcire poteſt, niſi qui novit ſtatum Pacis; ſtatus ille eſt tam jucundus, ut excedat omnem jucunditatis ideam; non eſt ſolum ceſſatio pugnæ, ſed eſt vita ab interiore Pace veniens, ita afficiens hominem externum, ut non deſcribi poſſit: vera fidei, & bona amoris tunc naſcuntur, quæ a Pacis jucunditate trahunt ſuam vitam.

93. Statum hominis cœleſtis donati tranquillitate Pacis, recreati per pluviam, & liberati a ſervitute mali & falſi, ita deſcribit Dominus per Ezechielem, " Pangam illis fœdus pacis, & ceſſare faciam feram malam e terra, " & habitabunt in deſerto confidenter, & dormient in ſylvis; & dabo illos, " & circuitus collis mei, benedictionem, & deſcendere faciam pluviam in " tempore ſuo; pluviæ benedictionis erunt; & dabit arbor agri fructum " ſuum, & terra dabit proventum ſuum, & erunt ſuper humo ſua in confi" dentia, & ſcient quod Ego Jehovah, quod fregero lora jugi eorum, & li" beravero eos e manu facientium ſervire ſibi eos: vos grex meus, grex pa" ſcui mei, *homo* vos, Ego Deus veſter," XXXIV: 25, 26, 27, 31. Et quod hoc fiat Tertio die, qui idem in Verbo ſignificat ac Septimum, per Hoſeam, " Vivificabit nos a duobus diebus, in die tertio ſuſcitabit nos, & vive" mus coram Ipſo, & ſciemus, & ſequemur ad ſciendum Jehovam; ſicut " Aurora paratus egreſſus Ipſius, & veniet ſicut pluvia nobis, ſicut pluvia " ſerotina irrigans terram," VI: 2, 3. Quodque hoc comparetur germini agri, per Ezechielem, ubi de antiqua Eccleſia, " Sicut germen agri dedi te, " & creviſti, & adoleviſti, & veniſti in decora decorum," XVI: 7. tum ſurculo plantationum, & operi manuum Jehovæ Dei, Eſ. LX: 21.

94. Verſ: 7. *Et formavit Jehovah Deus hominem, pulverem ex humo; & inſpiravit in nares ejus ſpiraculum vitarum; & factus homo in animam viventem.* Formare hominem, pulverem ex humo, eſt Externum ejus hominem, qui non prius homo fuit, nam dictum verſ: 5, quod nullus homo ad colen-

dum

dum humum: Inſpirare in nares ejus ſpiraculum vitarum, eſt dare ei vitam fidei & amoris: factus homo in animam viventem, eſt, quod Externus homo quoque factus vivens.

95. Agitur hic de Vita hominis Externi, in binis prioribus verſibus de vita ejus fidei ſeu intellectus, in hoc de vita ejus amoris ſeu voluntatis: prius Externus homo non obſequi & ſervire voluit Interno, ſed continue pugnavit contra illum, quare tunc Externus non fuit homo; nunc autem, cum factus cœleſtis, Externus incipit obſequia præſtare & ſervire Interno, & fit quoque homo, & quidem per vitam fidei, & vitam amoris; vita fidei præparat eum, vita Amoris facit ut ſit homo.

96. Quod dicatur Jehovah Deus per nares inſpiraviſſe, ita ſe res habet, antiquitus & in Verbo per Nares intellectum quicquid gratum erat, ex Odore, qui ſignificat perceptionem; quare paſſim legitur de Jehovah, quod odorem quietis odoratus ex holocauſtis, & ex illis, quæ Ipſum & Regnum Ipſius repræſentabant; & quia Ipſi gratiſſima ſunt, quæ Amoris & fidei, dicitur, quod ſpiraculum vitarum inſpiraverit per nares: inde Unctus Jehovæ, ſeu Dominus, vocatur Spiritus Narium, " Thren: IV. 20. Et Ipſe Dominus ſignificabat hoc per inſpirationem diſcipulis, apud Johannem, " Inſpiravit & dixit, " accipe ſpiritum ſanctum," XX: 22.

97. Quod Vita per inſpirationem, & per ſpiraculum, deſcribatur, eſt quoque cauſa, quod Antiquiſſimæ Eccleſiæ homines perceperint ſtatus amoris & fidei, per ſtatus reſpirationis, qui ſtatus mutati ſunt ſucceſſive in poſteris eorum; de qua Reſpiratione, nondum aliquid dici poteſt, quia hodie prorſus abdita ſunt, antiquiſſimi hoc bene norunt, & qui in altera vita, norunt; ſed in terrarum hoc orbe nullus adhuc: inde ſpiritum ſeu vitam aſſimilabant vento; etiam Dominus, cum de Regeneratione hominis loquitur, apud Johannem, " Spiritus, ſeu ventus, ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis, atque " non ſcis, unde veniat, aut quo abeat, ſic eſt omnis, qui generatus a ſpi- " ritu," III: 8. Apud Davidem ſimiliter, " Per Verbum Jehovæ cœli facti " ſunt, & per ſpiritum, ſeu ventum, oris Ipſius, omnis exercitus illorum," Pſalm: XXXIII: 6. Et apud Eundem, " Colligis ſpiritum eorum, expirant, " & ad pulverem ſuum revertuntur; emittis ſpiritum tuum, creantur, & re- " novas facies humi," Pſalm: CIV: 29, 30. Quod ſpiraculum pro vita fidei & amoris accipiatur, conſtat apud Jobum, " Spiritus ille in homine, & ſpira- " culum ſchaddai intelligere facit eos," XXXII: 8. tum apud Eundem, " Spi- " ritus Dei fecit me, & ſpiraculum ſchaddai vivificavit Me," XXXIII: 4.

98. Verſ: 8. *Et plantavit Jehovah Deus hortum in Eden ab Oriente; & poſuit ibi hominem, quem formavit.* Per Hortum ſignificatur Intelligentia, per Eden Amor, per Orientem Dominus; ita per Hortum in Eden ab Oriente, hominis cœleſtis Intelligentia, quæ per Amorem a Domino influit.

99. Talis vita ſeu ordo vitæ eſt apud Spiritualem hominem, ut quidem influat Dominus per fidem in ejus intellectualia, rationalia & ſcientifica, ſed quia Externus ejus homo pugnat cum Interno, apparet ſicut Intelligentia non influeret a Domino, ſed a ſemet per ſcientifica & rationalia; ſed vita ſeu ordo vitæ

cœleſtis

cœleſtis hominis eſt, ut influat Dominus per Amorem & fidem Amoris in ejus intellectualia, rationalia, & ſcientifica; & quia non eſt pugna, percipit, quod ita ſit: ita ordo, qui adhuc inverſus eſt apud Spiritualem, reſtitutus eſt apud Cœleſtem: hic ordo, ſeu homo, appellatur Hortus in Edene ab Oriente. Plantatus a Jehovah Deo Hortus in Edene ab Oriente, in ſenſu ſupremo eſt Ipſe Dominus: in ſenſu intimo, qui etiam eſt ſenſus univerſalis, eſt Regnum Domini, & Cœlum, in quo ponitur homo, cum Cœleſtis factus; ſtatus ejus tunc eſt, ut cum Angelis in cœlo ſit, & quaſi unus inter illos; ita enim creatus eſt homo, ut ſimul, dum vivit in terra, ſit in cœlo; omnes tunc ejus cogitationes, & cogitationum ideæ, imo voces & actiones, ſunt apertæ, in quibus cœleſte & ſpirituale, & patent uſque a Domino; unicuique enim ineſt vita Domini, quæ dat ut perceptionem habeat.

100. Quod Hortus ſignificet Intelligentiam, & Eden Amorem, patet etiam apud Eſaiam, " Conſolabitur Jehovah Sionem, conſolabitur omnes vaſtitates " illius, & ponet deſertum ejus ſicut Eden, & ſolitudinem ejus ſicut Hortum " Jehovæ; gaudium & lætitia invenietur in illa, confeſſio & vox cantus," LI: 3. Ubi deſertum, gaudium & confeſſio, ſunt voces apud Prophetam exprimentes cœleſtia fidei, ſeu quæ ſunt Amoris; at ſolitudo, lætitia, vox cantus, ſpiritualia fidei, quæ quoque ſunt intellectus; illa ſe referunt ad Eden, hæc ad Hortum; nam apud Prophetam hunc perquam conſtanter occurrunt binæ expreſſiones de eadem re, quarum una ſignificat cœleſtia, altera ſpiritualia. Porro quid Hortus in Eden, videantur quæ ad verſ: ſeq: 10.

101. Quod Dominus ſit Oriens, etiam paſſim ex Verbo conſtat, ut apud Ezechielem, " Duxit me ad portam, portam quæ ſpectat viam orientis, & " ecce gloria Dei Iſraelis venit a via Orientis, & vox Ipſius ſicut vox aqua" rum multarum, & terra ſplendebat a gloria Ipſius," XLIII: 1, 2, 4. Quia Dominus Oriens, inde ſanctum fuit in Eccleſia repræſentativa Judaica, antequam Templum ædificatum, faciem vertere ad Orientem, cum orarent.

102. Verſ: 9. *Et progerminare fecit Jehovah Deus ex humo omnem arborem deſiderabilem aſpectu, & bonam ad cibum: & Arborem vitarum in medio horti; & Arborem ſcientiæ boni & mali.* Arbor ſignificat Perceptionem; Arbor deſiderabilis aſpectu, Perceptionem Veri; Arbor bona ad cibum, Perceptionem Boni: Arbor Vitarum, Amorem & inde fidem: Arbor ſcientiæ boni & mali, fidem quæ ex ſenſuali ſeu ſcientia.

103. Quod Arbores hic ſignificent Perceptiones, cauſa eſt, quia de cœleſti homine agitur; aliter cum de ſpirituali; nam quale ſubjectum, tale prædicatum.

104. Sed quid Perceptio, hodie ignoratur; eſt quædam ſenſatio interna, quæ unice a Domino, num Verum ac Bonum, Antiquiſſimæ Eccleſiæ notiſſima fuit; Angelis tam manifeſta, ut ſciant & norint inde, quid verum & bonum, quid a Domino, & quid a ſemet, ut & qualis qui advenit ex ſolo ejus adventu, & ex una ſolum ejus idea: Spirituali homini nulla eſt Perceptio, ſed eſt Conſcientia: Mortuo homini ne quidem Conſcientia, plerique nec ſciunt quid conſcientia, minus quid perceptio.

105. Arbor Vitarum eſt Amor & inde fides, in medio horti eſt in Interni hominis voluntate: primarium, quod Dominus poſſidet apud hominem & angelum, eſt Voluntas, quæ in Verbo vocatur Cor; ſed quia ex ſemet nemo bonum facere poteſt, voluntas aut cor non eſt hominis, tametſi prædicatur de homine; hominis eſt cupiditas, quam vocat voluntatem: quia Voluntas eſt medium horti, ubi Arbor vitarum, & Voluntas eſt nulla homini ſed cupiditas, ideo Arbor vitarum eſt Miſericordia Domini, ex Quo omnis amor & fides, proinde omnis vita.

106. Sed quid arbor horti, ſeu perceptio; quid arbor vitarum ſeu amor & inde fides; quid arbor ſcientiæ, ſeu fides ex ſenſuali & ſcientia, in ſequentibus plura.

107. Verſ: 10. *Et Fluvius exiens ex Eden ad irrigandum Hortum; & inde ſeparabatur, & erat in quatuor capita.* Fluvius ex Eden ſignificat Sapientiam ex amore, qui eſt Eden: irrigare hortum eſt dare Intelligentiam; inde ſeparari in quatuor Capita, eſt deſcriptio Intelligentiæ per quatuor fluvios, ſicut ſequitur.

108. Antiquiſſimi, cum comparabant hominem horto, etiam ſapientiam, & quæ ſunt ſapientiæ, comparabant fluviis; nec comparabant, ſed vocabant, nam talis eorum erat loquela; ſimiliter dein apud Prophetas, qui ita paſſim comparabant, paſſim vocabant, ut apud Eſaiam, "Exorietur in tenebris "Lux tua, & Caligo tua erit ſicut Lux diei, & eris ſicut hortus irriguus, & "ſicut exitus aquarum, cujus non mentientur aquæ," LVIII: 11, 12. ubi de iis qui recipiunt fidem & amorem, agitur. Tum, "Sicut valles plantan-"tur, ſicut horti juxta fluvium: ſicut tentoria plantavit Jehovah, ſicut ce-"dros juxta aquas," Num: XXIV: 6. ubi de regeneratis. Apud Jeremiam, "Benedictus Vir, qui confidit in Jehovah, erit ſicut Arbor plantata juxta "aquas, & ſupra rivum emittet radices ſuas," XVII: 7, 8. Quod non comparati Horto & Arbori juxta fluvios, ſed dicti, apud Ezechielem, "A-"quæ creſcere fecerunt illam, profunditas aquarum exaltavit illam, Fluvius "ducens circumcirca plantam ejus, & aquæ ductus ſuos emiſit ad omnes ar-"bores agri, pulchra facta in magnitudine ſua, in longitudine ramorum ſuo-"rum, quia erat radix ejus ad aquas multas: Cedri non obſcurabant illam in "Horto Dei, abietes non pares erant ramis ejus, & platani non erant ſicut "termites ejus; omnis arbor in horto Dei non par erat ei in pulchritudine "ſua; pulchram fecit illam in multitudine ramorum ejus, & æmulatæ ſunt "illam omnes arbores Eden, quæ in horto Dei," XXXI: 4, 7, 8, 9. Ex quibus conſtat, quod Antiquiſſimi, cum aſſimilarunt hominem, ſeu quæ ſunt in homine, quod idem, Horto, quod etiam adjunxerint aquas & fluvios, quibus irrigaretur; & quod per aquas & fluvios intellexerint illa, quæ facerent creſcentiam.

109. Quod Sapientia & Intelligentia, tametſi apparent in homine, ſit ſolius Domini, ſicut dictum, dicitur clare per ſimilia Repræſentativa apud Ezechielem, "Ecce aquæ exeuntes ſub limine domus verſus Orientem, quia fa-"cies domus, Oriens; & dixit, *Aquæ* illæ exeuntes ad terminum verſus Ori-

"entem,

"entem, & deſcendunt ſuper planitiem, & veniunt ad *mare*, in *mare* eductæ, "& ſanabuntur *aquæ*; & fiet, omnis anima vivens, quæ reptat, ad omne, quo "venit *aqua fluviorum*, vivet. Et juxta *fluvium* aſcendet ſuper ripa ejus hinc "& illinc omnis arbor cibi, non marceſcet ramus ejus, & non conſumetur "fructus ejus, in menſes ſuos renaſcitur; quia *aquæ* ejus e Sanctuario illæ "exeunt, & erunt inde fructus ejus in cibum, & folium ejus in medicinam" XLVII: 1. 8. 9. 12: hic Dominus ſignificatur per Oriens, & per Sanctuarium, e quo aquæ & fluvii. Similiter apud Johannem "Oſtendit mihi purum *fluvium* "*aquæ vitæ*, ſplendidum ſicut chryſtallum, exeuntem e throno Dei & Agni: "in medio plateæ ejus, & *fluvii*, hinc & illinc arbor vitæ, faciens fructus duo-"decim, juxta menſem quemvis reddens fructum ſuum, & folium arboris in "medicinam gentium" Apoc. XXII: 1. 2.

110. Verſ: 11, 12. *Nomen Primi, Piſchon, is circumdans totam terram Chavillah, ubi aurum. Et aurum terræ illius bonum; ibi bdellium & lapis ſchoham.* Fluvius primus ſeu Piſchon ſignificat Intelligentiam fidei ex amore; Terra Chavillah Mentem; Aurum, Bonum; Bdellium & Schoham, Verum; quod Aurum bis dicatur, eſt cauſa quia ſignificat Bonum Amoris, & Bonum fidei ex amore; & quod Bdellium & Schoham, eſt, quod unum ſignificet Verum Amoris, alterum Verum fidei ex amore. Talis eſt cœleſtis homo.

111. Sed difficilime hæc poſſunt dici, quomodo ſe in ſenſu interiori habent, quia hodie ignota ſunt, ut quid fides ex Amore, quid Sapientia & quid Intelligentia inde; quia externi homines vix aliud norunt quam ſcientiam, quam & vocant intelligentiam & ſapientiam, & fidem; ne quidem ſciunt quid Amor; & multi non quid voluntas & intellectus, & quod unam mentem conſtituant; cum tamen ſingula diſtincta ſunt, imo diſtinctiſſima, & univerſum cœlum a Domino diſtinctiſſime ordinatum eſt ſecundum Amoris & Fidei differentias, quæ innumerabiles.

112. Sed ſciatur, quod nuſquam detur aliqua ſapientia, niſi quæ ex amore, ita ex Domino; nec uſquam aliqua Intelligentia, niſi ex fide, ita quoque ex Domino: & quod nuſquam detur aliquod Bonum niſi ab amore ita ex Domino; & quod nuſquam aliquod Verum niſi a fide, ita ex Domino; quæ non ex amore & fide, ita ex Domino, vocantur ſimiliter, ſed ſunt ſpuria.

113. Quod Bonum ſapientiæ aut amoris ſignificatum & repræſentatum ſit per Aurum, nihil communius eſt in Verbo; Omne Aurum in Arca, in Templo, in Menſa aurea, in Candelabris, in Vaſis, ſuper Veſtibus Aharonis, ſignificabant & repræſentabant Bonum ſapientiæ aut amoris: ſimiliter apud Prophetas, ut apud Ezechielem; "In Sapientia tua, & in Intelligentia tua, feciſti tibi "opes, & feciſti *aurum* & argentum in theſauris tuis." XXVIII: 4. ubi manifeſte dicitur, quod ex ſapientia & intelligentia aurum & argentum, ſeu bonum & verum, nam argentum ibi ſignificat verum, ut quoque argentum in Arca & in Templo. Apud Eſaiam, "Copia Camelorum obteget te, droma-"des Midianis & Ephæ, omnes ii e Scheba, venient, *aurum* & thus porta-"bunt, & laudes Jehovæ annunciabunt" LX: 6. ſicut etiam ſapientes ex "Oriente, qui veniebant ad Jeſum, cum natus, & procidebant & adorabant

" Ipſum, & aperiebant theſauros ſuos, & offerebant Ipſi dona, *Aurum*, thus " & myrrham " Matth: II: I. II. Ubi quoque Aurum ſignificat Bonum; thus & myrrha, illa, quæ grata ſunt, quia ex Amore & fide, quæ ideo dicuntur Laudes Jehovæ. Quare apud Davidem, " Vivet, & dabit illi de *Auro* " Schebæ, & orabit pro illo jugiter, omni die benedicet illi, " Pſalm: LXXII: 15.

114. Verum fidei etiam in Verbo ſignificatum eſt, & repræſentatum per lapides pretioſos, ut in Pectorali Judicii, & ſuper humeris Ephodi Aharonis; in Pectorali, Aurum, Hyacinthinum, Purpura, Coccineum dibaphum, & Xylinum, repræſentabant illa, quæ ſunt Amoris; Lapides pretioſi illa, quæ fidei ex Amore; ſimiliter Lapides duo recordationis ſuper humeris Ephodi, qui erant ex Schoham, circumdati fundis auri, Exod: XXVIII: 9 ad 22. quod manifeſte dicitur apud Ezechielem, ubi agitur de homine poſſidente divitias cœleſtes, ſapientiam & intelligentiam, " Plenus ſapientia, & perfectus pulchri-" tudine, in *Eden Horto* Dei fuiſti; Omnis lapis pretioſus, operimentum tuum, " Rubinus, Topazius, Adamas; Tharſchiſch, *Schoham*, & Iaſpis; Saphir, " Chryſopaſus, Smaragdus; & *Aurum*, opus tympanorum tuorum, & fiſtu-" larum tuarum, in te, in die, quo *creatus* es, præparata ſunt; perfectus tu " in viis tuis, a die, quo *creatus* es" XXVIII. 12. 13. 15. Quæ quod ſignificent cœleſtia & ſpiritualia fidei, non autem lapides, unicuique conſtare poteſt: imo unuſquiſque lapis quoddam eſſentiale fidei repræſentabat.

115. Antiquiſſimi, cum nominarunt terras, intellexerunt quæ ſignificabant; ſicut qui hodie in idea ſunt, quod Terra Canaan, & Mons Sionis ſignificent Cœlum, ii, cum nominantur, ne quidem cogitant de terra, aut monte, ſed ſolum de illis quæ ſignificant; ita hic per terram Chavillah, quæ etiam nominatur Geneſ: XXV: 15, ubi agitur de filiis Iſmaelis, quod " habitaverint a *Chavil-* " *lah* uſque ad *Schur*, quod juxta facies Ægypti, qua venitur in Aſchur": Qui in idea cœleſti ſunt, non percipiunt ex his aliud quam Intelligentiam, & quæ ab intelligentia fluunt: ſicut etiam per, *Circumdare*, quod fluvius Piſchon circumdet totam terram Chavillah, percipiunt *influere*, ſicut quod lapides ſchoham, qui ſuper humeris Ephodi Aharonis *circumdati* eſſent fundis auri, Ex: XXVIII: II. quod bonum amoris influeret in verum fidei; ita multoties alibi.

116. Verſ: 13. *Et nomen fluvii ſecundi Gichon; is circumdans totam terram Cuſch:* fluvius ſecundus, qui vocatur Gichon, ſignificat Cognitionem omnium, quæ ſunt boni & veri, ſeu amoris & fidei; terra Chuſch mentem ſeu facultatem. Mentem conſtituit Voluntas & Intellectus; quæ ſunt primi fluvii, referunt ſe ad voluntatem, quæ ſunt hujus, ad intellectum, cujus ſunt cognitiones boni & veri.

117. Terra Cuſch ſeu Æthiopia abundabat quoque Auro, lapide pretioſo, & aromatibus, quæ, ut dictum, ſignificant Bonum, Verum, & quæ grata ſunt inde, qualia ſunt cognitionum Amoris & fidei; quod conſtare poteſt ex locis citatis prius, n: 113, apud Eſai LX: 6. Matth: II: I. II. David: Pſalm: LXXII: 15. Quod ſimilia per Cuſch, ſeu Æthiopiam, ut & per Schebam, in-

telligantur

telligantur in Verbo, conſtat apud Prophetas, ut apud Zephaniam, ubi etiam nominantur flumina Cuſch, " In mane, judicium ſuum dabit in lucem, quia " tunc convertar ad populos labio perſpicuo, ut invocent omnes illi Nomen " Jehovæ, ut ſerviant Ipſi humero uno, a tranſitu fluviorum *Cuſch*, adora- " tores mei adducent munus meum," III : 5, 9, 10. Et apud Danielem, ubi " de Rege ſeptentrionis & meridiei agitur, " Dominabitur in recondita auri & " argenti, & in omnia deſiderabilia Ægypti : & *Lybii* & *Æthiopes* ſub greſſi- " bus ejus," XI : 43 ; ubi Ægyptus pro ſcientificis, Æthiopes pro cognitionibus. Apud Ezechielem, " Negotiatores *Schebæ* & Raamæ, hi negotiatores " tui, in primario omnis aromatis, & in omni lapide pretioſo, & auro," XXVII : 22. per quos ſimiliter cognitiones fidei ſignificantur. Apud Davidem, ubi de Domino agitur, ita de Homine Cœleſti, " Florebit in diebus " Ipſius juſtus, & multa pax, uſque dum non Luna ; reges Tharſchiſch & " Inſularum munus adducent ; Reges *Schebæ* & Sebæ donum afferent," LXXII : 7, 10. Quæ quod ſignificent cœleſtia fidei, ex illis quæ ibi antecedunt, & ſequuntur, conſpicitur. Similia ſignificata ſunt per Reginam Schebæ, quæ venit ad Salomonem, & ænigmata propoſuit, illique apportavit Aromata, Aurum & Lapidem pretioſum, 1 Reg : X : 1, 2, 3. Nam quicquid in Hiſtoricis Verbi eſt, ſimiliter ac apud Prophetas, ſignificant, repræſentant, & involvunt arcana.

118. Verſ: 14. *Et nomen fluvii tertii, Chiddekel, is vadit orientem verſus Aſchur : & fluvius quartus is Phrath*, Fluvius Chiddekel eſt Ratio, ſeu perſpicacia rationis ; Aſchur eſt Mens rationalis : quod fluvius orientaliter vadat ad Aſchur, ſignificat, quod perſpicuitas rationis a Domino veniat per Internum hominem in mentem rationalem, quæ eſt Externi hominis. Phrath ſeu Euphrates eſt Scientia, quæ eſt ultimum, ſeu terminus.

119. Quod Aſchur ſignificet Mentem rationalem, ſeu rationale hominis, conſtat manifeſte apud Prophetas ; ut apud Ezechielem, " Ecce *Aſchur* Ce- " drus in Libano, pulchra ramo, & nemus umbroſum, & alta altitudine, & inter " denſa fuit ſurculus ejus ; aquæ creſcere fecerunt eam, profunditas *aquarum* " exaltavit eam, *fluvius* ducens circum circa plantam," XXXI : 3, 4. Rationale vocatur Cedrus in Libano ; ſurculus inter denſa ſignificat ſcientifica memoriæ, quæ ſe ita habent. Adhuc manifeſtius apud Eſaiam, " In die illo " erit ſemita ab Ægypto ad *Aſchur*, & veniet *Aſchur* in Ægyptum, & Ægyp- " tus in *Aſchurem*, & ſervient Ægyptii *Aſchuri*. In die illo, erit Iſrael tertius " Ægypto & *Aſchuri*, Benedictio in medio terræ, cui benedicet Jehovah Ze- " baoth, dicendo, benedictus populus meus Ægyptus, & opus manuum " mearum *Aſchur*, & hæreditas mea Iſrael," XIX, 23, 24, 25. Per Ægyptum hic & alibi paſſim ſignificatur Scientia, per Aſchurem Ratio, per Iſraelem Intelligentia.

120. Sicut per Ægyptum, etiam per Euphratem, ſignificantur ſcientiæ, ſeu ſcientifica, ut & ſenſualia ex quibus ſcientifica ; quod conſtat a Verbo apud Prophetas, ut apud Micham, " Dixit inimica, ubi Jehovah Deus tuus ; " dies quo ædificabit macerias tuas ; dies ille, procul aberit ſtatutum, dies

“ ille & uſque ad te veniet ab *Aſchure*, & ad urbes Ægypti, & ad *fluvium* “ (Euphratem:)” VII: 10, 11, 12. Ita loquuti ſunt de adventu Domini, qui regeneraturus hominem, ut ſimilis cœleſti fiat. Apud Jeremiam, “ Quid “ tibi ad viam Ægypti ad bibendum aquas Schichoris, & quid tibi ad viam “ *Aſchuris*, ad bibendum aquas *fluvii* (Euphratis:)” II: 18. Ubi Ægyptus & Euphrates ſimiliter pro ſcientificis, Aſchur pro ratiociniis inde. Apud Davidem, “ Vitem ex Ægypto proficiſci feciſti, expuliſti gentes, plantaſti “ illam, emiſiſti propagines ejus uſque ad mare, & ad *fluvium* (Euphra-“ tem) ramuſculos ejus,” Pſalm: LXXX: 9, 12. Ubi etiam fluvius Euphrates pro ſenſuali & ſcientifico. Erat enim Euphrates terminus ad Aſchur, quouſque dominium Iſraelis, ſicut ſcientificum memoriæ eſt terminus intelligentiæ & ſapientiæ hominis ſpiritualis & cœleſtis: idem ſignificatur per hæc, quæ Abrahamo dicta, “ Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti, uſque “ ad fluvium magnum, fluvium *Euphratem*,” Geneſ: XV: 18. bini hi termini ſignificant ſimilia.

121. Qualis eſt Ordo cœleſtis, aut quomodo procedunt illa quæ ſunt vitæ, a fluviis his conſtare poteſt: nempe, a Domino, Qui eſt Oriens, ab Ipſo Sapientia, per Sapientiam Intelligentia, per Intelligentiam Ratio, ſic per rationem vivificantur ſcientifica, quæ ſunt Memoriæ: hic eſt Ordo Vitæ; tales ſunt Cœleſtes homines: quare cum Seniores Iſraelis repræſentarent Cœleſtes homines, dicti ſunt, ſapientes, intelligentes, & ſcientes, Deut: I: 13. 15. ſimiliter Bezaleel, qui conſtruxit arcam, de quo dicitur, “ Quod impletus ſpi-“ ritu Dei, in *ſapientia*, in *intelligentia*, & in *ſcientia*, & in omni opere,” Exod: XXXI: 3. Cap: XXXV: 31. Cap: XXXVI: 1, 2.

122. Verſ: 15. *Et accepit Jehovah Deus hominem, & poſuit illum in Horto Eden, ad colendum illum, & ad cuſtodiendum illum.* Per hortum Eden ſignificantur omnia, quæ apud hominem cœleſtem, de quibus; per colere illum, & cuſtodire, quod omnibus illis frui ei concedatur, ſed non ut ſua poſſidere; quia ſunt Domini.

123. Quod omnia & ſingula ſint Domini, Homo cœleſtis agnoſcit, quia percipit; at Homo ſpiritualis quidem agnoſcit, ſed ore, quia ex Verbo novit: Homo mundanus & corporeus nec agnoſcit, nec concedit, ſed quicquid apud eum, dicit eſſe ſuum, quod ſi perderet, putat prorſus perire.

124. Quod ſapientia, intelligentia, ratio, & ſcientia, non hominis ſint, ſed Domini, conſtat clare ab illis, quæ Dominus docuit, ut apud Matthæum, ubi Dominus ſe comparat Patrifamilias, qui plantavit vineam, & ſepem ei circumpoſuit, & locavit agricolis, XXI: 33. Apud Johannem, “ Spiritus ve-“ ritatis ducet vos in omnem Veritatem, non enim loquetur ex ſemet, ſed “ quæcunque audiverit, loquetur; ille Me glorificabit, quia ex Meo accipiet, “ & annuntiabit vobis,” XVI: 13, 14. tum apud Eundem, “ non poteſt “ homo ſumere quicquam, niſi ſit datum ei e cœlo,” III: 27. Cui modo datum pauca ex arcanis cœli ſcire, is ſcit, quod ita ſe habeat.

125. Verſ: 16. *Et præcepit Jehovah Deus ſuper illum homini, dicendo; ab omni arbore horti edendo edes.* Edere ex omni arbore, eſt ex Perceptione noſſe

& ſcire, quid bonum & verum, nam, ut dictum, Perceptio eſt Arbor. Antiquiſſimæ Eccleſiæ homines, cognitiones veræ fidei habebant per revelationes, nam loquuti ſunt cum Domino, & cum Angelis; ut & inſtructi per viſiones & ſomnia, quæ illis erant delitioſiſſima & paradiſiaca: a Domino habebant continue perceptionem, quæ talis eſt, ut cum cogitaverint ex illis, quæ erant memoriæ, illico perceperint num verum & bonum, uſque adeo, ut dum falſum objiceretur, non modo averſati ſint, ſed etiam horruerint; talis quoque eſt ſtatus Angelorum. Sed loco perceptionis Antiquiſſimæ Eccleſiæ ſucceſſit dein Cognitio veri & boni, ex revelatis prius, dein ex revelatis in Verbo.

126. Verſ: 17. *Sed ab arbore ſcientiæ boni & mali, non edas ex illa, quia in die, quo ederis ex illa, moriendo morieris.* Priora & hæc ſignificant, quod liceat, ex omni perceptione, a Domino, noſſe, quid verum & bonum, non autem a ſemet & mundo: ſeu inquirere in fidei myſteria per ſenſualia & ſcientifica, per quod cœleſte ejus moritur.

127. Quod homines per ſenſualia & ſcientifica inquirere voluerint in myſteria fidei, erat non ſolum cauſa lapſus antiquiſſimæ Eccleſiæ, nempe poſteritatis ejus, de qua in Capite ſequente; ſed etiam eſt cauſa lapſus omnis Eccleſiæ, nam inde non ſolum falſitates, ſed etiam mala vitæ.

128. Homo mundanus & corporeus corde ſuo dicit, ſi non inſtruar de fide, & de illis, quæ ſunt fidei, per ſenſualia, ut videam; ſeu per ſcientifica ut intelligam, quod non credam; confirmatque ſe ex eo, quod naturalia non poſſint eſſe contraria ſpiritualibus; quare ex ſenſualibus inſtrui vult de cœleſtibus & Divinis; quod tamen ita impoſſibile eſt, ac eſt camelo intrare per foramen acus; quo magis ex iis ſapere vult, eo magis ſe occæcat, uſque adeo, ut nihil credat, ne quidem quod ſpirituale ſit, & quod vita æterna; ex principio, quod capit, id fluit; hoc eſt edere ex arbore ſcientiæ boni & mali, ex qua quo magis edit, eo magis mortuus fit. At qui non ex mundo ſapere vult, ſed ex Domino, is dicit corde ſuo, quod credendum Domino, hoc eſt, illis, quæ Dominus in Verbo loquutus eſt, quia illa ſunt Veritates, & ex hoc principio cogitat; ille ſe confirmat per rationalia, ſcientifica, ſenſualia & naturalia, & quæ non confirmantia ſunt, ſeparat.

129. Cuivis notum eſſe poteſt, quod principia capta, etiam falſiſſima, regant hominem, & quod principiis omnis ſcientia & ratiocinatio faveat, nam innumera aſſentientia affluunt, ita confirmatur in falſis; quare cui principium eſt, quod nihil credat, priuſquam videt & intelligit, nuſquam credere poteſt, nam ſpiritualia & cœleſtia nec oculis videt, nec phantaſia capit. Sed verus ordo eſt, ut ex Domino, hoc eſt, ex Verbo Ipſius ſapiat, tunc omnia ſuccedunt, & quoque in rationalibus & ſcientificis illuſtratur: nuſquam enim negatum eſt ſcientias diſcere, quia utiles ſunt vitæ & delectabiles; & qui in fide, ei nuſquam negatum eſt, cogitare & loqui ſicut eruditi mundi, ſed ex illo principio, quod credat Verbo Domini, & confirmet veritates ſpirituales & cœleſtes per veritates naturales, terminis orbi erudito familiaribus, quantum poteſt;

poteſt; quare ex Domino erit principium, non ex ſemet; illud eſt vita, hoc autem eſt mors.

130. Qui ex mundo ſapere vult, ei hortus ſunt ſenſualia & ſcientifica; Eden ejus eſt Amor ſui & mundi; Oriens ejus eſt Occidens ſeu ipſe; fluvius ejus Euphrates eſt omne ejus ſcientificum, quod damnatum; alter fluvius ubi Aſchur eſt veſana ratiocinatio, inde falſitates; tertius fluvius, ubi Cuſch, ſunt principia inde mali & falſi, quæ ſunt cognitiones ejus fidei; quartus eſt ſapientia inde, quæ vocatur in Verbo magia, quare Ægyptus, quæ ſignificat ſcientiam, poſtquam magica facta, ſignificat talem, & quidem ex cauſa, de qua paſſim in Verbo, quia ex ſe vult ſapere; de quibus ita apud Ezechielem, "Sic dixit Dominus Jehovih, ecce Ego contra te *Pharao*, Rex *Ægypti*, "Cete Magne, cubans in medio fluminum ſuorum, qui dixit, mihi flumen "meum, & ego feci me; & erit terra *Ægypti* in ſolitudinem, & vaſtitatem, "& cognoſcent, quod Ego Jehovah, propterea, quod dixit, *fluvius* mihi, & "ego feci," XXIX: 3, 9. Tales quoque vocantur arbores Edenis in inferno, apud eundem prophetam, ubi etiam de Pharaone ſeu Ægyptio agitur, his verbis, "Cum deſcendere fecero eum in infernum, cum deſcendentibus in fo-"veam; Cui ſimilis factus es ſic in gloria, & in magnitudine, inter *arbores* "*Edenis*, cum deſcendere factus fueris cum *arboribus Edenis* in terram inferio-"rem, in medio præputiatorum, cum confoſſis gladio: hic Pharao & omnis "turba ejus," XXXI: 16, 17. ubi arbores Edenis pro ſcientificis & cognitioni-"bus ex Verbo, quæ per ratiocinia ſic prophanant.

* * * * * *

18. Et dixit JEHOVAH DEUS, non bonum ut ſit homo ſolus is, faciam ei auxilium tanquam apud illum.

19. Et formavit JEHOVAH DEUS ex humo omnem beſtiam agri, & omnem avem cœlorum, & adduxit ad hominem, ad videndum, quid vocaret id; & quicquid vocabat id homo, animam viventem, id nomen ejus.

20. Et vocabat homo nomina omni beſtiæ, & avi cœlorum, & omni feræ agri, & homini non invenit auxilium, tanquam apud illum.

21. Et cadere fecit JEHOVAH DEUS ſoporem ſuper hominem, & obdormivit; & accepit unam e coſtis illius, & occluſit carnem loco ejus.

22. Et ædificavit JEHOVAH DEUS Coſtam, quam ſumſit de homine, in mulierem, & adduxit eam ad hominem.

23. Et dixit homo, hac vice, os de oſſibus meis, & caro de carne mea, propter hoc vocabitur Uxor, quia ex viro ſumta illa.

24. Propterea relinquet vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt in carnem unam.

25. Et fuerunt ambo nudi, homo & uxor illius, & non erubuerunt.

CONTENTA.

131. AGITUR de Poſteritate Antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ affectabat proprium.

132. Quia homo talis eſt, ut non contentus ſit a Domino duci, ſed cupit etiam a ſemet & mundo, ſeu ex proprio, agitur hic de proprio, quod ei conceſſum, verſ: 18.

133. Et primum ei noſſe datur affectiones boni, & cognitiones veri, a Domino ei donatas; ſed uſque proprium affectat. verſ: 19, 20.

134. Quare in ſtatum proprii miſſus, & ei proprium datur, quod deſcribitur per coſtam ædificatam in mulierem, verſ: 21, 22, 23.

135. Tum quod cœleſtis & ſpiritualis vita adjuncta ſit proprio, ut quaſi unum appareant, verſ: 24.

136. Et quod proprio inſinuata a Domino innocentia, ut uſque non ingratum foret, verſ: 25.

SENSUS INTERNUS.

137 IN tribus Capitibus Geneſeos, in genere agitur de Antiquiſſima Eccleſia, quæ vocatur Homo, a primo tempore uſque ad ultimum, cum periit: in anteactis hujus capitis de florentiſſimo ejus ſtatu, quando cœleſtis Homo fuit; hic nunc de iis, & de poſteris ejus, qui affectabant Proprium.

138. Verſ: 18. *Et dixit Jehovah Deus, non bonum, ut ſit Homo ſolus is, faciam ei auxilium, tanquam apud illum.* Per Solus ſignificatur, quod non contentus fuerit a Domino duci, ſed cupiverit a ſemet & mundo: Per Auxilium tanquam apud illum, ſignificatur Proprium, quod in ſequentibus quoque vocatur Coſta ædificata in mulierem.

139. Antiquitus ſoli habitare dicti ſunt, qui a Domino ducti, ſicut homines cœleſtes, quia non amplius infeſtabant illos mala, ſeu mali ſpiritus; repræſentatum hoc quoque in Eccleſia Judaica, per id, quod expulſis gentibus ſoli habitarent;

bitarent; quare aliquoties in Verbo prædicatur de Eccleſia Domini, quod Sola, ut apud Jeremiam, "Surgite, aſcendite ad gentem quietam, *habitantem* "*confidenter*, non valvæ, & non vectis ei, *Solus* habitant," XLIX: 31. In prophetia Moſis, "Habitavit Iſrael *confidenter*, *Solus*," Deut: XXXIII: 28. Manifeſtius adhuc in prophetia Bileami, "En populum, *Solus*, habitat, & "inter gentes non reputatur," Num: XXIII: 9. ubi gentes pro malis. Hæc poſteritas antiquiſſimæ Eccleſiæ, non habitare voluit Sola, hoc eſt, non eſſe cœleſtis homo, ſeu ut cœleſtis homo duci a Domino, ſed inter gentes eſſe, ſicut Eccleſia Judaica; & quia id cupivit, dicitur, non bonum eſſe, ut ſit homo ſolus is; qui enim cupit, jamdum in malo eſt, & ei conceditur.

140. Quod per Auxilium tanquam apud illum ſignificetur Proprium, ex natura Proprii, & ex ſequentibus conſtare poteſt: ſed quia hic homo Eccleſiæ, de quo nunc agitur, erat bonus indole, ei Proprium conceſſum eſt, ſed tale, ut appareret ſicut ejus, quare dicitur auxilium tanquam apud illum.

141. De Proprio innumerabilia ſunt, quæ dici poſſunt; nempe quomodo ſe habet Proprium apud Hominem corporeum & mundanum; quomodo apud Hominem ſpiritualem; & quomodo apud cœleſtem: Proprium apud hominem corporeum & mundanum, eſt omne ejus, non ſcit aliud quam Proprium; ſi proprium perderet, ut dictum, putaret ſe perire. Apud Hominem ſpiritualem etiam Proprium apparet ſimile, nam is, tametſi novit, quod Dominus ſit vita omnium, & det ſapientiam & intelligentiam, proinde det cogitare & agere, uſque hoc dicit, ſed non ita credit. Homo autem cœleſtis agnoſcit, quod Dominus ſit vita omnium, det cogitare & agere, nam percipit quod ita ſit, nec uſquam cupit proprium; & tametſi non cupit proprium, uſque datur ei a Domino proprium, quod conjunctum eſt cum omni perceptione boni & veri, & cum omni felicitate: Angeli in tali proprio ſunt, & tunc in ſumma pace, & tranquillitate, nam in proprio illorum ſunt illa, quæ ſunt Domini, Qui regit illorum proprium, ſeu illos per proprium illorum: hoc proprium eſt ipſiſſimum cœleſte; at proprium hominis corporei eſt infernale: ſed de proprio plura in ſequentibus.

142. Verſ: 19, 20. *Et formavit Jehovah Deus ex humo omnem beſtiam agri, & omnem avem Cœlorum, & adduxit ad hominem ad videndum, quid vocaret id, & quicquid vocabat id homo, animam viventem, id nomen ejus. Et vocabat homo nomina omni beſtiæ, & avi cœlorum, & omni feræ agri; & homini non invenit auxilium tanquam apud illum.* Per Beſtias ſignificantur cœleſtes affectiones; per Aves cœlorum, ſpirituales; ſeu, per beſtias quæ ſunt voluntatis, per aves quæ ſunt intellectus: adducere ad hominem ad videndum ut vocaret nomine, eſt dare ei noſſe, quales ſunt; quodque vocaverit nomina, eſt quod cognoverit, quales eſſent: & tametſi noverit, quales affectiones boni, & cognitiones veri a Domino donatæ, eſſent, uſque affectabat proprium, quod exprimitur per idem ac prius, quod non invenerit auxilium tanquam apud illum.

143. Quod per Beſtias & Animalia antiquitus ſignificatæ ſint affectiones, & ſimilia apud hominem, hodie peregrinum apparere poteſt; ſed quia in cœleſti idea fuerunt, & talia quoque in mundo ſpirituum repræſentantur per animalia,

lia, & quidem per talia animalia, quibus ſimilia ſunt, ideo non aliud intellexerunt, cum ita loquuti ſunt: in Verbo nec alia intelliguntur ubicunque beſtiæ nominantur in genere & in ſpecie; totum Verbum propheticum plenum eſt ſimilibus, quare qui non novit, quid unaquævis beſtia ſignificat in ſpecie, nuſquam intelligere poteſt, quid Verbum in interno ſenſu continet: ſed, ut dictum prius, Beſtiæ ſunt duplicis generis, malæ quia noxiæ, bonæ quia innoxiæ, per bonas ſignificantur affectiones bonæ, ſicut per oves, agnos, columbas; hic quia de cœleſti, ſeu de cœleſti ſpirituali homine agitur, ſimiliter: quod Beſtiæ in genere ſignificent affectiones, ex aliquibus locis in Verbo confirmatum videatur prius, Num: 45. 46. ut non opus ſit amplius confirmare.

144. Quod vocare nomine ſignificet noſſe, quales ſunt, ſciendum, quod antiqui per nomen nihil aliud intellexerint quam Eſſentiam rei; per videre & vocare nomine, noſſe quales ſunt: cauſa erat, quod nomina inderent filiis & filiabus ſuis ſecundum ea, quæ ſignificabantur, nam unicuivis nomini aliquid ſingulare fuit, ex quo, & per quod noſſent, unde & quales, ſicut etiam ex ſequentibus, ubi de duodecim filiis Jacobi, ex Divina Domini Miſericordia, agendum, videbitur: Cum itaque nomini inerant, unde eſſent, & quales eſſent, per vocare nomine nihil aliud intelligebant; talis loquutio apud eos familiaris fuit, quam qui non intelligit, mirabitur, quod ea ſignificent.

145. In Verbo quoque per nomen ſignificatur Eſſentia rei, & per videre & vocare nomine, noſſe quales ſunt, ut apud Eſaiam, "Dabo tibi theſauros tenebrarum, & abſconditas opes occultorum, propterea ut ſcias, quod Ego Jehovah *vocans nomen* tuum, Deus Iſraelis: propter ſervum meum Jacobum, & Iſraelem Electum meum, & *vocavi* te *nomine* tuo, *cognominavi* te, & non noviſti Me," XLV: 3, 4. ibi per vocare nomine, & cognominare, ſignificatur præſcire qualis eſt. Apud Eundem, "*Vocabitur* tibi *Nomen* novum, quod os Jehovæ declarabit illud," LXII: 2, pro quod alius fieret, ut conſtat ab antecedentibus & ſequentibus ibi. Apud Eundem, "Iſrael ne timeas, nam redemi te, *vocavi nomine* tuo, mihi tu," XLIII: 1, ubi pro quod noverit qualis. Iterum apud Eundem, "Tollite in altum oculos veſtros, & videte, quis creavit illa, educens in numero exercitum eorum, omnes *nomine vocabit*," XL: 26: pro, quod omnes noſſet. In Apocalypſi, "Habes pauca *Nomina* in Sardibus, quæ polluerunt veſtimenta ſua: Qui vicerit, hic induetur veſtimentis albis, & non delebo *nomen* ejus e libro vitæ, confiteborque *nomen* ejus coram Patre meo, & coram angelis ejus," III: 4, 5. alibi, "Quorum non ſunt ſcripta *Nomina* in Libro Vitæ Agni," XIII: 8. Per nomina his locis nuſquam intelliguntur nomina, ſed quales ſunt; nec uſquam alicujus nomen in Cœlo noſcitur, ſed qualis eſt.

146. Ex his conſpici poteſt nexus rerum, quæ ſignificantur: verſu 19 dictum quod non bonum, ut ſit homo ſolus is, faciam ei auxilium tanquam apud illum; & mox agitur de beſtiis & avibus, de quibus tamen prius, & ſequitur immediate idem, quod homini non invenit auxilium tanquam apud illum; quod nempe, cum ei cognoſcere datum qualis eſſet, quoad affectiones boni, & cog-

 nitiones

nitiones veri, quod uſque affectaret proprium: qui enim tales ſunt, ut cupiant proprium, incipiunt contemnere illa quæ ſunt Domini, utcunque illa ei repræſentantur, & demonſtrantur.

147. Verſ: 21. *Et cadere fecit Jehovah Deus ſoporem ſuper hominem, & obdormivit; & accepit unam e coſtis illius, & occluſit carnem loco ejus.* Per coſtam, quæ eſt os pectoris, intelligitur Proprium hominis in quo parum vitale, & quidem Proprium, quod ei eſt charum: per Carnem loco coſtæ intelligitur Proprium, in quo vitale: per Soporem ſtatus ille, in quem miſſus, ut proprium videretur ſibi habere, qui ſtatus eſt inſtar ſomni, quia in ſtatu illo non aliter ſcit, quam quod ex ſemet vivat, cogitet, loquatur & agat, at cum ſcire incipit, quod id falſum, tunc expergiſcitur ſicut a ſomno, & vigil fit.

148. Quod Proprium hominis dictum Coſta, quæ eſt os pectoris, & quidem proprium, quod ei charum, cauſa eſt, quia Pectus apud antiquiſſimos ſignificavit Charitatem, quia ibi Cor & Pulmones: & Oſſa ſignificarunt ea quæ viliora eſſent, quia iis minimum vitale ineſt; Caro autem, quæ aliquid vitale haberent: quod ita ſignificata ſint, cauſa eſt arcaniſſima, antiquiſſimis nota, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

149. In Verbo etiam Proprium per Oſſa ſignificatur; & quidem Proprium vivificatum a Domino; apud Eſaiam "Jehovah ſaturabit in ariditatibus animam tuam, ac *Oſſa* tua expedita reddet, & eris ſicut hortus irriguus" LVIII: 11. apud Eundem "Tum videbitis, & gaudebit Cor veſtrum, & *Oſſa* veſtra, ſicut herba, germinabunt" LXVI: 14. apud Davidem "Omnia *Oſſa* mea dicent, Jehovah, quis ſicut Tu" Pſalm XXXV: 10. Apud Ezechielem adhuc evidentius, ubi de oſſibus, quod Carnem acciperent, & ſpiritus eis induceretur, "Manus Jehovæ poſuit me in medio vallis, & ea plena *oſſibus*, & dixit ad me, propheta ſuper *oſſibus* iſtis, & dicas ad ea, o *oſſa* arida, audite Verbum Jehovæ, ſic dixit Dominus Jehovih *oſſibus* his, ecce Ego adducens in vos ſpiritum, & vivetis, & dabo ſuper vos nervos, & aſcendere faciam ſuper vos *carnem*, & obducam ſuper vos cutem, & dabo in vobis ſpiritum, & vivetis, & ſcietis, quod Ego Jehovah," XXXVII: 1, 4, 5, 6. Proprium hominis cum inſpicitur e cœlo, apparet prorſus ut oſſeum inanimatum & deformiſſimum quid, ita mortuum in ſe; ſed vivificatum a Domino, ut Carneum; nam proprium hominis nihil niſi quam mortuum quid eſt, tametſi ei apparet ſicut aliquid, imo ſicut omne; quicquid vivit apud eum, eſt ex vita Domini, quæ ſi recederet, caderet mortuus ſicut lapis; nam eſt ſolum organum vitæ, ſed quale organum, talis affectio vitæ: Solus Dominus habet Proprium, ex Proprio redemit hominem, & ex Proprio ſalvat hominem; Proprium Domini eſt Vita, ex Cujus Proprio vivificatur proprium hominis, quod in ſe mortuum eſt; Proprium Domini ſignificatum quoque eſt per Domini verba apud Lucam, "Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut videtis Me habere," XXV: 39, 40. ſignicatum etiam eſt per id, quod Os pecudis Paſchalis non frangeretur, Exod: XII: 46.

150. Status hominis cum eſt in proprio, ſeu cum putat vivere ex ſe, comparatus eſt ſopori, imo ab antiquis dictus ſopor, in Verbo, quod perfundantur,

dantur ſpiritu ſoporis, ac dormitent ſomnum. Quod proprium hominis in ſe mortuum ſit, ſeu quod nullus aliquam vitam habeat ex ſe, oſtenſum eſt in mundo ſpirituum, uſque adeo, ut mali ſpiritus, qui nihil niſi proprium amant, & ſe ex ſemet vivere contumaciter inſtant, per vivas experientias convicti, & faſſi, quod non vivant ex ſe. Quomodo ſe habeat cum proprio hominis, ſcire præ aliis mihi datum eſt nunc intra aliquot annorum tempus, quod nempe ne hilum cogitaverim ex memet, & manifeſte percipere datum, quod unaquævis idea cogitationis influeret, & quandoque quomodo & unde influeret. Quare homo, qui putat ſe vivere ex ſe, in falſo eſt, & per id quod credit ſe vivere ex ſe, appropriat ſibi omne malum & falſum, quod nuſquam ſibi appropriaret, ſi ſicut res ſe habet, crederet.

151. Verſ: 22. *Et ædificavit Jehovah Deus Coſtam, quam ſumſit de homine, in mulierem, & adduxit eam ad hominem.* Per ædificare ſignificatur exſtruere quod lapſum eſt; per Coſtam, proprium non vivificatum; per Mulierem, proprium a Domino vivificatum; per adducere ad hominem, quod ei proprium datum ſit. Poſteritas hujus Eccleſiæ, quia non ut parentes, cœleſtis homo voluit eſſe, ſed ſemet ducere, & ſic affectavit proprium, ei quoque conceſſum eſt, ſed uſque a Domino vivificatum, quare vocatur mulier, & poſtea uxor.

152. Quiſque, qui modo leviter attendit, ſcire poteſt, quod non mulier ex Coſta Viri, & quod hæc arcaniora involvant, quam uſquam aliquis hactenus noverit; & quod proprium per mulierem ſignificetur ex eo, quod mulier ſit, quæ decepta, nam nihil uſquam hominem decipit, quam proprium, ſeu quod idem eſt, amor ſui & mundi.

153. Ædificata dicitur Coſta in mulierem, non autem mulier creata, aut formata, aut facta, ut prius, ubi de regeneratione agitur: quod ædificata dicatur, cauſa eſt, quia ædificare ſignificat exſtruere id quod lapſum eſt; in Verbo ſimiliter, ubi ædificare prædicatur de malis, erigere de falſis, renovare de utriſque; ut apud Eſaiam, "*Ædificabunt* vaſtitates æternitatis, deſolationes priſcas *erigent*, & *renovabunt* urbes vaſtitatis, deſolationes generationis & generationis," LXI: 4. Vaſtitates hic & alibi pro malis, deſolationes pro falſis, illis applicatur vox ædificare, his erigere, ſicut alibi quoque apud Prophetas, quod accurate obſervatur; apud Jeremiam, "adhuc *ædificabo* te, ut *ædificata* ſis, virgo Iſrael," XXXI: 4.

154. Nihil uſquam malum & falſum datur, quod non eſt proprium, & ex proprio; nam Proprium hominis eſt ipſum malum, inde homo non eſt niſi malum & falſum; quod conſtare mihi potuit ex eo, quod cum propria videnda ſiſtantur in mundo ſpirituum, appareant ita deformia, ut deformius nuſquam pingi poſſit, cum diverſitate ſecundum proprii naturam, ſic ut is, cui ejus propria videnda præbentur, ſemet horreat, & fugere velit ut diabolum. At vero Propria, quæ vivificata ſunt a Domino, apparent pulchra & venuſta, cum varietate ſecundum vitam, cui cœleſte Domini applicari poteſt, & quidem, qui præditi fuerunt ſeu vivificati Charitate, apparent ut pueri & puellæ venuſtiſſima facie; & qui Innocentia, ut Infantes nudi varie decorati, florum

florum ſertis circum pectus cincti, diadematibus circum caput, viventes & ludentes in aura adamantina, cum perceptione felicitatis ex intimis.

155. Verba hæc, quod coſta ædificata ſit in mulierem, plura intime recondita habent, quam uſquam aliquis ex litera ſcire poteſt, nam Verbum Domini tale eſt, ut in intimis ſpectent Ipſum Dominum, ac Regnum Ipſius, inde Vita omnis Verbi; hic ſimiliter, eſt Conjugium cœleſte, quod in intimis ſpectatur: Conjugium Cœleſte eſt tale, quod ſit in proprio, & quod Proprium vivificatum a Domino, dicatur Domini Sponſa, ut & Uxor: Proprium ita vivificatum a Domino habet perceptionem omnis Boni amoris, & Veri fidei, ita habet omnem ſapientiam & intelligentiam conjunctam cum ineffabili felicitate: ſed quale hoc proprium vivificatum, quod dicitur Sponſa & Uxor Domini, non paucis dici poteſt; ſolum, quod Angeli percipiant, quod vivant a Domino, & cum non reflectunt, non aliter ſciant, quam quod ex ſe; ſed eſt communis affectio, quæ talis eſt, ut dum vel minimum a Bono amoris & Vero fidei recedunt, percipiant mutationem; quare in ſua pace & felicitate, quæ ineffabilis eſt, ſunt, quando in perceptione communi, quod a Domino vivant. Hoc proprium quoque eſt, quod intelligitur apud Jeremiam, ubi dicitur, "Creavit Jehovah novum in terra, *mulier* circumdabit *Virum*," xxxi: 22: eſt Conjugium Cœleſte, quod hic quoque ſignificatur, & per mulierem proprium vivificatum a Domino, de qua muliere prædicatur circumdare; nam proprium tale eſt, ut circumdet, ſicut coſta facta caro circumdat Cor.

156. Verſ: 23. *Et dixit Homo, hac vice, os de oſſibus meis, & caro de carne mea, propter hoc vocabitur uxor, quia ex viro ſumta illa.* Os de oſſibus, & caro de carne, ſignificat proprium Externi hominis; Os, proprium non ita vivificatum; Caro, proprium vivificatum: Vir autem ſignificat Internum hominem, qui quia copulatus eſt Externo homini ita, ut in verſu ſequenti dicitur, vocatur proprium hoc Uxor, quæ prius mulier: hac vice, ſignificat quod nunc ita factum ſit, quia mutatus ſtatus.

157. Quia os de oſſibus, & caro de carne ſignificabat proprium Externi hominis, in quo Internus, antiquitus vocabantur omnes ii Os de oſſibus & caro de carne, qui proprii dici potuerunt, eſſentque ex una domo, aut ex una familia, aut in aliqua cognatione, ut Jacobus a Labane, "Utique Os meum, "& Caro mea tu," Geneſ: xxix: 14. Fratres matris, & familia domus patris matris, ab Abimelecho, "Recordamini, quod *Os veſtrum*, & *caro veſtra*, "ego," Jud: ix: 1, 2, 3. Etiam Tribus Iſraelis de ſe, ad Davidem, "Ecce nos *os tuum*, & *caro tua*, nos," 2 Sam: v: 1.

158. Quod Vir ſignificet Internum hominem, ſeu quod idem eſt, intelligentem & ſapientem, conſtat apud Eſaiam, "Video, & non *Vir*, & de illis, "& non conſiliarius," xli: 28. pro quod non ſapiens & intelligens. Apud Jeremiam, "Diſcurrite per plateas Hieroſolymæ, & videte, ſi inveniatis *Vi-* "*rum*, ſi ſit faciens judicium, quærens veritatem," v: 1. faciens judicium pro ſapiente, & quærens veritatem pro intelligente.

159. Sed

159. Sed quomodo hæc ſe habeant, non facile percipitur, niſi ſciatur qualis eſt ſtatus cœleſtis hominis; ſtatus cœleſtis hominis eſt talis, ut Internus homo ſit diſtinctus ab Externo, & quidem ita, ut percipiat quæ ſunt Interni, & quæ ſunt Externi, & quomodo Externus per Internum regatur a Domino: at ſtatus hujus poſteritatis, quia cupivit proprium, quod eſt Externi hominis, mutatus eſt ita, ut non amplius perceperit Internum hominem diſtinctum eſſe ab Externo, ſed quaſi, quod Internus eſſet unus cum Externo: nam talis perceptio fit, cum proprium cupitur.

160. Verſ: 24. *Propterea relinquet Vir patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt in carnem unam.* Relinquere patrem & matrem eſt Internum hominem, nam Internus eſt, qui concipit & parit Externum: adhærere uxori, eſt ut Internus ſit in Externo; in unam Carnem, quod ibi ſimul ſint; & quia prius fuit Internus, & Externus ab interno, Spiritus, nunc autem facti ſunt caro. Ita cœleſtis & ſpiritualis Vita adjuncta fuit proprio, ut ſicut unum eſſent.

161. Poſteritas hæc Antiquiſſimæ Eccleſiæ non erat mala, ſed uſque bona, & quia cupivit vivere in Externo homine ſeu in proprio, ei datum quoque a Domino, ſed ex Miſericordia inſinuatum cœleſte ſpirituale. Quomodo internum & externum unum agunt, ſeu quomodo apparent tanquam unum, non ſciri poteſt, niſi ſciatur influxus unius in alterum; ut ſolum idea ejus capiatur, ſit exemplo Actio, in qua niſi inſit charitas, ſeu amor & fides, & Dominus in illis, Actio non eſt Actio, quæ dici poteſt opus charitatis, aut fructus fidei.

162 Omnes Leges veri & recti fluunt a principiis cœleſtibus, ſeu ab ordine Vitæ cœleſtis hominis, nam totum Cœlum eſt Cœleſtis homo, ex eo, quod Dominus Solus eſt Homo cœleſtis, eſtque omne in omnibus & ſingulis cœli & cœleſtis hominis, inde vocantur cœleſtes: quia a principiis cœleſtibus, ſeu ab ordine Vitæ cœleſtis hominis, omnis Lex veri & recti, principaliter Lex conjugiorum deſcendit: Conjugium cœleſte eſt, ex quo, & ſecundum quod, erunt omnia conjugia in terris, quod tale eſt, quod Unus Dominus & unum Cœlum, ſeu una Eccleſia, cujus caput Dominus; Conjugiorum Lex inde, quod unus erit Vir, & una Uxor, & cum ita eſt, repræſentant conjugium Cœleſte, & exemplar ſunt cœleſtis hominis. Hæc Lex non ſolum revelata eſt Viris antiquiſſimæ Eccleſiæ, ſed etiam interno eorum homini inſcripta, quare Vir tunc non niſi quam unam uxorem habuit, & unam domum conſtituit; at cum poſteri eorum interni homines deſierunt eſſe, & externi facti, tunc plures uxores ducebant. Quia antiquiſſimæ Eccleſiæ viri conjugiis ſuis, repræſentabant conjugium cœleſte, Amor conjugialis erat illis quaſi Cœlum, & Cœleſtis felicitas; ſed cum declinavit Eccleſia, felicitatem non amplius percipiebant in amore conjugiali, ſed in delectatione ex pluribus, quod eſt Externi hominis; hoc a Domino vocatur durities cordis, propter quam iis a Moſe permiſſum, ut plures uxores ducerent, ſicut Ipſe Dominus docet, "Propter duritiem cordis veſtram ſcripſit Moſes vobis præceptum hoc; ab

"initio autem creationis maſculum & fœminam fecit eos Deus, propter hoc "de relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, eruntque duo in carnem unam, quare non amplius ſunt duo, ſed una caro; "quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparabit," Marc: x: 5, 6, 7, 8, 9.

163. Verſ: 25. *Et fuerunt ambo nudi, homo & uxor illius; & non erubuerunt.* Quod nudi fuerunt, & non erubuerunt, ſignificat Innocentes; ſcilicet quod Dominus inſinuaverit proprio illorum innocentiam, ne ingratum eſſet.

164. Proprium hominis, ut dictum, non eſt niſi malum, & cum ſiſtitur videndum, eſt deformiſſimum; at cum charitas & innocentia a Domino inſinuatur proprio, apparet bonum & venuſtum, ſecundum ea, quæ dicta ſunt n: 154. Charitas & Innocentia ſunt, quæ proprium, ſeu malum & falſum hominis, non ſolum excuſant, ſed quaſi abolent, ſicut quiſque apud infantes videre poteſt, qui dum amant ſe mutuo & parentes, & ſimul infantile innocens elucet, tunc ipſa mala & falſa non ſolum non apparent, ſed etiam placent. Inde ſciri poteſt, quod nemo in Cœlum admitti poſſit, niſi aliquid innocentiæ habeat, ſicut Dominus dixit, "Sinite infantes venire ad Me, & "non prohibete eis, talium eſt Regnum Dei; amen dico vobis, quiſquis "non acceperit Regnum Dei, ut infans, non ingredietur in illud, ſuſcipiens "igitur illos in ulnas, poſuit manus ſuper illos, & benedixit illis," Marc: x: 14, 15, 16.

165. Quod Nuditas, quam non erubeſcunt, ſignificet Innocentiam, conſtat manifeſte a ſequentibus, quando integritas & innocentia receſſit, quod tunc erubuerint nuditatem, & ea apparuerit ut probrum, quare ſe occultabant: Ex iis quoque, quæ repræſentantur in mundo ſpirituum, etiam conſtat, quod nuditas, quam non erubeſcunt, ſignificet Innocentiam, Spiritus enim dum ſe exſculpare, & præbere inſontes volunt, ſe ſiſtunt nudos, innocentiam teſtaturi: Imprimis ab iis, qui innocentes ſunt in cœlo, qui apparent ut infantes nudi, & ſecundum Innocentiæ ſpeciem cincti ſerteis: at quibus non tantum Innocentiæ, ii apparent induti veſtibus decoris & lucentibus, ita ut ſericum adamantinum dicas, ſicut angeli quandoque viſi ſunt Prophetis.

166. *HÆC ſunt, quæ continet Verbum in hoc Capite, ſed pauca ſunt, quæ expoſita; & quia de cæleſti homine agitur, qui hodie vix alicui notus, pauca hæc non poſſunt non aliquibus obſcura apparere.*

167. *Sed ſi quis noſſet, quantum arcanorum continetur in unoquovis verſiculo, obſtupeſceret; tantum arcanorum continetur, ut nuſquam edici poſſit; hoc minime elucet ex litera: ut breviter tradatur; ſicut ſunt Verba literæ, repræſentantur ad vivum in mundo ſpirituum, ordine pulchro,* nam

nam mundus ſpirituum eſt repræſentativus: & quicquid repræſentatur ad vivum, hoc percipitur in altero Cælo, a Spiritibus angelicis, quoad minutiora, quæ in repræſentatis : quæ a ſpiritibus angelicis, hæc in tertio Cælo ab Angelis copioſe & plene ideis angelicis inexpreſſibilibus, & quidem ſecundum Beneplacitum Domini, omni varietate, quæ indefinita: Tale eſt Verbum Domini.

De Reſuſcitatione hominis a mortuis, & introitu ejus in vitam æternam.

168. *QUIA in ſerie licet tradere, quomodo homo a vita corporis intrat in vitam æternitatis, ut dictum, ut ſciretur, quomodo exſuſcitatur homo, non auditum, ſed per vivam experientiam oſtenſum eſt.*

169. *In Statum inſenſibilitatis quoad corporeos ſenſus perductus ſum, ita pæne in ſtatum morientium, manente tamen interiore vita integra, cum cogitatione, ut perciperem, & memoria retinerem ea, quæ contingunt iis, qui mortui ſunt, & reſuſcitantur, cum vitæ conveniente reſpiratione, dein cum reſpiratione tacita.*

170. *Angeli cæleſtes aderant, qui occupabant Cordis provinciam, ſic ut quoad Cor viderer iis unitus, ita tandem, ut vix aliquid meum mihi relictum ſit, præter Cogitationem, & inde perceptionem; & hoc per aliquot horas.*

171. *A communicatione cum ſpiritibus in mundo ſpirituum ſic removebar, qui autumabant, quod e vita corporis diſceſſerim.*

172. *Præter Angelos cæleſtes, qui occupabant cordis provinciam, etiam bini Angeli aſſidebant Capiti; & perceptum, quod ita fiat unicuique.*

173. *Angeli, qui aſſidebant capiti, tacitiſſimi erant, modo communicantes ſua cogitata cum facie; ſic ut perciperem, quod mihi quaſi inducta ſit alia facies, & quidem bina, quia bini erant: Angeli, cum percipiunt, quod eorum facies recipiantur, tunc noſcunt, quod homo mortuus ſit.*

174. *Poſtquam agnoverunt ſuas facies, inducebant quaſdam mutationes circa Oris provinciam, & ſic communicabant ſua cogitata; nam*

per oris provinciam loqui, hoc commune eſt cæleſtibus: loquelam eorum cogitativam datum erat percipere.

175. *Sentitus odor aromaticus, ſicut cadaveris conditi; nam cum Angeli cæleſtes adſunt, tunc cadaveroſum ſentitur ut aromaticum, quem cum ſentiunt mali ſpiritus, non poſſunt approximare.*

176. *Interea, quoad provinciam cordis ſatis arcte unitus tenebar cæleſtibus, quod perceptum, & pulſu quoque ſentitum eſt.*

177. *Mihi inſinuatum, quod cogitata, quæ homo in puncto mortis habet, quæ pia & ſancta ſunt, detineantur ab angelis: inſinuatum etiam, quod, qui moriuntur, ut plurimum cogitent de vita æterna, raro de ſalute & felicitate, quare Angeli tenent eos in cogitatione de vita æterna.*

178. *In hac cogitatione tenentur ſatis diu ab Angelis cæleſtibus, antequam recedunt, & relinquuntur Angelis ſpiritualibus, quibus dein aſſociantur: interea non ſciunt aliter ac ſi vivant in corpore, ſed obſcure.*

179. *Vitales ſubſtantiæ, ut primum frigeſcunt corporea interiora, ſeparantur ab homine, ubicunque ſunt, ſi vel incluſæ forent mille labyrintheis nexibus; nam talis eſt efficacia Miſericordiæ Domini, quæ mihi prius percepta, ſicut Attractio viva & valida, ſic ut nihil vitale remanere poſſit.*

180. *Angeli cæleſtes, qui capiti aſſidebant, poſtquam eſſem quaſi reſuſcitatus, per aliquod tempus apud me fuerunt, nec loquuti niſi tacite, id percipiens ex loquela eorum cogitativa, quod nihili facerent omnes fallacias & falſitates, eas quidem non ut ludibria, ridentes, ſed tanquam nihili curantes: Loquela eorum eſt cogitativa abſque ſonoro, qua etiam incipiunt loqui cum animabus, apud quos primum ſunt.*

181. *Adhuc homo, ita a cæleſtibus reſuſcitatus in vita obſcura eſt; cum tempus adeſt, quod Angelis ſpiritualibus tradendus, tunc poſt moram recedunt Cæleſtes, cum Spirituales acceſſerint; & oſtenſum, quomodo hi operantur, ut lucis uſuram accipiat, de qua videatur continuatio in Capitis nunc ſequentis præmiſſis.*

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Continuatio, de reſuſcitati introitu in vitam æternam.

182. *CUM Angeli cœleſtes apud reſuſcitatum ſunt, non relinquunt eum, nam unumquemvis amant; ſed cum talis eſt Anima, ut in cœleſtium conſortio non amplius eſſe poſſit, tunc illa ab iis diſcedere avet, quod cum ſit, veniunt Angeli ſpirituales, qui dant ei lucis uſuram, nam prius nihil vidit, ſed ſolum cogitavit.*

183. *Oſtenſum, quomodo hi Angeli operantur: videbantur quaſi evolvere tunicam oculi ſiniſtri verſus ſeptum naſi, ut aperiretur oculus, & concederetur lucis uſura: homo non aliter percipit, quam quod ita fiat, ſed eſt apparentia.*

184. *Cum evolviſſe viſum membranulam, apparet quoddam lucidum, ſed obſcurum, quaſi dum homo in prima vigilia per palpebras ſpectat; & eſt in ſtatu tranquillo, adhuc cuſtoditus a cœleſtibus: tum apparet umbroſum quoddam coloris cœleſtis cum ſtellula; ſed perceptum, quod hoc fiat cum varietate.*

185. *Poſtea a facie apparet evolvi quoddam molliter, & inducitur ei perceptio; cavent tunc Angeli ſumma opera, ne quæ idea ab eo veniat, niſi mollior, ſeu amoris: eique datur noſſe, quod ſpiritus.*

186. *Tunc orditur vitam; quæ primum eſt felix & læta, videtur namque ſibi in vitam æternam veniſſe; quod repræſentatur per lumen candidum pulchre flaveſcens, quo ſignificatur ejus vita prima, nempe quod cœleſtis cum ſpirituali.*

187. *Quod exciperetur dein in ſocietatem ſpirituum bonorum, repræſentatum eſt per juvenem inſidentem Equo, dirigentem eum verſus infernum, ſed non poteſt Equus movere paſſum: ſicut juvenis repræſentatur, quia ut primum in vitam æternam venit, eſt inter angelos, ita ſibi quaſi in flore juventutis viſus.*

188. *Vita ſequens repræſentata, quod deſcenderet ex equo, & iret pedibus, quia equum e loco movere non poteſt; & ei inſinuatur, quod cognitionibus veri & boni inſtrueretur.*

189. *Poſtea viſæ ſemitæ obliquæ ſurſum lente, ſignificantes quod per cognitiones veri & boni, perque agnitionem ſui, ſenſim duceretur verſus cœlum; nam abſque agnitione ſui, & cognitionibus veri & boni, nemo illuc duci poteſt.* *Continuatio videatur in fine hujus capitis.*

CAPUT III.

1. ET Serpens fuit aſtutus præ omni fera agri, quam fecit JEHOVAH DEUS, & dixit ad mulierem, etiamne dixit Deus, non comedetis de omni arbore horti.
2. Et dixit mulier ad ſerpentem, de fructu arboris horti comedemus.
3. Et de fructu arboris, quæ in medio horti, dixit DEUS, non comedatis de illo, nec tangetis illum, ne inde moriamini.
4. Et dixit ſerpens ad mulierem, non moriendo morimini.
5. Quia novit DEUS, quod in die, quo editis de eo, & aperiantur oculi veſtri, & ſitis ſicut DEUS, ſcientes bonum & malum.
6. Et vidit mulier, quod bona arbor ad eſum, & quod appetibilis ea oculis, & deſiderabilis arbor ad dandum intelligentiam, & ſumſit ex fructu ejus, & edit; & dedit etiam viro ſuo ſecum, & comedit.
7. Et aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt, quod nudi ii, & conſuerunt folium ficus, & fecerunt ſibi cingula.
8. Et audiverunt vocem JEHOVÆ DEI, ſibi euntem in horto, ad auram diei; & occultavit ſe homo, & uxor ejus, a facie JEHOVÆ DEI, in medio arboris horti.
9. Et clamavit JEHOVAH DEUS ad hominem, & dixit ei, ubi tu.
10. Et dixit, vocem tuam audivi in horto, & timui, quia nudus ego, & occultavi me.
11. Et dixit, quis indicavit tibi, quod nudus tu, annon de arbore, de qua præcepi tibi, ut non edas de ea, ediſti.
12. Et dixit homo, mulier, quam dediſti mecum, ea dedit mihi de arbore, & comedi.
13. Et dixit JEHOVAH DEUS mulieri, quare hoc feciſti, & dixit mulier, ſerpens decepit me, & edi.

CONTENTA.

190. AGitur de Tertio Statu Eccleſiæ Antiquiſſimæ, quæ proprium affectabat, uſque ut amaret.

191. Quia tunc incipiebant nihil credere, quod non ſenſibus caperent,

rent, ex Amore ſui ſeu proprio, Senſuale repræſentatur per ſerpentem; Amor ſui ſeu proprius per mulierem, & Rationale per virum.

192. Inde ſerpens ſeu ſenſuale perſuaſit mulieri, ut ſcrutaretur illa, quæ ſunt fidei in Dominum, num ita ſe haberent, quod ſignificatur per edere ex arbore ſcientiæ; & quod Rationale hominis conſenſerit, per virum quod comederit, verſ: 1 ad 6.

193. Sed perceperunt, quod in malo eſſent; ex quo perceptionis reſiduo, quod ſignificatur per quod aperti ſint oculi, & quod audiverint vocem Jehovæ, verſ: 7, 8. Et ex folio ficus, quo fecerunt ſibi cingula, verſ: 7. Tum ex pudore ſeu occultatione in medio arboris horti, verſ: 8, 9. Ut & ex agnitione & confeſſione, verſ: 10, 11, 12, 13. patet, quod apud eos bonitas naturalis manſerit.

SENSUS INTERNUS.

194. verſ: 1. *ET ſerpens fuit aſtutus præ omni fera agri, quam fecit Jehovah Deus; & dixit ad mulierem, etiamne dixit Deus, non comedetis de omni arbore horti.* Per ſerpentem intelligitur hic Senſuale hominis, cui fiditur: per Feram agri, hic, ut prius, omnis Affectio externi hominis; per Mulierem, Proprium: quod ſerpens dixerit, Etiamne dixit Deus, non comedetis de omni arbore, ſignificat, quod dubitaverint primum. Agitur de Tertia Poſteritate Eccleſiæ Antiquiſſimæ, quæ incepit non credere revelatis, niſi viderent, & ſentirent, quod ita ſe haberent; Status primus eorum deſcribitur in hoc & in mox ſequente verſu, quod eſſet dubitativus.

195. Antiquiſſimi non compararunt omnia, quæ erant in homine, beſtiis & avibus, ſed vocarunt; talis erat loquela eorum; talis etiam permanſit in Antiqua Eccleſia poſt diluvium, & ſimilis conſervata apud Prophetas: Senſualia hominis vocabant Serpentes; quia ſicut ſerpentes proximi ſunt terræ, etiam ſenſualia proxima corpori; inde Ratiocinia ex ſenſualibus de myſteriis fidei, vocabant venena ſerpentis; & ipſos ratiocinatores, ſerpentes; qui quia ex ſenſualibus, ſeu viſibilibus, ut ſunt terreſtria, corporea, mundana & naturalia, multum ratiocinantur, dictum, quod ſerpens fuit aſtutus præ omni fera agri; apud Davidem ſimiliter, "Exacuunt linguam ſuam, ſicut ſerpens, venenum aſpidis ſub labiis eorum," Pſalm: CXL: 4, 5, 6. ubi de iis, qui per ratiocinia ſeducunt hominem, agitur. Apud Eundem, "Aberrant ab utero loquentes mendacium, venenum iis inſtar veneni *ſerpentis*, ſicut *aſpis* venenata ſurda obturat aurem ſuam, ut non audiat vocem muſſitantium, ſociantis

"ſociantis ſodalitia ſapientis," Pſalm: LVIII: 4, 5, 6. ratiocinia hic vocantur venenum ſerpentis, quæ ſunt talia, ut ne quidem audiant quod ſapiens, ſeu vocem ſapientis, inde formula apud antiquos, quod ſerpens obturet aurem. Apud Amoſum, "Sicut quis veniat in domum, nitaturque manu ſua ſuper parietem, "& mordeat eum *ſerpens*; nonne tenebræ dies Jehovæ, & non lux, & "caligo, & non ſplendor ei," V: 19, 20. Manus ſuper parietem pro potentia propria, & fiducia ſenſualium, inde occæcatio, quæ deſcribitur. Apud Jeremiam, "Vox Ægypti, quaſi *ſerpens* ibit, quia in robore ibunt, & cum ſecuribus venient ei, tanquam cæſores lignorum: excidant ſylvam ejus, dictum "Jehovæ, quia non inveſtigabitur, nam multiplicati ſunt præ locuſta, & "nullus eis numerus; pudefacta eſt filia Ægypti, dabitur in manum po-"puli ſeptentrionis," XLVI: 20, 22, 23, 24. Ægyptus pro ratiocinatione de Divinis, ex ſenſualibus & ſcientificis; ratiocinia vocantur vox ſerpentis, & occæcatio inde ſignificatur per populum ſeptentrionis. Apud Hiobum, "Venenum *aſpidum* ſuget, occidet eum lingua *viperæ*, non videbit rivos, "flumina fluviorum mellis & butyri," XX: 16, 17. fluvii mellis & butyri ſunt ſpiritualia & cœleſtia, quæ non viſuri ratiocinatores; ratiocinia vocantur venenum aſpidum, & lingua viperæ. Plura de ſerpente videas infra ad verſ: 14, 15.

196. Antiquitus dicti ſerpentes, qui fiderunt ſenſualibus plus quam revelatis, hodie adhuc pejus, ſunt enim non ſolum, qui nihil credunt, niſi videant & ſentiant, ſed etiam qui ſe confirmant per ſcientifica antiquiſſimis ignota, ac ita ſe multo magis occæcant: ut ſciatur, quomodo ii, qui ex ſenſualibus, ſcientificis & philoſophicis concludunt de cœleſtibus, ſe occæcant, ut dein nihil prorſus videant & audiant, ſintque non ſolum ſerpentes ſurdi, ſed etiam ſerpentes volantes, qui multo pernicioſiores, de quibus etiam in Verbo; ſit in exemplum, quid credant de Spiritu: qui Senſualis eſt, ſeu ſenſibus modo credit, is negat dari ſpiritum, quia eum non videt, dicens nihil eſſe, quia non ſentio; quod video & tango, hoc ſcio quod ſit. Qui Scientificus eſt, ſeu ex ſcientiis concludit, is dicit, quid ſpiritus, niſi forte halitus vel calor, vel aliud quidpiam quod ſcientiæ ejus eſt, quo extincto evaneſcit; annon animalia quoque habent corpus, ſenſus, analogon rationis, & illa dicunt moritura, & hominis ſpiritum victurum; ita negant dari ſpiritum. Philoſophi, qui cæteris acutiores volunt eſſe, de ſpiritu per terminos loquuntur, quos ipſi non ſciunt, quia de iis litigant, contendentes non applicabilem eſſe unicam vocem, quæ aliquid ex materiali, organico aut extenſo trahit, ita ſubducunt eum ſuis ideis, ſic ut iis evaneſcat, fiatque nihil. Saniores autem uſque dicunt eſſe Cogitationem, ſed cum de cogitatione ratiocinantur, tandem, quia ſeparant illam a ſubſtantiali, concludunt, quod evanitura ſit, cum corpus exſpirat. Ita omnes, qui ex ſenſualibus, ſcientificis & philoſophicis ratiocinantur, negant quod ſit ſpiritus, & cum negant quod ſit, nihil uſquam credunt, quid de ſpiritu, & de ſpiritualibus, dicitur. At vero, ſi interrogantur ſimplices corde, dicunt ii, quod ſciant dari, quia Dominus dixit ſe victuros poſt mortem; ii non extinguunt ſuum rationale, ſed vivere faciunt per Verbum Domini.

197. Per ſerpentem apud antiquiſſimos, qui fuerunt cœleſtes homines, ſignificabatur circumſpectio, ita ſimiliter ſenſuale per quod ſe circumſpicerent, ne a malis nocerentur; quod conſtat ex Domini verbis ad diſcipulos " Ecce Ego " mitto vos ſicut oves in medium luporum; eſtote ergo *prudentes* ſicut *ſer-* " *pentes*, & ſimplices ſicut columbæ " Matth: x: 16. Tum etiam per Serpentem æneum, qui erectus in deſerto, per quem ſignificatum Senſuale Domini, Qui ſolus Cœleſtis Homo, & Solus circumſpicit & providet omnibus, quare qui intuiti ſunt Ipſum, ſervati ſunt.

198. Verſ: 2: 3. *Et dixit Mulier ad ſerpentem, de fructu arboris horti comedemus; & de fructu Arboris, quæ in medio horti, dixit Deus, non comedetis de illo, nec tangetis illum, ne inde moriamini.* Fructus Arboris horti eſt Bonum & Verum revelatum iis ab Antiquiſſima Eccleſia; Fructus Arboris, quæ in medio horti, de quo non comederent, eſt Bonum & Verum fidei, quod non diſcerent ex ſemet; non tangere illum, eſt quod nec cogitarent de bono & vero fidei ex ſemet, ſeu ex ſenſuali & ſcientifico; quod inde morerentur, eſt quod ſic periret fides, ſeu omnis ſapientia & intelligentia.

199. Quod fructus Arboris, ex quo non comederent, ſignificet bonum & verum fidei iis revelatum ab Antiquiſſima Eccleſia, ſeu quod cognitiones fidei, conſtare poteſt ex eo, quod fructus arboris horti dicatur, ex quo comederent, non ut prius, ubi de Cœleſti homine, ſeu Antiquiſſima Eccleſia, actum, Cap: II: verſ: 16, ex Arbore horti; Arbor horti, ut ibi dictum, ſignificat perceptionem, quæ eſt boni & veri, quod bonum & verum, quia inde, hic vocatur fructus; ſicut etiam fructus multoties ſignificatur in Verbo.

200. Quod Arbor ſcientiæ hic dicatur in medio horti, prius autem Cap: II: verſ: 9, Arbor vitarum dicitur in medio horti, non ita arbor ſcientiæ, eſt cauſa, quod medium horti ſignificet intimum; & quod Cœleſtis hominis ſeu antiquiſſimæ Eccleſiæ intimum fuerit Arbor vitarum, quæ eſt Amor & inde fides; hujus autem hominis, qui vocari poteſt homo cœleſtis ſpiritualis, ſeu hujus poſteritatis, medium horti ſeu intimum, erat fides. Amplius deſcribi nequit, quia ignotiſſimum hodie eſt, quales fuerunt illi, qui antiquiſſimo illo tempore vixerunt; alia prorſus indoles iis fuit, quam uſquam apud aliquem hodie datur: quæ indoles, ut ſolum idea ejus capiatur, fuit talis, ut ex Bono noſſent Verum, ſeu ex Amore quid Fidei; at cum Generatio illa expiravit, ſucceſſit alia, quæ prorſus diverſa indole erat ab iis, quæ nempe non ex bono verum, ſeu ex amore quæ fidei eſſent, noſſet, ſed quæ ex vero ſciret bonum, ſeu ex illis quæ ſunt cognitionum fidei ſciret quæ ſunt amoris, & apud pleroſque vix aliud quam quod ſcirent: talis mutatio facta eſt poſt diluvium, ne periret mundus.

201. Cum itaque talis indoles, qualis fuit antiquiſſimorum ante diluvium, non hodie exiſtit & invenitur, non facile ad captum exponi poteſt, quid Verba in genuino ſenſu involvunt; notiſſima ſunt in Cœlo, nam Angeli & Spiritus Angelici, qui dicuntur cœleſtes, tali indole ſunt, quali fuerunt antiquiſſimi regenerati ante diluvium; at Angeli & ſpiritus Angelici, qui dicuntur ſpirituales, tali indole ſunt, quali poſt diluvium, qui regenerati; illi & hi cum varietate, quæ indefinita.

202.

202. Antiquiſſima Eccleſia, quæ cœleſtis homo, talis erat, ut non ſolum non comederet, de arbore ſcientiæ, hoc eſt, diſceret ex ſenſualibus & ſcientificis, quid fidei, ſed ne quidem licebat eis tangere iſtam arborem, hoc eſt, cogitare ex ſenſualibus & ſcientificis aliquid quod eſſet fidei, ne a vita cœleſti in vitam ſpiritualem, & ſic porro, delaberentur. Talis quoque eſt vita Angelorum Cœleſtium; qui eorum intimius cœleſtes ſunt, ne quidem admittunt ut nominetur fides, aut quicquid aliquid a ſpirituali trahit, ſique nominatur ab aliis, pro fide percipiunt amorem cum differentia iis ſolum cognita, ita quicquid eſt fidei derivant ab amore & charitate; minus adhuc audire ſuſtinent aliquid rationale, & minime aliquid ſcientificum de fide, nam Perceptionem habent a Domino per Amorem quid bonum & verum; ex Perceptione norunt illico an ita ſit, vel non ita ſit; quare cum de fide dicitur quid, non aliud reſpondent, quam quod ita ſit, vel non ita ſit, quia a Domino percipiunt: hoc eſt quod ſignificant Verba Domini apud Matthæum, "Erit ſermo veſter, *etiam* "*etiam*, *non non*, quod ultra hæc eſt, ex malo eſt," V: 37. hoc nunc eſt, quod ne quidem tangere eis licuerit fructum arboris ſcientiæ, nam ſi tangerent, in malo eſſent, ſeu inde morerentur: Præterea, Angeli cœleſtes inter ſe loquuntur ſicut alii, de variis, ſed loquela cœleſti, formata & derivata ex Amore, quæ ineffabilior eſt, quam loquela Angelorum ſpiritualium.

203. Angeli ſpirituales autem loquuntur de fide, etiam confirmant illa, quæ ſunt fidei, per intellectualia, rationalia, & ſcientifica, ſed nuſquam ex his de fide concludunt, qui concludunt, ſunt in malo; nam etiam illi Perceptionem habent omnium quæ ſunt fidei, a Domino, ſed non talem Perceptionem, qualem Angeli cœleſtes: Perceptio angelorum ſpiritualium eſt quoddam conſcientiæ, quæ a Domino vivificata, & apparet ſicut Perceptio cœleſtis, ſed non eſt cæleſtis, modo perceptio ſpiritualis.

204. Verſ: 4, 5. *Et dixit ſerpens ad mulierem, non moriendo morimini. Quia novit Deus, quod in die, quo editis de eo, & aperiantur oculi veſtri, & ſitis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum.* Si ederent ex fructu arboris quod aperirentur oculi, ſignificat, ſi ex ſenſuali & ſcientifico, hoc eſt, a ſemet ſcrutarentur illa quæ ſunt fidei, quod manifeſte viderent res ſe non ita habere: quod eſſent ſicut Deus, ſcientes bonum & malum, ſignificat, ſi ita ex ſemet, quod forent ſicut Deus, ac ſemetipſos ducere poſſent.

205. Unuſquiſque verſiculus continet peculiarem ſtatum, aut ſtatus mutationem in Eccleſia; Primi Verſus, quod perceperint adhuc illicitum eſſe, tametſi inclinabant: hi Verſus, quod inceperint dubitare, annon liceret eis, quia ſic viderent num vera eſſent, quæ audiverunt ab antiquis, & ſic aperirentur oculi: Tandem, quia apud eos regnare cæpit Amor ſui, quod potuiſſent ſemet ducere, & ſic ſimiles eſſe Domino: Amor ſui id ſecum habet, quod non duci velint a Domino, ſed a ſemet, & cum a ſemet, quod conſulant de credendis ſenſualia & ſcientifica.

206. Quinam magis ſe apertos habere oculos, & ſicut Deus ſcire quid bonum & malum credunt, quam qui ſe amant & ſimul ex mundo docti ſunt, ſed quis eſt cæcior; ſi conſulantur modo, videbitur quod nec ſciant, minus credant,

quod

quod detur Spiritus: quid vita ſpiritualis & cœleſtis, prorſus ignorant: Vitam æternam nec agnoſcunt, nam ſe credunt ſicut bruta morituros: Dominum prorſus non agnoſcunt, ſed modo ſemet & naturam colunt: qui caute loqui volunt, dicunt Ens quoddam ſupremum, quod neſciunt quid ſit, regere omnia. Hæc ſunt eorum principia, quæ confirmant multis per ſenſualia & ſcientifica apud ſemet; ſi auſi eſſent, etiam facerent coram univerſo. Tales, quamvis ſe pro diis ſeu ſapientiſſimis agnoſci volunt, ſi quærerentur, num ſcirent, quid non proprium, reſpondebunt quod ſit non ens, ſi privarentur proprio quod nihil eſſent: ſi quærerentur, quid a Domino vivere, cogitant eſſe phantaſias: ſi interrogarentur, num ſciant quid Conſcientia, dicerent eſſe nihil aliud quam quoddam imaginarium, quod inſervire poſſit pro vulgo ut teneatur in vinculo: ſi interrogarentur, num ſcirent, quid perceptio, nihil aliud facerent, quam irriderent, & vocarent enthuſiaſticum quid. Talis eſt ſapientia eorum; tales apertos oculos habent, & tales dii ſunt: ex talibus principiis, quæ clariora die putant eſſe, inchoant, & procedunt, & ſic ratiocinantur de myſteriis fidei; quid inde niſi abyſſus caliginum. Hi ſunt ſerpentes præ aliis, qui ſeducunt mundum. Sed talis nondum fuit hæc poſteritas Eccleſiæ antiquiſſimæ; at de qua agitur a verſ: 14 ad 19 hujus capitis, talis facta eſt.

207. Verſ: 6. *Et vidit mulier, quod bona arbor ad eſum, & quod appetibilis ea oculis, & deſiderabilis arbor ad dandum intelligentiam, & ſumſit ex fructu ejus, & edit & dedit etiam viro ſuo ſecum, & comedit.* Bona ad eſum, ſignificat Cupiditatem; appetibilis oculis Phantaſiam; deſiderabilis ad dandum intelligentiam, Voluptatem: hæc ſunt Proprii ſeu mulieris: per Virum, quod comederit, ſignificatur Rationale quod conſenſerit; n: 265.

208. Hæc fuit Quarta Poſteritas Eccleſiæ antiquiſſimæ, quæ ſe paſſa eſt ſeduci ab Amore proprio; & non credere voluit revelatis, niſi illa confirmata videret ex ſenſualibus & ſcientificis.

209. Voces quæ hic adhibentur, ſicut quod Arbor bona ad eſum, appetibilis oculis, deſiderabilis ad dandum intelligentiam, ſunt tales quæ applicabiles fuerunt indoli eorum, qui antiquiſſimo illo tempore vixerunt, ſpectant in ſpecie voluntatem, nam a voluntate ſcaturiebant mala eorum; ubi in Verbo agitur de poſtdiluvianis, tales voces adhibentur, quæ non ſpectant ita voluntatem, ſed intellectum, nam antiquiſſimi a Bono habebant verum, ſed hi ſeu poſtdiluviani a Vero bonum.

210. Ut ſciatur quid Proprium: Eſt Proprium hominis omne malum & falſum, ſcaturiens ex Amore ſui & mundi; & quod non Domino, aut Verbo, ſed ſibimet credant, putentque, quod non capiunt ſenſualiter & ſcientifice, hoc nihil eſſe; inde fiunt non niſi quam malum & falſum; & ſic perverſe ſpectant omnia; quæ mala ſunt vident ut bona, quæ bona ut mala; quæ falſa ut vera, & quæ vera ut falſa: quæ ſunt, putant eſſe nihil, & quæ nihil ſunt, putant eſſe omne: Odium vocant amorem, Caliginem lucem, Mortem vitam, ac viciſſim: in Verbo vocantur tales claudi & cæci. Hoc nunc eſt Proprium hominis, quod in ſe eſt infernale & damnatum.

211. Verſ: 7. *Et aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt quod nudi ii.* Quod aperti ſint oculi ſignificat, quod ex dictamine interiori cognoverint & agnoverint, quod nudi, hoc eſt, quod non amplius in innocentia, ut prius, ſed in malo.

212. Quod per apertum fieri oculis, ſignificatur dictamen ab interiori, conſtat a ſimilibus in Verbo, ſicut ab iis quæ Bileamus de ſe loquitur, qui quia viſiones habuit, vocat ſe virum aperti oculis, Num: XXIV: 3, 4. Et ex Jonathane, cum libavit de favo mellis, & ei ab interiori dictatum, quod malum, dicitur quod *viderint oculi* ejus, ita ut *illuminati*, ut videret quod non novit, 1 Sam: XIV: 27, 29. Præterea oculi multoties in Verbo accipiuntur pro Intellectu, ita pro interiori dictamine etiam inde, ut apud Davidem, "Illumina *oculos* meos, ne forte dormiam mortem," Pſalm: XIII: 4, pro, Intellectum. Apud Ezechielem, "Quibus *oculi* ad videndum, & non vident," XII: 2. pro, qui non intelligere volunt. Apud Eſaiam, "*Oculos* ejus obline, ne videat oculis ſuis;" VI: 10, pro, ut occæcentur, ne intelligant. Per Moſen ad populum, "Non dedit Jehovah vobis cor ad ſciendum, & *oculos* ad videndum, & aures ad audiendum," Deut: XXIX: 3, Cor pro voluntate, oculi pro intellectu. De Domino apud Eſaiam, "quod aperturus *oculos* cæcos," XLII: 7. Et apud Eundem, "E caligine, & e tenebris *oculi* cæcorum videbunt," XXIX: 18.

213. Quod per cognoſcere quod nudi, ſignificatur, quod cognoverint & agnoverint ſe non, ut prius, in innocentia eſſe, ſed in malo, conſtat a Verſu ultimo Capitis præcedentis, ubi dicitur, & fuerunt ambo nudi homo & uxor ejus, & non erubuerunt; ubi, non erubeſcere quod nudi, ſignificare innocentes eſſe, ibi videatur: Contrarium ſignificatur, cum erubeſcunt, ut hic quod conſuerint folia ficus, ſeque occultaverint: Cum enim in nulla innocentia, tunc nuditas eſt probro & ſcandalo, quia ſibi conſcii quod male cogitent; inde Nuditas pro probro & malo accipitur in Verbo, & prædicatur de Eccleſia perverſa, ut apud Ezechielem, "quod eſſet nuda, & denudata, & conculcata in ſanguine ſuo," XVI: 7, 22. Apud Eundem, "Relinquant eam *nudam* & *denudatam*, & reveletur *nuditas*," XXIII: 29. Apud Johannem, "Conſulo tibi, ut emas veſtimenta alba, ut induaris, & non manifeſtetur pudor *nuditatis* tuæ," Apoc: III: 18. Deque ultimo die; "Beatus, qui vigilat, & ſervat veſtimenta ſua, ut non *nudus* ambulet, videatque pudorem ejus" Apoc: XVI: 15. In Deutr: "Si vir invenerit in uxore nuditatem quamcunque, ſcribat ei libellum repudii," XXIV: 1. Quare "etiam Aharoni & filiis ejus mandatum, ut femoralia lini haberent, cum accederent ad altare, & ad miniſtrandum, ad tegendum carnem *nuditatis*, ne portent iniquitatem, & moriantur, Ex: XXVIII: 42. 43.

214. Nudi dicuntur, quia relicti Proprio; qui enim relinquuntur proprio ſeu ſibi, nihil intelligentiæ & ſapientiæ, ſeu fidei amplius habent, ita nudati vero & bono, quare in malo.

215. Quod Proprium non ſit niſi malum & falſum, exinde etiam mihi conſtare potuit, quod quicquid uſquam ſpiritus loquuti ſint ex ſe, fuerit malum & falſum,

falſum, uſque adeo, ut, cum modo noſſe daretur quod ex ſe, ſcirem illico, quod falſum; tametſi in tam forti perſuaſione eſſent, cum loquerentur, quod verum, ut nihil dubitarent: ſimilis iis eſt homo, qui talis. Similiter, quicunque ratiocinari cæperunt, de illis quæ ſunt vitæ ſpiritualis & cœleſtis aut quæ ſunt fidei, percipere datum, quod dubitarent, imo negarent, nam ratiocinari de fide eſt dubitare & negare: & quia ex ſemet ſeu ex proprio, ſunt meræ falſitates, in quas cadunt, proinde in abyſſum caliginum, hoc eſt, falſitatum; in qua abyſſo cum ſunt, tunc minimus ſcrupulus prævalet mille veritatibus, qui eſt ſicut pulviſculus qui adpoſitus pupillæ oculi facit, ut univerſum, & quicquid in univerſo eſt, non videat: De iis ita Dominus apud Eſaiam, "Væ ſapientibus in oculis ſuis, & coram faciebus ſuis intelligentibus," v: 21. Et apud Eundem, "Sapientia tua, & ſcientia tua, ea avertit te, & "dixiſti in corde tuo, ego, & nullus præter me amplius, & veniet ſuper "te malum, cujus ignoras exortum, & cadet ſuper te ærumna, quam non "poteris expiare, & veniet ſuper te repente vaſtatio, quam non ſcis," XLVII: 10, 11. Apud Jeremiam, "Stupidus factus omnis homo a ſcientia, pudefactus "omnis conflator a ſculptili, nam mendacium fuſile ejus, nec ſpiritus in eis," LI: 17. ſculptile pro falſo, quod proprii, fuſile pro malo, quod proprii.

216. *Et conſuerunt folium ficus, & fecerunt ſibi cingula.* Conſuere folium eſt excuſare; Ficus eſt Bonum naturale; facere ſibi cingula, eſt pudore affici: ita loquuti ſunt antiquiſſimi, & deſcripſerunt hanc poſteritatem Eccleſiæ, quod nempe Bonum naturale eis fuerit, loco innocentiæ, quæ prius, per quod occultatum erat malum eorum; & quia in bono naturali, quod pudore affecti ſint.

217. Quod Vitis in Verbo ſignificet Bonum ſpirituale, & Ficus Bonum naturale, hodie prorſus ignoratur, quia ſenſus internus Verbi periit; cum tamen, ubicunque occurrunt, tale ſignificant, aut involvunt: etiam quæ Dominus loquutus de vinea, in parabolis, tum de ficu: quodque apud Matthæum, "Jeſus videns *Ficum* unam in via, venit ad eam, ſed nihil invenit "in ea, niſi folia tantum, ideo dixit ei, ne poſthac fructus ex te naſcatur in "æternum, unde arefacta eſt ex tempore ficus," XXI: 19. per quæ intellectum, quod nihil bonum, ne quidem naturale inventum in terra. Per Vitem & ficum, ſimile intelligitur apud Jeremiam, "Pudefacti ſunt, quod "abominationem fecerint, etiam pudendo non pudore affecti ſunt, & eru- "beſcere neſcierunt; ideo colligendo, colligam eos, dictum Jehovæ, non "uvæ in vite, non *Ficus* in ficu, & folium decidit," VIII: 12, 13. quo ſignificatur, quod omne bonum tam ſpirituale quam naturale, perierit, quia tales, ut ne quidem pudore affici potuerint; ſicut hodie qui in malo, tantum non pudefiunt, ut ſe jactent de malo. Apud Hoſeam, "Sicut uvas in deſerto in- "veni Iſraelem: ſicut primitivum in *ficu* in initio vidi patres veſtros," IX: 10. Et apud Joelem, "Ne timeatis beſtiæ agrorum meorum, quia arbor "feret fructum ſuum, *ficus* & vitis dabit vim ſum," II: 22. Vitis pro Bono ſpirituali, Ficus pro Bono naturali.

218. Verſ: 8. *Et audiverunt vocem Jehovæ Dei, ſibi euntem in horto, ad auram diei, & occultavit ſe homo, & uxor ejus, a facie Jehovæ Dei, in medio arboris horti.* Per vocem Jehovæ Dei ſibi euntem in horto, intelligitur dictamen, quod metuebant; dictamen eſt reſiduum perceptionis, quod habebant; per auram ſeu ſpiritum diei, ſignificatur tempus cum adhuc Eccleſia reſiduum haberet de perceptione: per occultare ſe a facie Jehovæ Dei, eſt timere dictamen, ſicut ſolent, qui conſcii mali: per medium arboris horti, in quo ſe occultabant, ſignificatur Bonum naturale, medium dicitur, quod intimum, arbor eſt perceptio ut dictum prius, ſed quia parum perceptionis, in ſingulari dicitur arbor, ſicut una reſidua.

219. Quod per vocem Jehovæ Dei ſibi euntem in horto intelligatur dictamen, quod metuebant, conſtare poteſt a ſignificatione Vocis in Verbo, ubi Vox Jehovæ accipitur pro Ipſo Verbo, pro Doctrina fidei, pro Conſcientia, ſeu interna animadvertentia, etiam pro omni redarguitione inde, quare etiam fulmina vocantur Voces Jehovæ, ut apud Johannem, " Angelus clamavit tunc " voce magna, ſicut leo rugit, cumque clamavit, loquuta ſunt ſeptem tonitrua " *voces* ſuas," Apoc: x: 3, 4. pro quod tunc vox externa & interna: apud Eundem, " In diebus *vocis* ſeptimi Angeli, conſumandum eſt myſterium Dei," Apoc: x: 7, ſimiliter. Apud Davidem, " Cantate Deo, pſallite Domino, " equitanti ſuper cœlis cœlorum antiquitatis, ecce dabit in *voce* ſua, vocem " roboris," Pſalm: LXVIII: 33, 34. Cœli cœlorum Antiquitatis pro ſapientia Antiquiſſimæ Eccleſiæ; vox pro Revelatione, tum pro dictamine interno: apud Eundem, " *Vox* Jehovæ ſuper aquis; *Vox* Jehovæ in potentia; *Vox* Je-" hovæ in gloria; *Vox* Jehovæ confringens cedros; *Vox* Jehovæ ſuccidens " flammas ignis; *Vox* Jehovæ trepidare facit deſertum; *Vox* Jehovæ parturire " facit cervas; & denudat ſylvas," Pſalm: XXIX: 3, 4, 5, 7, 8, 9. Et apud Eſaiam, " Audiri faciet Jehovah excellentiam *vocis* ſuæ, nam a voce Jehovæ " conſternabitur Aſchur," XXX: 30, 31.

220. Per vocem ſibi euntem, intelligitur, quod parum perceptionis reſiduum eſſet, quaſi ſola ſibi, & quaſi non audita, quod a ſequente verſiculo etiam conſtat, ubi dicitur, quod clamaverit Jehovah ad hominem; ſicut apud Eſaiam, " *Vox clamantis* in deſerto, vox dixit, clama," XL: 3, 6. Deſertum pro Eccleſia, ubi nulla fides, vox clamantis pro annuntiatione adventus Domini, in genere pro omni adventus Ipſius annuntiatione, ut apud regeneratos, quibus eſt dictamen.

221. Quod per auram ſeu ſpiritum diei ſignificetur tempus, cum adhuc Eccleſia reſiduum haberet de perceptione, conſtare poteſt a ſignificatione Diei & Noctis: Antiquiſſimi Status Eccleſiæ comparabant temporibus diei & noctis; temporibus diei cum adhuc eſſet in luce, quare hic ſpiritui ſeu auræ diei, cum aliquid reſiduum perceptionis haberent, ex quo noverunt quod lapſi: Dominus etiam ſtatum fidei appellat Diem, & ſtatum nullius fidei Noctem, ut apud Johannem, " Me oportet operari opera Ipſius, Qui miſit Me, quo-" uſque *Dies* eſt, venit *Nox*, quando Nemo poterit operari," IX: 14. Status Regenerationis hominis in Capite Primo ideo dicti ſunt Dies.

222. Quod occultare ſe a facie Jehovæ, ſit timere dictamen, ſicut ſolent conſcii mali, conſtat a reſponſo eorum, verſ: 10, ubi hæc, vocem tuam audivi in horto, & timui, quia nudus. Facies Jehovæ ſeu Domini eſt Miſericordia, Pax, & omne Bonum, ut conſtat clare a Benedictione, "Lucere "faciat Jehovah *Facies* ſuas ad te, & *Miſereatur* tui: Elevet Jehovah *Facies* ſuas "ad te, & ponat tibi *Pacem*," Num: VI: 25, 26. Et apud Davidem, "Deus *miſereatur* noſtri, & benedicat nobis, lucere faciat *Facies* ſuas nobis," Pſalm: LXVII: 2, & alibi, "Multi dicentes, quis videre nos faciet Bonum; "attolle ſuper nos lucem *Facierum* tuarum, Jehovah," Pſalm: IV: 7, 8. Miſericordia Domini appellatur ideo Angelus facierum, apud Eſaiam, "*Miſeri-* "*cordias* Jehovæ memorare faciam, retribuit eis ſecundum *miſericordias* ſuas, "& ſecundum multitudinem *miſericordiarum* ſuarum, & factus iis in Salva- "torem; in omni anguſtia eorum, non anguſtia, & Angelus *facierum* Ipſius "ſalvavit eos, propter *Amorem* Ipſius, & propter Clementiam Ipſius Ipſe re- "demit eos," LXIII: 7, 8, 9.

223. Cum Domini Facies ſit Miſericordia, Pax & omne Bonum, conſtat, quod nuſquam aliquem, quam ex Miſericordia aſpiciat; & quod nuſquam ab aliquo faciem avertat; ſed quod homo ſit, cum in malo, qui ſuam faciem avertit; ut a Domino per Eſaiam dictum, "Iniquitates veſtræ ſunt, quæ ſepa- "rant inter vos, & inter Deum veſtrum; & peccata veſtra abſcondere "faciunt facies a vobis," LIX: 2. Ita quoque hic, quod occultaverint ſe a facie Jehovæ, quia nudi.

224. Miſericordia, Pax, omne Bonum, ſeu facies Jehovæ, ſunt quæ cauſantur dictamen apud eos, qui perceptionem habent; etiam apud eos qui conſcientiam, ſed cum differentia, & operantur ſemper miſericorditer; ſed recipiuntur ſecundum ſtatum, in quo homo. Status hujus hominis, ſeu hujus poſteritatis Antiquiſſimæ Eccleſiæ, erat Bonum Naturale; & qui in bono naturali, tales ſunt, ut ſe occultent ex timore, & ex pudore quod nudi: qui vero in nullo bono naturali ſunt, ne quidem ſe occultant, quia non pudefiunt, de quibus apud Jeremiam, Cap: VIII: 12, 13. videatur prius num: 217.

225. Quod medium arboris horti ſignificet Bonum naturale, in quo aliqua perceptio, quæ vocatur arbor, conſtare poteſt etiam ab horto, in quo fuit cœleſtis homo, nam omne id vocatur hortus, quod bonum & verum, cum differentia ſecundum hominem, qui illum colit: Bonum non eſt bonum, niſi intimum ejus ſit cœleſte, ex quo, ſeu per quod a Domino, perceptio; intimum hoc vocatur medium, ut etiam in Verbo.

226. Verſ: 9, 10. *Et clamavit Jehovah Deus ad hominem, & dixit ei, ubi tu. Et dixit, vocem tuam audivi in horto, & timui, quia nudus ego, & occultavi me.* Quid clamare, quid vox in horto, & cur timuerint quod nudi, ſeque occultaverint, prius explicatum eſt: Commune in Verbo eſt, quod primum interrogetur homo, ubi & quid, tametſi Dominus omnia prius novit; ſed cauſa interrogationis eſt, ut homo agnoſcat & confiteatur.

227. Sed ſciendum, unde perceptio, dictamen, & conſcientia; hoc quia prorſus ignotum hodie eſt, aliquid de eo referre licet: Veriſſimum eſt, quod homo

homo per ſpiritus & angelos a Domino regatur ; cum ſpiritus mali incipiunt dominari, tunc angeli in labore ſunt avertendi mala & falſa, quare exiſtit pugna ; hæc pugna eſt, quæ per perceptionem, dictamen, & conſcientiam, ſentitur : ex iis, tum a tentationibus, ſcire potuiſſet homo manifeſte, quod ſpiritus & angeli apud eum ſunt, niſi in corporeis totus tantus eſſet, ut nihil credat quod dicitur de ſpiritibus & angelis ; quare tales, ſi centies ſentirent pugnas, uſque dicerent eſſe phantaſias, & quoddam animi ægrotum, quod cauſatur : pugnas & inde ſenſum vivum millies millies, & fere continue nunc intra aliquot annos ſentiri mihi datum eſt, tum quinam eſſent, quales, ubinam, quando alluerunt, cum diſceſſerunt, & cum iis loquutus.

228. Quam exquiſita perceptio angelorum ſit, num aliquid intrat quod contra verum fidei & bonum amoris, non deſcribi poteſt, percipiunt millies plus quale id quod intrat, & quando intrat, quam ipſe homo, qui vix aliquid novit de eo : minimum cogitationis apud hominem eſt perceptibilius angelis, quam ejus maximum, quod quidem incredibile, ſed eſt veriſſimum.

229. Verſ : 11, 12, 13. *Et dixit, quis indicavit tibi, quod nudus tu, annon de arbore, de qua præcepi tibi ut non edas de ea, ediſti. Et dixit homo, mulier, quam dediſti mecum, ea dedit mihi de arbore, & comedi. Et dixit Jehovah Deus mulieri, quare hoc feciſti, & dixit mulier, ſerpens decepit me, & edi.* Quid hæc ſignificant, ex prius explicatis conſtat ; nempe quod Rationale hominis ſe paſſum ſit decipi a proprio quod ei charum, ſeu ab amore ſui, ut nihil crederet, niſi videret & ſentiret. Quiſque videre poteſt, quod Jehovah Deus non alloquutus ſit ſerpentem, & quod ſerpens non fuerit, nec quod alloquutus ſenſuale, quod per ſerpentem ſignificatur, ſed quod alia involvant, nempe quod perceperint ſe deceptos eſſe per ſenſus, & quia ſe amaverunt, quod cupiverint cognoſcere num verum eſſet, quod audiverunt de Domino, & de fide in Ipſum, & ſic primum credere voluerint.

230. Hujus poſteritatis malum dominans erat Amor ſui, non ita ſimul amor mundi, ſicut hodie ; nam intra domos & familias vixerunt, nec opes affectabant.

231. Malum Eccleſiæ Antiquiſſimæ non ſolum quæ ante diluvium, ſed etiam malum Eccleſiæ Antiquæ quæ poſt diluvium, tum malum Eccleſiæ Judaicæ, ut & dein malum Eccleſiæ novæ ſeu gentium poſt adventum Domini, ſicut etiam malum Eccleſiæ hodiernæ, eſt, ut non credant Domino aut Verbo, ſed ſibimet & ſenſibus ſuis ; inde nulla fides ; & cum nulla fides, nullus amor proximi, ſic omne falſum & malum.

232. Hodie multo pejus quam olim, cum confirmare incredulitatem ſenſuum poſſint per ſcientifica antiquis ignota, inde tanta caligo ut deſcribi nuſquam poſſit, ſi ſciret homo quanta caligo inde, obſtupeſceret.

233. Per ſcientifica explorare myſteria fidei, tam impoſſibile eſt, ac Camelo intrare per foramen acus ; & tam impoſſibile, ut eſt Coſtæ regere fibrillas puriſſimas pectoris & cordis ; tam craſſum & multo adhuc craſſius, eſt ſenſuale & ſcientificum reſpective ad ſpirituale & cœleſte : qui ſolum recondita naturæ,

naturæ, quæ innumera ſunt, inveſtigare vult, vix unum detegit, & cum inveſtigat, in falſitates cadit, ut notum eſt; quid ſi velit recondita vitæ ſpiritualis & cœleſtis, ubi myriades ſunt pro uno, quod in natura inviſibili. Illuſtrationis cauſa, ſit modo hoc exemplum: Homo non poteſt a ſe aliter ac malum facere, & ſe avertere a Domino; at homo non facit, ſed mali ſpiritus, qui apud eum; nec mali ſpiritus, ſed ipſum malum, quod ſibi appropriarunt; & uſque homo malum facit, & ſe avertit, eſtque in culpa; & tamen non vivit niſi a Domino. Viciſſim, homo a ſe nuſquam poteſt bonum agere, & ſe convertere ad Dominum, ſed ab angelis; nec angeli poſſunt, ſed ſolus Dominus; & uſque poteſt homo ſicut a ſe bonum facere, & ſe convertere ad Dominum; quod ita ſe res habeat, nuſquam poteſt ſenſibus, ſcientia & philoſophia capi; ſi ea conſuluntur, prorſus negantur, cum tamen in ſe vera ſunt, in omnibus cæteris ſimiliter. Ex quibus conſtat, quod qui ſenſualia & ſcientifica conſulunt de credendis, non ſolum in dubitationem, ſed etiam in negationem, hoc eſt in caliginem ſe præcipitent, & cum in caliginem, etiam in omnes cupiditates; nam cum credunt falſum, etiam faciunt falſum; & cum credunt non dari ſpirituale & cœleſte, credunt dari ſolum corporeum & mundanum, ita amant quicquid eſt ſui & mundi, inde ex falſo cupiditates, & mala.

* * * *

14. Et dixit Jehovah Deus ad ſerpentem, quia feciſti hoc, maledictus tu præ omni beſtia, & præ omni fera agri, ſuper ventre tuo ambulabis, & pulverem edes omnibus diebus vitæ tuæ.

15. Et inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem; & inter ſemen tuum, & inter ſemen ejus, Ille conculcabit tibi caput, & tu lædes illi calcaneum.

16. Et ad mulierem dixit, multiplicando multiplicabo dolorem tuum, & conceptum tuum, in dolore paries filios, & ad virum tuum obedientia tua, & hic dominabitur tibi.

17. Et ad hominem dixit, quia audiviſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de arbore, de qua præcepi tibi dicendo, non edes de illa, maledicta humus propter te, in magno dolore edes de ea, omnibus diebus vitæ tuæ.

18. Et ſpinam & carduum proferet tibi, & edes herbam agri.

19. In ſudore vultus tui, edes panem, uſque dum redis in humum, quia ex ea ſumtus es; quia pulvis tu, & ad pulverem redibis.

CONTENTA.

234. DEſcribitur ſtatus Eccleſiæ ſequens uſque ad diluvium; & quia Eccleſia ſe tunc prorſus perdidit, prædicitur, quod Dominus venturus in mundum, & ſalvaturus Genus Humanum.

235. Quia nihil amplius credere voluerunt, niſi quod ſenſibus caperent, Senſuale, quod eſt Serpens, ſibi maledixit, & infernale factum eſt, verſ: 14.

236. Ne itaque totus homo in infernum rueret, promiſit Dominus, quod in mundum veniret, verſ: 15.

237. Deſcribitur amplius Eccleſia per mulierem, quæ ita amavit ſe ſeu proprium, ut amplius nihil veri capere poſſet, tametſi eis rationale datum, quod dominaretur, verſ: 16.

238. Tum Rationale, quale fuerit, quod conſenſerit, & ſic quoque ſibi maledixerit, & infernale factum, ut non amplius ratio manſerit, ſed ratiocinatio, verſ: 17.

339. Deſcribitur maledictio & vaſtatio; ut & natura eorum ferina, verſ: 18.

240. Tum averſatio omnium, quæ fidei & amoris: & ſic quod ab homine facti non homines, verſ: 19.

SENSUS INTERNUS.

241 ANtiquiſſimi, qui cœleſtes, tales erant, ut quicquid uſquam vidiſſent in mundo & in terra, quidem videbant, ſed cogitabant de cœleſtibus & Divinis quæ ſignificarent vel repræſentarent, viſus eorum erat ſolum inſtrumentale quid, inde loquela eorum talis: quiſque ex propria experientia ſcire poteſt, quale fuerit; qui enim ad ſenſum vocum loquentis attente advertit, is voces quidem audit, ſed quaſi non audit, ſenſum modo capit; & qui altius cogitat, ne quidem ad ſenſum vocum attendit, ſed ad univerſaliora ſenſus. Hæ autem poſteritates, de quibus nunc agitur, non erant ſicut Patres eorum, cum videbant mundana & terreſtria, quia ea amabant, inhærebant mente, & de iis cogitabant, & ex iis de cœleſtibus & Divinis; ſic iis ſenſuale cæpit eſſe principale, non ut patribus eorum, inſtrumentale; cumque mundanum & terreſtre ſit principale, tunc ex iis ratiocinantur de cœleſtibus, & ſe occæcant: quiſque quoque ex propria experientia ſcire poteſt, quale ſit, qui enim

enim non ad ſenſum vocum loquentis attendit, ſed ad voces, is parum de ſenſu capit, minus de univerſali ſenſus, & judicat quandoque ex una voce, imo ex uno gramaticali, de omnibus iis, quæ quis loquitur.

242. Verſ: 14. *Et dixit Jehovah Deus ad ſerpentem, quia feciſti hoc, maledictus tu præ omnia beſtia, & præ omni fera agri, ſuper ventre tuo ambulabis, & pulverem edes omnibus diebus vitæ tuæ.* Quod Jehovah Deus dixerit ad ſerpentem, ſignificat, quod perceperint ſenſuale ſuum in cauſa eſſe: quod ſerpens maledictus præ omni beſtia & fera agri, ſignificat quod ſenſuale averterit ſe a cœleſti, & converterit ſe ad corporeum, ac ita ſibi maledixerit: beſtia & fera agri ſignificat hic, ut prius, affectiones: quod ſerpens ſuper ventre ambularet, eſt quod ſenſuale non amplius ſpectare poſſet ſurſum ad cœleſtia, ſed deorſum ad corporea & terreſtria: quod pulverem commederet omnibus diebus vitæ, eſt quod ſenſuale ita factum, ut ex alio quam ex corporeo & terreſtri vivere non poſſet, ita infernale.

243. In antiquiſſimo cœleſti homine Senſualia corporis talia erant, ut obſequerentur & ſervirent interno eorum homini, & præterea illa non curabant; ſed poſtquam amare ſe cæperunt, præferebant ſenſualia interno homini, quare ſeparabantur, & facta corporea, & ſic damnata.

244. Quod Jehovah Deus dixerit ad ſerpentem, ſignificet, quod perceperint ſenſuale ſuum in cauſa eſſe, prius oſtenſum eſt; quare iis non immorandum.

245. Quod dixerit ad ſerpentem, maledictus tu præ omni beſtia & præ omni fera agri, ſignificet, quod ſenſuale averterit ſe a cœleſti, & converterit ſe ad corporeum, ac ita ſemet damnaverit, ſeu ſibi maledixerit, conſtare ſatis poteſt a ſenſu interno Verbi; Jehovah Deus ſeu Dominus nunquam alicui maledicit, nunquam alicui iraſcitur, nunquam aliquem in tentationem inducit, nullum punit, minus maledicit; ſed quod diabolica turba talia faciat; a fonte Miſericordiæ, Pacis & Bonitatis, talia nuſquam venire poſſunt: At quod hic, & paſſim in Verbo dicatur, quod Jehovah Deus non ſolum avertat facies, iraſcatur, puniat, tentet, ſed etiam occidat, imo maledicat, eſt cauſa, ut crederent, quod Dominus omnia & ſingula in univerſo regat & diſponat, etiam ipſum malum, pœnas, tentationes; & poſtquam communiſſimam hanc ideam acceperint, quod dein diſcerent, quomodo regit & diſponit, & quod malum pœnæ, & malum tentationis vertat in bonum: ordo docendi & diſcendi in Verbo eſt a communiſſimis; quare ſenſus literæ communiſſimis talibus abundat.

246. Quod Beſtia & Fera agri ſignificent affectiones, conſtare poteſt ab iis, quæ de beſtia & fera prius dicta ſunt, n: 45. 46. quibus addere licet, quod apud Davidem "Pluviam benevolentiarum agitare facis Deus; hæreditatem "tuam laborantem, Tu confirmas illam: *Fera* tua habitabunt in ea." ubi etiam Fera pro affectione boni, quia habitabit in hæreditate Dei. Quod hic beſtia & fera agri dicatur, ſicut etiam in Capite II: 19, 20. ſed in Capite I: 24: 25, beſtia & fera terræ, cauſa eſt, quia agitur de Eccleſia, ſeu homine regenerato; in capite primo autem de non Eccleſia, ſeu de homine regenerando; nam ager eſt vox, quæ applicatur Eccleſiæ, ſeu Regenerato.

K 247.

247. Quod ſerpens ſuper ventre ambularet, ſit, quod Senſuale non amplius poſſet ſpectare ſurſum ad cœleſtia, ut prius, ſed deorſum ad corporea & terreſtria, conſtat inde, quod antiquitus per Ventrem ſignificata ſint ea quæ proxima terræ; per Pectus quæ ſupra terram; & per Caput, quæ ſuprema; ita hic, quod Senſuale, quod in ſe eſt infimum hominis, quia ſe convertit ad terreſtre, quod ambularet ſuper ventre; hoc quoque in Eccleſia Judaica ſignificatum eſt per depreſſionem ventris uſque ad terram, & per conſperſionem pulveris ſuper caput; apud Davidem ita, "Quare facies tuas occultas, obliviſceris miſeriæ noſtræ, & oppreſſionis noſtræ, quia incurvata eſt ad *pulverem* anima noſtra, & adhæret *terræ Venter* noſter; ſurge auxilium nobis, "& redime nos propter Miſericordiam tuam," XLIV: 25, 26, 27. ubi quoque conſtat, cum avertit homo ſe a facie Jehovæ, quod adhæreſcat pulveri, & terræ, ventre. Apud Jonam etiam per Ventrem piſcis magni, in quem conjectus, ſignificantur infera terræ, ut conſtat a prophetia apud Eum, "E "*ventre* inferni clamavi, audiviſti vocem meam," Jon: II: 3. ubi infernum pro terra infera.

248. Quare cum ſpectaret homo cœleſtia, dicebatur quod erectus iret, & quod ſpectaret ſurſum, vel antrorſum, quod idem; at cum ſpectaret corporea & terreſtria, quod incurvatus eſſet ad terram, & ſpectaret deorſum vel retrorſum; ut in Levitico, "Ego Jehovah Deus veſter, Qui eduxi vos e terra Ægypti, ne eſſetis iis ſervi, & fregi vincula jugi veſtri, & ire feci vos *erecte*," XXVI: 13. Apud Micham, "Non extrahetis inde colla veſtra, & non ibitis "*erecte*," II: 3. Apud Jeremiam, "Peccatum peccavit Hieroſolyma, propterea vilipenderunt eam, quia viderunt nuditatem ejus, etiam ipſa ingemuit, & converſa eſt *retrorſum*. Ex alto miſit ignem in oſſa mea, & redire me fecit *retrorſum*, dedit me deſolatam," Thren: I: 8, 13. Apud Eſaiam, "Jehovah Redemptor tuus, convertens ſapientes *retrorſum*, & ſcientiam eorum infatuat," XLIV: 24, 25.

249. Quod per pulverem comedere omnibus diebus vitæ, ſignificatur quod Senſuale ita factum, ut ex alio quam ex corporeo & terreſtri vivere non poſſet, ita infernale, conſtat quoque ex ſignificatione pulveris in Verbo, ut apud Micham, "Paſce populum tuum juxta dies æternitatis, videbunt gentes & erubeſcent ab omni potentia ſua, lambent *pulverem* ſicut *ſerpens*, & ſicut *ſerpentes* terræ commovebuntur e clauſuris ſuis, VII: 14, 16, 17. dies æternitatis pro antiquiſſima Eccleſia, gentes pro iis qui fidunt proprio, de quibus prædicatur lambere pulverem ſicut ſerpens. Apud Davidem, "Coram Deo "incurvabunt ſe barbari, & hoſtes illius *pulverem* lambent," Pſalm: LXXII: 9. Barbari & hoſtes pro iis, qui ſolum terreſtria & mundana ſpectant. Apud Eſaiam, "*Serpentes pulvis* panis," LXV: 25. Quia pulvis ſignificabat eos, qui non ſpiritualas & cœleſtia, ſed corporea & terreſtria ſpectarent, a Domino mandatum diſcipulis, ut ſi urbs aut domus non digna eſſet, excuterent pulverem pedum ſuorum, Matth: X: 14. Quod pulvis ſignificet damnatum & infernale, videantur plura ad verſ: 19.

250.

250. Verſ: 15. *Et inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem: & inter ſemen tuum, & inter ſemen ejus; Ille conculcabit tibi caput; & tu lædes Illi calcaneum.* Neminem hodie latet, quod hæc ſit prima Prophetia de adventu Domini in mundum; ex ipſis verbis etiam clare conſtat: inde & ex Prophetis ſciunt etiam Judæi, quod venturus Meſſias. Sed nondum quiſquam novit, quid per ſerpentem, per mulierem, per ſemen ſerpentis, per ſemen mulieris, per caput ſerpentis, quod Ille conculcabit; & per calcaneum, quod ſerpens læſurus, in ſpecie intelligatur, quare hæc exponenda. Per Serpentem hic intelligitur in genere omne malum, in ſpecie amor ſui; per Mulierem intelligitur Eccleſia; per Semen ſerpentis omnis infidelitas; per Semen mulieris fides in Dominum; per Ille, Ipſe Dominus; per Caput ſerpentis dominium mali in genere, & amoris ſui in ſpecie; per proculcare, depreſſio ut ambulet ſuper ventre, & edat pulverem; per calcaneum, infimum naturale, ut corporeum, quod læſurus ſerpens.

251. Quod per ſerpentem intelligatur omne malum in genere, & amor ſui in ſpecie, eſt quia omne malum ex ſenſuali, tum ex ſcientifico, quæ primum per ſerpentem ſignificata ſunt, ortum eſt, quare nunc ipſum malum quodcunque, & in ſpecie amor ſui, ſeu odium contra proximum & Dominum, quod idem eſt cum amore ſui. Hoc malum ſeu odium, quia multiplex eſt, & plura ejus genera, & plures adhuc ſpecies, in Verbo diſtinguitur per ſerpentum genera, ut per angues, regulos, aſpides, hæmorrheos, preſteres ſeu ſerpentes ignitos, per ſerpentes volantes ut & repentes, per viperas, ita ſecundum differentias veneni, quod eſt odium: ut apud Eſaiam, "Ne "læteris Philiſtæa tota tu, quod fracta virga percutiens te, nam de radice "*ſerpentis* exibit *regulus*, & fructus ejus *preſter* volans," XIV: 29. radix ſerpentis eſt ſenſuale & ſcientificum, regulus eſt malum ex falſo inde, preſter volans eſt cupiditas quæ eſt amoris ſui. Et apud eundem prophetam de iiſdem aliter ita, "Ova *Reguli* excludent, & telas araneæ texent; edens de "ovis eorum moritur, & cum exprimitur, excluditur *Vipera*," LIX: 5. Serpens hic in Apocalypſi vocatur *draco* rufus & magnus, & *ſerpens antiquus*, tum diabolus & ſatanas, qui ſeducit orbem terrarum totum, XII: 3, 9. Cap: XX: 2. hic & alibi per diabolum nuſquam intelligitur aliquis diabolus ut princeps aliorum, ſed omnis turba malorum ſpirituum, ipſumque malum.

252. Quod per Mulierem intelligatur Eccefia, ex Conjugio cœleſti conſtare poteſt, de quo ſupra, n: 155. Conjugium cœleſte tale eſt, ut Cœlum, ita Eccleſia, uniatur Domino per Proprium, adeo ut ſit in proprio, nam abſque proprio non datur unio, in quod proprium cum Dominus ex Miſericordia inſinuat Innocentiam, Pacem, Bonum, tunc apparet uſque ut proprium ſed cœleſte & feliciſſimum, ut videas prius n: 164. Sed quale proprium cœleſte & angelicum, quod a Domino; & quale proprium infernale & diabolicum, quod a ſemet, nondum dici poteſt; talis eſt differentia, qualis inter Cœlum & infernum.

253. Ex Proprio cœleſti & angelico Eccleſia in Verbo vocatur Mulier, ut & Uxor, tum Sponſa, Virgo, Filia: quod dicatur Mulier; in Apocalypſi, "*Mulier* circumdata ſolem, & luna ſub pedibus ejus, & ſuper capite ejus "corona ſtellarum duodecim, & quod *draco* perſequutus *mulierem*, quæ pe-"pererat maſculum," XII: 1, 4, 5, 13. ubi per Mulierem intelligitur Eccleſia, per ſolem amor, per lunam fides, per ſtellas veritates fidei, ut prius, quæ mali ſpiritus odio habent, & omni opera perſequuntur. Quod Mulier, ut & Uxor, apud Eſaiam, "Quia Maritus tuus, Factor tuus, Jehovah Ze-"baoth nomen Ipſius, & Redemptor tuus, Sanctus Iſraelis, Deus totius terræ "vocatur: nam quaſi *Mulierem* relictam & afflictam ſpiritu vocavit te Jeho-"vah, & *Uxorem* adoleſcentiarum," LIV: 5, 6. ubi Maritus Factor in plurali quodam, quia proprium ſimul; Mulier relicta & uxor adoleſcentiarum in ſpecie pro antiqua & antiquiſſima Eccleſia. Similiter apud Micham, "Je-"hovah teſtificatus inter te, & *Uxorem* adoleſcentiarum tuarum," II: 14. Quod Uxor & Sponſa in Apocalypſi, "Vidi Urbem ſanctam Hieroſolymam "deſcendentem a Deo, e Cœlo, paratam ſicut *Sponſam* ornatam Marito ſuo: "veni, oſtendam tibi *Sponſam* Agni Uxorem," XXI: 2, 9. Quod *Virgo* & *Filia*, commune eſt apud Prophetas.

254. Quod per ſemen ſerpentis intelligatur omnis infidelitas, conſtat ex ſerpentis ſignificatione, quod ſit omne malum; ſemen eſt quod producit & producitur, ſeu quod gignit & gignitur; & quia hic agitur de Eccleſia, eſt infidelitas; apud Eſaiam vocatur Semen malorum, ſemen adulteri, ſemen mendacii, ubi de Eccleſia Judaica perverſa, "Væ genti peccatrici, populo "gravi iniquitate, *ſemini* malorum, filiis perditoribus, derelinquunt Jehovam, "provocarunt Sanctum Iſraelis, abalienarunt ſe *retrorſum*," I: 4. Tum, "Accedite huc filii præſtigiatricis, *ſemen* adulteri, nonne vos nati prævarica-"tionis, *ſemen* mendacii," LVII: 3, 4. Et, "Projectus es e ſepulchro tuo, "ſicut ſurculus abominabilis, nam terram tuam corrupiſti, populum tuum "occidiſti, non vocabitur in æternum *ſemen* malorum." XIV: 19, 20, ubi agitur de ſerpente ſeu dracone, qui ibi vocatur Lucifer.

255. Quod per Semen Mulieris intelligatur Fides in Dominum, conſtat ex ſignificatione Mulieris, quæ eſt Eccleſia; ejus ſemen non aliud eſt, quam fides, ex fide in Dominum eſt, & dicitur Eccleſia: apud Malachiam appellatur Fides Semen Dei, "Jehovah teſtificatus eſt inter te, & inter *uxorem* "adoleſcentiarum tuarum, & non unus fecit, & reſiduum, ſpiritus ei, & quid "unus quærens *ſemen* Dei; ſed obſervate in ſpiritu veſtro, ne contra *uxorem* "adoleſcentiarum tuarum perfide agat," II: 14, 15. ubi uxor adoleſcentiarum eſt Eccleſia antiqua & antiquiſſima, de cujus ſemine aut fide agitur. Apud Eſaiam, "Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam, effun-"dam ſpiritum ſuper *ſemen* tuum, & benedictionem meam ſuper *prognatos* a "te," XLIV: 3, ubi etiam de Eccleſia. In Apocalypſi, "Iratus draco con-"tra Mulierem, abivitque ut faceret bellum cum reliquis *ſeminis* illius, qui "tenebant mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti," XII: 17. Et apud

apud Davidem, "Pepigi fœdus Electo Meo, juravi Davidi ſervo meo, uſque "in æternum ſtabiliam *ſemen* tuum, & ponam in perpetuum *ſemen* Ipſius, & "Solium Ipſius, ſicut dies cœlorum; *Semen* Ipſius in æternum erit, & Solium Ipſius ſicut Sol coram Me," Pſalm: LXXXIX: 4, 5. 30, 37. ubi per Davidem intelligitur Dominus; per Solium, Ipſius Regnum; per Solem Amor; per Semen Fides.

256. Fides non ſolum dicitur ſemen mulieris, ſed etiam Ipſe Dominus, tam quia Solus dat fidem, & ſic eſt Fides, quam quia placuit Ipſi ut naſceretur, & quidem in tali Ecclesia, quæ prorſus lapſa fuit in proprium infernale & diabolicum, per amorem ſui & mundi; ut ex Divina ſua Potentia uniret Proprium Divinum Cœleſte, proprio humano, in Humana Ipſius Eſſentia, ut in Ipſo unum fierent; quod niſi univiſſet, periiſſet prorſus Mundus: quia Dominus ſic eſt Semen Mulieris, non dicitur illud, ſed Ille.

257. Quod per Caput ſerpentis intelligatur dominium mali in genere, & amoris ſui in ſpecie, conſtare poteſt ex natura ejus, quæ talis eſt, ut non ſolum dominium quærat, ſed etiam dominium ſuper omnia terræ; nec ſic acquieſcit, ſed ſuper omnia cœli; nec ſic quidem, ſed ſuper Dominum; & quidem nec tunc quieſceret; hoc latet in unaquavis ſcintilla Amoris ſui; ſi modo faveatur, & relaxaretur vinculum, percipies quod illico rueret, & creſceret uſque illuc: inde conſtat, quomodo ſerpens, ſeu malum Amoris ſui, dominari vult, & ſuper quem dominari non poteſt, illum odit; hoc eſt Caput ſerpentis, quod ſe extollit, & quod Dominus proculcat, & quidem uſque ad terram, ut ambulet ſuper ventre, & edat pulverem, ſicut dicitur in Verſu mox præcedente. Ita deſcribitur ſerpens, ſeu draco, qui vocatur Lucifer, apud Eſaiam, "Lucifer, tu dixiſti in corde tuo, cœlos aſcendam, ſuper "ſtellas Dei exaltabo thronum meum, & ſedebo in monte conventus, in la- "teribus ſeptentrionis, aſcendam ſuper excelſa nubis, par fiam Altiſſimo, ve- "runtamen ad infernum dejectus eris, ad latera foveæ," XIV: 13, 14, 15, Serpens ſeu draco etiam deſcribitur in Apocalypſi, "Draco magnus rufus "habens *Capita* ſeptem, & cornua decem, & ſuper *Capitibus* ejus diademata "multa, ſed conjectus eſt in terram," XII: 3, 9. ubi quantum extollit caput, deſcribitur. Apud Davidem, "Dictum Jehovæ Domino Meo, ſede ad dex- "tram meam, uſque dum poſuero inimicos tuos ſcabellum pedibus tuis: "ſceptrum roboris tui mittet Jehovah e Zione, judicabit gentes, implevit ca- "daveribus, contrivit *caput* ſuper terram multam; e flumine in via bibet, "propterea exaltabit *caput*," CX: 1, 2, 6, 7.

258. Quod per proculcare ſeu conterere intelligatur depreſſio, uſque ut ambulet ſuper ventre, & edat pulverem, conſtat nunc, & ex verſu præcedente; ſimiliter etiam apud Eſaiam "Jehovah dejecit habitatores alti, urbem exalta- "tam, humiliabit eam, humiliabit eam uſque ad *terram*, *proſternet* eam uſque ad pulverem, *calcabit* eam *pes*" XXVI: 5. 6. Tum, "Dejiciet in terram manu, pedibus conculcabuntur, corona faſtus" XXVIII: 2. 3.

259. Quod per Calcaneum intelligatur infimum naturale ſeu corporeum, non ſciri poteſt, niſi ſciatur, quomodo Antiquiſſimi conſiderarunt ea quæ ſunt

in

in homine; Cœleſtia & Spiritualia ejus referebant ad Caput & Faciem; quæ ex illis exiſtebant, ut Charitas & Miſericordia, ad Pectus; Naturalia autem ad Pedem; inferiora naturalia ad Plantam; infima naturalia & corporea ad Calcaneum; nec ſolum referebant ad ea, ſed etiam ita vocabant. Infima rationis ſeu ſcientifica quoque intellecta ſunt, quæ de Dane prophetavit Jacob, "Erit Dan ſerpens ſu- "per via, aſpis ſuper ſemita, mordens *calcaneos* equi, & cadit eques ejus retror- "ſum" Geneſ: XLIX: 17. & quæ apud Davidem, "Iniquitas *calcaneorum* "meorum circumdedit me," Pſalm: XLIX: 6. Similiter quod de Jacobo refer- "tur, cum exivit, quod manus ejus prehenderit *calcaneum* Eſavi, & inde vocatus "Jacob" Gen: XXV: 26, nomen Jacobi eſt ex Calcaneo, quia Eccleſia Judaica per Jacobum ſignificata, læderet calcaneum. Serpens modo lædere poteſt naturalia infima, non autem, niſi ſint ſpecies Viperæ, naturalia interiora in homine, minus adhuc ſpiritualia, & minime cœleſtia, illa Dominus conſervat, & homine neſciente recondit; quæ Dominus recondit, vocantur in Verbo reliquiæ. Quomodo autem ſerpens deſtruxerit infima iſta apud Antediluvianos, per ſenſuale & amorem ſui; & quomodo deſtruxerit apud Judæos per ſenſualia, traditiones & nugas, perque amorem ſui & mundi; & quomodo hodie deſtruit, & deſtruxit, per ſenſualia, ſcientifica & philoſophica, & ſimul per eoſdem amores, in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, dicendum eſt.

260. Ex his conſtat, quod revelatum Eccleſiæ iſtius temporis, quod Dominus venturus in mundum, qui ſalvaret eos.

261. Verſ. 16. *Et ad Mulierem dixit, multiplicando multiplicabo dolorem tuum, & conceptum tuum; in dolore paries filios, & ad virum tuum obedientia tua, & hic dominabitur tibi.* Per mulierem nunc ſignificatur Eccleſia, ex proprio, quod amavit: per multiplicando multiplicare dolorem, ſignificatur pugna, & ex pugna anxietas: per conceptum omnis cogitatio: per filios quos in dolore pareret, vera quæ ſic produceret; per virum hic ut prius, rationale, cui obediet, & quod dominabitur.

262. Quod per Mulierem ſignificetur Eccleſia, prius dictum, hic Eccleſia perverſa, ex proprio, quod prius per mulierem ſignificatum eſt, quia de poſteritate Eccleſiæ antiquiſſimæ, quæ perverſa facta, agitur.

263. Cum itaque ſenſuale ſe avertit, aut ſibi maledicit, ſequitur, quod pugnare fortiter incipiant mali ſpiritus, & laborare angeli qui apud hominem, quare pugna ita deſcribitur per multiplicando multiplicare dolorem, quoad conceptum & quoad partum filiorum, hoc eſt, quoad cogitationes & productiones veri.

264. Quod conceptus & partus filiorum, in Verbo, nec aliter accipiantur, quam in ſenſu ſpirituali, nempe conceptus pro cogitatione & figmento cordis, & filii pro veris, conſtare poteſt ex his, quæ apud Hoſeam, "Ephraim, "ſicut avis avolabit gloria eorum, a *partu*, & ab *utero*, & a *conceptione*, "etiamſi educaverint filios ſuos, & orbabo eos, ut non ſint *homo*, quin "etiam væ iis, quod receſſero ab iis" IX: 11. 12, ubi Ephraim ſignificat intelligentes, ſeu intelligentiam veri, & filii ipſa vera. Similiter alibi de E-

phraimo

phraimo ſeu intelligente, qui factus inſipiens, " Dolores parturientis venerunt " ei, is filius non ſapiens, quia tempore non ſtabit in *fractura matricis* filiorum " XIII : 13. Et apud Eſaiam, " Erubeſce Zidon, quia dixit mare, " munimentum maris dicendo, non *parturivi*, non *peperi*, nec *educavi* juvenes, " & adoleſcere feci puellas, ſicut cum fama Ægypto, *parturient*, ſecundum " famam Tyri, " XXIII : 4. 5 : ubi Zidon pro iis qui in cognitionibus fidei fuerunt, & ea per ſcientifica perdiderunt, ac inde ſteriles facti. Et apud eundem Prophetam " Antequam *parturit*, *parit*, & antequam venit dolor ei, " *enixa* eſt maſculum, quis audivit ſicut hoc, quis vidit ſicut illa, num parturit terra die uno, & num *parere* faciam, dixit Jehovah, an Ego *parere* " faciens, & occludam, dixit Deus tuus " LXVI : 7. 8. 9. ubi de regeneratione agitur, & per filios ſimiliter Vera fidei ſignificantur. Bona & Vera quia ſunt conceptus & partus conjugii cœleſtis, vocantur filii, etiam a Domino, apud Matthæum, " Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius Hominis, ager " eſt mundus, ſemen vero ſunt *filii* Regni " XIII : 37. 38. ac Bona & Vera " fidei ſalvificæ, filii Abraham " Joh : VIII : 39. nam ſemen, ut dictum n : 255 eſt Fides, quare filii, qui ſunt ſeminis, ſunt bona & vera fidei : inde etiam Dominus, quia Ipſe ſemen, vocavit Se Filium Hominis, hoc eſt Fidem Eccleſiæ.

265. Quod per virum ſignificetur Rationale, conſtat a verſ : 6 hujus Capitis, quod Mulier dederit Viro ſuo ſecum, & comederit, quo ſignificatum quod conſenſerit ; & ab iis, quæ de Viro oſtenſa ſunt n : 158 ; ubi per eum intellectus eſt ſapiens & intelligens, hic autem, quia ſapientia & intelligentia per eſum ex arbore ſcientiæ periit, Rationale, quia non aliud reliquum erat ; rationale enim eſt intelligentiæ æmulum ſeu quaſi ſimile.

266. Quia omnis Lex, & omne Præceptum, ex Cœleſti & ſpirituali, ut a ſuo vero principio, exiſtit, ſequitur, quod hæc quoque Lex, quæ eſt Conjugiorum, ut Uxor, quia ex cupiditate, quæ eſt proprii, non ita ex ratione, ut Vir agit, ſit ſub Viri prudentia.

267. Verſ : 17. *Et ad hominem dixit, quia audiviſti vocem uxoris tuæ, & commediſti de arbore, de qua præcepi tibi, dicendo, non edes de illa, maledicta humus propter te, in magno dolore edes de ea, omnibus diebus vitæ tuæ.* Per hominem, quod audiverit vocem uxoris ſuæ, ſignificatur Vir ſeu Rationale, quod conſenſerit ; & quia rationale conſenſit, ſe quoque avertit, ſeu ſibi maledixit, & propterea totus homo externus, quæ ſignificantur per quod maledicta humus propter te : quod ſtatus ejus vitæ miſerabilis futura, eſt quod in magno dolore ederet de ea ; & quidem uſque ad Eccleſiæ iſtius finem, quod eſt omnibus diebus vitæ ſuæ.

268. Quod humus ſignificet Externum hominem, conſtare poteſt ab iis, quæ prius de terra, & de humo, & de agro, dicta ſunt : quando homo regeneratus eſt, non amplius vocatur terra, ſed humus, quia ei implantata ſunt ſemina cœleſtia ; humo etiam comparatur, & humus vocatur paſſim in Verbo ; eſt Externus homo, ſeu ejus affectio & memoria, cui implantantur ſemina boni & veri, non autem Interno homini, quia in Interno nulla ſunt propria hominis,

minis, ſed in Externo: in Interno ſunt bona & vera, quæ cum non amplius adeſſe apparent, tunc homo eſt externus ſeu corporeus; tametſi recondita ſunt in Interno a Domino, quod homo neſcit, nam non prodeunt, niſi cum Externus quaſi moritur, ut ſolet in tentationibus, infortuniis, morbis, momentis mortis. Rationale etiam ad Externum hominem pertinet, n: 118. quod in ſe eſt quoddam medium inter Internum & Externum, nam Internus per rationale operatur in Externum corporeum; at cum rationale conſentit, tunc illud ſeparat Externum ab Interno, ita ut non amplius ſciatur quod Internus ſit, inde nec quid Intelligentia & Sapientia, quæ ſunt Interni.

269. Quod Jehovah Deus ſeu Dominus, non maledixerit humo, ſeu Externo homini, ſed quod Externus homo ſe averterit, ſeu ſeparaverit ab Interno, & ſic ſibi maledixerit, conſtat ex iis, quæ prius oſtenſa ſunt, n: 245.

270. Quod edere in magno dolore de humo, ſignificet ſtatum vitæ miſerabilem, conſpicitur ab iis quæ præcedunt & ſequuntur, præter quod edere in ſenſu interno ſit vivere; tum ab eo, quod talis vita ſequatur, cum mali ſpiritus pugnare incipiunt, & angeli, qui apud eum, laborare; magis dein cum mali ſpiritus dominari inchoant, ſpiritus mali tunc regunt Externum ejus hominem, Angeli Internum, de quo parum ſupereſt, vix ut Angeli aliquid inde poſſint deſumere, quo defendant; inde miſeria & anxietas. Quod mortui homines raro talem miſeriam & anxietatem ſentiant, cauſa eſt, quia non amplius homines ſunt, tametſi ſe putant homines eſſe præ aliis, nam non magis quam bruta norunt quid ſpirituale & cœleſte, & quid vita æterna, ſimiliter ſpectant deorſum ad terreſtria, aut extrorſum ad mundana, modo favent proprio, & indulgent genio & ſenſibus, conſentiente omni rationali; & quia mortui, non ſuſtinerent aliquam pugnam aut tentationem; quæ ſi superveniret, gravior eſſet, quam ut vivere poſſent, & ſic ſibi adhuc magis maledicerent, inque damnationem adhuc profundius infernalem ſe præcipitarent, quare parcitur iis, uſque dum in alteram vitam tranſiverint, ubi non amplius ex aliqua tentatione & miſeria mori poſſunt, tunc graviſſima ſuſtinent; quæ ſimiliter ſignificantur per hæc, quod maledicta humus, & in magno dolore ederet de ea.

271. Quod dies vitæ ſignificent finem dierum Eccleſiæ, noſcitur ex eo, quod non de ſingulari homine, ſed de Eccleſia, & ejus ſtatu, hic agatur, finis dierum Eccleſiæ erat tempus diluvii.

272. Verſ: 18: *Et ſpinam & carduum proferet tibi, & edes herbam agri.* Per ſpinam & carduum intelligitur maledictio & vaſtatio: quod ederet herbam agri, ſignificatur, quod viveret ut fera.

Ut fera vivit, cum Internus homo ſeparatur ab Externo ita, ut non operetur in eum niſi communiſſime; nam quod homo ſit homo, habet per Internum hominem a Domino; at quod homo ſit fera, habet ab Externo, qui ſeparatus ab Interno in ſe non aliud eſt quam fera; ſimilis natura ei ineſt, ſimiles cupiditates, ſimiles appetitus, ſimiles phantaſiæ, & ſimiles ſenſationes; organica quoque ſunt ſimilia: quod tamen ratiocinari poſſit, ac ut ſibi videtur, aſtute, hoc habet a ſpirituali ſubſtantia,

ſtantia, per quam vita Domini influere poſſit, ſed quæ apud talem pervertitur, & fit vita mali, quæ eſt mors, inde vocatur mortuus.

273. Quod Spina & Carduus ſignificent maledictionem & vaſtationem, conſtat ex eo, quod meſſis & arbor fructus ſignificent oppoſita, quæ ſunt benedictiones & multiplicationes: quod ſpina, carduus, ſentis, vepris, urtica, talia ſignificent, conſtat ex Verbo, ut apud Hoſeam, "Ecce abiverunt præ vaſtatione; Ægyptus "congregabit eos, Moph ſepeliet eos, deſiderabile argento eorum; *Urtica* "hæreditabit eos, *Vepris* in tentoriis eorum," IX: 6. Ubi Ægyptus & Moph pro iis, qui ex ſemet ſuiſque ſcientificis de Divinis ſapere volunt. Apud eundem Prophetam, "Perdentur excelſa Aven, peccatum Iſraelis, *Spina* & "*Carduus* aſcendet ſuper altaria eorum," X: 8, ubi excelſa Aven pro amore ſui, ſpina & carduus ſuper altaria pro prophanatione. Apud Eſaiam, "Su-"per ubera plangentes propter agros deſiderii, propter vitem frugiferam; "ſuper humo populi mei *ſpina ſentica* aſcendet," XXXII: 12, 13. Et apud Ezechielem, "Non erit amplius domus Iſraelis *ſentis pungens*, & *ſpina dolori-*"*fica* ab omnibus circuitibus eorum," XXVIII: 24.

274. Quod edere herbam agri ſeu pabulum agreſte, ſit vivere ut fera, conſtat apud Danielem, ubi de Nebuchadnezare, "Ab homine expellent te, "& cum *beſtia agri* habitatio tua, *herbam*, ſicut boves, te edere facient, & "ſeptem tempora tranſibunt ſuper te," IV: 29. Et apud Eſaiam, "Annon "audiviſti, ad e longinquo id feci, a diebus antiquitatis, & formavi id, nunc "adduxi id, & erit ad devaſtandum in acervos propugnacula, urbes munitas; "& habitatores eorum, breves manu, conſternati ſunt, & pudore affecti, "facti ſunt *herba agri*, & *olus herbæ*, *gramen* tectorum, & *arvum* aduſtum "coram ſegete ſtante," XXXVIII: 26, 27. hic explicatur quid ſignificat herba agri, quod olus herbæ, gramen tectorum, & arvum aduſtum, nam hic de antediluviano tempore agitur, quod intelligitur per e longinquo, & per dies antiquitatis.

275. Verſ: 19. *In ſudore vultus tui edes panem, uſque dum redis in humum, quia ex ea ſumtus es; quia pulvis tu, & ad pulverem redibis.* Per edere panem in ſudore vultus, ſignificatur averſari quod cœleſte eſt: Redire ad humum ex qua ſumtus, eſt ad externum hominem, qualis fuit ante regenerationem: quod pulvis & ad pulverem rediret, eſt quod damnatus & infernalis.

276. Quod edere panem in ſudore vultus ſignificet averſari quod cœleſte, conſtare poteſt ex ſignificatione Panis; per Panem intelligitur omne ſpirituale & cœleſte, quod eſt Cibus angelicus, quo ſi deſtituerentur, non viverent, ſicut ſi homo deſtitueretur pane vel cibo: Cœleſte & ſpirituale in cœlo correſpondet etiam pani in terris; etiam illa repræſentantur per panem, ut ex multis conſtat: quod Dominus ſit Panis, quia ab Ipſo omne Cœleſte & Spirituale, Ipſe docet apud Johannem, "Hic Panis eſt, qui e cœlo deſcendit, "qui manducat hunc panem, vivet in æternum," VI: 58. Quare etiam Panis & Vinum ſunt Symbola in Sancta Cœna: Cœleſte hoc quoque repræſentatum eſt per Mannam: quod cœleſte & ſpirituale ſit Cibus Angelicus, etiam conſtat ex verbis Domini, "Non ex pane ſolo vivet homo,

"ſed ab omni Verbo egrediente ex ore Dei," Matth: IV: 4, hoc eſt, ex vita Domini, ex qua omne cœleſte & ſpirituale. Ultima Poſteritas Eccleſiæ Antiquiſſimæ, quæ proxime ante diluvium, de qua hic agitur, tam perdita erat, & immerſa ſenſualibus & corporeis, ut non audire voluerint, quid veritas fidei, quid Dominus, quod venturus & ſalvaturus eos; cumque nominarentur, averſati ſunt; averſatio illa deſcribitur per edere panem in ſudore vultus; ſicut Judæi, qui quia tales erant, ut cœleſtia non agnoſcerent, nec alium Meſſiam quam mundanum voluerunt, non potuerunt aliter quam averſari mannam, quia repræſentatio erat Domini, & vocare illam panem vilem, quare in eos ſerpentes miſſi ſunt, Num: XXI: 5, 6. Præterea, Cœleſtia, quibus fruebantur in anguſtia, in miſeria, cum lachrymis, vocabantur illis panis anguſtiæ, panis miſeriæ, panis lachrymæ; quibus fruebantur in averſatione, hic vocatur panis ſudoris vultus.

277. Hic eſt ſenſus internus; qui literam premit, is non aliud capit, quam quod homo ex humo compararet ſibi panem per laborem ſeu ſudorem vultus; ſed hic per hominem non intelligitur unus homo, ſed antiquiſſima Eccleſia, nec per humum humus, nec per panem panis, nec per hortum hortus, ſed quæ ſunt cœleſtia & ſpiritualia, ſicut ſatis oſtenſum eſt.

278. Quod per redire ad humum, ex qua ſumtus, ſignificetur, quod Eccleſia rediret ad Externum hominem, qualis fuit ante Regenerationem, conſtat ex eo, quod humus ſignificet Externum hominem, ut dictum prius. Quodque Pulvis ſignificet damnatum & infernalem, conſtat quoque ex iis quæ dicta ſunt de ſerpente, qui, quia maledictus, dicitur, quod ederet pulverem; præter quæ de pulveris ſignificatione ibi oſtenſa ſunt, addere licet, quæ apud Davidem, "Coram Jehovah incurvabunt ſe omnes deſcendentes *pulverem*, "& cujus animam non vivificavit, Pſalm: XXII: 30. Et alibi, "Abſcondis "facies tuas, conturbantur; colligis ſpiritum eorum, exſpirant, & ad "*pulverem* ſuum redeunt," Pſalm: CIV: 29. quod eſt, quando ſe avertunt a facie Domini, quod exſpirent ſeu moriantur, & ſic ad pulverem redeant, hoc eſt damnati fiant & infernales.

279. Involvunt nunc omnes hi verſus in ſerie, quod Senſuale ſe averterit a cœleſti, verſ: 14. Quod Dominus venturus in mundum, Qui uniret, verſ: 15. Quod, quia avertit ſe Externus homo, pugna inde, verſ: 16. Quod miſeria inde, verſ: 17. Quod damnatio inde, verſ: 18. Quod tandem infernum inde, verſ: 19. Hæc ſucceſſerunt in Eccleſia iſta a quarta Poſteritate, uſque ad diluvium.

* * * * * *

20. Et vocavit homo nomen Uxoris ſuæ Chavah, quia illa erit Mater omnis viventis.

21. Et fecit JEHOVAH DEUS homini & uxori ejus tunicas pellis, & veſtivit eos.

22. Et

22. Et dixit JEHOVAH DEUS, ecce homo fuit ſicut unus e nobis, ſciendo bonum & malum; & nunc forte mittet manum ſuam, & ſumet etiam ab arbore vitarum, & edat, & vivat in æternum.

23. Et emiſit eum JEHOVAH DEUS ex horto Eden, ad colendum humum, ex qua ſumtus.

24. Et ejecit hominem: & habitare fecit ab oriente ad hortum Edenis Cherubos, & flammam gladii vertentis ſe, ad cuſtodiendum viam arboris vitarum.

CONTENTA.

280. AGitur hic in ſumma de Antiquiſſima Eccleſia, & de iis, qui receſſerunt; ita quoque de Poſteritate ejus, uſque ad diluvium, cum exſpiravit.

281. De ipſa Antiquiſſima Eccleſia, quæ Cœleſtis, & ex vita fidei in Dominum dicta Chavah, & mater omnis viventis, verſ: 20.

282. De Prima ejus poſteritate, in qua fuit Bonum Cœleſte ſpirituale; & de Secunda & Tertia, in qua Bonum naturale, quod ſignificatur per tunicam pellis, quam Jehovah Deus homini & uxori ejus fecit: verſ: 21.

283. De Quarta poſteritate, in qua Bonum naturale diſſipari cæpit; qui ſi e novo crearentur, aut inſtruerentur in Cœleſtibus fidei, quod perituri; quod eſt, forte mittet manum ſuam, & ſumet etiam ab arbore vitarum, & vivat in æternum, verſ: 22.

284. De Quinta poſteritate, quod privati omni bono & vero, & redacti in ſtatum, in quo fuerunt ante regenerationem; quod eſt, emitti ex horto Edenis ad colendum humum, ex qua ſumtus, verſ: 23.

285. De Sexta & Septima Poſteritate, quod ſeparati a ſcientia boni & veri, & relicti ſuis fœdis amoribus & perſuaſionibus; & ſic proviſum, ne prophanarent ſancta fidei; quæ ſignificantur per ejici, & habitare facere Cherubos cum flamma gladii, ad cuſtodiendum viam ad arborem vitarum; verſ: 24.

SENSUS INTERNUS.

286. IN præcedentibus huc uſque actum eſt de Antiquiſſimis, quod regenerati, primum de iis, qui ſicut feræ vixerunt, & tandem facti homines ſpirituales; tum de illis, qui facti homines cœleſtes, qui Antiquiſſimam Eccleſiam conſtituerunt; poſtea de iis, & poſteris, qui receſſerunt, ordine, de Prima Poſteritate, de Secunda, de Tertia, & demum de ſequentibus uſque ad Diluvium. In his verſibus, qui ſequuntur ad finem hujus capitis eſt Recapitulatio ab Antiquiſſimæ Eccleſiæ Homine uſque ad Diluvium; ita eſt concluſio omnium præcedentium.

287. Verſ: 20. *Et vocavit homo nomen uxoris ſuæ Chavah, quia illa erit mater omnis viventis.* Per hominem hic intelligitur vir Antiquiſſimæ Eccleſiæ, ſeu homo cœleſtis; per uxorem & matrem omnis viventis, Eccleſia; Mater dicitur ex eo quod Prima Eccleſia, Vivens, ex fide in Dominum, Qui eſt Ipſa Vita.

288. Quod per Hominem intelligatur Vir Antiquiſſimæ Eccleſiæ, ſeu Cœleſtis Homo, prius oſtenſum eſt; & quidem quod Dominus Solus Homo, & quod ex Ipſo omnis cœleſtis homo, quia ſimilitudo Ipſius; inde vocatus homo qui eſſet Eccleſiæ, quicunque & qualiſcunque; & tandem quiſque qui corpore apparet ut homo, ad diſtinguendum eum a beſtiis.

289. Quod per Uxorem intelligatur Eccleſia, in ſenſu univerſali Regnum Domini in Cœlis & in Terris, prius quoque oſtenſum eſt; quod etiam per Matrem, inde ſequitur. Quod Eccleſia Mater dicatur, commune eſt in Verbo, ut apud Eſaiam, "Ubi eſt libellus repudii *Matris* veſtræ." L: 1. Apud Jeremiam, "Pudefacta eſt *Mater* veſtra valde, pudore ſuffuſa eſt *Genitrix* veſtra," L: 12. Apud Ezechielem, "Filia *matris* tuæ faſtidiens Virum ſuum, & filios ſuos; *Mater* veſtra Chitthæa, & Pater veſter Emorræus," XVI; 45; ubi Vir pro Domino & pro omni cœleſti, filii pro veris fidei: Chittæa pro falſo; Emorræus pro malo. Apud Eundem, "*Mater* tua ſicut vitis in ſimilitudine tui, juxta aquas plantata, frugifera, frondeſcens fuit ab aquis multis," XIX: 10. hic Mater pro antiqua Eccleſia. Antiquiſſima Eccleſia principaliter Mater dicitur, quia Prima, ut & unica quæ Cœleſtis, & ideo præ omnibus amata a Domino.

290. Quod Mater omnis viventis dicta a fide in Dominum, Qui eſt Ipſa Vita, conſtare quoque poteſt ab illis, quæ prius oſtenſa ſunt: nuſquam dari poteſt niſi unica Vita, ex qua vita omnium; & nuſquam dari poteſt vita, quæ vita, niſi per fidem in Dominum, Qui eſt Vita; nec fides, in qua Vita, niſi ab Ipſo, ita in qua Ipſe: quare Dominus in Verbo Solus Vivens dicitur,

&

& appellatur VIVENS JEHOVAH, Jer: v: 2. Cap: xii: 16. Cap: xvi: 14, 15. Cap: xxiii: 7. Ezech: v: 11. Vivens in æternum, Dan: iv: 31. Apoc: iv: 10. Cap: v: 14. Cap: x: 6. Apud Davidem, "Scaturigo Vitæ," Pſalm: xxxvi: 10. Apud Jeremiam, Fons aquarum vivarum, xvii: 13. Cœlum, quod ex Ipſo vivit, Terra viventium, Eſai. xxxviii: 11. Cap: liii: 8. Ezech: xxvi: 20. Cap: xxxii: 23, 24, 25, 26, 27, 32. Pſalm: xxvii: 13. Pſalm: lii: 7. Pſalm: cxlii: 9. Et dicti Viventes, qui in fide in Dominum; ut apud Davidem, "Qui ponit animam noſtram inter *Viventes*," Pſalm: lxvi: 9. Et qui in fide, quod in Libro Vitarum, Pſalm: lxix: 29. & in Libro Vitæ, Apoc: xiii: 8. Cap: xvii: 8. Cap: xx: 15. Quare etiam vivificari dicuntur, qui accipiunt fidem in Ipſum, Hoſ: vi: 2. Pſalm: lxxxv: 7. Viciſſim, qui non in fide, vocati ſunt mortui, quod inde ſequitur; ut etiam apud Eſaiam, "*Mortui* non vivent; Rephaim non reſurgent, eo quod viſitaſti & exſtinxiſti "eos," xxvi: 14, pro iis qui amore ſui tument, reſurgere ſignificat intrare in Vitam; vocantur etiam Confoſſi, Jer: xxxii: 23, 24, 25, 26, 28, 29, 30, 31. Et Infernum vocatur Mors, Eſ: xxv: 1. Cap: xxviii: 15. Mortui quoque vocantur a Domino, Matth: iv: 16. Joh: v: 24. Cap: viii: 21, 24, 51, 52.

291. In hoc Verſu deſcribitur primum tempus, cum Eccleſia erat in flore ſuæ juventutis, repræſentans Conjugium cœleſte, quare etiam deſcribitur per Conjugium, & dicta Chavah ex Vita.

292. Verſ. 21. *Et fecit Jehovah Deus homini & uxori ejus tunicas pellis, & veſtivit eos.* Hæc ſignificant, quod Dominus inſtruxerit eos Bono ſpirituali, & naturali; quod inſtruxerit eos, exprimitur per facere & veſtire; & Bonum ſpirituale & naturale, per tunicam pellis.

293. Quod hæc ſignificentur nuſquam ex litera apparere poteſt, ſed uſque patet, quod arcaniora involvant, nam quiſque ſcire poteſt, quod Jehovah Deus non fecerit iis tunicas pellis.

294. Quod tunica pellis ſignificet bonum ſpirituale & naturale, nec alicui conſtare poteſt, niſi ex revelato ſenſu interiori, tum dein ex Verbo, ubi ſimilia occurrunt: hic in genere dicitur Pellis, & intelligitur pellis hædi, ovis, arietis, quæ in Verbo ſignificant affectiones boni, charitatem, & quæ ſunt charitatis; ſimilia per oves in ſacrificiis: Oves appellantur, quicunque ſunt præditi bono charitatis, hoc eſt, bono ſpirituali & naturali; inde Dominus dicitur Paſtor ovium, & qui charitate præditi ſunt, vocantur Oves, ut cuivis notum eſt.

295. Quod tunica Pellis veſtiti dicantur, cauſa eſt, quia Antiquiſſimi propter Innocentiam dicti Nudi, & dein cum innocentia periit, quod animadverterint ſe eſſe in malo, quod etiam vocatur nuditas; ut hiſtorice omnia cohærere appareant, ſecundum modum loquendi Antiquiſſimis, hic dicuntur veſtiti, ne nudi ſeu in malo: quod in bono ſpirituali & naturali fuerint, conſtat ex iis, quæ de illis dicta & oſtenſa ſunt a Verſu 1 ad 13, hujus Capitis; & nunc ex eo, quod Jehovah Deus fecerit, & veſtiverit eos: agitur enim hic de

de prima, ſed imprimis de ſecunda & tertia poſteritate Eccleſiæ, qui donati ſunt tali bono.

296. Quod per Pelles hædorum, ovium, caprarum, melium, arietum, ſignificentur Bona ſpiritualia & naturalia, conſtare poteſt a ſenſu interno Verbi, ubi agitur de Jacobo, & de Arca: de Jacobo, quod indutus veſtibus Eſavi, & ubi nudus, ſuper manum & collum pellibus hædorum caprarum, quæ cum odoratus Iſacus, dixit, odor filii mei eſt ſicut odor agri, Geneſ: XXVII: 22, 27. quæ quod ſignificent bona ſpiritualia & naturalia, ibi ex Divina Domini Miſericordia, videbitur. De Arca, quod tegumentum Tentorii eſſent pelles arietum, & pelles melium, Exod: XXVI: 14. Cap: XXXVI: 14. & quod Aharon & filii ejus, cum proficiſcerentur, obtegerent arcam operimento pellis melium, ſimiliter menſam & vaſa ejus, ſimiliter candelabrum & ejus vaſa, ſimiliter altare auri, ſimiliter vaſa miniſterii & altaris, pelle melium, Num: IV: 6, 8, 10, 11, 12. quæ quod ſignificent bonum ſpirituale & naturale, etiam ibi, ex Divina Domini Miſericordia, videbitur; nam quicquid fuit in Arca, habitaculo, tentorio, imo quicquid fuit ſupra Aharonem, cum veſtibus ſanctitatis indutus eſſet, ſignificabat Cœleſte ſpirituale, ſic ut ne minimum eſſet, quod non diſtincte aliquid repræſentaret.

297. Bonum cœleſte eſt, quod non veſtitur, quia intimum, & eſt innocens: at Bonum cœleſte ſpirituale eſt, quod primum veſtitur, tum Bonum naturale, nam exteriora ſunt, & veſtibus comparantur, ut & veſtes vocantur, ſicut ubi de Antiqua Eccleſia agitur apud Ezechielem, "*Veſtivi* te "acupicto, calceavi te *meli*, *accinxi* te byſſo, & *obtexi* te ſerico," XVI: 10. Apud Eſaiam, "Indue veſtes ornatus tui, Hieroſolyma, urbs ſanctitatis," LII: 1. In Apocalypſi, "Qui non polluerunt *Veſtimenta* ſua, & ambulabunt "mecum in *albis*, quia digni ſunt," III: 4, 5. & ibi de viginti quatuor "ſenioribus, quod induti veſtimentis albis," IV: 4. Ita Bona exteriora, quæ ſunt cœleſtia ſpiritualia & naturalia, ſunt veſtes; quare etiam, qui donati bonis charitatis, apparent in Cœlo, veſtibus ſplendentibus amicti; hic autem, quia in corpore adhuc, tunica pellis.

298. Verſ: 22. *Et dixit Jehovah Deus, ecce homo fuit ſicut unus e nobis, ſciendo bonum & malum, & nunc forte mittet manum ſuam, & ſumet etiam ab arbore vitarum, & edat, & vivat in æternum.* Quod Jehovah Deus in ſingulari, & dein in plurali loquatur, cauſa eſt, quia per Jehovam Deum intelligitur Dominus & ſimul Cœlum Angelicum: Quod homo ſciverit bonum & malum, ſignificat, quod Cœleſtis factus, ita ſapiens & intelligens: Quod non mitteret manum & ſumeret de arbore vitarum, eſt quod non inſtruendus in myſteriis fidei, ſic nuſquam in æternum ſalvari poſſet, quod eſt vivere in æternum.

299. Hic bina Arcana ſunt, primum, quod Jehovah Deus ſignificet Dominum, & ſimul Cœlum: Alterum, ſi inſtructi fuiſſent in myſteriis fidei, quod in æternum periiſſent.

300. Quod primum arcanum concernit, quod per Jehovam Deum intelligatur Dominus, & ſimul Cœlum, obſervandum eſt, quod in Verbo ſemper ex cauſa arcana Dominus dicatur nunc ſolum Jehovah, nunc Jehovah Deus, nunc Jehovah & dein Deus, nunc Dominus Jehovih, nunc Deus Iſraelis, nunc Deus ſolum, ſicut in Primo Capite Geneſeos, non niſi quam Deus, ubi etiam in plurali loquutum, " faciamus hominem ad imaginem noſtram, " nec prius quam in Capite ſequente, ubi de Cœleſti homine agitur, nominatur Jehovah Deus: Jehovah dicitur quia Solus Eſt, aut Vivit, ita ex Eſſentia, Deus quia omnia poteſt, ita ex Potentia, ut conſtat in Verbo, ubi diſtinguuntur, Eſai: XLIX: 4. 5. Cap: LV: 7. Pſalm: XVIII: 3. 29. 30. 32. Pſalm: XXXVIII: 16. quare unuſquiſque angelus aut ſpiritus, qui cum homine loquutus eſt, & quem aliquid poſſe putabant, vocabant Deum, ut conſtat apud Davidem, " Deus ſtetit " in cætu *Dei*, in medio *deorum*, judicabit, " Pſalm: LXXXII. 1. & alibi, " Quis in Æthere comparabitur cum Jehovah, aſſimilabitur Jehovæ in filiis " *deorum*, " Pſalm: LXXXIX: 7. & alibi " Confitemini Deo *deorum*, confitemini Domino *dominorum* " Pſalm: CXXXVI: 2, 3. Ex potentia etiam homines vocati dii, ut Pſalm: LXXXII: 6. Matth: X: 34, 35. etiam Moſes, Deus Pharaoni, Exod. VII: 1. quare etiam Deus in plurali Elohim dicitur: ſed quia Angeli ne hilum potentiæ habent ex ſe, ut ipſi quoque fatentur, ſed ſolum a Domino, & non eſt niſi unus Deus, ideo per Jehovam Deum in Verbo intelligitur Dominus ſolus: at ubi miniſterio angelorum quicquam fit, ut in Capite Primo Geneſeos, tunc in plurali dicitur; hic quoque, quia homo cœleſtis, ut homo, non potuit comparari Domino, ſed Angelis, ideo dicitur, quod homo fuit, ſicut unus e nobis, ſciendo bonum & malum, hoc eſt, ſapiens & intelligens.

301. Alterum Arcanum eſt, ſi inſtructi fuiſſent myſteriis fidei, quod in æternum periiſſent, quod ſignificatur per hæc Verba, nunc forte mittet manum ſuam, & ſumet etiam ab arbore vitarum, & edat & vivat in æternum; ita ſe habet: Cum homines inverſi ordines vitæ facti ſunt, & non volunt niſi ex ſemet & proprio vivere & ſapere, tunc quiquid audiunt, quod eſt fidei, ratiocinantur num ita ſit, vel non; & quia ex ſemet, ſuis ſenſualibus & ſcientificis, non poſſunt aliter, quam negare, & cum negant, etiam blaſphemant & prophanant; & tandem nec curant, ſi prophana ſanctis commiſceant: cum homo talis fit, tunc in altera vita ita damnatus eſt, ut non aliqua ſpes ſalutis; quæ enim per prophanationes commixta ſunt, adhærent commixta; ut primum aliqua idea ſancti venit, etiam idea prophani conjuncta adeſt, quod facit, ut in non alia ſocietate eſſe poſſit, quam in damnatorum: in altera vita exquiſitiſſime percipitur, etiam a ſpiritibus in mundo ſpirituum, magis a ſpiritibus angelicis, quicquid alicui cogitationis ideæ adeſt conjunctum, ita exquiſite ut ex unica ſolum idea ſciant qualis eſt. Ut prophana talia adjuncta ſanctis diſcutiantur, non fit niſi cum cruciatu infernali, & tanto, ut ſi homo ſciret, caveret ſibi a prophanatione, ut ab ipſo inferno.

302.

302. Hæc cauſa fuit, quod Judæis, quia tales, nuſquam revelata fuerint myſteria fidei, uſque adeo, ut ne quidem aperte iis dictum, quod viverent poſt mortem, nec aperte quod Dominus venturus in mundum, ut ſalvaret eos; imo in tanta ignorantia & ſtupore detinebantur, & adhuc detinentur, ut non ſciverint, nec ſciant, quod internus homo ſit, aut quod quicquam internum detur; nam ſi ſciviſſent, & ſcirent, uſque ut agnoſcerent, tales ſunt, ut prophanarent, & ſic iis nuſquam ſpes alicujus ſalutis in altera vita: hæc ſunt, quæ intellecta ſunt a Domino apud Johannem, "Occæcavit eorum oculos, "& obturavit eorum Cor, ut non videant oculis, & intelligant corde, & "convertant ſe, & ſanem eos," XII: 40. Et quod Dominus per parabolas cum iis loquutus, nec iis ullam explicuit, "ne videntes viderent, & audientes audirent, & intelligerent" ut Ipſe dicit apud Matthæum XIII. 13. Ob illam etiam cauſam omnia myſteria fidei iis abſcondita & tecta fuerunt ſub repræſentativis Eccleſiæ eorum; & ob eandem cauſam talis eſt ſtylus propheticus: ſed aliud eſt ſcire, & aliud eſt agnoſcere, qui ſcit & non agnoſcit, is eſt tanquam non ſciret; at qui agnoſcit, & dein blaſphemat & prophanat, is eſt, qui intellectus a Domino.

303. Homo ſibi vitam acquirit per omnia quæ ſibi perſuadet, hoc eſt, quæ agnoſcit & credit; quæ non ſibi perſuadet, ſeu quæ non agnoſcit & credit, hoc mentem ejus nihil afficit, quare prophanare nemo poteſt ſancta, niſi perſuaſus ſit, ut agnoſcat, & uſque negat; qui non agnoſcunt, ſcire poſſunt, ſed ſunt tanquam non ſciunt, ac ſunt ſicut qui ſciunt res, quæ nihil ſunt; tales fuerunt Judæi circa adventum Domini, & cum tales ſunt, dicuntur in Verbo vaſtati, ſeu quod fides amplius nulla; tunc nec nocet, quod interiora Verbi iis aperiantur, nam tunc ſunt ſicut videntes, qui non vident, & tanquam audientes, qui non audiunt, & qui habent cor incraſſatum, de quibus Dominus per Eſaiam "Abi & dicas populo huic, audite audiendo, ſed non "intelligatis, & videte videndo, & non cognoſcatis; impingua cor populi "hujus, & aures ejus aggrava, ac oculos ejus obline, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & cor ejus intelligat, convertaturque, ut ſanetur ſibi," VI: 9: 10: & quod non prius myſteria fidei aperiantur, quam cum tales ſint, nempe vaſtati, ut non amplius credant, ex cauſa, ut dictum, ne prophanare poſſent, etiam Dominus apud Eſaiam manifeſte dicit in mox ſequentibus, "Dixi, quouſque Domine, & dixit, uſque dum deſolantur urbes, "ut nullus habitator, & domus, ut nullus homo, & humus deſoletur deſola-"tione, & removebit Jehovah hominem," ib: verſ: 11, 12. homo dicitur "qui ſapit, ſeu agnoſcit & credit. Tales erant Judæi, ut dictum, circa adventum Domini, & ob eandem cauſam etiam adhuc in tali vaſtatione tenentur per cupiditates, imprimis per avaritiam, ut tametſi millies audiant de Domino, & de repræſentativis Eccleſiæ apud eos, quod ſignificent in ſingulis Dominum, uſque nihil agnoſcant & credant. Hæc nunc cauſa fuit, quod antediluviani dejecti de horto Edenis, & vaſtati, uſque dum nihil agnoſcere potuiſſent quod verum.

304. Ex his conſtat, quod hæc ſint, quæ intelliguntur per verba hæc, ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam ab arbore vitarum, & edat, & vivat in æternum; ſumere ab arbore vitarum, & edere, eſt ſcire, uſque ut agnoſcat, quicquid eſt amoris & fidei, nam vitæ in plurali ſunt amor & fides; edere ſignificat hic ut prius noſſe; vivere in æternum, non eſt vivere in corpore in æternum, ſed vivere poſt mortem in damnatione æterna; homo, qui mortuus, non ideo vocatur mortuus, quod moriturus poſt vitam corporis, ſed quod victurus vitam mortis, nam mors eſt damnatio & infernum; ſimiliter per vivere ſignificatur apud Ezechielem, " Animas venamini populo meo, " & animas vobis vivere facitis, & prophanaſtis Me apud populum meum, ad " occidendum animas, quæ non *morientur*, & ad *vivere* faciendum animas, " quæ non *vivent*," XIII: 18, 19.

305. Verſ: 23. *Et emiſit eum Jehovah Deus ex horto Eden, ad colendum humum, ex qua ſumtus.* Ejici ex horto Eden, eſt privari omni intelligentia & ſapientia: colere humum, ex qua ſumtus, eſt fieri corporeus, ſicut fuit ante regenerationem.

Quod ejici ex horto Eden ſit privari omni intelligentia & ſapientia, conſtat ex ſignificatione Horti, & Edenis, de qua prius: Hortus enim ſignificat intelligentiam ſeu intellectum veri; & Eden, quia amorem, ſignificat ſapientiam, ſeu voluntatem boni.

Quod colere humum ex qua ſumtus, ſit fieri corporeus, ſicut fuit ante regenerationem, oſtenſum eſt prius ad verſ: 19, ubi ſimilia verba.

306. Verſ: 24. *Et ejecit hominem; & habitare fecit ab oriente ad hortum Edenis Cherubos; & flammam gladii vertentis ſe, ad cuſtodiendum viam arboris vitarum.* Ejicere hominem eſt prorſus privare omni voluntate boni, & intellectu veri, uſque adeo, ut ab illis ſeparetur, & non ſit homo. Habitare facere ab oriente Cherubos, eſt providere, ne intrare poſſit in aliquod arcanum fidei; nam Oriens ad hortum Edenis eſt Cœleſte, ex quo intelligentia: per Cherubos ſignificatur Providentia Domini, ne homo talis intret in illa, quæ ſunt fidei: per flammam gladii vertentis ſe ſignificatur amor proprius cum veſanis ejus cupiditatibus & inde perſuaſionibus, quæ ſunt tales, ut quidem intrare velit, ſed feratur abinde ad corporea & terreſtria, & hoc ad cuſtodiendum viam arboris vitarum, quod eſt, ne prophanare poſſit ſancta.

307. Agitur hic de ſexta & ſeptima poſteritate, quæ periit diluvio, qui prorſus ejecti ſunt ab horto Edenis, ſeu ab omni intelligentia veri, & facti quaſi non homines, atque relicti veſanis cupiditatibus & perſuaſionibus.

308. Quid oriens ſignificat, & quid hortus Edenis, prius oſtenſum eſt, quare illis non immorandum: ſed quod Cherubi ſignificent Providentiam Domini, ne homo ex proprio, ſenſuali & ſcientifico, veſane intret in myſteria fidei, & illa prophanet, & ſic pereat, ex nullis non locis in Verbo, ubi Cheruborum mentio fit, conſtare poteſt. Quia Judæi tales erant, ut ſi ali-

quid manifeſte noviſſent de adventu Domini, de repræſentativis ſeu typis Eccleſiæ, quod ſignificarent Dominum, de vita poſt mortem, de interiori homine, & ſenſum internum Verbi, quod prophanaviſſent, & in æternum periiſſent, quare repræſentatum hoc per Cherubos ad Propitiatorium ſuper Arca, ſuper aulæis habitaculi, ſuper velo, ſimiliter in Templo, & ſignificatum, quod Dominus cuſtodiverit, Exod: xxv: 18, 19, 20, 21. Cap: xxvi: 1, 31, 1 Reg: vi: 23 ad 39, 32, 35. Nam Arca, in qua Teſtimonium, ſignificabat idem, ac hic Arbor vitarum, ſeu Dominum & Cœleſtia, quæ unice ſunt Domini; inde quoque Dominus multoties dicitur Deus Iſraelis inſidens Cherubis: & cum Aharone & Moſe loquutus eſt inter Cherubos, Ex: xxv: 22. Num: viii: 89. Deſcribitur hoc manifeſte apud Ezechielem, ubi hæc, " Gloria Dei Iſraelis elevata eſt deſuper *Cherubo*, " ſuper quo fuerat, ad limen domus, clamavit ad virum indutum lineis, " & dixit ad illum, tranſi per medium urbis, per medium Hieroſolymæ, " & ſigna ſignum ſuper frontes virorum, gementium & ſuſpirantium ſu- " per omnibus abominationibus factis in medio ejus: & iſtis dixit, tranſite " per urbem poſt illum, & percutite, ne parcat oculus veſter, neque cle- " mentia utamini; ſenem, juvenem, & virginem, & infantem, & mulieres " occidite ad deletionem; polluite domum, & implete atria confoſſis," ix: 3, 4, 5, 6. & porro, " Dixit ad virum indutum lineis, intra inter rotam " ad ſubter *Cherub*, & imple volas tuas prunis *ignis* ab inter *Cherubos*, & " ſparge ſuper urbem; miſit *Cherub* manum ſuam ab inter *Cherubos* ad " *ignem*, qui inter *Cherubos*, tulit & dedit in volas induti lineis, & ſumſit " & exivit," x: 1 ad 7. ex quibus conſtat, quod Domini Providentia, ne penetrarent in myſteria fidei, ſignificetur per Cherubos, & quod ideo relicti ſint ſuis veſanis cupiditatibus, quæ hic quoque ſignificantur per ignem, qui ſpargeretur ſuper urbem, & quod nulli parceretur.

309. Quod per flammam gladii vertentis ſe, ſignificetur amor proprius cum ejus veſanis cupiditatibus & perſuaſionibus, quæ ſunt tales, ut quidem intrare velint, ſed ferantur inde ad corporea & terreſtria, tam multis confirmari poteſt ex Verbo, ut paginas impleret; ſolum hæc quæ apud Ezechielem; " Propheta & dicas, ſic dixit Jehovah, dic, *gladius*, *gladius* exacutus, & etiam " terſus ad mactandum mactationem, acutus ut ſit ei fulgur; iteretur *gla-* " *dius* tertio, *gladius* confoſſorum ſuorum, *gladius* confoſſionis magnæ, pe- " netrans in cubicula ad eos, ut liquefiat cor, & multiplicabit offendicula, " in omnibus portis eorum, dedi terrorem *gladii*, heu factus in fulgur," xxi: 9, 10. Gladius hic pro deſolatione hominis, ut nihil boni & veri videat, ſed mera falſa & contraria, quod eſt multiplicare offendicula. Et quæ apud Nahum, " Eques aſcendere faciens, & *flamma gladii*, & *fulgur* haſtæ, & multi- " tudo confoſſi, iii: 3. de iis qui in arcana fidei intrare volunt.

310. Singula verba hujus verſus arcaniſſima tanta involvunt, ut nuſquam exponi poſſint, applicabilia ad genium populi hujus, qui diluvio periit, qui genius prorſus diverſus fuit a genio eorum, qui poſt diluvium vixerunt: ut paucis

paucis modo dicatur, primi eorum parentes, qui Antiquiſſimam Eccleſiam conſtituerunt, cœleſtes fuerunt, ita illis ſemina cœleſtia inſeminata fuerunt, inde poſteri eorum ſemen ex cœleſti origine apud ſe habuerunt; ſemen ex cœleſti origine tale eſt, quod Amor regat totam mentem, & unam facit; Mens enim humana ex binis partibus conſtat, ex voluntate & intellectu, voluntatis eſt Amor ſeu bonum, intellectus eſt fides, ſeu verum; ex Amore ſeu bono percipiebant quid fidei aut quid veri, ita una mens erat; cum tales ſunt, apud poſteros manet ſemen inde, qui ſi declinant a vero & bono, periculoſiſſimum eſt, ſic enim totam ſuam mentem pervertunt, ut in altera vita vix poſſit reſtitui: Aliter, quibus non ſemen cœleſte, ſed ſemen ſpirituale ineſt, ſicut poſtdiluvianis, & iis qui hodie vivunt, iis nullus eſt Amor, ita nulla voluntas boni, ſed uſque dari poteſt fides, ſeu intellectus veri, ex fide ſeu intellectu veri perduci poſſunt ad Charitatem quandam, ſed per aliam viam, & quidem per inſinuatam a Domino Conſcientiam ex cognitionibus veri & boni inde; quare eſt ſtatus eorum prorſus alius, quam fuit ſtatus antediluvianorum; de quo ſtatu, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus dicetur: Hæc ſunt arcana, quæ homini hodie prorſus ignota ſunt; nam hodie non ſciunt quid cœleſtis homo, ne quidem quid ſpiritualis, minus qualis inde mens & vita hominis, & inde ſtatus poſt mortem.

311. Status eorum, qui perierunt diluvio, in altera vita talis eſt, ut nuſquam eſſe poſſint in mundo ſpirituum, aut cum aliis ſpiritibus, ſed in inferno ſeparato ab infernis aliorum, & quidem quaſi ſub monte quodam; apparet ſicut mons intermedius ex diris eorum phantaſiis & perſuaſionibus; phantaſiæ eorum & perſuaſiones tales ſunt, ut aliis ſpiritibus tantum ſtuporem inducant, ut non ſciant num vivant, aut num mortui ſint; nam auferunt iis omnem intellectum veri, ut nihil percipiant: in tali perſuaſione etiam fuerunt, cum vixerunt; & quia tales futuri in altera vita, ut nuſquam cum ſpiritibus aliis eſſe potuiſſent, quin iis mortis ſpeciem inducerent, omnes exſtincti ſunt, ac Dominus poſtdiluvianis, a Divina Ipſius Miſericordia, alios ſtatus induxit.

312. Status antediluvianorum horum prorſus deſcriptus eſt in hoc verſu, ut quod ejecti, ſeu ſeparati a bono cæleſti; quod habitare facti ab oriente ad hortum Edenis Cherubi, qui quia tales, dicitur, quod ab oriente ad hortum Edenis, quæ verba iis ſolum applicabilia ſunt, de iis autem, qui poſtea vixerunt, non hæc dici poſſunt, ſed quod ab horto Edenis ad Orientem: tum quod dicatur flamma gladii vertentis ſe; ſi de hodiernis, dictum fuiſſet, gladius flammæ; nec arbor vitarum, ſed arbor vitæ; præter alia in ſerie, quæ nuſquam explicari poſſunt, ſolum Angelis, quibus Dominus revelat, intellecta; nam unuſquiſque ſtatus indefinita arcana habet, quorum ne quidem unum notum eſt generi humano.

313. Ex his, quæ de Primo Homine nunc dicta ſunt, conſtare poteſt, quod ex illo non Hæreditarium Malum uſque in omnes, qui hodie vivunt, et, ſicut falſe putant, quod nullum aliud hæreditarium malum ſit, quam quod inde ſcaturiverit;

turiverit; eſt enim Antiquiſſima Eccleſia, de qua ibi agitur, & vocatur Homo, qui dum vocatur Adam, ſignificat quod homo ex humo, ſeu quod homo factus a non homine, per Regenerationem a Domino; hæc nominis eſt origo, & hæc nominis ſignificatio. Sed Hæreditarium Malum ſe ita habet, quod unuſquiſque, qui actuale peccatum committit, is ſibi inde inducat naturam, & malum inde implantatur liberis, & fit hæreditarium, ita a parente unoquovis, ab ejus avo, proavo, atavo, & antecedentibus ordine, quod ſic multiplicatur & creſcit in ejus poſteritate deſcendente, & remanet apud unumquemvis, atque apud unumquemvis augetur per actualia ejus peccata; nec diſſipatur ſic ut non noceat, quam apud eos, qui a Domino regenerantur. Hoc quiſque, ſi attenderit, ſcire poteſt, ex eo, quod malæ parentum inclinationes viſibiliter maneant in liberis, ita ut una familia, imo una generatio ab altera, inde queat dignoſci.

Continuatio, de introitu hominis in vitam æternam.

314. *ANGELI ſpirituales, de quibus prius, poſtquam data, Reſuſcitato ſeu Animæ, lucis uſura, ut ſe circumſpicere poſſit, ei omnia officia, quæ uſquam deſiderare in illo ſtatu poteſt, præſtant; ac inſtruunt eum de illis, quæ ſunt in altera vita, ſed quantum capere poteſt: ſi in fide fuit, & deſiderat, etiam ei mirabilia & magnifica Cæli oſtendunt.*

315. *At ſi non talis, ut inſtrui velit, tunc cupit Reſuſcitatus ſeu Anima, ab Angelorum conſortio, quod Angeli exquiſite percipiunt, nam in altera vita datur communicatio omnium idearum cogitationis: & quando cupit ab illis, tunc illi non relinquunt eum, ſed is ſe diſſociat ab illis: Angeli unumquemvis amant, & nihil prius deſiderant, quam officia præſtare, inſtruere, & auferre in Cælum; in eo illorum ſumma delectatio conſiſtit.*

316. *Cum Anima ſe ita diſſociat, excipitur a Spiritibus bonis, in quorum conſortio cum eſt, etiam ei omnia officia præſtantur: at ſi vita ejus talis in mundo fuit, ut non in conſortio bonorum eſſe potuerit, tunc quoque ab iis cupit; & hoc tamdiu & toties, uſque dum ſe aſſociat talibus, qui vitæ ejus in mundo, prorſus conveniunt, apud quos vitam quaſi ſuam invenit; & tunc, mirum, cum iis ſimilem vitam agunt, qualem in corpore: ſed cum in illam vitam relapſi ſunt, tunc inde*

ſit

ſit novum Exordium vitæ, quidam poſt majorem, quidam poſt minorem temporis moram, feruntur inde verſus Infernum; qui vero in fide in Dominum fuerunt, ii a novo illo Exordio vitæ ducuntur per gradus ad Cælum.

317. *Sed quidam ad Cælum lentius, quidam citius, imo etiam vidi, quod aliqui poſt mortem immediate in Cælum ſublati ſint: ſolum duo exempla memorare licet.*

318. *Quidam ad me venit, & mecum loquutus; ex quibuſdam ſignis conſtare potuit, quod nuper e vita exceſſerit; primum neſciebat, ubinam eſſet, putans ſe eſſe in mundo: cumque ei datum ſcire, quod in altera vita, & quod nunc non haberet quicquam, ut domum, opes, & ſimilia, ſed quod eſſet in alio Regno, ubi privatus omnibus quæ habuit in mundo, tunc anxietate affectus neſciebat quo ſe conferret, quoque habitaret, ſed ei dicebatur, quod Solus Dominus ei & omnibus proſpiciat; tunc relictus ſibi, ut cogitaret ſicut in mundo, & cogitabat (omnium enim cogitationes in altera vita percipi manifeſte poſſunt) quid tunc faceret, quia abſque omnibus iis, ex quibus potuiſſet vivere: ſed cum in anxietate illa eſſet, transferebatur inter Spiritus cæleſtes, qui erant ex Cordis provincia, illi ei omnia officia præſtabant, quæcunque uſque deſiderabat; hoc facto iterum ſibi relictus, cogitare ex Charitate cæpit, quomodo tantam gratiam rependere poſſet, ex quibus conſtabat, quod, dum in vita corporis, in fidei charitate fuerit, quare ſtatim in Cælum ſublatus eſt.*

319. *Alium quoque vidi immediate in Cælum ab Angelis translatum, & quod a Domino acceptatus, & ei oſtenſa gloria Cæli. Præter multam aliam experientiam, quod quidam poſt tractum temporis.*

GENESEOS,

GENESEOS,

CAPUT QUARTUM.

Qualis vita Animæ ſeu Spiritus.

320. *QUOD in genere ſpectat vitam Animarum ſeu recentium Spirituum poſt mortem, multis experientiis conſtiterat, quod homo dum in alteram vitam venit, non ſciat, quod in altera vita ſit, putans quod adhuc in mundo, imo in ſuo corpore; uſque adeo, ut cum ei dicitur, quod ſit ſpiritus, quod miretur & obſtupeſcat; tam ex cauſa, quod prorſus ſit ſicut homo, quoad ſenſus, cupiditates & cogitationes; quam ex eo, quod non crediderit, cum vixit in mundo, quod ſpiritus ſit, & quidam, quod ſpiritus non poſſit eſſe talis.*

321. *Alterum eſt, quod Spiritus multo excellentiores facultates ſenſitivas habeat, & multo excellentiores cogitandi loquendique dotes, quam cum vixit in corpore, uſque adeo, ut vix comparari poſſint; tametſi hoc Spiritus neſciant, antequam detur iis reflexio a Domino.*

322. *Caveant ſibi ab opinione falſa, quod Spiritus ſint abſque ſenſitivo exquiſitiori multo, quam in vita corporis, contrarium ſcio a mille & mille experientiis; ſique non credere velint, ex cauſa ſuarum ſuppoſitionum de ſpiritu, habeant ſibi, cum in alteram vitam veniunt, ubi ipſa experientia faciet eos credere: non ſolum habent Viſum, nam vivunt in luce, & ſpiritus boni, angelici & angeli in tanta luce, ut lux meridiei in mundo ei vix comparari poſſit; de Luce, in qua vivunt & vident, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: habent Auditum, tam exquiſitum, ut auditus eorum in corpore non æquiparari poſſit; mecum loquuti ſunt nunc per aliquot annos fere continue; ſed de Loquela eorum etiam, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: habent Olfactum, de quo etiam ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: habent Tactum exquiſitiſſimum, inde dolores & cruciatus in inferno; nam ad tactum ſe referunt omnes ſenſationes, quæ ſunt modo diverſitates & varietates tactus: habent Cupiditates & Affectiones, quibus nec comparari poſſunt eæ quas habuerunt in*

vita corporis, de quibus plura, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: Cogitant multo perſpicacius & diſtinctius, quam cogitarunt in vita corporis; in una idea cogitationis plura involvunt, quam in mille cum cogitarunt in vita Corporis: Loquuntur inter ſe ita acute, ſubtiliter, ſagaciter, & diſtincte, ut ſi perciperet homo modo aliquid de eo, obſtupeſceret: in ſumma, nihil prorſus amiſerunt, quin ſint ſicut homines, ſed perfectiores, præter oſſa & carnem, & inde imperfectiones. Agnoſcunt & percipiunt, quod, dum in corpore vixerunt, fuerit ſpiritus, qui ſenſit, quod tametſi apparuit in corpore, uſque non fuit corporis; quare rejecto corpore, vivunt ſenſationes multo exquiſitiores, & perfectiores; vita conſiſtit in ſenſu, nam abſque ſenſu nulla vita, & qualis ſenſus talis vita, quod cuivis poteſt notum eſſe.

323. *Sequuntur ad finem capitis quædam exempla de iis, qui aliter in vita corporis cogitarunt.*

CAPUT IV.

1. ET Homo cognovit Chavam uxorem ſuam, & concepit & peperit Cain; & dixit, acquiſivi virum, Jehovam.

2. Et addidit parere fratrem ejus, Habel; & fuit Habel paſtor gregis, & Cain fuit colens humum.

3. Et factum a fine dierum, & attulit Cain de fructu humi, munus Jehovæ.

4. Et Habel attulit etiam ille de primogenitis gregis ſui, & de pinguedine eorum: & aſpexit Jehovah ad Habel, & ad munus illius.

5. Et ad Cain, & ad munus ejus non aſpexit: & accenſa eſt ira Caino valde, & ceciderunt facies ejus.

6. Et dixit Jehovah ad Cain, quare accenſa eſt ira tibi; & quare ceciderunt facies tuæ,

7. Annon ſi benefacis, elevatio; & ſi non benefacis, ad januam peccatum cubans, & ad te deſiderium ejus, & tu dominaris ei.

8. Et dixit Cain ad Habel, fratrem ſuum: & erat, cum eſſent in agro, & ſurrexit Cain contra Habel fratrem ſuum, & occidit illum.

9. Et dixit JEHOVAH ad Cain, ubi Habel frater tuus; & dixit non ſcio, an cuſtos fratris mei ego.

10. Et dixit, quid feciſti, vox ſanguinum fratris tui clamantium ad Me ex humo.

11. Et nunc, maledictus tu de humo, quæ aperuit os ſuum, accipiens ſanguines fratris tui e manu tua.

12. Cum coles humum, non addet dare vim ſuam tibi, vagus & profugus eris in terra.

13. Et dixit Cain ad JEHOVAM, major iniquitas mea, quam ut auferatur.

14. Ecce ejeciſti me hodie deſuper faciebus humi; & a faciebus tuis abſcondar, & ero vagus & profugus in terra; & erit omnis inveniens me, occidat me.

15. Et dixit ei JEHOVAH, quapropter omnis occidens Cain ſeptempliciter vindicabitur: & poſuit JEHOVAH Caino ſignum, ut non percuteret eum quiſquam inveniens eum.

16. Et exivit Cain a faciebus JEHOVÆ; & habitavit in terra Nod verſus orientem Edenis.

17. Et cognovit Cain uxorem ſuam, & concepit, & peperit Chanoch; & fuit ædificans urbem, & vocavit nomen urbis ſecundum nomen filii ſui Chanoch.

18. Et natus Chanocho, Iradum; & Irad genuit Mechujael, & Mechujael genuit Methuſchael, & Methuſchael genuit Lamech.

19. Et accepit ſibi Lamech duas uxores, nomen unius Adah, & nomen alterius Zillah.

20. Et peperit Adah Jabal, is erat pater habitantis tentorium, & pecoris.

21. Et nomen fratris ejus Jubal, is erat pater omnis pulſantis citharam & organum.

22. Et Zillah etiam ea peperit Thubal Cain, erudiens omnem artificem æris & ferri. Et Soror Thubal Cain Naamah.

23. Et dixit Lamech uxoribus ſuis Adah & Zillah; audite vocem meam uxores Lamechi, & auribus percipite dictum meum, quod virum occidi in vulnus meum, & parvulum in livorem meum.

24. Quod ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lamech ſeptuagies & ſepties.

25. Et cognovit homo adhuc uxorem ſuam, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Scheth; quia repoſuit mihi DEUS ſemen aliud loco Habelis, quod occiderit illum Cain.

26. Et

26. Et Schetho etiam illi natus eſt filius, & vocavit nomen ejus Enoſch: tunc cæptum eſt invocare nomen JEHOVÆ.

CONTENTA.

324. AGitur de Doctrinis ſeparatis ab Eccleſia, ſeu Hæreſibus, & de exſuſcitata poſtmodum Eccleſia nova, dicta Enoſch.

325. Antiquiſſima Eccleſia per Amorem fidem in Dominum habuit; ſed exſtiterunt, qui ſepararunt fidem ab Amore: Doctrina ſeparatæ ſidei ab amore vocata fuit Cain: Charitas, quæ eſt amor erga proximum, dicta fuit Habel, verſ: 1. 2.

326. Utriuſque Cultus deſcribitur; fidei ſeparatæ per munus Caini; & charitatis, per munus Habelis, verſ: 3, 4. Et quod gratus fuerit cultus ex charitate, non autem ex fide ſeparata, verſ: 4, 5.

327. Quod mutatus in malum ſtatus eorum, qui ex fide ſeparata fuerunt, deſcribitur per iram accenſam, & cadere facies Caino, verſ: 5. 6.

328. Et quod noſcatur ex charitate, qualis fides: tum quod charitas apud fidem eſſe velit, ſi non fides principale fiat, & extollatur ſupra charitatem: verſ: 7.

329. Quod Charitas exſtincta ſit apud eos qui ſepararunt fidem, & prætulerunt charitati, deſcribitur per Cainum, quod occiderit Habelem fratrem: verſ: 8. 9.

330. Exſtincta Charitas vocatur vox ſanguinum, verſ: 10. Perverſa doctrina, maledictio de humo, verſ: 11. falſum & malum inde eſt vagum & profugum in terra, verſ: 12. Et quia averterunt ſe a Domino, quod periculum mortis æternæ, verſ: 13. 14. Sed quia fides eſt, per quam implantaretur poſtea Charitas, ſacroſanctum erat illam violare, quod eſt ſignum poſitum Caino, verſ: 15. & a ſede, ubi prius, illam removere, eſt quod habitaret verſus orientem Edenis, verſ: 16.

331. Hæreſis illa tum amplificata, vocata eſt Chanoſch, verſ: 17.

332. Hæreſes inde exſurgentes etiam ſuis nominibus vocantur; in quarum ultima, quæ vocatur Lamech, nihil amplius de fide remanſit, verſ: 18.

333. Nova tunc Eccleſia orta, quæ intellecta per Adah & Zillah, & deſcripta per filios illarum Jabal, Jubal & Thubalcain; Eccleſiæ Cœleſtia per Jabal; Spiritualia per Jubal; Naturalia per Thubalcain, verſ: 19. 20. 21. 22.

334. Quod Eccleſia illa orta, cum exſtinctum fuit omne fidei, & omne charitatis, & cum violatum, quod maxime ſacroſanctum, deſcribitur, verſ: 23. 24.

335. Summa rerum traditur; quod poſtquam fides ſeparata exſtinxerit Charitatem, quod eſt Cain, nova fides a Domino donata, per quam implantabatur Charitas; quæ fides eſt Scheth, verſ: 25.

336. Charitas implantata per fidem, vocatur Enoſch, ſeu Homo alius, quod nomen eſt iſtius Eccleſiæ, verſ: 26.

SENSUS INTERNUS.

337. HIC quia de degeneratione Eccleſiæ antiquiſſimæ, ſeu falſificatione Doctrinæ, & conſequenter de hæreſibus & ſectis ſub nominibus Caini, & ejus deſcendentium, agitur, ſciendum, quod nequaquam intelligi queat, quomodo falſificata fuerit Doctrina, ſeu quales fuerint hæreſes aut ſectæ illius Eccleſiæ, niſi probe ſciatur, qualis vera Eccleſia; inde cognoſci poſſunt. De Antiquiſſima Eccleſia prius ſatis multis actum eſt, & oſtenſum, quod fuerit Cœleſtis homo, & quod non agnoverit aliam fidem, quam quæ eſſet amoris in Dominum, & erga proximum; per amorem illum a Domino habebant fidem, ſeu perceptionem omnium quæ erant fidei; quare nec voluerunt nominare fidem, ne ſepararetur ab amore, ut oſtenſum prius n: 200 ad 203. Talis eſt Cœleſtis homo, & quod talis, deſcribitur per repræſentativa etiam apud Davidem, ubi agitur de Domino, Qui dicitur Rex, & de cœleſti homine, qui "filius Regis," Judicia tua Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis; ferent "montes pacem populo, & colles in juſtitia; timebunt Te cum Sole, & ad "facies Lunæ, generatio generationum; florebit in diebus illius juſtus, & "multa pax, uſque dum non luna," Pſalm: LXXII: 1. 3. 5. 7. per ſolem ſignificatur amor; & per lunam fides; per montes & colles Eccleſia antiquiſſima; per generationem generationum Eccleſiæ poſtdiluvianæ; uſque dum non luna dicitur, quia fides erit amor; videantur quoque quæ apud Eſaiam XXX: 26. Antiquiſſima Eccleſia fuit talis, & doctrina talis; hodie vero prorſus alia, nam fides hodie præcedit, ſed per fidem charitas a Domino donatur, & tunc fit charitas principale, quare ſequitur, quod falſificata antiquiſſimo tempore fuit doctrina, cum confeſſi ſunt fidem, & ſic ſeparарunt fidem ab amore: qui falſificarunt ita doctrinam, aut ſepararunt fidem ab amore, ſeu fidem ſolam confeſſi, ii tunc dicti Cain, & erat tale apud eos enorme.

338. Verſ: 1. *Et Homo cognovit Chavam uxorem ſuam, & concepit & peperit Cain, & dixit, acquiſivi Virum, Jehovam.* Per hominem & Chavam uxorem

uxorem ejus ſignificatur Eccleſia Antiquiſſima, ut notum; ejus prima proles ſeu primogenitum eſt Fides, quæ hic vocatur Cain: quod dixerit, acquiſivi Virum Jehovam, ſignificat quod fides apud eos, qui dicti Cain, cognita ſit, & agnita ſicut res per ſe.

339. In præcedentibus tribus Capitibus ſatis oſtenſum eſt, quod per hominem, & ejus uxorem, ſignificata ſit Eccleſia Antiquiſſima, ſic ut non poſſit dubitari; & quia homo & uxor ejus eſt Antiquiſſima Eccleſia, conſtat inde, quod conceptus & partus ejus non fuerit alius: Antiquiſſimis familiare fuit, nomina indere. & per nomina ſignificare res, & ſic inſtituere genealogiam; quæ enim ſunt Eccleſiæ, ſimiliter quoque ſe habent, unum concipitur & naſcitur ab altero, & habet ſe ut generatio; quare commune eſt in Verbo, talia quæ Eccleſiæ ſunt, vocare conceptus, partus, prolem, infantes, parvulos, filios, filias, juvenes, & ſic porro: prophetica iis ſunt plena.

340. Quod dixit, acquiſivi Virum Jehovæ, ſignificet, quod fides apud eos, qui dicti Cain, cognita ſit, & agnita ſicut res per ſe, conſtat ab illis, quæ in præmiſſis hujus Capitis dicta ſunt: prius quaſi ignorarunt, quid fides, quia perceptionem omnem, quæ erant fidei, habebant; at cum diſtinctam doctrinam facere incipiebant de fide, tunc depromebant illa, de quibus perceptionem habebant, & redigebant in doctrinam, & vocabant illam, Acquiſivi virum Jehovam, ſicut novum quoddam adinveniſſent, ita ſcientificum factum, quod fuit inſcriptum cordi: Unumquodvis novum antiquitus nomine vocabant, & quæ involvebant nomina, ſic explicabant; ſicut quid Iſmael ſignificet, quod audiret Jehovah miſeriam ejus, Geneſ: XVI: 11. quid Ruben, quod vidit Jehovah miſeriam meam, Geneſ: XXIX: 32. quid Simeon, quod audivit Jehovah, quod minus chara, ib: v: 33. quid Jehudah, hac vice confitebor Jehovæ, ib: v: 25. Altare a Moſe ædificatum, vocatum Jehovah vexillum, Exod: XVII: 15. hic ipſa Doctrina fidei, vocata, acquiſivi virum Jehovam, ſeu Cain.

341. Verſ: 2. *Et addidit parere fratrem ejus Habel: & fuit Habel paſtor gregis; & Cain fuit colens humum.* Alter partus Eccleſiæ eſt Charitas, quæ ſignificatur per Habelem & fratrem: paſtor gregis eſt, qui exercet bonum charitatis: colens humum eſt, qui abſque charitate, utcunque ex fide ſeparata ab amore, quæ nulla fides.

342. Quod alter partus Eccleſiæ ſit Charitas, conſtare poteſt ex illis, quæ Eccleſia concipit & parit, quæ non aliud ſunt, quam fides & charitas, ſimilia ſignificata ſunt per primos partus Leæ ex Jacobo, per Ruben fides, per Simen fides actu, per Levi charitas, Gen: XXIX: 32, 33, 34. quare etiam Tribus Levi ſacerdotium accepit, & paſtorem gregis repræſentavit: Charitas, quia eſt alter partus Eccleſiæ, vocatur frater, & nominatur Habel.

343. Quod Paſtor gregis ſit, qui exercet bonum charitatis, unicuivis notum eſſe poteſt, nam hoc familiare in Verbo Veteris & Novi Teſtamenti; qui ducit & docet, appellatur Paſtor; qui ducuntur & docentur, appellantur grex; qui non ducit ad bonum charitatis, & qui non docet bonum Charitatis, non eſt verus paſtor; & qui non ducitur ad bonum, & diſcit bonum, non eſt grex. Quod paſtor & grex ſignificent illa, quidem ſuperfluum eſt ex Verbo

firmare, ſed uſque ſint hæc; quæ apud Eſaiam, "Dominus dabit pluviam "ſeminis tui, quo ſeminas humum, & panem proventus humi, *paſcet pecora* "tua in die illo, prato lato," XXX: 23. ubi panis proventus humi eſt charitas. Apud Eundem, "Dominus Jehovih, ſicut *Paſtor Gregem* ſuum *paſcet*, in "brachium ſuum colliget agnos, & in gremio ſuo portabit, fœtas leniter *du-* "*cet.*" XL: 11. Apud Davidem, "*Paſtor* Iſraelis auſculta, *ducens*, ſicut *gre-* "*gem*, Joſephum; inſidens Cherubis, effulge," Pſalm: LXXX: 2. Apud Jeremiam, "Formoſæ & delicatæ aſſimilavi filiam Zionis, ad eam venient "*paſtores*, & *greges* eorum figent prope eam *tentoria* circumcirca, *paſcent* "quiſque ſpatium ſuum," VI: 2. 3. Apud Ezechielem, "Dixit Dominus "Jehovih, multiplicabo eos ſicut *gregem hominis*, ſicut *gregem* ſanctificatum, "ſicut *gregem* Hieroſolymæ, in temporibus ſtatis ejus, ſic erunt urbes de- "ſertæ plenæ *grege hominis*," XXXVI: 37, 38. Apud Eſaiam, "Omnis *grex* "Arabiæ congregabuntur tibi, *arietes* Nebaioth miniſtrabunt tibi," LX: 7. Qui gregem ducunt ad bonum charitatis, ſunt qui congregant gregem; at vero, qui non ad bonum charitatis, ſunt qui diſpergunt; nam omnis congregatio & unio ex charitate, & omnis diſperſio & diſunio ex non charitate.

344. Quid facit fides, ſeu ſcientia, cognitio, & doctrina fidei, quam ut homo ita fiat ſicut docet, primarium, quod docet, eſt charitas, Marc: XII: 28 ad 35, Math: XXII: 34 ad 39, hæc eſt finis omnium, quo ſpectat; ſi non fiat, quid ſcientia ſeu doctrina, niſi quoddam nihil.

345. Quod colens humum, ſit, qui abſque charitate, utcunque ex fide ſeparata ab amore, quæ nulla fides, conſtare poteſt ab iis, quæ ſequuntur, quod Jehovah non aſpexit ad munus ejus, & quod fratrem ſuum occidit, hoc eſt, quod charitatem per Habelem ſignificatam deſtruxit. Colere humum dicebantur, qui corporea & terreſtria ſpectant, ſicut conſtat ab iis, quæ dicta ſunt ad Cap: II: verſ: 19. 23. ubi dicitur, quod homo emiſſus ex horto Eden ad colendum humum.

346. Verſ: 3. *Et factum a fine dierum, & attulit Cain de fructu humi, munus Jehovæ.* Per finem dierum intelligitur progreſſus temporis: per fructum humi, opera fidei abſque charitate; per munus Jehovæ, cultus inde.

347. Quod per finem dierum intelligatur progreſſus temporis, unicuivis conſtare poteſt; Doctrina hæc, quæ Cainus vocatur, in ſuo primordio, cum adhuc ſimplicitas inerat, non ita ingrata fuiſſe apparet, ac poſtea, quod conſtat ex eo, quod appellaverint prolem acquiſitum Virum Jehovam, ita nec in primordio fides ita ſeparata fuit ab Amore, ac in fine dierum, ſeu progreſſu temporis, ſicut ſolet omnis doctrina veræ fidei.

348. Quod per fructum humi intelligantur opera fidei abſque charitate, ex ſequentibus etiam patet; opera enim fidei abſque charitate ſunt opera nullius fidei, in ſe mortua, nam ſunt ſolum externi hominis; de quibus ita apud Jeremiam, "Quare via impiorum proſperatur, plantaſti eos, etiam radicati "ſunt, iverunt, etiam faciunt *fructum*, propinquus tu in ore eorum, ſed "longinquus a renibus eorum, quouſque lugebit terra, & herba omnis agri "exareſcet, XII: 1, 2, 4. propinquus in ore, ſed longinquus a renibus ſunt

qui ex fide, ſeparata a charitate, de quibus prædicatur, quod terra lugeat. Vocantur etiam fructus operum apud Eundem, "Supplantativum Cor præ "omni, & deſperatum id, quis cognoſcit id, Ego Jehovah ſcrutans cor, pro- "bans renes, & ad dandum unicuivis juxta *vias* ejus, juxta *fructum operum* "ejus," XVII: 9, 10. Apud Micham, "Erit terra in deſolationem propter "habitatores ſuos, pro *fructu operum* eorum," VII: 13. Sed quod talis fructus, nullus fructus ſit, ſeu quod opus mortuum ſit, & quod pereat & fructus & radix, apud Amos, "Perdidi Emorræum coram illis, cujus ſicut altitudo "cedrorum altitudo ejus, & robuſtus is ſicut quercus, perdidi tamen *fructum* "ejus ſurſum, & *radices* ejus deorſum," II: 9. Et apud Davidem, "*Fructum* "eorum de terra perdes, & *ſemen* eorum de filiis hominis," Pſalm: XXI: 11. At opera charitatis viva ſunt, de quibus prædicatur, quod radices agant infra, & fructum edant ſupra, ut apud Eſaiam, "Addet evaſio domus Jehudæ "reſidua *radicem* deorſum, & faciet *fructum* ſurſum," XXXVII: 31. Facere fructum ſurſum eſt ex Charitate; talis fructus vocatur fructus excellentiæ, apud Eundem, "In die illa, erit germen Jehovæ in decus, & in gloriam, & "*fructus* terræ in *excellentiam* & ornamentum ereptioni Iſraelis," IV: 1. Eſtque fructus ſalutis, ut appellatur apud Eundem, "Stillate cœli deſuper, & "ætheres fluant juſtitia, aperiat ſe terra, & ferant *fructum ſalutis*, & juſtitia "germinet una; Ego Jehovah *creabo* hoc," XLV: 8.

349. Quod per Munus intelligatur Cultus, conſtare poteſt a repræſentativis in Eccleſia Judaica, ubi Sacrificia quæcunque, tum Primitiæ terræ & omnium ejus fructuum, ut & oblatio Primogenitorum, vocantur Munera, in quibus conſtabat cultus; & quia omnia repræſentabant Cœleſtia, & ſe referebant ad Dominum, per munera illa ſignificabatur verus cultus, quod unicuivis poteſt notum eſſe, nam quid repræſentativum abſque re quam repræſentat, & quid externum abſque interno, niſi idolum quid & mortuum; externum ab internis, ſeu per interna a Domino vivit; inde conſtat quod munera omnia Eccleſiæ repræſentativæ ſignificent cultum Domini, de quibus ſingulis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Quod per Munera in genere intelligatur Cultus, conſtare poteſt apud Prophetas paſſim, ut apud Malachiam, "Quis ſuſtinet diem adventus Ipſius, ſedebit conflans & purgans argen- "tum, & purificabit filios Levi, & defecabit eos, ſicut aurum, & ſicut "argentum, & erunt Jehovæ offerentes *Munus* in juſtitia, tum ſuave "erit Jehovæ *Munus* Jehudæ & Hieroſolymæ juxta dies æternitatis, & "juxta annos antiquos," III: 2, 3, 4. Munus in juſtitia eſt internum, quod filii Levi, ſeu ſancti cultores offerent; dies æternitatis eſt Eccleſia Antiquiſſima; dies antiqui ſunt Eccleſia antiqua. Apud Ezechielem, "In Monte "ſanctitatis meæ, in monte altitudinis Iſraelis, colent Me omnis domus "Iſraelis, tota illa terra, ibi propitius ero illis, & ibi quæram *Oblationes* "veſtras, & *primitias Munerum* veſtrorum in omnibus ſanctificationibus veſtris" XX: 40. Oblationes & primitiæ munerum in ſanctificationibus ſimiliter ſunt opera per charitatem a Domino ſanctificata. Apud Zephaniam, "A tranſitu "fluminum Æthiopiæ adoratores mei, adducent *Munus* meum," III: 10.

Æthiopia

Æthiopia pro iis qui poſſident cœleſtia, quæ ſunt Amor, Charitas, & opera Charitatis.

350. Verſ: 4. *Et Habel attulit etiam ille de primogenitis gregis ſui, & de pinguedine eorum: & aſpexit Jehovah ad Habel & ad munus illius.* Per Habelem ſignificatur hic ut prius Charitas: per primogenita gregis, ſanctum, quod eſt ſolius Domini: per pinguedinem, ipſum cœleſte, quod etiam eſt Domini: quod aſpexit Jehovah ad Habelem, & ad munus ejus, ſignificat, quod Domino grata fuerunt, quæ charitatis, & omnis cultus inde.

351. Quod Habel ſignificet Charitatem, prius oſtenſum eſt: Charitas ſignificat amorem erga proximum, & miſericordiam; qui enim amat proximum ut ſeipſum, etiam ejus miſeretur, cum patitur, ſicut ipſe ſui.

352. Quod per Primogenita gregis ſignificetur, quod eſt ſolius Domini, conſtare poteſt a Primogenitis in Eccleſia repræſentativa, quæ omnia ſancta fuerunt, quia ſpectabant Dominum, Qui Solus Primogenitus: Amor & inde fides eſt Primogenitus, omnis amor eſt Domini, & ne hilum amoris eſt hominis, quare Dominus Solus Primogenitus; hoc repræſentatum eſt in Eccleſiis antiquis per Primogenita hominis & beſtiæ, quod eſſent ſancta Jehovæ, Exod: XIII: 2, 12, 15. Et quod Tribus Levi, qui in ſenſu interno ſignificat amorem, poſt Ruben & Simeonem, qui in ſenſu interno ſignificant fidem, natus, acceptata loco omnium Primogenitorum, & facta ſacerdotium, Num: III: 40 ad 46. Cap: VIII: 14 ad 20. De Domino, quod Primogenitus omnium, quoad Humanam Ipſius Eſſentiam, ita apud Davidem, "Ille vocabit "Me, Pater meus Tu, Deus Meus, & Petra ſalutis meæ, etiam Ego *Pri-"mogenitum* dabo Illum, altum regibus terræ," Pſalm: LXXXIX: 27, 28. Et apud Johannem, "Jeſus Chriſtus, *Primogenitus* ex mortuis, & Princeps re-"gum terræ," Apoc: I: 5. Obſerves, quod Primogenita Cultus ſignificent Dominum; Primogenita autem Eccleſiæ ſignificent fidem.

353. Quod per Pinguedinem ſignificetur ipſum Cœleſte, quod etiam eſt Domini: Cœleſte eſt omne, quod eſt amoris, fides quoque cœleſtis eſt, quando ex Amore, charitas eſt cœleſte, omne bonum charitatis eſt cœleſte, quæ omnia repræſentata ſunt per Pinguedines in ſacrificiis, & quidem diſtincte per pinguedinem ſuper jecore, ſeu reticulum; per pinguedinem ſuper renibus; per pinguedinem tegentem inteſtina; & ſuper inteſtinis; quæ ſancta erant & adolebantur ſuper altari, Exod: XXIX: 13, 22. Lev: III: 3, 4, 14. Lev: IV: 8, 9, 19, 26, 31, 35. Lev: VIII: 16, 25. quare vocantur panis igniti in quietem Jehovæ, Lev: IV: 15, 16. ac ideo vetitum populo Judaico, ne quicquam pinguedinis ex beſtiis ederent, quod vocatur ſtatutum æternitatis in generationes, Lev: III: 17. Cap: VII. 23, 25. ex cauſa, quia Eccleſia iſta talis erat, ut non agnoſceret interna, minus cœleſtia. Quod Pinguedo ſignificet cœleſtia & bona charitatis, conſtat apud Prophetas, ut apud Eſaiam, "Quare appenditis argentum in quod non panis; & laborem veſtrum, in "quod non ad ſatietatem, attendite attendendo ad Me, & commedite bo-"num, ut delicietur in *pinguedine* anima veſtra," LV: 2. apud Jeremiam,

"Implebo

" Implebo Animam ſacerdotum *Pinguedine*, & populus meus bono meo ſatu-" rabuntur," XXXI: 14. Quod non pinguedo intelligatur, ſed cœleſte ſpirituale bonum, manifeſte conſtat. Apud Davidem, " Implentur *Pinguedine* " domus tuæ, & flumine delitiarum tuarum potas eos, quia Tecum ſcaturigo " vitarum, in luce tua videmus lucem," Pſalm: XXXVI: 9, 10. ubi pinguedo & ſcaturigo vitæ pro cœleſti, quod eſt amoris; flumen deliciarum & lux pro ſpirituali, quod eſt fidei inde. Apud Eundem, " *Adipe* & *pinguedine* ſatu-" rabitur Anima mea, & labiisc anticorum laudabit os meum," Pſalm: LXIII: 6: ubi pingue ſimiliter pro cœleſti, labia canticorum pro ſpirituali; quod cœleſte ſit, conſtat manifeſte, quia anima ſaturabitur. Ipſæ primitiæ, quæ erant primogenita terræ, vocantur inde pinguedo, Num: XVIII: 12. Cœleſtia quia dantur innumerabilium generum, & adhuc innumerabiliorum ſpecierum, ita communiter deſcribuntur in Cantico, quod Moſes recitavit coram populo, " *Butyrum* bovis, & *Lac* gregis, cum *Pinguedine* agnorum & arietum, filio-" rum Baſchanis, & hircorum, cum *Pinguedine* renum tritici, & *Sanguinem* uvæ bibes merum," Deut: XXXII: 14. Hæc nuſquam aliquis ſcire poteſt, quid ſignificant, niſi ex ſenſu interno; abſque ſenſu interno, nemo ſcire poteſt, quid butyrum bovis, quid lac gregis, quid pinguedo agnorum, quid pinguedo arietum, & hircorum, quid filii Baſchanis, quid pinguedo renum tritici, quid Sanguis uvæ; abſque ſenſu interno forent voces, & præterea nihil; cum tamen omnia & ſingula ſignificant genera & ſpecies Cœleſtium.

354. Quod Jehovah aſpexerit ad Habelem, & ad munus ejus, ſignificent, quod Domino grata fuerunt, quæ Charitatis, & omnis cultus inde, prius explicatum eſt, tam quid Habel, quam quid munus.

355. Verſ: 5. *Et ad Cain, & ad munus ejus non aſpexit: & accenſa eſt ira Caino valde, & ceciderunt facies ejus.* Per Cainum ſignificatur, ut dictum, fides ſeparata ab amore, ſeu doctrina talis, quod fides ſeparari poſſit: per munus ejus, quod non aſpexit, ſignificatur, ut prius, quod cultus ejus non acceptus eſſet: per iram accenſam Caino, & per facies quod ceciderint, ſignificatur, quod mutata interiora; per iram, quod receſſerit charitas: & per faciem, interiora, quæ cadere dicuntur, cum mutantur.

356. Quod per Cainum ſignificetur fides ſeparata ab amore, ſeu doctrina talis, quod fides ſeparari poſſit; tum, quod munus, quod non aſpexit, ſignificet, quod cultus ejus non acceptus eſſet, prius oſtenſum eſt.

357. Quod per iram accenſam Caino, ſignificetur, quod receſſerit charitas, conſtare poteſt a ſequentibus, quod occiderit Habelem fratrem, per quem ſignificatur Charitas: Ira eſt Affectio Communis, reſultans ex omni quod contrariatur amori proprio, & ejus cupiditatibus; in mundo ſpirituum malorum hoc manifeſte percipitur, eſt enim ira communis contra Dominum, quia in nulla charitate ſunt, ſed in odiis; quodcunque non favet amori proprio & mundi, hoc excitat contrarietatem, quæ manifeſtatur per iram: de Jehovah in Verbo multoties prædicatur ira, excandeſcentia, ut & furor; ſed ſunt hominis, & tribuitur Jehovæ, quia ita apparet; & ex cauſa de qua prius; ita apud

apud Davidem, "Miſit in eos *iram naris ſuæ*, & *excandeſcentiam*, & *furorem*, "& anguſtiam, & immiſſionem angelorum malorum; libravit ſemitam *iræ*, "non prohibuit a morte animam eorum, Pſalm: LXXVIII: 49. Non quod Jehovah uſquam mittat in aliquem iram, ſed quod ii ſemetipſis; nec angelos malos, ut dicitur, ſed quod homo eos adſciſcat, ideo additur quod libret ſemitam iræ, & non prohibeat a morte animam eorum; quare apud Eſaiam, "ad Jehovam veniet, & pudefient omnes, qui *excanduerunt* contra Ipſum," XLV: 24. inde conſtat, quod ira ſignificet mala, ſeu quod idem eſt, receſſionem a charitate.

358. Quod per cadere facies ſignificetur, quod interiora mutentur, etiam a ſignificatione faciei, & ſignificatione cadere conſtat; facies apud antiquos ſignificavit interna, quia per faciem interna elucent; tales etiam antiquiſſimis temporibus fuerunt, ut facies prorſus concordaret cum internis, ſic ut quiſque ex facie videre potuiſſet, qualis animus aut mens ejus eſſet; pro enormi re ducebant aliud facie oſtendere, aliud cogitare; ſimulatio & dolus tunc fuit abominabilis; quare per faciem ſignificabantur interna; cum charitas elucebat ex facie, tunc dicebatur elevari facies; cum autem contrarium, tunc dicebatur facies cadere; quare etiam de Domino prædicatur, quod Facies elevet ſuper hominem, ut in Benedictione, Num: VI: 26. & Pſalm: IV: 6. quo ſignificatur, quod Dominus det homini charitatem: quid cadere facies, conſtat apud Jeremiam, "Non faciam *cadere faciem* meam erga vos, quoniam "miſericors Ego, dictum Jehovæ," III: 12. Facies Jehovæ eſt Miſericordia, cum elevat faciem ſuper aliquem, eſt quod ex Miſericordia ei charitatem det: contrarium eſt, cum facit cadere faciem, hoc eſt, cum homini facies cadit.

359. Verſ: 6. *Et dixit Jehovah ad Cain, quare accenſa eſt ira tibi, & quare ceciderunt facies.* Quod Jehovah dixerit ad Cain, eſt quod conſcientia dictaverit: quod accenſa ira, & quod ceciderint facies, ſignificatur ut prius, quod receſſerit charitas, & mutata ſint interiora.

360. Quod Jehovah dixerit ad Cain, ſit quod conſcientia dictaverit, non opus habet confirmatione: ſimile prius explicatum eſt.

361. Verſ: 7. *Annon ſi benefacis, elevatio, & ſi non benefacis, ad januam peccatum cubans; & ad te deſiderium ejus, & tu dominaris ei.* Si benefacis, elevatio, ſignificat, ſi benevis, quod charitas apud te ſit: ſi non benefacis, ad januam peccatum cubans, ſignificat, ſi non benevis, quod charitas nulla, ſed malum: ad te deſiderium ejus, & tu dominaris ei, eſt, quod charitas apud te eſſe velit, ſed non poteſt, quia vis ei dominari.

362. Deſcribitur hic doctrina fidei, quæ Cain vocatur; quæ quia fidem ſeparavit ab amore, etiam ſeparavit a charitate, quæ eſt proles amoris: ubicunque aliqua Eccleſia, ibi exiſtunt hæreſes, ex cauſa, quia dum cogitant de uno articulo fidei, quod illum principalem faciant; nam talis eſt cogitatio hominis, dum alicui rei intendit, hoc præponit alteri, cumprimis quando phantaſia vindicat id ut inventum proprium, & cum amor ſui & mundi ſufflant, tunc nihil non quaſi conſentit, & confirmat, uſque fere ut jurent, quod

quod ita ſit, cum tamen eſt falſum; ſicut illi, qui Cain vocati ſunt, fidem eſſentialem fecerunt præ amore; & quia ſic vivebant abſque amore, conſpiravit tam amor ſui, quam phantaſia inde.

363. Qualis doctrina fidei fuerit, quæ Cain dicta, conſtat ex deſcriptione ejus in hoc verſu; a ſequentibus in hoc verſu, quod charitas potuiſſet adjuncta eſſe fidei, ſed ita ut charitas dominaretur, non fides; quare dicitur primum, ſi benefacis elevatio, quo ſignificatur, ſi benevis, charitas poſſet adeſſe; benefacere ſignificat in ſenſu interno, benevelle, nam facere bonum a velle bonum profluit, antiquitus actio & voluntas unum faciebant, ex actione conſpiciebant voluntatem, quia nihil ſimulati erat: quod elevatio ſignificet quod charitas adſit, conſtat ab illis, quæ prius dicta ſunt de faciebus, quod elevare facies ſit charitatem habere; & cadere facies, quod ſit contrarium.

364. Alterum erat, ſi non benefacis, ad januam peccatum cubans, quo ſignificatur, ſi non benevis, quod charitas nulla, ſed malum; quod peccatum, dum ad januam cubat, ſit malum, quod præſto eſt, & intrare vult, unicuivis conſtare poteſt; dum enim nulla charitas, eſt immiſericordia & odium, proinde omne malum. Peccatum in genere pro diabolo ſumitur, qui ſeu turba ejus, præſto eſt, dum homo abſque charitate eſt; unicum quod diabolum & ejus turbam a janua profugat, eſt Amor in Dominum, & erga proximum.

365. Tertium eſt, quod ad te deſiderium ejus, & tu dominaris ei, quo ſignificatur, quod charitas apud fidem eſſe velit, ſed quod non poſſit, quia fides vult dominari ei, quod eſt contra ordinem; quamdiu fides vult dominari, non eſt fides, ſed cum charitas dominatur, tunc eſt fides, nam principale fidei eſt charitas, ut prius oſtenſum eſt. Charitas poteſt comparari flammæ, quæ eſt eſſentiale caloris & lucis, nam inde calor & lux; fides ſeparata poteſt comparari luci, quæ cum abſque calore flammæ, tunc quidem eſt lux, ſed lux hyemis, qua nihil non torpeſcit & emoritur.

366. Verſ: 8. *Et dixit Cain ad Habel fratrem ſuum: & erat, cum eſſent in agro, & ſurrexit Cain contra Habel fratrem ſuum, & occidit illum.* Quod dixerit Cain ad Habel, ſignificat tractum temporis; per Cain ſignificatur, ut dictum, fides ſeparata ab amore; per Habel charitas, quæ eſt frater fidei, quare etiam hic bis vocatur frater: ager ſignificat quicquid eſt doctrinæ: quod ſurrexerit Cain contra Habel fratrem ſuum, & occiderit illum, ſignificat, quod fides ſeparata exſtinxerit charitatem.

367. Hæc non opus habent confirmatione a ſimilibus Verbi, ſolum quod Charitas ſit frater fidei, & quod Ager ſignificet quicquid eſt doctrinæ. Quod Charitas ſit frater fidei, unicuivis conſtare poteſt ex natura ſeu eſſentia fidei: fraternitas illarum etiam repræſentata fuit per Eſavum & Jacobum, quare quoque lis de primogenitura, & inde dominio: repræſentata quoque per Perez & Serach, filios Thamaris ex Judah, Gen: XXXVIII: 28, 29, 30. ubi etiam de primogenitura; repræſentata quoque per Ephraim & Menaſſe, Gen: XLVIII: 13, 14. ſimiliter de primogenitura, & dominio inde: ita quoque per alios: uterque enim, ſeu fides & charitas eſt proles Eccleſiæ; fides vocatur

Vir, ſicut Cain, verſ: 1, hujus capitis, & charitas Frater, ut Eſa: XIX: 2. Jer: XIII: 14, & alibi: unio fidei & charitatis vocatur fœdus fratrum, Amos I: 9. ſimiliter ac res ſignificatur per Cainum & Habelem, repræſentatum fuit per Jacobum & Eſavum, ut dictum, quod Jacobus ſimiliter Eſavum voluerit ſupplantare, conſtat etiam apud Hoſcheam, "Ad viſitandum ſuper Jacobum "vias ejus, ſecundum opera ejus retribuet ei, in utero ſupplantavit fratrem "ſuum," XII: 3, 4. At quod Eſavus, ſeu Charitas per Eſavum repræſentata, uſque dominaretur, conſtat a prophetica prædictione, per Iſacum patrem, "Super gladio tuo vives, & fratri tuo ſervies, & erit, quando *dominaribus*, "& expelles jugum ejus deſuper collo tuo," Gen: XXVII: 40. ſeu quod idem eſt, Eccleſia gentium ſeu nova, per Eſavum, & Eccleſia Judaica per Jacobum; quare toties dictum, quod agnoſcerent gentes pro fratribus: fratres etiam omnes dicti ex charitate in Eccleſia gentium ſeu Primitiva: Fratres etiam vocati a Domino qui audiunt Verbum, & faciunt illud, Luc: VIII: 21. qui audiunt, ſunt qui habent fidem, qui faciunt ſunt qui habent charitatem: qui autem audiunt ſeu dicunt ſe habere fidem, & non faciunt ſeu non habent charitatem, non ſunt fratres, nam eos aſſimilat ſtultis, Matth: VII: 24, 26.

368. Quod Ager ſignificet doctrinam, ita quicquid eſt doctrinæ de fide & charitate, conſtat a Verbo; apud Jeremiam, "Mons mi in *Agro*, facultates "tuas, omnes theſauros tuos in prædam dabo," XVII: 3. ubi ager pro doctrina, facultates & theſauri pro divitiis ſpiritualibus fidei, ſeu quæ ſunt doctrinæ fidei: apud Eundem, "Num deferet de petra *Agri* mei, nix Libani," XVIII: 14. de Zione prædicatur, quod ſicut *Ager* arabitur, cum doctrina fidei nulla, Jer. XXVI: 18. Mich: III. 12. apud Ezechielem, "Sumſit de ſemine terræ, "poſuitque in *Agro* ſementis," XVII: 5. ubi de Eccleſia, ejuſque fide agitur, nam doctrina vocatur ager ex ſemine: apud Eundem, "Et cognoſcant "omnes arbores *Agri*, quod Ego Jehovah humiliem arborem altam," XVII: 24. apud Joelem, "Devaſtatus eſt *Ager*, luxit *Humus*, quia devaſtatum eſt "frumentum, exaruit muſtum, infirmatum eſt oleum, pudefacti ſunt *Agri-* "*colæ*, periit *Meſſis Agri*, omnes *arbores Agri* exſiccatæ," I: 10, 11, 12. ubi ager pro doctrina, arbores pro cognitionibus, agricolæ pro cultoribus: apud Davidem, "Exultabit *Ager*, & omne, quod in illo, tunc cantabunt "omnes arbores ſylvæ, Pſalm: CXVI: 12. ubi ager non exultare poteſt, nec arbores ſylvæ cantare, ſed quæ ſunt apud hominem, quæ ſunt cognitiones fidei: apud Jeremiam, "Quouſque lugebit terra, & *herba* omnis *Agri* areſcet" XII: 4. ſimiliter, quod nec terra, nec herba agri lugere poſſit, ſed quod eſt apud hominem, & vaſtatum. Similiter apud Eſaiam, "Montes & colles per- "ſonabunt coram vobis cantu, & omnes *arbores Agri* plaudent vola," LV: 12. Dominus quoque, ubi de Conſummatione ſæculi prædicit, etiam doctrinam fidei appellat agrum, "Duo erunt in *Agro*, unus aſſumetur, alter re- "linquetur," Matth: XXIV: 40. Luc: XVII: 36. ubi per agrum intelligitur Doctrina fidei tam falſa quam vera, ut hic; quia Ager eſt Doctrina, etiam quiſquis

quiſquis recipit aliquod ſemen fidei, vocatur ager, & Homo, & Eccleſia, & Mundus.

369. Inde nunc ſequitur, quid ſignificant, cum eſſent in agro, quod Cain ſurrexerit contra Habel fratrem ſuum, & occiderit illum, nempe, cum uterque, tam fides quam charitas eſſent ex Doctrina fidei, quod fides ſeparata ab amore, non potuiſſet, quin nihili faceret charitatem, & ſic illam exſtinguere; ut ſolent etiam hodie, qui ore ferunt, quod ſola fides ſalvificat, ſi vel nullum opus charitatis faciant; ita in ipſa ſuppoſitione exſtinguunt charitatem, cum tamen norunt, & ore fatentur, quod fides non ſit ſalvifica, niſi amor ſit.

370. Verſ: 9. *Et dixit Jehovah ad Cain, ubi Habel frater tuus, & dixit, non ſcio, an cuſtos fratris mei ego.* Quod dixerit Jehovah ad Cain, ſignificat perceptivum quoddam ab interiori, quod dictavit de charitate ſeu Habele fratre: quod dixerit, non ſcio, an cuſtos fratris mei ego, ſignificat quod nihili faceret charitatem, cui non famulari vellet; ita quod rejecerit prorſus quicquid eſſet charitatis; talis facta eſt eorum doctrina.

371. Antiquiſſimi per loquentem Jehovam ſignificabant Perceptionem, nam noverunt, quod Dominus daret illis percipere; Perceptio hæc non diutius manere potuit, quam cum Amor principale eſſet; cum ceſſavit amor in Dominum, & ſic erga proximum, periit perceptio; & quantum amoris remanſit, tantum perceptionis: Perceptivum hoc proprium erat Antiquiſſimæ Eccleſiæ, ſed poſtquam fides ſeparata eſt ab Amore, ut in poſtdiluvianis, & charitas data per fidem, ſucceſſit Conſcientia, quæ quoque dictat, ſed alio modo, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; cum Conſcientia dictat, ſimiliter dicitur, nempe quod Jehovah loquatur in Verbo; quia Conſcientia formatur ex revelatis & cognitionibus e Verbo, & cum Verbum dicit ſeu dictat, eſt Dominus qui dicit; quare nihil communius eſt dicere, etiam hodie, quam, quod Dominus loquatur, cum agitur de re conſcientiæ, aut fidei.

372. Cuſtodem eſſe, ſignificat ſervire, ſicut cuſtodes portæ, & cuſtodes liminis in Eccleſia Judaica; fides dicitur cuſtos charitatis, ex eo, quod ſervitura ſit; ſed ſecundum principia iſtius doctrinæ, erat, quod fides dominaretur, ſicut dictum ad verſ: 7.

373. Verſ: 10. *Et dixit, quid feciſti, vox ſanguinum fratris tui clamantium ad Me ex humo.* Vox ſanguinum fratris ſignificat violentiam illatam charitati: quod ſanguines clament, ſignificat reatum; humus ſchiſma ſeu hæreſin.

374. Quod vox ſanguinum ſignificet violentiam illatam charitati, conſtat a pluribus in Verbo; in quo Vox accipitur pro omni quod accuſat, & Sanguis pro omni peccato, imprimis pro odio; nam qui odio habet fratrem, corde ſuo eum occidit, ut Dominus docet, "Audiviſtis, quod veteribus dictum ſit, "non *occides*, quiſquis autem *occiderit*, obnoxius erit judicio; Ego vero dico "vobis, quod quiſquis *iraſcitur* fratri ſuo temere, obnoxius erit judicio; "quicunque vero dixerit fratri ſuo raka, obnoxius erit ſynedrio; quicunque

"autem dixerit, ſtulte, obnoxius erit gehennæ ignis, Matth: v: 21, 22. per quæ intelliguntur odii gradus; odium eſt contrarium charitati; & ſi non manu, uſque animo, & quocunque modo poſſit, occidit; ſunt modo vincula externa, quæ inhibent, ne manu; quare omne odium eſt ſanguis, ut apud Jeremiam, "Quid bonam facis viam tuam ad quærendum amorem, etiam in "alis tuis inventi ſunt *Sanguis* animarum egenorum innocentium," II: 33, 34. Et quia Odium eſt Sanguis, omnis iniquitas eſt ſanguis, nam fons omnium iniquitatum eſt Odium, ut apud Hoſcheam, "Pejerare, & mentiri, & occidere, & furari, & adulterari, latrocinantur, & *Sanguines*, in *Sanguinibus* "attigerunt, propterea lugebit terra, & contabeſcet omnis habitans in ea," IV: 2, 3. & apud Ezechielem, "Num judicabis urbem *ſanguinum*, & notifices ei omnes abominationes ejus, urbs effundens *Sanguines* in medio ſui, "per *Sanguinem* tuum, quem effudiſti, rea facta es," XXII: 2, 3, 4, 6, 9. ubi agitur de immiſericordia. Apud Eundem, "Terra plena eſt judicio "*Sanguinum*, & urbs plena eſt *Violentia*," VII: 23. & apud Jeremiam, "Ob peccata Prophetarum Hieroſolymæ, iniquitates Sacerdotum ejus, effundentium in medio ejus *Sanguinem* juſtorum, vagantur cæci in plateis, "polluti ſunt *Sanguine*," Thren: IV: 13, 14, apud Eſaiam, "Cum abluet Dominus ſordes filiorum Zionis, & *Sanguines* Hieroſolymæ deterſerit e medio, ſpiritu judicii, & ſpiritu combuſtionis," IV: 4. apud Eundem, "Volæ veſtræ pollutæ ſunt in *Sanguine*, & digiti veſtri in *Iniquitate*," LIX: 3. apud Ezechielem, "Præterivi præter te, vidique te conculcatam in *Sanguinibus* tuis, & dixi tibi, in *Sanguinibus* tuis vive, & dixi "tibi, in *Sanguinibus* tuis vive," XVI: 6, 22. ubi de abominationibus Hieroſolymæ, quæ vocantur ſanguines, agitur. Immiſericordia & Odium ultimorum temporum deſcribitur etiam per ſanguinem in Apocalypſi, XVI: 3, 4. Sanguines in plurali dicuntur, quia omnia iniqua & abominabilia ſcaturiunt ex odio, ſicut omnia bona & ſancta ex amore; qui itaque odio habet proximum, eum, ſi poſſet, occidit, & quocunque modo poteſt, occidit, quod eſt violentiam ei inferre, quæ hic per vocem ſanguinum proprie ſignificatur.

375. Vox clamans, & vox clamoris, eſt formula ſolennis in Verbo, & adplicatur unicuique rei, ubi aliquis ſtrepitus, turba, infeſtum, etiam ubi fauſtum, ut Exod: XXXII: 17, 18. Zephan: I: 9, 10. Eſai: LXV: 19. Jerem: XLVIII: 3. hic quod incuſet.

376. Quod ſanguines clamant, ſignificent Reatum, inde nunc ſequitur, nam qui violentia utuntur, reatum habent, ut apud Davidem, "Malum occidet impium, & *oſores* juſti *reatum* habebunt," Pſalm: XXXIV: 22. Apud Ezechielem, "Urbs per *ſanguinem*, quem effudiſti, *rea* facta es," XXII: 4.

377. Quod Humus ſignificet hic ſchiſma ſeu hæreſin, conſtat inde, quod Ager ſignificet Doctrinam, quare Humus, in qua Ager, eſt ſchiſma: ipſe homo eſt humus, ut & ager, quia ei inſeminantur illa, nam homo eſt ab iis quæ inſeminata ſunt; bonus & verus a bonis & veris; malus & falſus a malis & falſis; qui in doctrina aliqua, inde vocatur; qui in ſchiſmate ſeu hæreſi, inde vocatur; ita hic humus pro ſchiſmate ſeu hæreſi, quæ in homine.

378.

378. Verſ: 11. *Et nunc, maledictus tu, de humo, quæ aperuit os ſuum, accipiens ſanguines fratris tui e manu tua.* Maledictus tu de humo ſignificat quod averſus factus ex ſchiſmate; quæ aperuit os ſuum, ſignificat, quod docuit: accipiens ſanguines fratris tui e manu tua, eſt, quod violentiam intulerit charitati, quam exſtinxit.

379. Quod hæc ſignificentur, conſtat a præcedentibus; & quod maledictus ſignificet averſum, etiam prius oſtenſum eſt, n: 245. nam iniquitates & abominationes, ſeu odia ſunt quæ avertunt hominem, ut ſpectet ſolum deorſum, ſeu ad corporea & terreſtria, & ſic quæ inferni ſunt; quod fit, cum charitas in exilium mittitur, & exſtinguitur; tunc enim diſrumpitur vinculum inter Dominum & hominem; ſola charitas, ſeu amor & miſericordia ſunt, quæ conjungunt; fides nuſquam abſque charitate, nam nulla fides eſt, eſt ſcientia mera, qualem etiam diabolica turba habere poteſt, per quam fallere poſſunt doloſe probos, & lucis angelos ſimulare; ſicut ſolent quandoque peſſimi prædicatores etiam cum zelo quaſi pietatis, tametſi nihil minus apud eos eſt, quam id quod ore ferunt: an quiſquam tam infirmi judicii eſſe poteſt, ut credat, ſolam fidem memoriæ afficere poſſe, aut ſolam cogitationem inde, cum quiſque a propria experientia novit, quod nullus æſtimet alicujus voces & aſſenſiones, qualeſcumque ſunt, cum non ex voluntate ſeu intentione; eſt voluntas & intentio, quæ faciunt, ut placeat, & conjungunt unum alteri; velle eſt ipſe homo, non cogitare & loqui quod non vult; ex velle trahit naturam & indolem, quia illud afficit: at ſi cogitat bonum, tunc eſſentia fidei ſeu charitas eſt in cogitatione, quia velle bonum ineſt; at ſi dicit ſe cogitare bonum, & vivit male, nuſquam poteſt aliud velle, quam velle malum, quare eſt nulla fides.

380. Verſ: 12. *Cum coles humum, non addet dare vim ſuam tibi, vagus & profugus eris in terra.* Colere humum, ſignificat excolere hoc ſchiſma ſeu hanc hæreſin: non addere dare vim ſuam tibi, ſignificat quod ſterilis ſit: vagus & profugus eſſe in terra, eſt non ſcire quid verum & bonum.

381. Quod colere humum, ſit excolere hoc ſchiſma ſeu hanc hæreſin, conſtat ex ſignificatione humi, de qua mox prius; quod non addet dare vim ſuam, ſit, quod ſterilis ſit, patet inde, & ex ipſis verbis; tum exinde, quod, qui profitentur fidem abſque charitate, profiteantur nullam fidem, ut dictum eſt.

382. Quod vagus & prufugus eſſe in terra, ſignificet non ſcire quid verum & bonum, conſtat a ſignificatione vagari & fugere in Verbo; ut apud Jeremiam, "Prophetæ & Sacerdotes *vagantur* cæci in plateis, polluti ſunt in "ſanguine; ea quæ non poſſunt, tangunt veſtimentis," Thren: IV: 13, 14. ubi Prophetæ pro iis qui docent, Sacerdotes pro iis qui ſecundum ea vivunt; vagari cæci in plateis, eſt non ſcire quid bonum & verum: Apud Amos, "Pars agri unius pluviam accepit, & pars agri, ſuper quem non pluit, "exareſcit; unde *vagabuntur* duæ treſve urbes ad urbem unam ad bibendum "aquas, & non ſatiabuntur," IV: 7, 8. ubi pars agri ſuper quam pluvia, eſt doctrina fidei ex charitate; pars ſeu gleba agri, ſuper quem non pluit, eſt

eſt doctrina fidei abſque charitate; vagari ad bibendum aquas, eſt ſimiliter quærere quid verum. Apud Hoſcheam, "Percuſſus eſt Ephraim, radix "eorum exaruit, fructum non facient, rejiciet eos Deus meus, quia non auſcultarunt Ipſi, & erunt *vagi* inter gentes," IX: 16, 17. Ephraim pro intelligentia veri ſeu fide, quia primogenitus Joſephi, radix quæ exaruit, pro charitate, quæ fructum non facere poteſt; vagi inter gentes, quod non ſciant verum & bonum. Apud Jeremiam, "Aſcendite contra Arabiam, & de"vaſtate filios orientis, *fugite*, *vagamini* valde, in profundum demiſerunt ſe "ad habitandum habitatores Chazoris," XLIX: 28, 30. Arabia & filii orientis pro poſſeſſione divitiarum cœleſtium, ſeu illorum quæ ſunt amoris, de quibus vaſtatis etiam prædicatur fugere & vagari, ſeu profugi & vagi eſſe cum nihil boni faciunt; & de habitatoribus Chazoris, ſeu qui poſſident divitias ſpirituales, quæ ſunt fidei, prædicatur demittere ſe in profundum, ſeu perire. Apud Eſaiam, "Cuncti primores tui *vagantur* una, præ arcu vincti ſunt, e "longinquo *fugerunt*," XXII: 3. ubi agitur de valle viſionis, ſeu phantaſia de fide, quod detur abſque charitate: unde quod vagus & profugus, ſeu quod nihil veri & boni ſciat, qui confitetur fidem præter a charitate, in verſu 14 ſequente dicitur.

383. Verſ: 13. *Et dixit Cain ad Jehovam, major iniquitas mea, quam ut auferatur.* Quod Cain dixerit ad Jehovam, ſignificat confeſſionem quandam, quod in malo, ex dolore quodam interno: major iniquitas, quam ut auferatur, ſignificat deſperationem inde.

384. Exinde conſtat, quod in Caino uſque aliquid boni manſerit; ſed quod omne bonum charitatis poſtea perierit, conſtat ex Lamecho, de quo verſ: 19, 23, 24.

385. Verſ: 14. *Ecce ejeciſti me hodie deſuper faciebus humi; & a faciebus tuis abſcondar; & ero vagus & profugus in terra; & erit omnis inveniens me, occidat me.* Dejici deſuper faciebus humi ſignificat ſeparari ab omni vero Eccleſiæ: a faciebus tuis abſcondi, ſignificat ſeparari ab omni bono fidei amoris: vagus & profugus eſſe in terra, eſt non ſcire quid verum & bonum: quod omnis inveniens occideret, eſt quod omne malum & falſum perderet.

386. Quod ejici deſuper faciebus humi ſignificet ſeparari ab omni vero Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione humi, quæ in genuino ſenſu eſt Eccleſia, ſeu homo Eccleſiæ, inde quicquid profitetur Eccleſia, ſicut prius dictum; ex ſubjecto fit prædicatio; quare etiam qui profitetur male fidem, ſeu ſchiſma aut hæreſin, quoque vocatur humus: a faciebus humi dejici itaque hic eſt, non amplius eſſe in Vero Eccleſiæ.

387. Quod abſcondi a faciebus tuis ſignificet, ſeparari ab omni bono fidei amoris, conſtat ex ſignificatione facierum Jehovæ; Facies Jehovæ eſt, ut prius dictum, Miſericordia, e qua omnia bona fidei amoris; quare Bona fidei hic ſignificantur per Facies.

388. Eſſe vagus & profugus in terra, eſt ſicut prius, non ſcire verum & bonum.

389.

389. Quod omnis inveniens occideret, ſit, quod omne malum & falſum perderet eum, ſequitur inde: ſe enim ita res habet; cum homo privat ſe charitate, tunc ſeparat ſe a Domino; ſola charitas, ſeu amor erga proximum, & miſericordia, eſt quæ conjungit hominem Domino; abſque Charitate eſt disjunctio; cum disjunctio, tunc ſibi ſeu proprio relictus eſt; quicquid tunc cogitat, eſt falſum, & quicquid tunc vult, eſt malum; hæc ſunt quæ occidunt hominem, ſeu faciunt ut nihil vitæ habeat.

390. Quod ii, qui in falſo & malo, in continuo terrore ſint, ut occidantur, deſcribitur apud Moſen, "Et erit terra veſtra deſolatio, & urbes veſtræ vaſtitas, reſiduos inter vos, inducam *mollitiem* in cor eorum, in terris hoſtium eorum, & *perſequetur eos vox folii impulſi, & fugient fugam gladii*, cadentque nullo perſequente, & impingent quiſque in fratrem ſuum, quaſi coram gladio, & perſequens nullus," Lev: XXVI: 33, 36, 37. apud Eſaiam, "Perfidi perfide agunt, & perfidia perfidorum perfide faciunt, & erit *fugiens a voce pavoris* cadet in foveam; & aſcendens e medio foveæ, capietur laqueo; gravis erit ſuper eo prævaricatio ejus, ideo cadet, & non addet ſurgere," XXIV: 16 ad 20. apud Jeremiam, "Ecce adducens ſuper te *Pavorem*, ab omnibus circuitibus tuis expulſi eritis, quiſque ad facies ejus, nec congregans *vagantem*," XLIX: 5. apud Eſaiam, "Super equo fugiemus, ideoque fugietis, & ſuper veloce equitabimus, ideo veloces reddentur perſequentes vos, mille unum a coram increpatione unius, & a coram increpatione quinque fugietis," XXX: 16. 17. Hic & alibi in Verbo deſcripti ſunt, qui in falſo & malo, quod fugiant, & timeant ne occidantur; timor iis ineſt præ omni, quia nemo tutatur: quiſque qui in malo & falſo eſt, odio habet proximum, inde eorum unuſquiſque alterum occidere cupit.

391. Quod, qui in falſo & malo ſunt, timeant omnes, ſciri optime poteſt a malis ſpiritibus in altera vita; qui privarunt ſe omni charitate, vagantur & fugiunt; quocunque veniunt, ſi ad aliquas ſocietates, hæ illico percipiunt ex primo adventu qualis eſt, talis perceptio datur in altera vita, eos non ſolum abigunt, ſed etiam graviter puniunt, imo eo uſque, ut animo ſint occidere ſi poſſibile: delectantur quam maxime mali punire & cruciare unus alterum, in eo jucunditas eorum ſumma conſiſtit. Et quod arcanum adhuc eſt, ipſum falſum & malum eſt in cauſa, nam quod quis cupit alteri, redit in ipſum, falſum enim & malum in ſe habet pœnam falſi & mali, proinde timorem pœnæ.

392. 15. *Et dixit ei Jehovah, quapropter omnis occidens Cain, ſeptempliciter vindicabitur; & poſuit Jehovah Caino ſignum, ut non percuteret eum quiſquam inveniens eum.* Quod omnis occidens Cainum, ſeptempliciter vindicabitur, ſignificat, quod violare fidem ita ſeparatam, ſacroſanctum eſſet: quod Jehovah Caino poſuerit ſignum, ne percuteret eum quiſquam, eſt, quod Dominus diſtinxerit illam ſingulari modo, ut conſervaretur.

393. Antequam explicatur, quod in ſenſu interno illa ſignificentur, ſciendum, quomodo ſe res habet cum fide: Antiquiſſima Eccleſia talis fuit, ut nullam fidem agnoverit, niſi quæ ab Amore; uſque adeo, ut ne quidem

dem nominare vellent fidem; nam omnia, quæ fidei erant, percipiebant per Amorem a Domino; tales etiam ſunt Angeli cœleſtes, de quibus prius. Sed quia prævifum, quod genus humanum tale eſſe non poſſet, & quod ſepararent fidem ab amore in Dominum, & ex fide ſingularem doctrinam facerent, proviſum etiam eſt, ut quoque ſepararetur; ſed uſque ita, ut per fidem, ſeu per cognitiones fidei, acciperent a Domino charitatem, ſic ut cognitio ſeu auditio præcederet, & per cognitionem ſeu auditionem donaretur a Domino Charitas, hoc eſt, amor in proximum & miſericordia, quæ charitas non ſolum indivulſa eſſet a fide, ſed etiam principale fidei conſtitueret: ſucceſſit tunc, loco perceptionis, quæ fuit apud Antiquiſſimam Eccleſiam, Conſcientia, quæ comparata per fidem adjunctam charitati, dictaret, non quid verum, ſed quod verum, & hoc quia Dominus ita loquutus in Verbo; tales factæ ſunt Eccleſiæ poſt diluvium, quoad multam partem; talis fuit Eccleſia primitiva, ſeu prima poſt adventum Domini: Angeli ſpirituales in eo diſtinguuntur ab Angelis cœleſtibus.

394. Nunc quia hoc prævifum, & proviſum eſt, ne humanum genus æterna morte periret, dicitur hic, quod nemo violaret Cainum, per quem ſignificatur fides ſeparata; & quod ſignum ei impoſitum, hoc eſt, quod Dominus diſtinxerit illam ſingulari modo, ut conſervaretur: hæc ſunt arcana nuſquam adhuc detecta; & ſunt, quæ intellecta ſunt a Domino, per illa, quæ loquutus eſt de Conjugio, & de Evnuchis apud Matthæum, "Sunt Evnuchi, qui ex "utero matris nati ſunt ſic: & ſunt Evnuchi, qui evnuchi facti ſunt ab ho-"minibus; & ſunt Evnuchi, qui evnuchos fecerunt ſeipſos, propter Regnum "Dei; qui poteſt capere, ille capiat," xix: 12. Evnuchi dicuntur, qui in Conjugio cœleſti; ab utero nati, qui ſicut Angeli Cœleſtes; facti ab hominibus, qui ſicut Angeli ſpirituales; qui ſeipſos fecerunt, ſicut angelici ſpiritus, qui non ita ex charitate, ſed ex obedientia.

395. Quod omnis occidens Cainum, ſeptempliciter vindicabitur, ſignificent, quod violare fidem ita ſeparatam, ſacroſanctum eſſet, conſtat ex ſignificatione Caini, quod ſit fides ſeparata, & ex ſignificatione ſeptem, quod ſit ſacroſanctum. Septenarius numerus ſanctus habitus eſt, ut notum, propter ſex dies creationis, & ſeptimum, qui eſt homo cœleſtis, in quo Pax, quies, ſabbathum; inde toties in Eccleſiæ Judaicæ ritibus occurrit ſeptenarius numerus, & ubivis pro ſancto habitus: tempora inde diſtinguebantur in ſeptem, tam magna eorum intervalla, quam minora, & vocabantur Septimanæ, ſicut magna temporum intervalla ad Meſſiam venturum, Dan: IX. 24, 25. & ſeptem annorum tempus vocatur Septimana a Labane & Jacobo, Geneſ: XXIX: 27. 28. quare ubicunque ſeptenarius numerus occurrit, pro ſancto vel ſacroſancto habetur, ut apud Davidem, "*Septies* in die laudo te," Pſalm: CXIX: 164. apud Eſaiam, "Erit Lux Lunæ, ſicut Lux ſolis, & Lux Solis erit *ſeptupla*, ſicut "lux *ſeptem* dierum," XXX: 26. ubi Sol eſt Amor, Luna fides ex amore, quæ erit ſicut amor. Sicut tempora regenerationis hominis diſtincta ſunt in ſex, antequam ſeptimus, ſeu cœleſtis homo, ita quoque tempora vaſtationis, uſque dum nihil cœleſte remanet; quod repræſentatum per plures captivitates

Judæorum,

Judæorum, & per ultimam Babylonicam, quæ erat ſeptem ſæculorum, ſeu ſeptuaginta annorum; & aliquoties dictum, quod terra ſua ſabbatha quieſceret: tum per Nebuchadnezarem apud Danielem, " Cor ejus ab homine mutabitur, " & cor beſtiæ dabitur ei, dum *ſeptem* tempora mutabuntur ſuper eum," IV: 13. 22, 29. De vaſtatione ultimorum temporum, apud Johannem, " Vidi aliud " ſignum in Cœlo, magnum & admirabile, angelos *ſeptem* habentes plagas *ſeptem* ultimas" Apoc: XVI: 1. 6,7. quod urbem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus, ſeu ſexies ſeptem, Apoc. XI: 2. apud Eundem, " Vidi Librum " intus & a tergo, obſignatum ſigillis ſeptem," Apoc. V. 1. Inde gravitates & incrementa pœnæ per ſeptenarium exprimebantur, ut apud Moſen, " Si " ad hoc non obediveritis mihi, addam caſtigare vos *ſeptuplo* propter peccata " veſtra," Lev: XXVI: 18. 21. 24. 28. apud Davidem, " Redde vicinis " noſtris *ſeptuplum* in ſinum eorum," Pſalm: LXXIX: 12. Ideo nunc quia ſacroſanctum erat violare fidem, quoniam inſerviret, ut dictum, dicitur, quod ſeptempliciter vindicabitur, qui occideret Cainum.

396. Quod Jehovah poſuerit ſignum Caino, ne quiſquam percuteret eum, ſignificet, quod Dominus diſtinxerit fidem ſingulari modo, ut conſervaretur, conſtat ex ſignificatione ſigni, & ponere ſignum in aliquo, quod eſt diſtinguere; ut apud Ezechielem, " Dixit Jehovah, tranſi per medium urbis, " per medium Hieroſolymæ, & ſignes *Signum* (ſeu deſignes) ſuper frontes " virorum gementium & ſuſpirantium ſuper omnibus abominationibus," IX: 4. ubi deſignare frontes, non ſignificat ſignum ſeu lineam ſuper frontes, ſed diſtinguere ab aliis. Similiter apud Johannem, " Quod damno afficerent " homines, qui non haberent *Signum Dei* ſuper frontibus," Apoc: IX: 4. ubi ſignum habere, etiam pro diſtinguere. Signum vocatur etiam character apud Eundem, " Dare *Characterem* ſuper manu & ſuper frontibus." Quod hæc ſignificabant, Judaica Eccleſia repræſentabat per alligationem magni & primarii præcepti, ſuper manu & ſuper fronte, de quo apud Moſen. " Audi " Iſrael, Jehovah Deus noſter Jehovah unus; amabis Jehovam Deum " tuum, toto corde tuo, & tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis: & " alligabis illa in *ſignum* ſuper manu tua, & ſint in frontalia inter oculos " tuos," Deut: VI: 4. 8. Cap: XI: 13. 18. quo repræſentatum, quod diſtinguerent Præceptum de Amore præ omnibus aliis præceptis; inde patet, quid ſignatio manus & frontis ſignificat. Apud Eſaiam, " Veniens ad congregandum omnes gentes & linguas, & venient, & videbunt gloriam meam, " & *ponam* in illis *ſignum*," LXVI: 18, 19. & apud Davidem, " Reſpice ad " me, & miſerere mei, da robur tuum ſervo tuo, & ſalva filium ancillæ tuæ, " fac mecum *ſignum* in bonum & videant oſores mei, & pudefiant," Pſalm: LXXXVI: 16, 17. Ex his nunc conſtat, quid ſignum; quare nemo opinetur, quod aliquod ſignum impoſitum ſit alicui, qui Cain vocatus, nam Verbi ſenſus internus involuit prorſus alia, quam ſenſus literæ.

397. Verſ: 16. *Et exivit Cain a faciebus Jehovæ, & habitavit in terra Nod, verſus Orientem Edenis.* Quod exiverit Cain a faciebus Jehovæ ſignificat, quod ſeparatus a bono fidei amoris: quod habitaverit in terra Nod eſt extra verum

& bonum: verſus orientem Edenis, eſt juxta mentem intellectualem, ubi prius amor.

398 Quod exire a faciebus Jehovæ ſignificet ſeparari a bono fidei amoris, prius ad verſ: 14, videas: quod habitaverit in terra Nod, ſignificet extra verum & bonum, conſtat a ſignificatione vocis Nod, quod eſt vagus & profugus eſſe; & quod vagus & profugus, ſit privatus eſſe vero & bono, videatur etiam prius. Quod verſus orientem Edenis, ſit juxta mentem intellectualem, ubi prius regnavit Amor; tum juxta mentem rationalem, ubi prius regnavit Charitas, conſtat ex iis, quæ prius dicta ſunt de ſignificatione Orientis Edenis; quod nempe Oriens ſit Dominus, Eden ſit Amor: Apud Eccleſiæ antiquiſſimæ viros, mens, quam conſtituunt voluntas & intellectus, una erat, voluntas enim ibi erat omne, ſic ut intellectus eſſet voluntatis, ex cauſa, quia non diſtinguebatur inter amorem, qui eſt voluntatis, & fidem quæ intellectus, quia amor erat omne, & fides erat amoris; ſed poſtquam ſeparabatur fides ab amore, ut apud eos, qui vocabantur Cain, non amplius voluntas aliqua regnabat, ſed quia intellectus loco voluntatis ſeu fides loco amoris in mente illa regnaret, dicitur, quod habitaverit verſus orientem Edenis; nam, ut modo dictum, diſtinguebatur fides, ſeu ſignum ponebatur, ut conſervaretur in uſum generi humano.

399. Verſ: 17. *Et cognovit Cain uxorem ſuam, & concepit, & peperit Chanoch; & fuit ædificans urbem, & vocavit nomen urbis ſecundum nomen filii ſui Chanoch.* Quod Cain cognoverit uxorem ſuam, conceperit & pepererit Chanochum, ſignificat, quod ſchiſma hoc, ſeu hæreſis aliam ex ſe produxerit, quæ vocata eſt Chanoch: per urbem ædificatam ſignificatur omne doctrinale & hæreticum inde: quia ſchiſma ſeu hæreſis vocata eſt Chanoch, dicitur, quod nomen urbis vocatum ſit ſecundum nomen filii Chanoch.

400. Quod Cain cognoverit uxorem ſuam, conceperit, & pepererit Chanochum, ſignificet, quod ſchiſma hoc ſeu hæreſis aliam ex ſe produxerit, ſequitur manifeſte ex præcedentibus, tum ex verſu primo, quod Homo & Chavah uxor ejus genuerint Cainum; ita, quæ ſequuntur, ſunt conceptus & partus ſimiles, tam Eccleſiæ, quam Hæreſium, quarum inſtituebant genealogiam, nam ſe ſimiliter habent; ex una capta hæreſi naſcuntur plures.

401. Quod hæreſis, & omne doctrinale ejus aut hæreticum, appellatum ſit Chanoch, conſtat quoque aliquantum a nomine, quod ſignificat inſtructionem inde cæptam ſeu initiatam.

402. Quod per Urbem ædificatam ſignificetur omne doctrinale & hæreticum inde, conſtat ex Verbo, ubicunque nomen alicujus Urbis occurrit; ibi nuſquam ſignificatur Urbs, ſed doctrinale quoddam, aut hæreticum; nam quid Urbs, & quid aliquod nomen Urbis, prorſus ignorant angeli, nuſquam aliquam Urbis ideam habent, nec poſſunt habere, quia in ſpiritualibus & cœleſtibus ideis ſunt, ut oſtenſum prius; ſed modo percipiunt, quid ſignificant; ut per Civitatem ſanctam, quæ etiam ſancta Hieroſolyma appellatur, nihil aliud intelligitur, quam Regnum Domini in univerſali, ſeu in unoquovis in particulari, in quo Regnum Domini; per civitatem ſeu montem Zionis ſimiliter, per hunc cœleſte fidei, per illam ſpirituale fidei: ipſumque cœleſte & ſpirituale

tuale deſcribitur quoque per civitates, palatia, domos, muros, fundamenta murorum, antemuralia, portas, vectes; & in medio, Templum; ut apud Ezechielem XLVIII. in Apocalypſi XXI: 15. ad fin: vocatur Sancta Hieroſolyma, ib: verſ: 2. 10. apud Jeremiam, Cap. XXXI: 38: apud Davidem, Civitas Dei, ſanctum habitaculorum Altiſſimi, Pſalm: XLVI: 5. apud Ezechielem vocatur Civitas, Jehovah ibi. XLVIII. 35. de qua apud Eſaiam, "Ædificabunt filii alienigenæ *muros* tuos, incurvabunt ſe ad volas "pedum tuorum, omnes reprobantes Te, vocabuntque te *Civitatem* Jehovæ, Zion ſancti Iſraelis," LX: 10. 14. apud Sachariam, Hieroſolyma "Civitas veritatis; & mons Zionis, Mons ſanctitatis," VIII: 3. ubi civitas veritatis ſeu Hieroſolyma ſignificat ſpiritualia fidei, & mons ſanctitatis ſeu Zionis, Cœleſtia fidei. Sicut Cœleſtia & Spiritualia fidei repræſentata ſunt per civitatem, ita omnia doctrinalia ſignificata ſunt per civitates Jehudæ & Iſraelis, quæ etiam, dum nominantur, ſignificant in ſpecie aliquid doctrinale; ſed quodnam, nemo ſcire poteſt, niſi ex ſenſu interno. Sicut per Urbes ſignificata ſunt doctrinalia, etiam per Urbes ſignificata ſunt hæretica, & cum nominantur, etiam in ſpecie aliquod hæreticum ſignificant; nunc ſolum, quod urbs in genere ſignificet doctrinale vel hæreticum, a ſequentibus locis conſtare poteſt, apud Eſaiam, "In die illo, erunt quinque *Urbes* in terra Egypti, loquentes labio Canaanis, & jurantes Jehovæ Zebaoth, *Urbs* Cheres dicetur uni," XIX: 18. ubi agitur de ſcientia ſpiritualium & cœleſtium, tempore adventus Domini: apud Eundem, "Tumultibus plena, *urbs* tumultuans, *urbs* exſultans," XXII. 1. 2. ubi agitur de valle viſionis, ſeu phantaſia: apud Jeremiam "*Urbes* meridiei clauſæ ſunt, nec aperiens," XIII: 19. ubi agitur de illis, qui in meridie, ſeu in luce veritatis ſunt, & eam exſtinguunt. Apud Eundem, "Cogitavit Jehovah perdere *murum* filiæ Zionis, lugere facit *pro*-"*murale*, ac *murum*, ſimul infirmati ſunt, ſubſiderunt in terram *portæ* ejus, "perdidit & confregit *vectes* ejus," Thren: II: 8, 9. ubi quiſque videre poteſt, quod per murum, antemurale, portas & vectes, non intelligantur alia quam doctrinalia: ſimiliter apud Eſaiam, "Cantabitur canticum hoc in "terra Jehudæ, *urbs* valida nobis, ſalus ponet *muros*, & *antemurale*, aperite "*portas*, ut ingrediatur gens juſta, cuſtodiens fidelitates," XXVI: 1, 2. apud Eundem, "Exaltabo Te, confitebor Nomini Tuo, poſuiſti de *Urbe* in "acervum, *Urbem* munitam in ruinam, palatium alienorum de *Urbe* in ſæcu-"lum non ædificetur; propterea honorabunt Te populus validus, *urbs* gentium "formidabilium timebunt Te," XXV: 1, 2, 3. ubi nec agitur de aliqua urbe: in prophetia Bileami, "Erit Edomus hæreditas, & dominabitur de Jacobo, & "perdere faciet reſiduum de *Urbe*," Num: XXIV: 19. ubi quiſque videre poteſt, quod urbs non ſignificet urbem: apud Eſaiam, "Fracta eſt *Urbs* inanitatis, "clauſa eſt omnis *domus*, ut non intret clamor ſuper vino in *plateis*," XXIV: 10, 11. ubi urbs inanitatis pro inanitatibus doctrinæ; plateæ hic & alibi ſignificant quæ ſunt urbis, falſa aut vera: apud Johannem, "Cum ſeptimus an-"gelus effudit phialam, diſrupta eſt *Urbs* magna in tres partes, & *Urbes* gen-"tium ceciderunt," Apoc: XVI: 19, quod urbs magna ſit hæreticum, &

quod urbes gentium ſimiliter, cuivis conſtare poteſt; explicatur etiam, quod urbs magna ſit mulier, quam vidit, Apoc: XVII: 18. quod mulier ſit talis Eccleſia, prius oſtenſum eſt.

403. Ex his conſtat, quid urbs ſignificat; ſed quia hiſtorice omnia connexa ſunt, non poteſt aliter videri ab iis qui in ſenſu literæ ſunt, quam quod a Caino ædificata ſit urbs, & vocata Chanoch, tametſi ex ſenſu literæ etiam ſic putarent, quod populoſa eſſet terra, licet Cain primogenitus eſſet Adami; hiſtorica ſeries hoc ſecum habet; ſed ut prius dictum, antiquiſſimis mos erat, omnia ſub typis repræſentativis hiſtorice concinnare, quod illis ſumme delectabile fuit; tunc illis quaſi omnia viſa ſunt vivere.

404. Verſ: 18. *Et natus Chanocho, Iradum, & Irad genuit Mechujael, & Mechujael genuit Methuſchael, & Methuſchael genuit Lamech.* Omnia hæc Nomina ſignificant hæreſes, ex prima, quæ Cain vocata eſt, derivatas; & quia de iis nihil, præter nomina, exſtat, non opus eſt aliquid dicere: ex nominum derivationibus aliquid tradi poſſet, ſicut quid Irad ſignificat, quod ex urbe deſcendat, ita ex hæreſi Chanochus vocata, & ſic porro.

405. Verſ: 19. *Et accepit ſibi Lamech duas uxores; nomen unius Adah, & nomen alterius Zillah.* Per Lamechum, qui ſextus ordine a Caino, ſignificatur vaſtatio, quod nulla amplius fides: per duas uxores ſignificatur origo novæ Eccleſiæ; per Adah, mater cœleſtium & ſpiritualium iſtius Eccleſiæ; per Zillah, mater naturalium ejuſdem.

406. Quod per Lamech ſignificetur vaſtatio, ſeu quod nulla fides, conſtare poteſt a verſ: ſeq: 23, 24; quod virum occiderit in vulnus ſuum, & parvulum in livorem ſuum; ubi per virum intelligitur fides, & per parvulum ſeu puerulum, charitas.

407. Eccleſiæ ſtatus in genere ſe ita habet, quod temporis tractu recedat a vera fide, & tandem in nullam deſinat; cum nulla, dicitur quod vaſtata, ita ſe habuit cum Eccleſia Antiquiſſima apud eos qui Cainitæ dicti; ita quoque cum Eccleſia antiqua, quæ poſt diluvium; ita quoque cum Eccleſia Judaica, quæ ita vaſtata fuit tempore adventus Domini, ut non ſcirent aliquid de Domino, quod venturus ad ſalvandum eos, minus aliquid de fide in Ipſum: ita quoque cum primitiva Eccleſia, ſeu quæ poſt adventum Domini, quæ hodie ita vaſtata eſt, ut non aliqua fides: tametſi ſemper aliquis nucleus Eccleſiæ manet, quem ii, qui quoad fidem vaſtati ſunt, non agnoſcunt; ſicut etiam ab antiquiſſima Eccleſia manſit reſiduum uſque ad diluvium, & continuabatur poſt diluvium, quod reſiduum Eccleſiæ vocatur Noach.

408. Cum Eccleſia ita vaſtata eſt, ut amplius nulla fides, tunc e novo primum inchoat, ſeu nova lux effulget, quæ in Verbo dicitur Mane; cauſa eſt, quod non prius nova lux aut mane, quam cum vaſtata eſt, quod illa quæ ſunt fidei & charitatis commixta ſint prophanis, & quamdiu commixta, nuſquam aliquid lucis aut charitatis inſinuari poteſt, nam zizaniæ perdunt omne bonum ſemen; at cum nulla fides, tunc prophanari amplius fides non poteſt, quia non credunt, quod dicitur; qui non agnoſcunt & credunt, ſed ſolum ſciunt, non prophanare poſſunt, ut prius dictum eſt; ſicut hodie Judæi, qui

qui quia inter Chriſtianos vivunt, non poſſunt aliter ac ſcire, quod Dominus agnoſcatur a Chriſtianis pro Meſſia, quem exſpectarunt, & adhuc exſpectant, ſed non prophanare poſſunt, quia non agnoſcunt, & credunt: ita nec Mahumedani, & gentiles, qui audiverunt de Domino: hæc cauſa fuit, quod Dominus in mundum non venit, priuſquam Eccleſia Judaica nihil agnovit & credidit.

409. Similiter ſe res habuit cum hæreſi, quæ Cain vocata, quæ temporis tractu vaſtata eſt, nam agnovit quidem amorem, ſed fidem principalem fecit, & prætulit amori; at hæreſes inde derivatæ ſenſim aberrabant ab hoc, & Lamech, qui fuit ſextus ordine, prorſus etiam fidem negavit: cum hoc tempus fuit, tunc nova lux, ſeu mane illuxit, & facta eſt Eccleſia nova, quæ hic vocatur Adah & Zillah, quæ uxores Lamechi vocantur. Uxores Lamechi, qui nullius fidei fuit, dicuntur, ſicut Eccleſia Interna & Externa Judæorum, qui quoque nullius fidei fuerunt, quæ Eccleſiæ quoque uxores vocantur in Verbo; quod etiam repræſentatum fuit per Leam & Rachelem, binas uxores Jacobi, quarum Lea repræſentabat Eccleſiam Externam, & Rachel Internam; quæ Eccleſiæ, tametſi binæ apparent, uſque una ſunt, nam Externa ſeu repræſentativa abſque Interna, nihil eſt, niſi quoddam idololatricum aut mortuum, at Interna cum Externa Eccleſiam, & unam eandemque conſtituit, ſicut hic Adah & Zillah: ſed quia Jacobus ſeu poſteritas Jacobi erat ſicut Lamech, nullius fidei, Eccleſia non potuit manere ibi, ſed tranſlata eſt ad gentes, qui non in infidelitate, ſed in ignorantia vixerunt. Raro, ſi uſquam, manet Eccleſia apud eos, qui veritates habent apud ſe, dum vaſtati ſunt, ſed tranfertur ad eos, qui prorſus nihil de illis ſciunt, nam multo facilius hi amplectuntur fidem, quam illi.

410. Duplex eſt Vaſtatio, prima eorum, qui ſciunt & non volunt ſcire, ſeu qui vident & non volunt videre, qualis fuit Judæorum, & qualis eſt hodie Chriſtianorum; altera eſt eorum, qui nihil ſciunt aut vident, quia ignorant; quales fuerunt gentes, & hodie quoque ſunt gentes: cum ultimum vaſtationis tempus eſt apud eos, qui ſciunt & non volunt ſcire, ſeu qui vident, & non volunt videre, tunc e novo exſurgit Eccleſia, non apud illos, ſed apud eos quos gentes vocant: ita factum cum Antiquiſſima Eccleſia, quæ fuit ante diluvium; ita cum antiqua Eccleſia, quæ poſt diluvium; ita cum Eccleſia Judaica. Cauſa, quod tunc primum nova Lux effulgeat, eſt, ut dictum, quia tunc non amplius prophanare poſſunt illa, quæ revelantur, quia non agnoſcunt & credunt, quod vera ſint.

411. Quod ultimum vaſtationis rempus adeſſe debeat, antequam nova Eccleſia exſurgere poſſit, a Domino pluries apud Prophetas dicitur, & vocatur ibi vaſtatio quæ ſpectat cœleſtia fidei, & deſolatio, quæ ſpectat ſpiritualia fidei, tum conſumatio & exciſio, ut apud Eſaiam VI: 9, 11, 12. Eſai: XXIV: 1 ad f. Eſai: XXIII: 8. ſeq: Eſai: XLII: 15. ad 18. Jeremiam, XXV: 1 ad f. Danielem VIII: 1 ad f. Cap: IX: 24 ad f. Zephaniam I: 1 ad f. Deut: XXXII: 1 ad f. in Apocalypſi XV: XVI: & *ſeq:*

412. Verſ: 20. *Et peperit Adah Jabal, is erat pater habitantis tentorium, & pecoris.* Per Adah ſignificatur, ut prius, mater cœleſtium & ſpiritualium

fidei;

fidei; per Jabal patrem habitantis tentorium & pecoris, ſignificatur doctrina de ſanctis amoris, & bonis inde, quæ ſunt cœleſtia.

413. Quod per Adah ſignificetur mater cœleſtium fidei, conſtat a primogenito ejus Jabal, quod is dicatur pater habitantis tentorium, & pecoris, quæ ſunt cœleſtia, quia ſignificant ſancta amoris, & bona inde.

414. Quod habitare tentorium, ſit ſanctum amoris, conſtat ex ſignificatione tentoriorum in Verbo, ut apud Davidem, " Jehovah, quis *commorabitur* in *Tentorio* tuo, quis *habitabit* in *monte ſanctitatis* tuæ, ambulans integer & operans juſtitiam, & loquens veritatem in corde ſuo," Pſalm: XV: 1, 2. ubi deſcribitur, quid habitare in Tentorio, ſeu in monte ſanctitatis, per ſancta amoris, quæ ſunt ambulare integer, & facere juſtitiam: apud Eundem, " In omnem terram exivit linea eorum, & in finem orbis ſermo eorum; *ſoli poſuit tentorium* in iis," Pſalm: XIX: 15. ubi ſol pro amore. Apud Eundem, " *Commorabor* in *Tentorio* tuo in æternitates, confidam in abſcondito alarum tuarum," Pſalm: LXI: 5. ubi Tentorium pro Cœleſti, abſconditum alarum pro ſpirituali inde: apud Eſaiam, " Firmatus eſt per Miſericordiam thronus, & *ſedit* ſuper eo in veritate, in *Tentorio* Davidis, judicans & quærens judicium, & feſtinans juſtitiam," XVI: 5. ubi etiam Tentorium, pro ſancto amoris, ut per judicare judicium, & feſtinare juſtitiam. Apud Eundem, " Specta Zionem, Civitatem feſti ſtati noſtri; oculi tui videant Hieroſolymam, *habitaculum* tranquillum, *Tentorium*, quod non dimovetur" XXXIII: 20. ubi de Hieroſolyma Cœleſti: Apud Jeremiam, " Sic dixit Jehovah, ecce Ego reducens captivitatem *Tentoriorum* Jacobi, & *habitaculorum* ejus miſerebor; & ædificabitur civitas ſuper cumulo ſuo," XXX: 18. captivitas tentoriorum pro vaſtatione cœleſtium, ſeu ſanctorum amoris: apud Amos, " In die illo erigam *Tabernaculum* Davidis collapſum, obſepiamque rupturas eorum, & diruta ejus erigam, & ædificabo illud juxta dies æternitatis," IX: 11. ubi Tabernaculum ſimiliter pro cœleſtibus, & eorum ſanctis: apud Jeremiam, " Vaſtata eſt tota terra, cito vaſtata ſunt *Tentoria* mea, ſubito *cortinæ* meæ," IV: 20. & alibi, " *Tentorium* meum vaſtatum eſt, & omnes *funes* mei evulſi ſint, filii mei exiverunt a me, & non illi; non extendens amplius *Tentorium* meum, & erigens *cortinas* meas," X: 20. ubi Tentorium pro cœleſtibus; cortinæ & funes pro ſpiritualibus inde: apud Eundem, " *Tentoria* eorum, & *greges* capient, *Cortinas* eorum, & omnia vaſa eorum, & camelos tollent ſibi," XLIX: 29. ubi de Arabia & filiis orientis, per quos repræſentantur ii qui poſſident cœleſtia ſeu ſancta. Apud Eundem, " Dominus in *Tentorium* filiæ Zionis effudit ſicut ignem, excandeſcentiam ſuam," Thren: II: 4. pro vaſtatione cœleſtium ſeu ſanctorum fidei. Quod Tentorium pro cœleſtibus & ſanctis amoris in Verbo accipiatur, cauſa eſt, quia antiquitus in Tentoriis ſuis Cultum ſanctum peregerunt; cum autem prophanare cæperunt tentoria per cultus prophanos, tunc Tabernaculum, & poſtea Templum, ædificatum; quare quod Tabernaculum, & poſtea Templum, etiam Tentoria ſignificabant; homo ſanctus ideo vocatus Tentorium,

Tentorium, tum Tabernaculum, ut & Templum Domini: quod Tentorium, Tabernaculum & Templum, idem ſignificent, conſtat apud Davidem, "Unum "petii a Jehovah, hoc quæram, ut maneam in *Domo* Jehovæ omnibus diebus "vitæ meæ, ad ſpectandum in ſuavitate Jehovam, & ad viſitandum mane "in *Templo* Ipſius: quia abſcondet me in *Tabernaculo* ſuo in die mali; occul"tabit me in occulto *Tentorii* ſui, in petra exaltabit me, & nunc exaltabitur "caput meum contra hoſtes meos circumcirca me, & ſacrificabo in *Tentorio* "Ipſius ſacrificia vociferationis, Pſalm: XXVII: 4, 5, 6. In ſupremo ſenſu eſt Dominus quoad Humanam Ipſius Eſſentiam, Tentorium, Tabernaculum, Templum; inde omnis cœleſtis homo ita dictus, & inde omne cœleſte & ſanctum: & quia Antiquiſſima Eccleſia a Domino amata præ ſequentibus, & tunc quia inter ſe ſoli, ſeu in familiis ſuis vivebant, & tam ſanctum cultum in tentoriis ſuis celebrabant, ideo Tentoria ſanctiora habita ſunt quam Templum, quod prophanatum; in recordationem ideo Feſtum tabernaculorum, cum colligerent proventum terræ, inſtitutum, quo in tabernaculis, ſicut antiquiſſimi, habitarent, Lev: XXIII: 39 ad 44. Deut: XVI: 13. Hoſ: XII: 10.

415. Quod per Patrem pecoris ſignificatur Bonum inde ſeu ex ſanctis amoris, conſtare poteſt ex illis, quæ prius ad verſ: 2. hujus Capitis oſtenſa ſunt, quod Paſtor gregis ſignificet Bonum charitatis; hic autem non Paſtor, ſed Pater, nec grex, ſed pecus nominatur; & pecoris, cujus pater, immediate ſequitur poſt tentorium; inde conſtat, quod ſignificet bonum quod venit ex ſancto amoris, & intelligitur habitaculum, ſeu caula pecoris, ſeu pater eorum, qui habitabant tentorium & caulas pecoris, quæ quod bona ex cœleſtibus amoris ſignificent, conſtat quoque paſſim ex Verbo, ut apud Jeremiam, "Ego congregabo reliquias *gregis* mei de omnibus terris, quo diſpuli "illos, & reducam eos ad *caulas* ſuas, ut fætificent, & multiplicentur," XXIII: 3. apud Ezechielem, "In paſcuo bono paſcam eos, & in montibus "altitudinis Iſraelis erit *caula* eorum, ibi cubabunt in *caula* bona, & paſcuum "pingue paſcent ad montes Iſraelis," XXXIV: 14. ubi caulæ & paſcua pro bonis amoris, de quo prædicatur pingue: apud Eſaiam, "Dabit pluviam "ſeminis tui, quo ſeminabis humum; & panis, proventus humi, erit pinguis "& oleoſus, paſcet *Pecora* tua in die illo, prato lato," XXX: 23. ubi per panem ſignificatur cœleſte, per pingue, quo paſcent pecora, bona inde: apud Jeremiam, "Redemit Jehovah Jacobum, & venient, & canent in altitudine "Zionis, & confluent ad bonum Jehovæ, ſuper triticum, & ſuper muſtum, "& ſuper oleum, & ſuper filios *gregis*, & *armenti*, & erit anima eorum "ſicut hortus irriguus," XXXI: 11, 12. ubi Sanctum Jehovæ deſcribitur per triticum & oleum; & bona inde per muſtum, filios gregis & armenti, ſeu pecoris: apud Eundem, "Ad filiam Zionis venient *paſtores* & *greges* pecorum eorum, figent ad illam tentoria circum circa, paſcent quiſque ſpatium "ſuum," VI: 3. Filia Zionis pro Eccleſia cœleſti, de qua prædicantur & Tentoria, & greges pecorum.

416.

416. Quod ſancta amoris, & inde bona ſignificentur, conſtare poteſt etiam inde, quod Jabal non eſſet primus habitantium tentorium & caulas pecoris, nam de Habel filio altero Hominis & Chavæ etiam dicitur, quod fuerit paſtor gregis, & Jabal ſeptimus eſt ordine a Caino.

417. Verſ: 21. *Et nomen fratris ejus Jubal*; *is erat pater omnis pulſantis citharam & organum.* Per nomen fratris ejus Jubal ſignificatur doctrina ſpiritualium ejuſdem Eccleſiæ; per patrem omnis pulſantis citharam & organum, ſignificantur vera & bona fidei.

418. In priori verſu agitur de cœleſtibus, quæ ſunt amoris; in hoc de ſpiritualibus, quæ ſunt fidei; hæc per citharam & organum exprimuntur. Quod per inſtrumenta chordacea, ut per citharas & ſimilia, ſignificata ſint ſpiritualia fidei, multis conſtat: Inſtrumenta ſimilia in cultu Eccleſiæ Repræſentativæ nec aliud repræſentabant, ſimiliter etiam Cantus, inde tot cantores & muſici, & quidem ex cauſa, quod omne cœleſte gaudium producit cordis lætitiam, quæ teſtificata per cantum, & dein per inſtrumenta chordarum, quæ æmulabantur, & exaltabant cantum; omnis affectio cordis hoc quoque ſecum habet, quod producat cantum, proinde quæ cantus ſunt; affectio cordis eſt cœleſte, cantus inde eſt ſpirituale. Quod cantus & ſimile ſignificet ſpirituale, etiam conſtare mihi poteſt a Choris angelicis, qui duplicis generis ſunt, cœleſtes & ſpirituales; ſpirituales Chori ex eorum ſono canoro alato, cui chordaceorum inſtrumentorum ſonus aſſimilari poteſt, probe diſtincti ſunt a cœleſtibus, de quibus ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Antiquiſſimi etiam, quod cœleſte erat, referebant ad Cordis provinciam, & quod ſpirituale ad Pulmonum, ita ſpirituale ad quæcunque pulmonum ſunt, ut voces cantus, & quæ ſimilia, ſic ad voces ſeu ſonos talium inſtrumentorum; ex cauſa non ſolum, quia cor & pulmones quoddam conjugium repræſentant, ſicut amor & fides, ſed etiam quia cœleſtes Angeli ad provinciam cordis, ſpirituales vero angeli ad pulmonum pertinent. Quod talia hic intelligantur, etiam poteſt ſciri ex eo, quod Verbum Domini ſit, in quo nulla vita foret, ſi modo narraretur, quod Jubal eſſet pater pulſantium citharam & organum; nec alicui uſui hoc ſcire.

419. Sicut Cœleſtia ſunt ſancta amoris, & bona inde, ita ſpiritualia ſunt vera & bona fidei; fidei enim eſt intelligere non ſolum quid verum, ſed etiam quid bonum; cognitiones fidei involvunt utrumque; ſed eſſe talis, ſicut fides docet, eſt cœleſte. Quia fides involvit utrumque, ſignificantur per duo inſtrumenta, per citharam & organum; Cithara eſt inſtrumentum chordaceum, ut notum eſt, quare ſpirituale verum ſignificat; Organum autem eſt inſtrumentum medium inter chordaceum, & quod inflatur, quare per id ſpirituale bonum ſignificatur.

420. In Verbo varia inſtrumenta memorantur, & ſingula ſuam ſignificationem habent, de quibus ex Divina Domini Miſericordia, ſuis locis: nunc ſolum, quæ apud Davidem, “Sacrificabo in *tentorio* Jehovæ ſacrificia *vociferationis*, *canam* & *pſallam* Jehovæ,” Pſalm: XXVII: 6. ubi per tentorium, cœleſte,

cœleſte, & per vociferationem, canere & pſallere, ſpirituale inde, exprimitur.
Apud Eundem, " *Cantate* juſti in Jehovah, rectis decora eſt laus ejus, confi-
" temini Jehovæ in *Cithara*, in *nablio* decachordo *pſallite* Illi, *cantate* Illi can-
" ticum novum, reddite egregium *pulſare clangore*, quia rectum verbum Jeho-
" væ, & omne opus Ipſius in veritate," Pſalm: xxxiii: 1, 2, 3, 4. pro
veris fidei, de quibus prædicantur: ſpiritualia ſeu vera & bona fidei celebraban-
tur per citharam & nablia, per cantum, & ſimilia; at ſancta ſeu cœleſtia fidei
per inſtrumenta flatus, ut buccinas, & ſimilia; unde tot inſtrumenta circa Tem-
plum, & toties quod certis inſtrumentis hoc aut illud celebraretur; inde in-
ſtrumenta pro ipſis rebus, quæ celebrabantur per ea, aſſumta & intellecta
ſunt, ut hæc, de quibus. Apud Eundem, " Confitebor tibi inſtrumento *na-*
" *blii*, veritatem tuam, Deus mi, *pſallam* Tibi *cithara*, Sancte Iſraelis, *canent*
" labia mea, cum *pſallo* tibi, & anima mea, quam redemiſti," Pſalm: lxxi:
22, 23. ubi ſimiliter de veris fidei: apud Eundem, " Reſpondete Jehovæ in
" confeſſione, pſallite Deo noſtro in *cithara*," Pſalm: cxlvii: 7. Ubi con-
feſſio ſpectat cœleſtia fidei, quare dicitur Jehovah, & pſallere cithara ſpiri-
tualia fidei, quare dicitur Deus. Apud Eundem, " Laudent Nomen Jehovæ
in chorea, in *tympano* & *cithara* pſallant Ipſi," Pſalm: cxlix: 3. tympanum
pro bono, & cithara pro vero, quod laudant. Apud Eundem, " Laudate
" Deum in clangore buccinæ: laudate Ipſum in nablio & *cithara*; laudate
" Ipſum in tympano & chorea; laudate Ipſum in *fidibus* & *organo*; laudate
" Ipſum cum cymbalis auditus; laudate Ipſum cum cymbalis *vociferationis*,"
Pſalm: cl: 3, 4, 5. pro bonis & veris fidei, propter quæ laudatio: nec quis
credat, quod tot inſtrumenta nominentur, niſi quodlibet aliquid ſignificet. A-
pud Eundem, " Mitte lucem tuam & veritatem tuam, hæ ducant me, dedu-
" cant ad montem ſanctitatis tuæ, & ad habitacula tua, & ingrediar ad altare
" Dei, ad Deum, lætitiæ exultationis meæ, confiteborque tibi *cithara*,
" Deus, Deus mi," Pſalm: xliii: 3, 4. pro cognitionibus boni & veri.
Apud Eſaiam, " Accipe *citharam*, circui urbem, bene *pulſa*, multiplica
" *cantum*, ut in memoriam revoceris," xxiii: 16. pro iis quæ ſunt fidei,
& cognitionum ejus. Adhuc manifeſtius apud Johannem, " Quatuor Ani-
" malia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt ante Agnum, habentes
" quilibet *Citharas*, & phialas aureas plenas ſuffimentis, quæ ſunt orationes
" ſanctorum," Apoc: v: 8. quod non habuerint citharas, cuique conſtare
poteſt, ſed quod ſignificentur vera fidei per citharas, & bona fidei per phialas
aureas plenas ſuffimentis: apud Davidem appellantur Laudes & Confeſſiones,
quæ per inſtrumenta fiebant, Pſalm: xlii: 5. lxix: 31. Et alibi apud
Johannem, " Audivi vocem e cœlo, tanquam aquarum multarum; audivi
" vocem citharædarum *pulſantium in citharis* ſuis, *canebant* canticum no-
" vum," Apoc: xiv: 2. & alibi, " Viri ſtantes juxta mare vitreum ha-
" bentes *Citharas Dei*," Apoc: xv: 2. Memorabile eſt, quod Angeli &
ſpiritus, ſecundum differentias quoad bonum & verum diſtinguant ſonos, non
ſolum cantus & inſtrumentorum, ſed etiam vocum, nec niſi tales admit-

tant, quam quæ concordant; ita ut ſit concordantia ſonorum, proinde inſtrumentorum, cum natura & eſſentia boni & veri.

421. Verſ: 22. *Et Zillah etiam ea peperit Thubal Cain, erudiens omnem artificem æris & ferri: & ſoror Thubal Cain Naamah.* Per Zillah ſignificatur, ut dictum, mater naturalium Eccleſiæ novæ: per Thubalcain erudientem omnem artificem æris & ferri, doctrina boni & veri naturalis; Æs ſignificat bonum naturale; Ferrum, verum naturale: per ſororem Thubalcain Naamah, ſignificatur ſimilis Eccleſia, ſeu doctrina boni & veri naturalis, extra illam Eccleſiam.

422. Quomodo ſe res habet cum nova hac Eccleſia, conſtare poteſt ab Eccleſia Judaica; erat ea interna & externa: Internam conſtituebant cœleſtia & ſpiritualia, Externam naturalia: Interna repræſentata eſt per Rachelem, Externa per Leam; ſed quia Jacobus ſeu poſteri ejus per Jacobum in Verbo intellecti, tales erant, ut non niſi Externa, ſeu cultum in externis, volebant, data eſt Lea Jacobo ante Rachelem, & per Leam debilem oculis repræſentata Eccleſia Judaica, & per Rachelem Eccleſia nova gentium; quare Jacobus in utroque ſenſu apud prophetas accipitur, in uno, cum ſignificatur Eccleſia Judaica perverſa, in altero cum Eccleſia gentium vera externa; cum interna, appellatur Iſrael, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

423. Thubalcain dicitur erudiens omnem artificem, non ut priores Jabal & Jubal, pater; cauſa eſt, quia Cœleſtia & Spiritualia, ſeu interna, non prius fuerunt, quare quia tunc primum, dicuntur patres; at naturalia ſeu externa prius fuerunt, ſed nunc applicata internis, ideo non pater, ſed erudiens artificem dicitur.

424. Per artificem ſignificatur in Verbo ſapiens, intelligens, ſciens; hic per artificem æris & ferri, ſcientes boni & veri naturalis; ut apud Johannem, "Impetu dejicietur Babylon, magna urbs, & non invenietur amplius; & vox *citharædorum*, & muſicorum, & tibicinum, & buccinatorum, non audietur in illa amplius; & omnis *Artifex* omnis *artis* non invenietur in ea amplius," Apoc: XVIII: 21. 22. citharædi, ut prius, pro veris, buccinatores pro bonis fidei; artifex omnis artis, pro ſciente, ſeu ſcientia veri & boni. Apud Eſaiam, "Sculptile fundit *Artifex*, & conflator auro obducit illud, & catenas "argenti conflans, *Artificem ſapientem* quærit ſibi ad præparandum ſculptile, "ne commoveatur," XL: 19. 20: pro iis, qui fingunt ſibi falſum, quod eſt "ſculptile, ex phantaſia, & docent, ut appareat ſicut verum. Apud Jeremiam "Simul cum infatuatur, ſtulteſcunt, diſciplina vanitatum lignum eſt; argentum extenſum ex Tharſchiſch adfertur; aurum ex Uphaſo, opus *Artificis* & "manuum *conflatoris*, hyacinthinum & veſtis, opus *ſapientum* tota," X: 3, 8, 9. quæ ſignificant docentem falſa, & compilantem ex Verbo quibus conflet figmentum, quare vocatur diſciplina vanitatum, & ſapientum opus; hi repræſentati olim ſunt per artifices, qui conflant idola, ſeu falſa, quæ ornant auro hoc eſt, quaſi bono; argento, hoc eſt, quaſi vero; hyacinthino & veſti, hoc eſt, naturalibus, quæ quaſi concordent,

425. Quod Æs ſignificet Bonum naturale, adhuc orbi ignotum eſt, tum quod unumquodvis metallum, quod nominatur in Verbo, ſignificet quoddam in ſenſu interno; ut Aurum, Bonum cœleſte; Argentum, Verum ſpirituale; Æs, Bonum naturale; Ferrum, Verum naturale, & ſic porro reliqua; ſimiliter Lapis & Lignum; talia ſignificata ſunt per aurum, argentum, æs, lignum, in Arca & Tabernaculo; ſimilia in Templo, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: apud Prophetas elucet, quod talia ſignificentur, ut apud Eſaiam, "Suges lac gentium, & uber regum "ſuges, pro *Ære* adducam aurum; & pro *Ferro* adducam argentum; & "pro lignis *Æs*, & pro lapidibus *Ferrum*; ponamque cenſum tuum pacem, "& exactores tuas juſtitiam", LX: 16, 17. ubi de adventu Domini, & Ipſius regno, & Eccleſia Cœleſti agitur; pro ære aurum, ſignificat pro bono naturali bonum cœleſte; pro ferro argentum, pro vero naturali verum ſpirituale; pro lignis æs, ſignificat pro corporeo bono, naturale bonum; pro lapidibus ferrum, ſignificat pro ſenſuali vero, naturale verum. Apud Ezechielem "Javal, Thubal & Meſchech, hi mercatores tui, in anima hominis, & *vaſa* "*æris* dederunt negotiationem tuam", XXVII: 13. ubi agitur de Tyro, per quem ſignificantur, qui poſſident divitias ſpirituales & cœleſtes, ubi vaſa æris pro bonis naturalibus. Apud Moſen, "Terra, cujus lapides *ferrum*, & "ex montibus ejus excides *æs*", Deut. VIII: 9. ubi ſimiliter lapides pro vero ſenſuali, & ferrum pro vero naturali ſeu rationali, & æs pro bono naturali. Quatuor animalia, ſeu Cherubi viſi Ezechieli, quorum pedes micantes ſicut ſpecies *æris* lævigati, I: 7. ibi æs ſimiliter ſignificat bonum naturale, nam pes hominis repræſentat naturale: ſimiliter Danieli viſus, "Vir indutus linteis, & "lumbi ejus cincti auro Uphaſi, & corpus ſicut Tharſchiſch, brachia ejus, "& pedes ejus ſicut ſpecies *æris* lævigati", Dan. X: 5, 6. Quod Serpens *Æneus* Num: XXI: 9. repræſentaverit Domini Bonum ſenſuale & naturale, prius videas.

426. Quod Ferrum ſignificet Verum naturale, præter ab illis, quæ allata ſunt, etiam conſtat apud Ezechielem de Tyro, "Tharſchiſch negotiatrix tua, "præ multitudine omnis affluentiæ, in argento, *ferro*, ſtanno & plumbo, "dederunt mercaturas tuas: Dan & Javan, & Meuſal, in negotiationibus "tuis dederunt *ferrum terſum*; caſia & calamus in foro tuo fuit;" XXVII: 12, 19. ex his, & quæ præcedunt & ſequuntur in eodem Capite, conſtat manifeſte, quod ſignificentur divitiæ cœleſtes & ſpirituales, & quod per ſingula, quæ nominantur, aliquid ſpeciale; tum etiam per nomina; nam Verbum Domini eſt ſpirituale, non verbale. Apud Jeremiam, "Num conteret *Ferrum*, "*ferrum* a ſeptentrione & *æs*, facultates tuas & theſauros in prædam dabo, "non in pretio, & quidem pro omnibus peccatis tuis", XV: 12, 13. ubi ferrum & æs pro vero & bono naturali; quod venit a ſeptentrione, ſignificat ſenſuale & naturale, nam naturale reſpective ad ſpirituale & cœleſte, eſt ſicut caligo, ſeu ſeptentrio, ad lucem aut meridiem; aut ſicut umbra, quam ſignificat quoque Zillah hic, quæ mater: quod facultates & theſauri ſint divitiæ cœleſtes & ſpirituales, etiam manifeſte patet. Apud Ezechielem, "Accipe tibi

 "far-

" ſartaginem *ferri* ; & da eam parietem *ferri*, inter te & inter urbem, & di-
" ſponas facies tuas ad eam, & ſit in obſidionem, & anguſtes contra eam," iv: 3. quod per ferrum hic ſignificetur Veritas, etiam conſtat; veritati tribuitur robur, quia ei non reſiſti poteſt, quare etiam prædicatur de ferro, quo ſignificatur veritas ſeu verum fidei, quod confringat & contundat, ut apud Danielem II: 33, 40. & apud Johannem, " Qui vicerit, illi dabo poteſtatem " ſuper gentes, ut paſcat eas *virga ferrea*, ſicut vaſa figulinorum conterantur", Apoc: II: 26, 27. apud Eundem, " Mulier peperit filium maſcu-" lum, qui paſturus erit omnes gentes *virga ferrea*", Apoc. XII: 5. quod virga ferrea ſit veritas, quæ eſt Verbi Domini, apud Johannem explicatur, " Vidi Cœlum apertum, cum ecce Equus albus, & qui ſedens ſuper illo, vo-" cabatur fidelis & verus, qui in juſtitia judicat & pugnat; indutus erat veſti-" mento tincto ſanguine, vocaturque nomen ejus Verbum Dei, ex ore illius " exit romphæa acuta, & per illam percutiet gentes, ac ille paſcet eos *virga* " *ferrea*", Apoc: XIX: 11, 13, 15.

427 Verſ: 23. *Et dixit Lamech uxoribus ſuis Adah & Zillah; audite vocem meam uxores Lamechi, & auribus percipite dictum meum, quod virum occidi in vulnus meum, & parvulum in livorem meum.* Per Lamechum ſignificatur, ut prius, vaſtatio: quod dixerit uxoribus ſuis Adah & Zillah, ut perciperent auribus ſuis dictum ejus, eſt confeſſio, quæ non aliter fit, quam ubi Eccleſia, quæ quod ſignificetur per uxores ejus, dictum: quod virum occiderit in vulnus ſuum, ſignificat quod exſtinxerit fidem, per virum ſignificatur fides, ut prius; quod parvulum in livorem ſuum, eſt quod charitatem: per vulnus & livorem ſignificatur, quod non integrum magis; per vulnus quod deſolata fides, per livorem, quod devaſtata charitas.

428. Ex his, quæ in hoc verſu, & ex iis quæ in ſequente, manifeſte conſtat, quod per Lamechum ſignificetur vaſtatio, nam dicit, quod occiderit virum, & parvulum, & quod ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lamech ſeptuagies ſepties.

429. Quod per virum ſignificetur fides, conſtat a verſu primo hujus Capitis, quod dixerit Chavah, cum pepererat Cain, acquiſivi virum Jehovam, quo fidei doctrina intellecta, & vocata Vir Jehovah; conſtat etiam ab iis quæ prius oſtenſa ſunt de Viro, quod ſignificet intellectum, qui eſt fidei. Quod etiam exſtinxerit charitatem, quæ vocatur parvulus ſeu puerulus, inde conſtat; nam qui negat ſeu necat fidem, ſimul etiam negat & necat charitatem, per fidem, naſcentem.

430. Parvulus ſeu puerulus in Verbo ſignificat Innocentiam, tum etiam Charitatem, nam vera innocentia non datur abſque charitate, & vera charitas non abſque innocentia; ſunt tres gradus Innocentiæ, qui in Verbo diſtinguuntur per Lactentes, Infantes & Puerulos; & quia vera Innocentia non dabilis eſt abſque vero amore, & charitate, etiam per eoſdem, nempe per lactentes, infantes & puerulos, ſignificantur tres gradus amoris, qui ſunt, amor tener ſicut Lactentis erga matrem ſeu nutricem; amor ſicut Infantis erga parentes; & charitas ſicut Puerulí erga inſtructorem; ut apud Eſaiam, " Commorabitur

" lupus

" lupus cum agno, & pardus cum hædo cubabit; & vitulus & leo juvenis, " & pingue pecus una; & *Puer parvus* ducens eos", XI: 6. ubi agnus, hædus, & vitulus, pro Innocentiæ, & amoris tribus gradibus; lupus, pardus, leo juvenis pro oppoſitis; puer parvus pro charitate. Apud Jeremiam, " Vos " facitis malum magnum contra animas veſtras, exſcindendo vobis *Virum* & " uxorem, *Infantem* & *Lactentem* e medio Judæ, ut non reliquas facere vobis " reliquias", XLIV: 7. Vir & uxor pro intellectualibus veri, & voluntariis boni; infans & lactens pro primis amoris gradibus. Quod Infans & Puerulus ſit innocentia & charitas, conſtat manifeſte ex Domini Verbis apud Lucam, " Attulerunt Jeſu *infantes*, ut eos tangeret, dixit, ſinite *parvulos* venire ad " Me, & ne prohibite, talium enim eſt Regnum Dei: Amen dico vobis, " quicunque non recipit Regnum Dei ut *Puer*, non ingredietur in illud", XVIII: 15, 16, 17. Ipſe Dominus appellatur Parvulus ſeu Puerulus Eſ. IX: 5. quia Ipſe eſt Ipſa Innocentia, & Ipſe Amor; & dicitur ibi Mirabilis, Conſiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis.

431. Quod per vulnus & livorem ſignificetur quod non integrum magis; per vulnus in ſpecie, quod deſolata fides, per livorem quod devaſtata charitas, conſtat ex eo, quod vulnus prædicetur de viro, & livor de parvulo; per eaſdem voces deſcribitur deſolatio fidei, & vaſtatio charitatis, per Eſaiam, " A " planta pedis uſque ad caput non in eo integritas, vulnus, livor, & plaga " recens, non expreſſa, & non obligata, & non mollita oleo", I: 6. ubi vulnus prædicatur de deſolata fide, livor de vaſtata charitate, plaga de utraque.

432. Verſ: 24. *Quod ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lamech ſeptuagies & ſepties:* ſignificant, quod extinxerint fidem per Cainum intellectam, quam ſacroſanctum erat violare; & quod ſimul naſcituram per fidem charitatem, quod multo magis ſacroſanctum, & quod propterea damnatio, quod eſt ſeptuagies & ſepties vindicari.

433. Quod ſeptempliciter vindicari Cain, ſignificet ſacroſanctum eſſe violare fidem ſeparatam per Cain intellectam, videatur quod oſtenſum eſt ad Verſ: 15. & quod per ſeptuagies & ſepties ſignificetur, quod multo magis ſacroſanctum ſit, & quod propterea damnatio, conſtare poteſt a ſignificatione ſeptuagies & ſepties. Quod Septenarius numerus ſit ſanctus, inde eſt, quod Septimus Dies ſignificet Cœleſtem Hominem, Cœleſtem Eccleſiam, Cœleſte Regnum, in ſupremo ſenſu Ipſum Dominum; inde ſeptenarius numerus, ubicunque occurrit in Verbo, ſignificat ſanctum ſeu ſacroſanctum; & ſanctum illud ſeu ſacroſanctum prædicatur de iis aut ſecundum ea, de quibus agitur; inde quoque numerus ſeptuagenarius, qui ſeptem ſæcula comprehendit, nam ſæculum in Verbo eſt decem annorum: quando aliquid maxime ſanctum ſeu maxime ſacroſanctum exprimeretur, tunc dicebatur ſeptuagies ſepties, ſicut quod Dominus dixit, " quod non remitterent fratri ſuo ad *ſepties*, ſed uſque " ad *ſeptuagies ſeptem*", Matth: XVIII: 21, 22. per quod intelligitur, quod toties remitterent, quoties peccat, adeo ut ſine fine eſſet, ſeu eſſet æternum, quod eſt ſanctum. Et hic quod vindicaretur ſeptuagies & ſepties, eſt damnatio, quia maxime ſacroſanctum erat violare.

434.

434. Verſ: 25. *Et cognovit homo adhuc uxorem ſuam, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Scheth; quia repoſuit mihi Deus ſemen aliud loco Habelis, quod occiderit illum Cain.* Per hominem & uxorem ejus hic intelligitur nova Eccleſia, prius per Adah & Zillah, ſignificata: per filium ejus, cujus nomen vocavit Scheth, ſignificatur nova fides, per quam charitas: quod repoſuerit Deus ſemen aliud loco Habelis quod occiderit eum Cain, ſignificatur, quod charitas, quam Cain ſeparavit, & exſtinxit, nunc a Domino huic Eccleſiæ donata ſit.

435. Quod per hominem & uxorem ejus hic intelligatur nova Eccleſia, prius per Adah & Zillah ſignificata, nemo ex ſenſu literæ ſcire & concludere poteſt, quia homo & uxor ejus prius ſignificaverat Eccleſiam antiquiſſimam & ejus poſteritatem, ſed ex ſenſu interno illud conſtat; tum etiam inde, quod mox in Capite ſequente verſ: 1 & 2, iterum dicatur de homine & uxore, quod genuerint Schethum, ſed prorſus aliis verbis, ubi ſignificatur poſteritas prima Antiquiſſimæ Eccleſiæ; ſi non aliud quid ſignificaretur hic loci, non opus fuiſſet idem dicere; ſimiliter ac in primo Capite, ubi agitur de Creatione hominis, tum fruticum terræ, & beſtiarum, & in Capite ſecundo ſimiliter, ex cauſa, ut dictum, quod in Capite primo actum ſit de creatione hominis ſpiritualis, in ſequente de creatione hominis cœleſtis; cum talis eſt repetitio unius ejuſdemque perſonæ ac rei, aliud in uno loco quam in altero ſignificatur; ſed quid ſignificatur, nuſquam ſciri poteſt, niſi a ſenſu interno: ipſa ſeries rerum ſimiliter confirmat: præter quod homo & uxor ſint voces communes ſignificantes Eccleſiam de qua, & ex qua.

436. Quod per Filium ejus, cujus nomen vocavit Scheth, ſignificetur nova fides, per quam charitas, conſtat ab illis quæ prius dicta ſunt; tum ubi de Caino, quod ei impoſitum ſit ſignum, ne quis eum occideret: res enim in ſerie ſic ſe habet; Fides ſeparata ab Amore ſignificata eſt per Cainum; Charitas per Habelem; quod fides ſeparata exſtinxerit charitatem, ſignificatum eſt per Cainum, quod occiderit Habelem; & quod fides conſervaretur, ob cauſam, quod per illam implantari a Domino poſſet charitas, ſignificatum eſt per id, quod Jehovah poſuerit Caino ſignum, ne quis eum occideret; quod poſtea per fidem a Domino donatum ſit ſanctum amoris & bonum inde, ſignificatum per Jabal quem peperit Adah; & quod ſpirituale fidei, ſignificatum per fratrem ejus Jubal; & quod ex illis naturale bonum & verum, per Thubal Cain, quem peperit Zillah; in binis his verſibus eſt concluſio, ita ſumma rerum, quæ talis eſt, quod per hominem & ejus uxorem ſignificetur nova illa Eccleſia, Adah & Zillah prius vocata; & per Schethum fides, per quam implantatur Charitas, in ſequente verſu per Enoſch charitas implantata per fidem.

437. Quod Scheth ſignificet hic novam fidem, per quam charitas, explicatur per nomen ejus, quod ita vocatum, quia repoſuit Deus ſemen aliud loco Habelis, quod occiderit eum Cain; quod repoſuit Deus ſemen aliud ſignificat quod donaverit Dominus aliam fidem; ſemen aliud eſt fides, per quam charitas; quod ſemen ſignificet fidem, videatur prius n: 255.

438.

438. Verſ: 26. *Et Schetho etiam illi natus eſt filius, & vocavit nomen ejus Enoſch: tunc cæptum eſt invocare nomen Jehovæ.* Per Scheth ſignificatur fides per quam Charitas, ut dictum: per filium ejus, cujus nomen Enoſch, ſignificatur Eccleſia, quæ charitatem pro principali fidei habuit: quod tunc cæptum invocare Nomen Jehovæ, ſignificat Eccleſiæ iſtius cultum ex charitate.

439. Quod per Scheth ſignificetur fides, per quam charitas, in verſu præcedente oſtenſum eſt: quod per filium ejus, cujus nomen Enoſch, ſignificetur Eccleſia, quæ charitatem pro principali fidei habuit, conſtat etiam ex iis, quæ prius dicta ſunt; tum ex eo, quod nominetur Enoſch, quod nomen etiam ſignificat *Hominem*, at non cœleſtem hominem, ſed humanum ſpiritualem hominem, qui hic eſt Enoſch: tum quoque conſtat ex illis, quæ immediate ſequuntur, quod tunc cœptum ſit invocare nomen Jehovæ.

440. Quod tunc cæptum invocare nomen Jehovæ ſignificet Eccleſiæ iſtius cultum ex charitate, conſtare poteſt ex eo, quod invocare Nomen Jehovæ ſit ſolennis & communis formula omnis cultus Domini, & quod ex charitate, conſtat inde, quod dicatur hic Jehovah, in præcedente verſu Deus; & quod non coli poſſit Dominus niſi quam ex charitate; ex fide, quæ non eſt charitatis, non datur cultus, quia ſolum eſt oris, non cordis. Quod invocare Nomen Jehovæ ſi communis formula omnis cultus Domini, conſtat ex Verbo, ut de Abramo, "Ædificavit Altare Jehovæ, & *invocavit* "*Nomen Jehovæ*," Geneſ: XII: 8. Cap: XIII: 4. tum, "plantavit lucum in "Beerſcheba, & *invocavit ibi Nomen Jehovæ Dei æternitatis*, Gen. XXI: 33." "quod omnis cultus, apud Eſaiam, "Jehovah, Sanctus Iſraelis dixit, non *Me* "*invocaſti*, Jacob, & fatigatus ſis in Me, Iſrael; non adduxiſti Mihi pecu- "dem holocauſtorum tuorum; & ſacrificiis tuis non honoraſti Me; non "ſervire te feci per minchamı; nec defatigavi te per thus," XLIII. 22, 23. ubi in ſummario omnis cultus repræſentativus exponitur.

441. Quod invocatio Nominis Jehovæ non nunc primum cæpta ſit, conſtare ſatis poteſt a præcedentibus de Antiquiſſima Eccleſia, quæ præ aliis adoravit & coluit Dominum; tum quoque quod Habel attulerit munus ex primogenitis gregis; quare hic per invocare Nomen Jehovæ nihil aliud ſignificatur, quam Cultus novæ Eccleſiæ, poſtquam exſtincta fuit per eos qui Cain & demum Lamech vocantur.

442. Ex his, quæ in hoc Capite oſtenſa ſunt, patet, quod antiquiſſimo tempore fuerint plures doctrinæ ſeparatæ ab Eccleſia, & hæreſes, quarum unaquævis ſuum nomen habuit; quæ doctrinæ ſeparatæ & hæreſes fuerunt multo profundioris cogitationis quam hodie, quia tali genio fuerunt.

Exempla

Exempla quædam a ſpiritibus, quid cogitaverint in vita corporis, de anima aut ſpiritu.

443. *IN altera vita manifeſte percipere datur, quas opiniones habuerint, cum vixerunt in corpore, de anima, de ſpiritu, de vita poſt mortem; nam cum tenentur in ſtatu, quaſi eſſent in corpore, tunc ſimiliter cogitant, & cogitatio tam perſpicue communicatur, ac ſi aperte loquerentur: a quodam, qui ante paucum tempus deceſſerat, percepi, quod etiam faſſus, quod quidem crediderit ſpiritum, ſed quod victurus vitam obſcuram, ex cauſa, ſi abſtraheretur vita corporis, quod remaneret obſcurum quid; poſuit enim in corpore vitam; quare habuit ideam de ſpiritu, ſicut de larva; ſeque confirmavit ex eo, quod viderit bruta quoque vitam habere, pæne ſicut homines; miratus nunc quod ſpiritus & angeli in ſumma luce vivant, in ſumma intelligentia, ſapientia & felicitate, cum tali perceptione, ut vix deſcribi queat; ita minime in vita obſcura, ſed in clara & diſtinctiſſima.*

444. *Loquutus cum quodam, qui dum vixit in mundo, credidit ſpiritum non eſſe extenſum, ex quo principio nec ullam vocem admittere voluit, quæ involveret extenſum, quæſivi, quid nunc ſentiat de ſe, qui eſt anima aut ſpiritus, quod viſum habeat, quod auditum, quod olfactum, quod tactum exquiſitum, quod cupiditates, quod cogitationem, uſque adeo, ut ſe putet prorſus quaſi in corpore: tenebatur in idea, in qua fuit, cum ita cogitavit in mundo, tunc dixit, quod ſpiritus ſit cogitatio; ſed ei reſpondere dabatur ſicut vixiſſet in mundo, anne ſciat, quod viſus corporeus non poſſit exiſtere abſque organo viſus ſeu oculo, quomodo viſus internus ſeu cogitatio, annon ei ſubſtantia organica, ex qua: tunc agnovit, quod in vita corporis phantaſia ea laboraverit, quod putaverit ſpiritum modo eſſe Cogitationem abſque omni organico, ſeu extenſo: addebatur, ſi Anima ſeu ſpiritus Cogitatio modo eſſet, quod non homini opus tanto Cerebro, cum totum Cerebrum ſit organicum ſenſuum interiorum; ſi hoc non foret, potuiſſet cranium eſſe excavatum, & cogitatio uſque inibi agere ſpiritum; ex ſolo hoc, tum ex operatione animæ in muſculos, uſque ut motus tanti exiſtant, conſtare ei potuerat, quod ſpiritus*

ritus ſit organicus ſeu ſubſtantia organica; quare faſſus errorem ſuum, & miratus quod tam fatuus fuerit.

445. *Porro dictum, quod Eruditi nihil aliud credant, quam quod Anima, quæ victura poſt mortem, ſeu Spiritus, ſit Cogitatio abſtracta, patet manifeſte inde, quod vocem extenſi, & quorum ſunt extenſi, nolint admittere, ex cauſa, quia Cogitatio abſtracte a ſubjecto non eſt extenſa, ſed ſubjectum cogitationis, & objecta cogitationis, ſunt extenſa; & quæ objecta non ſunt extenſa, finiunt ea homines & faciunt extenſa, ut capiant; exinde manifeſte conſtat, quod eruditi per Animam aut Spiritum, nihil aliud capiant, quam Cogitationem ſolam; & ſic quod nuſquam aliter credere poſſint, quam quod evanitura, cum moriuntur.*

446. *Loquutus cum ſpiritibus de opinione hominum, qui hodie vivunt, quod non credant ſpiritum, quia oculis non vident, nec per ſcientias capiunt, & ſic quod non ſolum negent ſpiritum eſſe extenſum, ſed etiam eſſe ſubſtantiam, quia litigant quid ſubſtantia; & quia negant eſſe extenſum, & litigant de ſubſtantia, etiam negant ſpiritum eſſe in loco, ita conſequenter in corpore humano; cum tamen ſimpliciſſimus ſcire poſſit, quod ejus anima ſeu ſpiritus ſit in ſuo corpore; quæ cum dicerem, mirati ſunt ſpiritus, qui inter ſimpliciores erant, quod homines hodie tam ſtulti ſunt; & cum audiebant voces, de quibus lis, ut partes extra partes, & ſimilia, vocabant talia abſona, ludicra & theatralia, quæ nuſquam mentes occuparent, quia præcludunt viam ad intelligendum.*

447. *Quidam recens ſpiritus mecum loquutus, cum audiret quod loquerer de ſpiritu, dicebat, quid ſpiritus, putans ſe eſſe hominem; cumque ei dicerem, quod ſpiritus ſit in unoquovis homine, & quod homo quoad vitam ſit ſpiritus, & corpus modo inſerviat ei ad vivendum ſuper terra; & quod os & caro, ſeu corpus, nequaquam vixerit & cogitaverit; cum hæſitaret, quæſivi, an uſquam audiverit de anima, dixit, quid anima, non ſcio quid anima; tunc ei dicere dabatur, quod is nunc anima ſit, ſeu ſpiritus, quod ſcire poſſet inde, quod ſupra caput meum ſit, nec inſiſtat telluri, annon hoc percipere poſſet; tunc territus aufugit, clamans, ſpiritus ſum, ſpiritus ſum. Quidam Judæus, putabat ſe prorſus vivere in corpore, uſque adeo, ut vix potuiſſet aliter perſuaderi, & cum ei oſtenſum eſſet, quod ſpiritus eſſet, uſque inſtabat dicere, quod homo ſit, quia videt & audit; tales ſunt, qui in mundo corporei fuerunt. Perplura adhuc potuiſſent afferri, ſed hæc ſolum confirmationis cauſa, quod ſpiritus ſit in homine, qui ſentit, non corpus.*

448. *Loquutus cum multis, qui in vita eorum corporis mihi noti fuerunt, & diu, per menſes & annum, tam clara voce, ſed interna, ſicut cum amicis in mundo; cum quibus aliqua etiam interceſſerunt commercia ſermonis de ſtatu hominis poſt mortem; mirati valde, quod nemo in corporis vita ſciat, vel credat, quod victurus ita poſt vitam corporis, cum tamen ſit continuatio vitæ, & talis ut tranſeat e vita obſcura in perſpicuam; & qui in fide in Dominum, in magis magiſque perſpicuam: voluerunt ut dicerem amicis eorum, quod vivant, & quod ſcriberem ad eos, qui eorum ſtatus ſint, quibus etiam plura narravi de ſtatu amicorum eorum; ſed dixi, ſi dicerem, aut ſcriberem, quod non crederent, vocarent phantaſias, irriderent, peterent ſigna aut miracula antequam credant, ſic exponerer eorum ſubſannationi: & quod hæc vera ſint, forte pauci credituri, nam negant corde quod ſint ſpiritus; & qui non negant, uſque nihil audire volunt, quod aliquis cum ſpiritibus loqui poſſit. Talis fides de ſpiritibus nuſquam fuit antiquis temporibus, ſed hodie, cum ex cerebroſo ratiocinio volunt explorare, quid ſpiritus, quos omni ſenſu privant per definitiones & ſuppoſitiones; & quo eruditiores volunt eſſe, eo plus.*

GENESEOS,

CAPUT QUINTUM.

De Cœlo & Gaudio cœleſti.

449. *QUID Cælum, & Gaudium cæleſte, nemo adhuc novit; qui de illo & de hoc cogitarunt, tam communem & tam craſſam ideam conceperunt, ut vix ſit aliqua: ex Spiritibus, qui recens e mundo in alteram vitam veniunt, optime ſcire potui, qualem de Cælo & de Gaudio Cæleſti conceperunt notionem; nam relicti ſibi, ſicut forent in mundo, cogitant ſimiliter: aliqua ſolum exempla licet afferre.*

450. *Quidam, qui quoque viſi in mundo præ aliis illuſtrati in Verbo, tam falſam conceperunt ideam de Cælo, quod putarent ſe eſſe in Cælo cum in alto, & quod regere poſſent inde quæ infra, ita eſſe in gloria ſui, & eminentia præ aliis: illi, quia tali phantaſia erant, ut ſcirent, quod in falſo eſſent, ſublati ſunt in altum, & inde aliquid regere in inferioribus permiſſum; ſed animadvertebant cum pudore, quod hoc eſſet phantaſiæ cælum; & quod cælum non conſiſteret in alto, ſed ubicunque is, qui in amore & charitate eſt, ſeu in quo Regnum Domini, nec velle eminere præ aliis: nam major velle eſſe aliis, non eſt cælum, ſed eſt infernum.*

451. *Quidam, qui in vita Corporis potens fuit præ aliis, in altera vita retinuit, quod etiam imperare vellet; cui dictum, quod in alio Regno ſit, quod æternum, & quod imperare ejus in terra mortuum ſit; & quod nunc non æſtimetur quiſquam, quam ſecundum bonum & verum, & ſecundum Miſericordiam Domini, in qua ſit: tum, quod Regnum hoc ſe habeat ſicut in terra, ubi nullus æſtimatur niſi propter opes, & propter gratiam apud principem; opes hic ſunt Bonum & Verum, & gratia apud principem, eſt Miſericordia Domini; ſi aliter velit imperare, rebellis eſt, nam in Alius Regno eſt; his auditis, pudefactus eſt.*

452. *Loquutus cum ſpiritibus, qui putabant Cælum & Gaudium cæleſte in eo conſiſtere, ut maximi ſint, ſed dictum iis, quod in Cælo maximus ſit, qui minimus; nam qui minimus eſſe vult, maximam felicitatem habet;*

habet; & quia maximam felicitatem habet qui minimus, ſequitur inde quod ſit maximus; quid eſt maximus eſſe niſi quam feliciſſimus; id quærunt potentes per potentiam, & divites per divitias: & porro dictum, quod non conſiſtat Cælum in eo, ut deſideret minimum eſſe, propterea ut ſit maximus, tunc enim ſpirat & cupit eſſe maximum, ſed eſt, quod ex corde aliis melius velit quam ſibi, & ſervire aliis eorum felicitatis gratia, ex nullo fine ſui, ſed ex amore.

453. *Quidam tam craſſam ideam de cælo habent, ut putent ſolum eſſe admiſſionem; imo eſſe conclave, in quod admittantur per januam, quæ aperiatur, & ab iis, qui ibi ſunt janitores, introducantur.*

454. *Quidam, quod conſiſtat in vita otioſa, in qua ſerviantur ab aliis; ſed iis dictum, quod nuſquam aliqua felicitas conſiſtat in eo, ut quieſcant, & inde habeant felicitatem, ita quiſque vellet habere felicitatem aliorum propter ſemet, & cum quiſque, nullus haberet; talis vita foret non activa, ſed otioſa, in qua torpeſcerent, cum tamen notum iis eſſe poſſet, quod abſque vita activa, nulla vitæ felicitas; vita Angelica conſiſtit in uſu, & bonis charitatis; nam nihil felicius percipiunt, quam ut ſpiritus ex mundo alluentes informent & doceant; ut inſerviant hominibus, & regant ſpiritus malos apud eos ne vagentur extra limites, atque illis bonum inſpirent; tum ut mortuos in vitam æternitatis exſuſcitent, & dein, ſi poſſint, quod animæ tales ſint, in Cælum introducant; ex quibus plus felicitatis percipiunt, quam ut uſquam deſcribi poſſit; ita ſunt imagines Domini; ita amant proximum plusquam ſemet; ideo eſt cælum: quare in uſu, & ex uſu, & ſecundum uſum, hoc eſt, ſecundum bona amoris & charitatis, felicitas angelica. Qui talem ideam habuerunt, quod gaudium cæleſte conſiſteret in eo, ut otioſi eſſent, reſpirantes in otio gaudium æternum, his dictis, ut pudefierent, datum erat illis percipere, qualis vita talis, & percepta quod triſtiſſima, & quod pereunte ſic omni gaudio, poſt paucum tempus eam faſtidirent, & nauſearent.*

455. *Quidam inter inſtructiſſimos in Verbo, cum vixit in mundo, talem ideam de gaudio cæleſti habuit, quod conſiſteret in lumine gloriæ, ſicut lumen cum radii ſolares aurei apparent; ita quoque in vita otioſa; ut noſſet quod in falſo, datum ei erat tale lumen, & is in medio lumine, tunc ita delectatus, ſicut, ut quoque dixit, in cælo eſſet; ſed ibi non diu ſubſiſtere potuit, nam paulatim tæduit eum, & factum nullum gaudium.*

456. *Qui inſtructiſſimi fuerunt, gaudium cæleſte conſiſtere dixerunt in vita abſque præſtandis bonis charitatis, ſolum ut laudent & celebrent Dominum,*

num, & quod ea eſſet vita activa; ſed dictum, quod laudare & celebrare Dominum, non ſit talis vita activa, ſed effectus illius vitæ; nam laudibus non opus habet Dominus, ſed vult ut præſtent bona charitatis; ſecundum illa accipiunt a Domino felicitatem. At inſtructiſſimi ii non uſque potuerunt habere in bonis illis charitatis aliquam ideam gaudii, ſed ſervitutis; verum quod liberrimum ſit, & cum ineffabili felicitate conjunctum, teſtati ſunt angeli.

457. *Fere omnes, qui e mundo in alteram vitam veniunt, putant quod Infernum ſit ſimile unicuivis; & quod Cœlum ſit ſimile unicuivis; cum tamen utrobivis indefinitæ diverſitates & varietates ſint, & nuſquam uni prorſus ſimile infernum, nec uſquam uni prorſus ſimile cœlum, ac alteri; ſicut nuſquam datur unus homo, ſpiritus ac Angelus prorſus ſimilis alteri: cum ſolum cogitarem, quod bini eſſent prorſus ſimiles aut æquales, horruerunt illi, qui in mundo ſpirituum, & qui in cœlo angelico, dicentes, quod omne unum formetur ex harmonia plurium; & quod tale unum ſit, qualis harmonia; & quod nuſquam ſubſiſtere poſſit unum abſolute, ſed unum harmonicum; ita omnis ſocietas in cœlis unum format, & omnes ſocietates ſimul, ſeu univerſum Cœlum, unum; & hoc a Solo Domino, per amorem. Angelus quidam recenſebat modo genera univerſaliſſima gaudiorum ſpirituum, ſeu primi cœli, circiter ad* 478, *inde concludi potuit, quot innumera genera minus univerſalia, & quot innumerabiles ſpecies, quæ ſunt cujuſvis generis; & cum tot ibi, quot indefinita genera felicitatum in Cœlo ſpirituum angelicorum; & adhuc magis in Cœlo angelorum.*

458. *Mali ſpiritus aliquoties putarunt, quod aliud Cœlum daretur, quam Domini, quibus quoque quærere, ubicunque poſſent, permiſſum; ſed uſque pudore affecti nuſquam aliud cœlum invenerunt: ruunt enim mali ſpiritus in veſania, tam ex odio in Dominum, quam ex dolore infernali, & tales phantaſias captant.*

459. *Cœli ſunt tres; Primum eſt, ubi Spiritus boni; Secundum ubi Spiritus Angelici; Tertium, ubi Angeli: diſtinguuntur tam Spiritus, quam Spiritus Angelici, & Angeli, in Cœleſtes & in Spirituales; Cœleſtes ſunt, qui per amorem fidem acceperunt a Domino, ſicut illi qui ex Antiquiſſima Eccleſia, de quibus actum: Spirituales ſunt, qui per cognitiones fidei acceperunt a Domino charitatem, ex qua accepta agunt.*

Continuatio ſequitur in fine hujus capitis.

CAPUT V.

1. HIC liber nativitatum Hominis, die quo creavit Deus hominem; in ſimilitudinem Dei fecit illum.
2. Maſculum & fœminam, creavit illos; & benedixit illis; & vocavit nomen illorum Homo, die quo creati ſunt.
3. Et vixit Homo triginta & centum annis; & genuit in ſimilitudinem ſuam, ſecundum imaginem ſuam; & vocavit nomen ejus Scheth.
4. Et fuerunt dies Hominis, poſtquam genuit illum Schethum, octingenti anni; & genuit filios & filias.
5. Et fuerunt omnes dies Hominis, quibus vixit, nongenti anni, & triginta anni; & mortuus eſt.
6. Et vixit Scheth quinque annis & centum annis, & genuit Enoſch.
7. Et vixit Scheth, poſtquam genuit illum Enoſchum, ſeptem annis & octingentis annis; & genuit filios & filias.
8. Et fuerunt omnes dies Schethi, duodecim anni & nongenti anni; & mortuus eſt.
9. Et vixit Enoſch nonaginta annis, & genuit Kenan.
10. Et vixit Enoſch, poſtquam genuit illum Kenanem, quindecim annis & octingentis annis; & genuit filios & filias.
11. Et fuerunt omnes dies Enoſch, quinque anni & nongenti anni; & mortuus eſt.
12. Et vixit Kenan ſeptuaginta annis, & genuit Mahalalel.
13. Et vixit Kenan, poſtquam genuit illum Mahalalelem, quadraginta annis & octingentis annis; & genuit filios & filias.
14. Et fuerunt omnes dies Kenanis, decem anni & nongenti anni; & mortuus eſt.
15. Et vixit Mahalalel, quinque annis & ſexaginta annis, & genuit Jared.
16. Et vixit Mahalalel poſtquam genuit illum Jaredum, triginta annis & octingentis annis; & genuit filios & filias.
17. Et fuerunt omnes dies Mahalalelis, quinque & nonaginta anni & octingenti anni; & mortuus eſt.

18. Et vixit Jared duobus & ſexaginta annis & centum annis, & genuit Chanoch.

19. Et vixit Jared, poſtquam genuit illum Chanochum, octingentis annis; & genuit filios & filias.

20. Et fuerunt omnes dies Jaredi, duo & ſexaginta anni & nongenti anni; & mortuus eſt.

21. Et vixit Chanoch quinque & ſexaginta annis, & genuit Methuſchelach.

22. Et ambulavit ſibi Chanoch cum Deo, poſtquam genuit illum Methuſchelachum, trecentis annis; & genuit filios & filias.

23. Et fuit omnes dies Chanochi, quinque & ſexaginta anni & trecenti anni.

24. Et ambulavit ſibi Chanoch cum Deo, & non amplius, quia ſumſit illum Deus.

25. Et vixit Methuſchelach, ſeptem & octoginta annis & centum annis, & genuit Lamech.

26. Et vixit Methuſchelach, poſtquam genuit illum Lamechum, duobus & octoginta annis & ſeptingentis annis; & genuit filios & filias.

27. Et fuerunt omnes dies Methuſchelach, novem & ſexaginta anni & nongenti anni; & mortuus eſt.

28. Et vixit Lamech duobus & octoginta annis & centum annis; & genuit filium.

29. Et vocavit nomen ejus Noach, dicendo, is conſolabitur nos ab opere noſtro, & a dolore manuum noſtrarum ex humo, cui maledixit Jehovah.

30. Et vixit Lamech, poſtquam genuit Noachum, quinque & nonaginta annis & quingentis annis; & genuit filios & filias.

31. Et fuit omnes dies Lamechi, ſeptem & ſeptuaginta anni & ſeptingenti anni; & mortuus eſt.

32. Et fuit Noach filius quingentorum annorum; & genuit Noach Schem, Cham, & Japheth.

CONTENTA.

460. IN hoc Capite agitur in ſpecie de Antiquiſſimæ Eccleſiæ propagatione in poſteros, fere uſque ad diluvium.

461. Ipſa Antiquiſſima Eccleſia, quæ Cœleſtis, eſt quæ vocatur homo, & ſimilitudo Dei, verſ: 1.

462.

462. Altera Eccleſia, quæ non ita cœleſtis fuit ac Antiquiſſima Eccleſia, vocatur Scheth, de qua verſ: 2, 3.

463. Tertia Eccleſia dicta fuit Enoſch, verſ: 6. Quarta Eccleſia Kenan, verſ: 9. Quinta Eccleſia Mahalalel, verſ: 12. Sexta Eccleſia Jared, verſ: 15. Septima Eccleſia Chanoch, verſ: 18. Octava Eccleſia Methuſchelach, verſ: 21.

464. Eccleſia Chanoch dicta deſcribitur, quod ex revelatis & perceptis Antiquiſſimæ Eccleſiæ, doctrinam fecerit; quæ, tametſi illo tempore nulli uſui fuit, uſque conſervata in uſum poſteritatis, quod eſt, quod Chanoch non amplius, quia ſumſit illum Deus, verſ: 22, 23, 24.

465. Nona Eccleſia dicta fuit Lamech, verſ: 25.

466. Decima, parens trium Eccleſiarum poſt diluvium, eſt Noach; quæ Eccleſia vocanda eſt *Eccleſia Antiqua*, verſ: 28, 29.

467. Deſcribitur Lamech, quod apud illam nihil de Antiquiſſimæ Eccleſiæ perceptione reſiduum fuerit; & Noach, quod Nova Eccleſia, verſ: 29.

SENSUS INTERNUS.

468. Ex illis, quæ in priori Capite dicta & oſtenſa ſunt, conſtat, quod per Nomina ſignificatæ ſint Hæreſes & Doctrinæ; inde conſtare poteſt, quod per Nomina in hoc Capite nec ſignificentur perſonæ, ſed res, & hic Doctrinæ, ſeu Eccleſiæ, quæ conſervatæ ſunt, utcunque etiam mutatæ, ab Antiquiſſima Eccleſia uſque ad Noachum. Sed cum Eccleſia ſe ita res habet, quod temporis tractu decreſcat, & tandem remaneat inter paucos; pauci illi, apud quos remanſit tempore diluvii, vocati ſunt Noach. Quod decreſcat vera Eccleſia, & maneat apud paucos, conſtare poteſt ab aliis Eccleſiis, quæ ſimiliter decreverunt; qui remanent, in Verbo vocantur Reliquiæ, ac Reſiduum, & quidem in medio ſeu meditullio terræ: in univerſali ſe res habet ſicut in particulari; ſeu ſicut in Eccleſia, ita in ſingulis hominibus; niſi apud unumquemvis, a Domino conſervarentur reliquiæ, non potuiſſet non perire æterna morte, nam in reliquiis eſt vita ſpiritualis & cœleſtis; ſimiliter in communi ſeu univerſali, niſi forent ſemper aliqui, apud quos Eccleſia ſeu vera fides, periret genus humanum; nam propter aliquot, ut notum eſt, conſervatur civitas, imo totum quoddam Regnum; ſe habent illa, ſicut in homine Cor, quamdiu Cor integrum eſt, circumjacentia viſcera poſſunt vivere

vivere; at cum illud languidum, tabes occupat omnia, & moritur homo. Reliquiæ ultimæ ſunt, quæ ſignificantur per Noachum, nam cæteroquin, ut in Capite ſequente, verſ: 12. conſtat, tota terra corrupta erat. De Reliquiis illis apud hominem quemcunque, & in Eccleſia, agitur paſſim apud Prophetas; ut apud Eſaiam, " *Relictus* in Sione, & *Reſiduus* in Hieroſolyma, " ſanctus dicetur *Ipſi*, omnis ſcriptus ad vitas in Hieroſolyma, cum laverit " Dominus ſordes filiorum Sionis, & ſanguines Hieroſolymæ abluerit e medio " ejus," IV: 3, 4. ubi de reliquiis, per quas ſignificantur reliquiæ Eccleſiæ, tum hominis Eccleſiæ, prædicatur ſanctum; nam, reſidui in Sione & Hieroſolyma, ideo quod reſidui, non potuerunt ſancti eſſe: ſimiliter apud Eundem, " Erit in die illo, non addent amplius *Reliquiæ* Iſraelis, & *Evaſio* " domus Jacobi, inniti percuſſori ſuo; & innitetur Jehovæ Sancto Iſraelis in " veritate; *Reliquiæ* revertentur; *Reliquiæ* Jacobi, ad Deum potentem," X: 20, 21, 22. Apud Jeremiam, " In diebus illis, & in tempore illo, quæretur " iniquitas Iſraelis, ſed non illa, & peccata Jehudæ, & non invenientur, quia " condonabo ei, quem *Reſiduum* fecero," L: 20. apud Micham, " Erunt *Reliquiæ* Jacobi in medio populorum multorum, ſicut ros a cum Jehovah, " ſicut imbres ſuper herba," V: 6. Reſiduum, ſeu Reliquiæ hominis aut Eccleſiæ, repræſentatæ quoque ſunt per Decimas, quæ ſanctæ fuerunt; inde quoque Numerus decimarius ſanctus, quare de Reſiduis prædicantur Decem, ut apud Eſaiam, " Removebit Jehovah hominem, & multa relicta in *medio* " *terræ*; & adhuc in ea *pars decima*, & revertetur, & erit ad exterminandum, " ſicut quercus & ilex, quando ejicitur ſtirps de iis, *ſemen ſanctitatis ſtirps* " *ejus*," VI: 12, 13. ubi Reſiduum vocatur ſtirps ſanctitatis. Apud Amos, " Sic dixit Dominus Jehovih, urbs exiens mille, *reſiduos* faciet *centum*, & " exiens centum, *reſiduos* faciet *decem* domui Iſraelis," V: 3. in his & pluribus locis in ſenſu interno ſignificantur reliquiæ, de quibus: quod propter reliquias Eccleſiæ, conſervetur civitas, conſtat ex illo, quod dictum Abrahamo de Sodoma, " Abrahamus dixit, forte inveniantur ibi *decem*, & dixit, " non perdam propter *decem*," Geneſ: XVIII: 32.

469. Verſ: 1. *Hic liber nativitatum Hominis, die quo creavit Deus hominem; in ſimilitudinem Dei fecit illum.* Liber nativitatum eſt recenſio eorum, qui fuerunt ab Eccleſia Antiquiſſima: die quo creavit Deus hominem, eſt quod ſpiritualis factus; in ſimilitudinem Dei fecit illum, eſt quod cœleſtis factus: ita eſt deſcriptio Eccleſiæ Antiquiſſimæ.

470. Quod liber nativitatum ſit recenſio eorum, qui fuerunt ab Eccleſia Antiquiſſima, a ſequentibus ſatis conſtat; nam Nomina nuſquam hic uſque ad Caput XI, ſeu ad Eberum, ſignificant perſonas, ſed res. Antiquiſſimo tempore diſtinctum fuit humanum genus in domos, familias, & gentes; Domum conſtituit maritus & uxor cum liberis eorum, tum etiam aliqui ex familia eorum, qui ſerviebant: Familiam conſtituerunt domus pauciores aut plures, quarum una non procul ab altera habitavit, ſed uſque non una: Gentem conſtituerunt familiæ pauciores aut plures.

471. Quod ita habitaverint, nempe ſoli inter ſe, diſtincti modo in domos, familias, & gentes, cauſa erat, ut integra ſic conſervaretur Eccleſia; ut omnes domus, & familiæ penderent a parente, & ſic permanerent in amore & vero cultu; præter etiam, quod unaquævis domus peculiarem genium diſtinctum ab altera, habuit; nam notum eſt, quod liberi, imo poſteri a parentibus ſuis trahant genium, & tales notas characteriſticas, ut ex facie, & pluribus aliis, dignoſci queant; ne itaque indolum fieret confuſio, ſed diſtinctio accurata eſſet, beneplacuit Domino, ut ſic habitarent: ita Eccleſia repræſentabat ad vivum Regnum Domini, nam in Regno Domini ſunt innumerabiles ſocietates, quælibet ab altera diſtincta, ſecundum differentias amoris & fidei: hoc eſt, quod prius dictum, ſolus vivere; & hoc eſt, quod etiam dictum, tentoria habitare: & hoc eſt, quod beneplacuit Domino, ut Eccleſia Judaica quoque faceret, quod in domos, in familias, in gentes, diſtincti eſſent, & quiſque matrimonium contraheret intra familias; eadem cauſa; de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

472. In die, quo creavit Deus hominem, quod ſit cum ſpiritualis factus; & in ſimilitudinem Dei fecit illum, quod ſit cum Cœleſtis factus, conſtat ab illis, quæ prius dicta & oſtenſa ſunt; vox creare proprie ſpectat hominem, cum e novo creatur ſeu regeneratur; & facere, cum perficitur; quare in Verbo accurata fit diſtinctio inter creare, formare & facere, ſicut etiam prius Capite II, ubi agitur de ſpirituali homine facto cœleſti, "quievit Deus ab omni "opere ſuo, quod *creavit* Deus *faciendo*," & paſſim alibi, ubi creare ſpectat hominem ſpiritualem, & facere, quod eſt, perficere, ſpectat hominem Cœleſtem; videatur, n: 16 & 88.

473. Quod Similitudo Dei ſit cœleſtis homo, & Imago Dei, ſpiritualis, etiam prius oſtenſum eſt, nam imago eſt ad ſimilitudinem, & ſimilitudo eſt effigies, nam cœleſtis homo prorſus a Domino regitur, ut Ipſius ſimilitudo.

474. Cum itaque de nativitate ſeu propagatione Eccleſiæ Antiquiſſimæ, agitur, primum deſcribitur hic, quod a ſpirituali facta ſit cœleſtis, nam ſequuntur propagationes inde.

475. Verſ: 2. *Maſculum & fœminam creavit illos, & benedixit illis, & vocavit nomen illorum Homo, die quo creati ſunt.* Per maſculum & fæminam ſignificatur conjugium inter fidem & amorem: per vocare nomen illorum homo, ſignificatur quod Eccleſia, quæ imprimis Homo vocatur.

476. Quod per maſculum & fæminam ſignificetur conjugium inter fidem & amorem, prius dictum & oſtenſum eſt, nempe quod maſculus aut vir ſignificet intellectum, & quæ ſunt intellectus, ita quæ ſunt fidei; & quod fæmina ſignificet voluntatem, ſeu quæ ſunt voluntatis, ita quæ ſunt amoris; quare etiam dicta eſt Chavah, a vita, quæ ſolius amoris eſt: ideo per fæminam quoque ſignificatur Eccleſia, ut prius quoque oſtenſum, & per maſculum vir Eccleſiæ: agitur hic de ſtatu Eccleſiæ cum fuit ſpiritualis, & quæ mox facta eſt cœleſtis, quare præcedit maſculus, ſimiliter ac Cap: I: 26, 27. vox creare etiam ſpectat ſpiritualem hominem: mox autem, cum conjugium factum,

ſeu

ſeu Eccleſia cœleſtis facta, tunc nec maſculus & fæmina, ſed Homo dicitur, qui utrumque ex conjugio ſignificat; quare ſequitur mox, "& vocavit nomen illorum Homo," quo ſignificatur Eccleſia.

477. Quod Homo ſit Eccleſia Antiquiſſima, ſæpius prius dictum & oſtenſum eſt; nam in ſupremo ſenſu eſt Ipſe Dominus ſolus Homo; inde Cœleſtis Eccleſia appellatur homo, quia ſimilitudo; inde dein ſpiritualis, quia imago; ſed in communi ſenſu omnis vocatur homo, qui intellectum humanum habet, nam ab intellectu homo eſt homo, & magis homo unus quam alter, tametſi diſtinctio foret hominis ab homine ſecundum fidem amoris in Dominum. Quod Antiquiſſima Eccleſia, & omnis vera Eccleſia, & inde qui ſunt Eccleſiæ, ſeu qui ſunt ex amore & fide in Dominum, principaliter dicantur Homo, conſtat ex Verbo, ut apud Ezechielem, "multiplicare faciam ſuper vobis *Hominem*, omnem domum Iſraelis totam; multiplicare faciam ſuper vobis *Hominem* & beſtiam, ut multiplicentur & fructificent; & habitare faciam vos juxta *Antiquitates* veſtras, & bonum faciam præ *Initiis* veſtris; ambulare faciam ſuper vobis *Hominem*, populum meum Iſraelem," xxxvi: 10, 11, 12. ubi Antiquiſſima Eccleſia ſignificatur per Antiquitates; antiquæ Eccleſiæ per Initia; primitiva ſeu gentium Eccleſia per domum Iſraelis & populum Iſraelem, quæ Eccleſiæ vocantur Homo. Apud Moſen, "Memento *dierum æternitatis*, intelligite annos *generationis* & *generationis*, cum hæreditatem daret Altiſſimus gentibus, cum ſepararet *filios Hominis*, conſtituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Iſraelis," Deut: xxxii: 7, 8. ubi Antiquiſſima Eccleſia intelligitur per dies æternitatis; Antiquæ Eccleſiæ per generationem & generationem: vocantur filii hominis, qui fuerunt in fide in Dominum, quæ fides eſt numerus filiorum Iſraelis. Quod Regeneratus dicatur Homo, apud Jeremiam, "Vidi terram, & ecce vacuitas & inanitas; & ad Cœlos, & non lux eorum; vidi & ecce non *Homo*, & omnis avis cœlorum avolarunt," iv: 23, 25. ubi Terra pro externo homine, Cœlum pro interno; Homo pro amore boni; Avis cœlorum pro intellectu veri. Apud Eundem, "Ecce dies venientes, & ſeminabo domum Iſraelis, & domum Jehudæ, ſemine *hominis*, & ſemine beſtiæ," xxxi: 27. ubi homo pro interno homine, beſtia pro externo. Apud Eſaiam, "Deſiſtite vobis ab *Homine*, in cujus naſo ſpiritus, quanti namque æſtimatus ille," ii: 22. homo pro homine Eccleſiæ. Apud Eundem, "Elongabit Jehovah *Hominem*, & multa relicta in medio terræ," vi: 12. ubi de vaſtatione hominis, ut non amplius bonum & verum. Apud Eundem, "Exurentur habitatores terræ, & relictus erit *Homo* puſillum," xxiv: 6. ibi homo pro illis qui fidem habent. Apud Eundem, "Deſolatæ ſunt ſemitæ, ceſſavit tranſiens ſemitam; irritum reddidit fœdus, contemſit urbes, non reputavit *Hominem*, luget & langueſcit terra," xxxiii: 8, 9. pro homine, qui in lingua Hebræa eſt Enoſch. Apud Eundem, "Pretioſum faciam *Hominem* præ auro puro, & *Hominem* præ auro Ophiris, propterea cœlum commovebo, & concutietur terra e loco ſuo," xiii: 12, 13. ubi homo primum nominatus eſt Enoſch, dein nominatus eſt Adam.

478. Quod Adam dicatur, cauſa eſt, quia vox Hebræa Adam ſignificat *Hominem*; at quod nuſquam nomine proprie Adam dictus, ſed Homo, conſtat manifeſte hic & prius, quod non in ſingulari, ſed in plurali dicatur, aut quod de utroque prædicetur tam de viro, quam de fæmina, uterque ſimul dicitur Homo; quod de utroque, quiſque poteſt ex verbis videre, nam dicitur, "vocavit nomen illorum Homo, in die quo creati ſunt," ſimiliter Cap: I: faciamus hominem in imaginem noſtram, & dominabuntur in piſces maris, 27, 28. inde quoque conſtare poteſt, quod non de omnium primo aliquo homine creato, ſed de Antiquiſſima Eccleſia, agatur.

479. Per nomen vocare, ſeu nomine vocare, ſignificatur in Verbo, noſſe qualis eſt, ut prius oſtenſum, hic qualis eſſet Antiquiſſima Eccleſia, nempe quod Homo ſumtus de humo ſeu regeneratus a Domino, nam Adam eſt humus; & dein cum cœleſtis factus, quod Homo præ aliis ex fide amoris in Dominum.

480. Quod Homo vocati die quo creati, conſtat quoque a Capite I: 26, 27. nempe in fine ſexti diei, qui reſpondet veſperæ ſabbathi, ſeu cum ſabbathum aut ſeptimus dies inchoavit; nam ſeptimus dies, ſeu ſabbathum, eſt cœleſtis homo, ut prius oſtenſum.

481. Verſ: 3. *Et vixit Homo triginta & centum annis, & genuit in ſimilitudinem ſuam, ſecundum imaginem ſuam, & vocavit nomen ejus Scheth.* Per triginta & centum annos ſignificatur tempus, antequam nova Eccleſia orta, quæ quia non ita abſimilis fuit Antiquiſſimæ, dicitur quod nata in ſimilitudinem ejus, & ſecundum imaginem ejus, ſed ſimilitudo ſpectat fidem, & imago amorem; hæc Eccleſia dicta eſt Scheth.

482. Quid anni & numeri annorum, qui in hoc Capite occurrunt, in interno ſenſu ſignificant, nondum alicui notum eſt; qui in ſenſu literæ ſunt, ii putant annos eſſe ſæculares, ſed hic uſque ad Caput XII. nihil hiſtoricum, ſicut in ſenſu literæ apparet, continetur, ſed omnia & ſingula continent alia; ſicut nomina, ita quoque numeri: in Verbo occurrit paſſim numerus ternarius, tum quoque ſeptenarius, & ubique ſignificant aliquod ſanctum ſeu ſacroſanctum quoad ſtatus, quos tempora aut alia involvunt aut repræſentant; ſimile in minimis intervallis ac in maximis, nam ſicut partes ſunt totius, ita minima ſunt maximorum; nam ſimiliter ſe habebunt, ut totum ex partibus, aut maximum a minimis convenienter exiſtat; ut apud Eſaiam, "Nunc loquutus "eſt Jehovah dicendo, in *tribus Annis*, ſecundum *Annos* Mercenarii, & vilis "reddetur gloria Moabi," XVI: 14. apud Eundem, "Dixit Dominus ad me, "in adhuc *Anno*, juxta *Annos* mercenarii, & conſumetur omnis gloria Keda"ris," XXI: 16. ubi ſignificantur tam minima quam maxima intervalla: apud Habakuk, "Jehovah, audivi famam tuam, reveritus ſum, Jehovah, "opus tuum, in medio *Annorum* vivifica illud, in medio *Annorum* notum "facias," III: 2, ubi medium Annorum pro adventu Domini; etiam in minoribus intervallis pro omni Domini adventu, ut cum regeneratur homo; in majoribus, dum e novo Eccleſia Domini exſurgit: vocatur etiam Annus redemptorum, apud Eſaiam, "Dies ultionis in corde meo, & *Annus* redemptorum-

" torum meorum venit," LXIII: 4. ſicut etiam Anni millenarii, quibus vinctus erit ſatanas, Apoc: XX: 2, 37. & mille Anni reſurrectionis primæ, Apoc: XX: 4, 5, 6. nuſquam ſignificant mille annos, ſed ſtatus eorum; nam ſicut Dies, ut prius oſtenſum, etiam Anni pro ſtatu accipiuntur, & ſtatus deſcribuntur per numerum Annorum; inde conſtare poteſt, quod tempora in hoc Capite involvant quoque ſtatus, nam unaquævis Eccleſia in alio ſtatu Perceptionis fuit, quam altera, ſecundum differentias indolis ex hæreditario & actuali.

483. Per Nomina, quæ ſequuntur, ut per Scheth, Enoſch, Kenan, Mahalalel, Jared, Chanoch, Methuſchelach, Lamech, Noach, ſignificantur totidem Eccleſiæ, quarum prima & principalis fuit, quæ Homo dicta. Eccleſiarum principale fuit Perceptio, quare differentiæ Eccleſiarum iſtius temporis imprimis fuerunt differentiæ perceptionum: de Perceptione hic licet memorare, quod in univerſo Cœlo, non niſi quam Perceptio boni & veri regnet, & talis, ut deſcribi nequeat, cum differentia innumerabili, adeo ut una ſocietas non ſimilem perceptionem habeat ac altera; Perceptionum ibi dantur genera & ſpecies, & genera ſunt innumerabilia, & cujuſvis generis ſpecies ſimiliter innumerabiles, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Cum innumerabilia genera, & cujuſvis generis innumerabiles ſpecies, & innumerabiliora adhuc ſpecierum partialia dentur, conſtare poteſt, quam parum, ut ſit pæne nihil, hodie orbis ſciat de cœleſtibus & ſpiritualibus, cum ne quidem ſciat quid Perceptio, & ſi dicitur, nec credat, quod ſit; ita quoque in aliis. Eccleſia Antiquiſſima repræſentabat Cœleſte Domini Regnum, etiam quoad differentias genericas & ſpeciales Perceptionum; ſed quia Perceptio, quid ſit, in communiſſimo ſuo hodie prorſus neſcitur, quare ſi perceptionum genera & ſpecies harum Eccleſiarum dicerentur, nihil niſi quam peregrina & ignota traderentur: in domos, familias, & gentes, ideo diſtincti fuerunt, & intra domos & familias contrahebant matrimonia, ob cauſam, ut genera & ſpecies perceptionum exiſterent, & non aliter quam ſecundum propagationes indolum a parentibus derivarentur; quare qui ab Antiquiſſima Eccleſia fuerunt, etiam in Cœlo cohabitant.

484. Quod Eccleſia, quæ Scheth dicta, proxime ſimilis fuerit Eccleſiæ Antiquiſſimæ, conſtat inde, quod dicatur, quod Homo genuerit in ſimilitudinem ſuam, ſecundum imaginem ſuam, & vocavit nomen ejus Scheth; ſimilitudo ſpectat fidem, & imago amorem; nam quod non fuerit ſicut Antiquiſſima Eccleſia quoad amorem & inde fidem in Dominum, conſtat ex eo, quod mox prius dicatur, " Maſculum & fæminam creavit illos, benedixit illis, & vocavit nomen illorum homo," quibus ſignificatur homo ſpiritualis ſexti diei, ut prius dictum, quare ſimilitudo ejus fuit, ſicut ſpiritualis ſexti diei, quod eſt, quod Amor non ita principale fuit, ſed uſque quod fides Amori conjuncta.

485. Quod hic alia Eccleſia per Scheth intelligatur, quam quæ prius, Cap: IV: 25. per Scheth deſcripta eſt, videatur ibi n: 435. Quod ſimili Nomine vocatæ ſint Eccleſiæ diverſæ doctrinæ, conſtat ex illis, quæ in præcedente Capite verſ: 17 & 18. vocatæ ſunt Chanoch & Lamech, quod hic aliæ ſimiliter appellatæ Chanoch & Lamech, verſ: 21 & 30.

486.

486. Verſ: 4. *Et fuerunt dies Hominis, poſtquam genuit illum Schethum, octingenti anni; & genuit filios & filias.* Per dies ſignificantur tempora & ſtatus in genere; per annos, tempora & ſtatus in ſpecie; per filios & filias ſignificantur vera & bona, quæ perceperunt.

487. Quod per dies ſignificentur tempora & ſtatus in genere, in Capite Primo oſtenſum eſt, ubi dies creationis nihil aliud ſignificant: communiſſimum eſt in Verbo, omne tempus appellare dies, ſicut hic maniſeſte, inque verſibus ſeq: 5, 8, 11, 14, 17, 20, 23, 27, 31. quare etiam ſtatus temporum in genere quoque per dies ſignificantur; cumque adjiciuntur Anni, tunc per annorum tempora ſignificantur quales ſtatus, ita ſtatus in ſpecie. Antiquiſſimi habebant ſuos numeros, per quos ſignificabant varia Eccleſiæ, ſicut numeros tres, ſeptem, decem, duodecim, & plures quos ex illis & aliis componebant, & ſic comprehendebant ſtatus Eccleſiæ; quare numeri hi arcana continent, quæ explicare multis opus; erat Computus ſtatuum Eccleſiæ; etiam paſſim ſimile in Verbo, cumprimis prophetico, occurrit; etiam in ritibus Eccleſiæ Judaicæ ſunt numeri tam temporum quam menſurarum, ut circa ſacrificia, minchas, oblationes & alia, qui ubivis ſignificant ſancta applicate; quare quæ hic octingenti, & in ſequenti verſu, nongenti & triginta, & porro numeri annorum in ſequentibus, in ſpecie involvunt, ſunt plura quam uſquam tradi poſſunt, nempe mutationes ſtatus Eccleſiæ illorum applicate ad ſtatum eorum communem: in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, dicendum, quid ſimplices numeri uſque ad duodecim ſignificant, qui niſi prius ſciantur, non capi poteſt quid ſignificant numeri compoſiti.

488. Quod dies ſignificet ſtatus in genere, & anni ſtatus in ſpecie, conſtare etiam poteſt ex Verbo, ut dictum; ut apud Ezechielem, "Appropinquare "feciſti *Dies* tuos, & veniſti uſque ad *Annos* tuos," xxii: 4. ubi de iis, qui abominanda faciunt, & peccatorum menſuram implent, ita de talium ſtatu hic prædicantur in genere dies, in ſpecie anni. Apud Davidem, "*Dies* ſu-"per *dies* Regis addes, *Anni* ejus ſicut generationis & generationis," Pſalm: lxi: 7, de Domino & Ipſius Regno, ubi etiam dies & anni pro ſtatu Ipſius Regni: apud Eundem, "Cogitavi *Dies* ab antiquo, *Annos* ſæculorum," Pſalm: lxxvii: 6. ubi dies ab antiquo, ſunt ſtatus Eccleſiæ antiquiſſimæ, & anni ſæculorum, ſtatus Eccleſiæ antiquæ. Apud Eſaiam, "*Dies* ultionis in corde "meo, & *Annus* redemptorum meorum venit," lxiii: 4, pro ultimis temporibus, ubi dies ultionis pro ſtatu damnationis, & anni redemptorum pro ſtatu beatudinis: ſimiliter apud Eundem, "Ad proclamandum *Annum* bene-"placiti Jehovæ, & *Diem* ultionis Deo noſtro, ad conſolandum omnes "lugentes," lxi: 2. ubi etiam dies, ut & anni dicuntur, & ſignificant ſtatus: apud Jeremiam, "Renova *Dies* noſtros ſicut antiquitus," Thren: v: 21. ubi maniſeſte pro ſtatu: apud Joelem, "Venit *Dies* Jehovæ, quia propin-"quus, *Dies* tenebrarum & caliginis, *Dies* nubis & obſcuritatis, ſicut ille, "non factus eſt a ſæculo, & poſt eum non addet uſque in *Annos* generationis "& generationis," ii: 1, 2, 11. ubi dies pro ſtatu tenebrarum, caliginis, nubis & obſcuritatis, cujuſcunque in particulari, & omnium in genere. Apud Sachariam, "Removebo iniquitatem terræ iſtius in *Die* uno, in *Die* illo

"clamabitis

" clamabitis vir ad ſocium ſuum, ad ſubter vitem, & ad ſubter ficum," III: 9, 10. & alibi, " Erit *Dies* unus, ille notus eſt Jehovæ, non *Dies*, nec nox, " & fiet, ad tempus veſperæ erit lux," XIV: 7. ubi manifeſte, quod ſtatus, quia dicitur, erit dies, non dies nec nox, ad tempus veſperæ lux. Tunc ex illis quæ in decalogo, " Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut pro-" longentur *Dies* tui, & ut ſit bene tibi ſuper humo, Deut: V: 16. Cap. XXV: 15. ubi prolongare dies, non ſignificat longævitatem, ſed ſtatum felicem: in ſenſu literæ non aliter videri poteſt, quam quod dies ſignificet tempus, ſed in ſenſu interno ſignificat ſtatum; angeli, qui in ſenſu interno Verbi ſunt, non ſciunt quid tempus, nam illis non eſt ſol & luna diſtinguens tempora, proinde non ſciunt quid dies & annus, ſed quid ſtatus & ejus mutationes; quare coram angelis, qui in ſenſu interno Verbi ſunt, quicquid eſt materiæ, ſpatii & temporis, diſparet; ut quæ in ſenſu literæ apud Ezechielem, " Propinquus eſt " *Dies*, & propinquus *Dies* Jehovæ, *Dies* nubis, tempus gentium erit," XXX: 3. & apud Joelem, " Ah *diei*, quia propinquus *Dies* Jehovæ, & ſicut va-" ſtatio," I: 15. ubi dies nubis pro nube ſeu falſitate; dies gentium pro gentibus, ſeu malitia; dies Jehovæ pro vaſtatione: cum temporis notio removetur, manet notio ſtatus rerum, quæ tempore illo fuerunt. Similiter ſe habet cum diebus & annis in hoc Capite, qui toties nominantur.

489. Quod per filios & filias ſignificentur vera & bona, quæ perceperunt, & quidem per filios vera, & per filias bona, ex permultis locis apud Prophetas conſtare poteſt; conceptus enim & partus Eccleſiæ, in Verbo, ſicut antiquitus, nominati ſunt filii & filiæ, ut apud Eſaiam, " Ambulabunt gentes ad " lucem tuam, & reges ad ſplendorem ortus tui, attolle circumcirca oculos tuos, " & vide omnes ii congregantur, & veniunt ad te, *Filii* tui e longinquo " venient, & *Filiæ* tuæ ad latus nutrientur; tunc videbis & afflues, & ſtu-" pebit, & dilatabit ſe cor tuum," LX: 3, 4, 5. ubi filii pro veris, & filiæ pro bonis. Apud Davidem, " Libera me & eripe me e manu *filiorum* alieni-" genæ, quorum os loquitur vanitatem; *Filii* noſtri ſicut plantationes magnæ factæ in pueritiis ſuis, *Filiæ* noſtræ ſicut anguli, exciſi forma Templi," Pſalm: CXLIV: 11, 12. filii alienigenæ pro veris ſpuriis ſeu falſis, filii noſtri pro doctrinalibus veri, filiæ pro doctrinalibus boni. Apud Eſaiam, " Dicam ſeptentrioni, da, & auſtro, ne inhibe, adduc *Filios* meos e longin-" quo, & *Filias* meas ab extremitate terræ, educens populum cœcum & oculi " ei erunt, & ſurdos & aures eis," XLIII: 6, 8. ibi filii pro veris, filiæ pro bonis, cæci pro iis qui videbunt vera, ſurdi pro iis qui obtemperant: apud Jeremiam, " Pudor comedit laborem patrum noſtrorum a pueritiis noſtris, pecus eorum, " armentum eorum, *Filios* eorum, & *Filias* earum," III: 24. ibi filii & filiæ pro veris & bonis. Quod nati & filii pro veris, apud Eſaiam, " Non jam pude-" fiet Jacobus, & non jam facies ejus palleſcent; quia cum videbit ille *Natos* " ſuos, opus manuum mearum, in medio ejus ſanctificabunt nomen me-" um, & ſanctificabunt Sanctum Jacobi, Deumque Iſraelis formidabunt, ſci-" ent errantes ſpiritu intelligentiam," XXIX: 22, 23, 24; Sanctus Jacobi, Deus Iſraelis pro Domino, nati pro regeneratis, quibus intelligentia boni & veri, ut

ut quoque explicatur. Apud Eundem, "Canta ſterilis, non pepererat, quia multi "*filii* deſolatæ præ *filiis* maritatæ," LIV: 1. filii deſolatæ pro veris Eccleſiæ primitivæ ſeu gentium, filii maritatæ pro veris Eccleſiæ Judaicæ. Apud Jeremiam, "Tentorium meum devaſtatum eſt, & omnes funes mei evulſi, *Filii* mei egreſſi me, & non illi," X: 20. filii pro veris. Apud Eundem, "Erunt *Filii* ejus ſicut olim, & congregatio eorum coram Me conſtabit," XXX: 20. pro veris Eccleſiæ antiquæ. Apud Sachariam, "Excitabo *filios* tuos Sion, cum *filiis* tuis Javan, "& ponam te ſicut gladium potentis," IX: 13. pro veris amoris fidei.

490. Quod filia pro bonis, eſt multoties in Verbo, ut apud Davidem, "*Filiæ* regum in pretioſis tuis, adſiſtit regina ad dextram tuam in auro optimo "Ophiris; *filia* Tyri in munere, tota glorioſa *Filia* Regis intus, ex ocellaturis auri veſtis ejus, loco patrum tuorum erunt *Filii* tui," Pſalm: XLV: 10 ad 17. ubi bonum & pulchrum amoris & fidei per filiam deſcribitur: inde Eccleſiæ vocantur Filiæ, & quidem ex bonis, ut filia Sionis, & filia Hieroſolymæ, Eſ: XXXVII: 22. & multoties alibi: vocantur etiam filiæ populi, Eſ: XXII: 4. filia Tharſchiſch, Eſ: XXIII: 10. filia Sidonis, ib: ver. 12. filiæ in agro, Ezech: XXVI: 6. 8.

491. Eadem ſignificantur per filios & filias in hoc Capite, verſ: 4, 7, 10, 13, 16, 19, 26, 30. ſed qualis Eccleſia, tales filii & filiæ, ſeu talia bona & vera; hic ſunt vera & bona, quæ diſtincte perceperunt, quia prædicantur de Eccleſia Antiquiſſima principali & parente reliquarum, & ſuccedentium.

492. Verſ: 5. *Et fuerunt omnes dies Hominis, quibus vixit, nongenti anni, & triginta anni, & mortuus eſt.* Per dies & annos ſignificantur hic tempora & ſtatus, ut prius: quod mortuus ſit, ſignificat, quod talis perceptio non fuit.

493. Quod per dies & annos ſignificentur tempora & ſtatus, non diutius immorandum eſt, ſolum hic dicendum, quod in mundo non poſſint non eſſe tempora & menſuræ, quibus numeri applicentur, quia in ultimis naturæ; ſed quoties applicantur, per numeros dierum & annorum, tum per numeros menſurarum, ſignificatur aliquid abſtracte a temporibus & menſuris, ſecundum numeri ſignificationem, ſicut quod ſex dies laboris ſint, & ſeptimus ſanctus, de quibus ſupra; quod jubilæum quovis quadrageſimo nono anno proclamaretur, & quinquageſimo celebraretur: quod Tribus Iſraelis eſſent duodecim, quot Apoſtoli Domini: quod ſeptuaginta ſeniores, ſicut totidem diſcipuli Domini; & perplura alia; ibi numeri ſunt, qui peculiare quoddam ſignificant abſtracte ab illis, quibus applicati; cumque abſtrahuntur, tunc ſunt ſtatus, qui per numeros ſignificantur.

494. Quod mortuus eſſe ſignificet quod talis perceptio non fuit, conſtat ex ſignificatione vocis mori, quæ ſignificat omne quod deſinit eſſe quale fuit, ſicut apud Johannem, "Angelo Eccleſiæ, quæ in Sardibus, ſcribe, hæc di- "cit, qui habet *ſeptem* ſpiritus, & *ſeptem* ſtellas, novi opera tua, quod dica- "ris vivere, ſed *mortuus* es; eſto vigilans, & ſtabili reliqua *moribunda*, non "enim inveni opera tua perfecta coram Deo," Apoc: III: 1, 2. apud Jeremiam,

"Projiciam

" Projiciam matrem tuam, quæ genuit te, ſuper terram aliam, ubi non " geniti eſtis, ibique *moriemini*," XXII: 26. ubi Mater pro Eccleſia. Se enim res habet cum Eccleſia, ut dictum, quod decreſcat & degeneretur, & quod priſca integritas pereat, ex cauſa imprimis, quod malum hæreditarium augeatur, nam unuſquiſque parens novum malum hæreditario addit; omne malum actuale apud parentes induit ſpeciem naturæ, & cum ſæpe recurrit, fit naturale, & additur hæreditario, & tranſplantatur in liberos, & ſic in poſteros, ita augetur malum hæreditarium in poſteris immenſum; quod unuſquiſque noſſe poteſt ex mala indole liberorum prorſus ſimili parentum eorum, & avorum; falſiſſima prorſus opinio eſt eorum, qui putant non dari aliquod malum hæreditarium, præter quod implantatum aiunt eſſe ab Adamo, videatur n: 313. cum tamen unuſquiſque per actualia ſua peccata hæreditarium malum facit, & acquiſitis a parentibus ſuis adjicit, & ſic cumulat, quod remanet in omni poſteritate; nec niſi quam in illis temperatur, qui a Domino regenerantur: hæc primaria cauſa eſt, quod omnis Eccleſia degeneretur; ita quoque Antiquiſſima.

495. Quomodo Antiquiſſima Eccleſia decrevit, non conſtare poteſt, niſi ſciatur quid Perceptio, nam Eccleſia perceptiva fuit, qualis hodie nulla datur: Perceptio Eccleſiæ conſtat in eo, ut percipiant a Domino quid Bonum & Verum, ſicut Angeli; non ita quid bonum & verum ſocietatis civilis; ſed quid bonum & verum amoris & fidei in Dominum; ex confeſſione fidei confirmata ex vita, conſtare poteſt qualis ſit, & num ſit.

496. Verſ: 6. *Et vixit Scheth, quinque annis & centum annis, & genuit Enoſch.* Scheth, ut dictum, eſt altera Eccleſia, minus cœleſtis quam Antiquiſſima parens, uſque una Antiquiſſimarum: quod vixerit quinque & centum annis, ſignificat tempora & ſtatus, ut prius: quod genuerit Enoſch, ſignificat, quod alia Eccleſia ab illis deſcenderit, quæ dicta eſt Enoſch.

497. Quod Scheth ſit altera Eccleſia minus cœleſtis, quam Antiquiſſima parens, uſque una Antiquiſſimarum, conſtat ex illis, quæ prius de Scheth ad verſ: 3. dicta ſunt: ſe habet res cum Eccleſiis, ut quoque dictum, quod paullatim, & ſucceſſu temporum, decreſcant quoad eſſentialia; ex cauſa imprimis, de qua prius.

498. Quod genuerit Enoſch, ſignificet, quod alia Eccleſia ab illis deſcenderit, quæ dicta eſt Enoſch, etiam conſtat inde, quod Nomina in hoc Capite nihil aliud ſignificent, quam Eccleſias.

499. Verſ: 7, 8. *Et vixit Scheth, poſtquam genuit illum Enoſchum, ſeptem annis & octingentis annis; & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Schethi, duodecim anni & nongenti anni, & mortuus eſt.* Dies & annorum numeri, hic ut prius, ſignificant tempora & ſtatus: filii & filiæ ſignificant hic ut prius: ſimiliter quod mortuus ſit.

500. Verſ: 9. *Et vixit Enoſch nonaginta annis, & genuit Kenan*; per Enoſch, ut dictum, ſignificatur Tertia Eccleſia, adhuc minus cœleſtis, quam Eccleſia Scheth, uſque una Antiquiſſimarum: per Kenan, ſignificatur Quarta Eccleſia, quæ prioribus ſucceſſit.

501. Eccleſiæ temporum tractu ſibi ſuccedentes, & quarum una ab altera dicitur nata, ſe habuerunt, ſicut ſe habet cum fructibus, aut cum eorum ſeminibus, quod in medio illorum, ſeu in intimis, ſint fructuum quaſi fructus, ſeu ſeminum quaſi ſemina, ex quibus vivunt quaſi ordine ſuccedentia; nam quo remotius inde verſus peripherias, eo minus eſſentiæ fructus aut ſeminis, uſque tandem ut ſint modo cuticulæ ſeu involucra, in quæ fructus aut ſemina deſinunt. Aut ſicut in Cerebro, in cujus intimis ſunt ſubtilia organica, ſubſtantiæ corticales, dicta, ex quibus & per quæ, animæ operationes procedunt; ex quibus ordine ſuccedunt puriora involucra, tum denſiora, tandem communia, quæ vocantur meninges, quæ terminantur in adhuc communioribus, & tandem in communiſſimo, quod eſt Cranium.

502. Tres illæ Eccleſiæ, Homo, Scheth & Enoſch, conſtituunt Antiquiſſimam, uſque cum differentia perfectionis quoad Perceptiones: perceptivum Primæ Eccleſiæ paſſim diminutum eſt in ſequentibus, & factum communius; ſicut, ut dictum, de fructu aut ſemine, aut de cerebro; perfectio conſiſtit in facultate diſtincte percipiendi, quæ diminuitur, cum non ita diſtincte, ſed communius; tunc loco clarioris perceptionis ſuccedit obſcurior, & ſic incipit evaneſcere.

503. Perceptivum Eccleſiæ Antiquiſſimæ non ſolum conſtabat in eo, quod perceperint quid bonum & verum, ſed in felici & jucundo bonum agendi; abſque felici & jucundo bonum agendi, perceptivum non eſt vivum, ſed inde vivit; vita amoris & inde fidei, qualis fuit Antiquiſſimæ Eccleſiæ, eſt vita dum in uſu, ſeu in bono & vero uſus; ex uſu, per uſum & ſecundum uſum, datur vita a Domino; inutili nulla poteſt eſſe vita, nam quicquid inutile eſt, rejicitur: in illo fuerunt ſimilitudines Domini, quare etiam in perceptivis facti ſunt imagines; perceptivum eſt noſſe quid bonum & verum, ita quid fidei; qui in amore eſt, is non delectatur noſſe, ſed facere bonum & verum, hoc eſt, uſui eſſe.

504. Verſ: 10, 11. *Et vixit Enoſch, poſtquam genuit illum Kenanem, quindecim annis & octingentis annis, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Enoſch, quinque anni & nongenti anni, & mortuus eſt.* Hic ſimiliter dies & numeri annorum, tum filii & filiæ, ut & quod mortuus ſit, ſignificant ſimilia.

505. Enoſch eſt, ut dictum, Tertia Eccleſia, una Antiquiſſimarum, ſed minus cœleſtis, proinde minus perceptiva, quam Eccleſia Scheth, & hæc non ita cœleſtis ac perceptiva ſicut Eccleſia parens Homo dicta. Hæ tres ſunt, quæ conſtituunt Antiquiſſimam, quaſi nucleum fructuum aut ſeminum reſpective ad ſequentes, ſequentes autem naturam membranaceam illorum reſpective referunt.

506. Verſ: 12. *Et vixit Kenan ſeptuaginta annis, & genuit Mahalalel.* Per Kenan ſignificatur Quarta Eccleſia: & per Mahalalel Quinta.

507. Eccleſia Kenan dicta, non recenſenda ita eſt inter perfectiores illas tres, nam incepit tunc perceptio, quæ apud priores diſtincta fuit, communis fieri, & comparative ſicut primæ & molliores membranæ ſe habent ad nucleum fructus ſeu ſeminis; qui ſtatus quidem non deſcribitur, ſed uſque conſpicitur

tur a ſequentibus, ut a deſcriptione Eccleſiarum, quæ Chanoch, & quæ Noach, appellatæ.

508. Verſ: 13, 14. *Et vixit Kenan, poſtquam genuit illum Mahalalelem, quadraginta annis & octingentis annis; & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Kenanis, decem anni & nongenti anni, & mortuus eſt:* Dies & numeri annorum, ſe habent ut prius dictum: filii & filiæ, hic ut prius, ſignificant vera & bona, quæ perceperunt, ſed communius: quod mortuus ſit, ſimiliter ſignificat, quod deſiit eſſe talis.

509. Solum hic obſervandum, quod omnia ſe reſpective habeant ad ſtatum Eccleſiæ.

510. Verſ: 15. *Et vixit Mahalalel, quinque annis & ſexaginta annis, & genuit Jared:* per Mahalalel ſignificatur, ut dictum, Quinta Eccleſia; per Jared Sexta.

511. Quia decrevit Perceptivum, & factum eſt a ſingulariori ſeu diſtinctiori magis & magis commune ſeu obſcurum, ita quoque vita amoris ſeu uſuum; nam ſicut ſe vita amoris ſeu uſuum habet, ita perceptivum; ex bono noſſe verum, eſt cœleſte; vita quoque eorum, qui Eccleſiam Mahalalel dictam conſtituerunt, erat talis, ut præferrent delectationem ex veris, jucundo ex uſibus; quod a ſimilibus cum illis in altera vita datum eſt per experientiam ſcire.

512. Verſ: 16, 17. *Et vixit Mahalalel, poſtquam genuit illum Jaredum, triginta annis & octingentis annis, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Mahalalelis, quinque & nonaginta anni & octingenti anni; & mortuus eſt:* hæc ſe ſimiliter habent, ac ſimilia prius.

513. Verſ: 18. *Et vixit Jared duobus & ſexaginta annis & centum annis, & genuit Chanoch.* Per Jaredum ſignificatur, ut dictum, ſexta Eccleſia; per Chanochum ſeptima.

514. De Eccleſia Jared dicta, nec aliquid memoratur, ſed qualis fuit, conſtare poteſt ab Eccleſia Mahalalel quæ præcedit, & ab Eccleſia Chanoch, quæ ſequitur, quarum intermedia eſt.

515. Verſ: 19, 20. *Et vixit Jared, poſtquam genuit illum Chanochum, octingentis annis, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Jaredi, duo & ſexaginta anni, & nongenti anni, & mortuus eſt.* Hæc quoque ſimiliter ſe habent, ac illa, de quibus prius: quod non ætates eorum tantæ fuerint, ut Jaredi 962 annorum, & Methuſchelachi 969, cuivis quoque conſtare poteſt; tum etiam ex illis, quæ ex Divina Domini Miſericordia, dicentur ad Cap: ſeq: verſ: 3, ubi dicitur, "Erunt dies eorum centum & viginti anni," quare annorum numerus non ſignificat ætatem vitæ alicujus hominis, ſed tempora & ſtatus Eccleſiæ.

516. Verſ: 21. *Et vixit Chanoch, quinque & ſexaginta annis, & genuit Methuſchelach.* Per Chanochum, ut dictum, ſignificatur Eccleſia ſeptima; & per Methuſchelachum Eccleſia octava.

517. Qualis Eccleſia Chanoch fuerit, deſcribitur in mox ſequentibus.

518. Verſ: 22. *Et ambulavit ſibi Chanoch cum Deo, poſtquam genuit illum Methuſchelachum, trecentis annis, & genuit filios & filias.* Ambulare cum Deo ſigni-

ficat

cat doctrinam de fide: quod genuerit filios & filias, ſignificat doctrinalia de veris & bonis.

519. Fuerunt illo tempore, qui ex perceptivis Antiquiſſimæ Eccleſiæ & ſequentium faciebant doctrinam, ut ſerviret pro norma, & ſciretur inde quid bonum & verum; ii, qui tales, vocati ſunt Chanoch; quod ſignificatur per hæc verba, & ambulavit ſibi Chanoch cum Deo; ita etiam vocabant illi doctrinam iſtam; quæ ſignificata quoque eſt per nomen Chanoch, quod eſt inſtruere: conſtat quoque ex ſignificatione vocis ambulare, & ex eo, quod dicatur ambulaviſſe cum Deo, non cum Jehovah; ambulare cum Deo, eſt docere & vivere ſecundum doctrinam fidei, at ambulare cum Jehovah, eſt vivere vitam amoris: ambulare eſt formula ſolennis, ſignificans vivere, ſicut ambulare in lege, ambulare in ſtatutis, ambulare in veritate: ambulare proprie ſpectat viam, quæ eſt veritatis, proinde quæ eſt fidei, ſeu doctrinæ fidei: quid ambulare ſignificat in verbo, ex his, quæ ſequuntur, locis, aliquantum conſtare poteſt; apud Micham, "*Indicavit* tibi, homo, quid "bonum, & quid Jehovah requirens a te, niſi facere judicium & amorem "Miſericordiæ, & humiliare ſe, *ambulando cum Deo* tuo," VI: 8. hic ambulare cum Deo, ſignificat quoque vivere ſecundum illa, quæ indicata ſunt; ſed hic cum Deo dicitur, ſed de Chanocho alia vox, quæ ſignificat quoque a cum Deo, ita ut vox ambigua ſit. Apud Davidem, "Eripuiſti "pedes meos ab impulſione, ad *ambulandum coram Deo* in luce viventium," Pſalm: LVI: 14: ubi ambulare coram Deo eſt in veritate fidei, quæ eſt lux viventium: ſimiliter apud Eſaiam, "Populus, *ambulantes* in tenebris, vident "lucem magnam," IX: 1. Dominus apud Moſen," *Ambulabo* in medio, & "ero vobis in *Deum*, & vos eritis mihi in populum, Lev: XXVI: 12. pro, "ut viverent ſecundum doctrinam legis: apud Jeremiam," Expandent ea "ad ſolem & ad lunam, & ad exercitus cœlorum, quæ *amaverunt*, & "quibus *ſerviverunt*, & poſt quæ *ambularunt*, & quæ *quæſiverunt*," VIII: 2. hic manifeſte diſtinguitur inter illa, quæ ſunt amoris, & quæ ſunt fidei; quæ ſunt amoris, ſunt amare & ſervire; quæ ſunt fidei ſunt, ambulare & quærere; apud prophetas accurate voces obſervantur, nec uſquam una loco alterius ſumitur. Sed ambulare cum Jehovah, ſeu coram Jehovah, in Verbo ſignificat vivere vitam amoris.

520. Verſ.: 23, 24. *Et fuit omnes dies Chanochi, quinque & ſexaginta anni, & trecenti anni. Et ambulavit ſibi Chanoch cum Deo, & non amplius, quia ſumſit illum Deus.* Quod omnes dies Chanoch fuerint 365 anni, ſignificat quod pauci: quod ambulaverit ſibi cum Deo, eſt ut prius, doctrina de fide: quod non amplius, quia ſumſit illum Deus, ſignificat, quod doctrina iſta conſervata ſit in uſum poſteritatis.

521. Quod non amplius, quia ſumſit illum Deus, ſignificet, quod doctrina iſta conſervata ſit in uſum poſteritatis, ita ſe res habet cum Chanocho, quod perceptivum Eccleſiæ Antiquiſſimæ, ut dictum, redegerit in doctrinam; quod illo tempore non fuit permiſſum; nam prorſus aliud eſt ex perceptione noſſe, quam ex doctrina diſcere; qui in perceptione ſunt, non opus habent per viam

doctrinæ

doctrinæ formatæ noſſe, quod norunt; ſicut illuſtrationis cauſa, qui novit bene cogitare, non opus habet diſcere cogitare ab artificiali, inde periret ejus facultas bene cogitandi, ſicut apud eos, qui in pulvere ſcholaſtico hærent; qui ex perceptione, illis per viam internam datur a Domino noſſe quid bonum & verum; at qui ex doctrina, iis per viam externam ſeu ſenſuum corporis; quæ differentia eſt, ſicut inter lucem & tenebras; accedit, quod perceptiones hominis cœleſtis nuſquam poſſint deſcribi, nam in minutiſſimis & ſingulariſſimis ſunt, cum omni varietate ſecundum ſtatus & circumſtantias. Sed quia prævisum eſt, quod perceptivum Antiquiſſimæ Eccleſiæ periret, & quod poſtea per doctrinas diſcerent quid verum & bonum, ſeu per tenebras venirent ad lucem, ideo dicitur hic, quod ſumſerit eum Deus, hoc eſt, quod conſervaverit in uſum poſteritatis.

522. Quale perceptivum eorum factum ſit, qui Chanoch dicti, etiam mihi noſſe datum, quod commune quoddam obſcurum, abſque diſtincto quodam; nam mens tunc intuitionem determinat extra ſe in doctrinalia.

523. Verſ: 25. *Et vixit Methuſchelach ſeptem & octoginta annis & centum annis, & genuit Lamech.* Per Methuſchelach ſignificatur octava Eccleſia, & per Lamech nona.

524. Qualis fuerit hæc Eccleſia, nihil memoratur in ſpecie; ſed quod perceptivum factum commune & obſcurum, conſtat a deſcriptione Eccleſiæ, quæ Noachus vocatur; ſic ut decreverit integritas, & cum integritate ſapientia & intelligentia.

525. Verſ: 26, 27. *Et vixit Methuſchelach, poſtquam genuit illum Lamechum, duobus & octoginta annis, & ſeptingentis annis; & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Methuſchelach, novem & ſexaginta anni, & nongenti anni, & mortuus eſt.* Hæc ſimiliter ſe habent, ſicut cum cæteris.

526. Verſ: 28. *Et vixit Lamech duobus & octoginta annis, & centum annis, & genuit filium:* per Lamech ſignificatur hic nona Eccleſia, in qua tam communis & obſcura perceptio veri & boni fuit, ut fere nulla, ita Eccleſia vaſtata: per filium ſignificatur origo novæ Eccleſiæ.

527. Quod per Lamech ſignificetur Eccleſia in qua tam communis & obſcura perceptio veri & boni fuit, ut fere nulla, ita Eccleſia vaſtata, conſtare poteſt ab illis quæ præcedunt, & ab illis quæ ſequuntur, nam deſcribitur in verſu mox ſequente. Lamech in precedente Capite ſignificabat fere ſimile, ſicut hic, nempe vaſtationem, de qua videatur Cap: præc: ad verſ: 18, 19, 23, 24; & a quo genitus etiam pæne ſimiliter nominatur, nempe Methuſchael, ſic ut ſignificata ſint per nomina fere ſimilia: per Methuſchael & Methuſchelach moribundum quoddam; per Lamech, deletum.

528. Verſ: 29. *Et vocavit nomen ejus Noach, dicendo, is conſolabitur nos ab opere noſtro & a dolore manuum noſtrarum ex humo, cui maledixit Jehovah.* Per Noachum ſignificatur Eccleſia Antiqua: per conſolari nos ab opere noſtro, & a dolore manuum noſtrarum ex humo, cui maledixit Jehovah, ſignificatur doctrina, qua reſtitueretur, quod perverſum.

529. Quod per Noachum ſignificetur Antiqua Eccleſia, ſeu parens Eccleſiarum trium poſt diluvium, ex ſequentibus conſtabit, ubi pluribus de Noacho agitur.

530. Per Nomina in hoc Capite ſignificantur, ut dictum, Eccleſiæ, ſeu quod idem eſt, Doctrinæ, nam ex doctrina eſt, & vocatur Eccleſia, ita per Noachum Eccleſia antiqua, ſeu doctrina remanens ab Antiquiſſima: quomodo ſe habent Eccleſiæ aut doctrinæ, prius dictum, quod nempe decreſcant, uſque dum nihil amplius remaneat de bonis & veris fidei, & tunc vocatur Eccleſia vaſtata in Verbo: ſed uſque ſemper conſervantur Reliquiæ, ſeu quidam apud quos bonum & verum fidei permanet, tametſi pauci ſunt; apud quos niſi conſervaretur bonum & verum fidei, nulla conjunctio foret cœli cum genere humano. Quod Reliquias attinet quæ apud hominem in particulari; quo pauciores ſunt, eo minus illuſtrari poſſunt ejus rationalia & ſcientifica; nam lux boni & veri, a reliquiis, ſeu per reliquias a Domino, influit; ſi nullæ reliquiæ apud hominem, non foret homo, ſed multo vilior bruto; quo pauciores reliquiæ, eo minus eſt homo; & quo plures, eo magis eſt homo: reliquiæ ſe habent ſicut aliquod ſidus cœleſte, quo minus eſt, eo minus lucis inde, quo majus, eo plus lucis inde. Pauca, quæ remanebant ab Eccleſia Antiquiſſima, fuerunt apud illos, qui Eccleſiam Noachus dictam, conſtituerunt: ſed remanentiæ non erant perceptionis, ſed integritatis, tum doctrinæ ex perceptivis Antiquiſſimarum Eccleſiarum, quare nunc primum nova Eccleſia a Domino exſuſcitata fuit; quæ quia prorſus diverſæ indolis fuit ab Antiquiſſimarum, vocanda eſt Eccleſia Antiqua, Antiqua ex eo, quod in fine ſæculorum ante diluvium, & in primo tempore poſt diluvium: de qua Eccleſia, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

531. Quod per conſolari nos ab opere noſtro, & a dolore manuum noſtrarum ex humo, cui maledixit Jehovah, ſignificetur doctrina, qua reſtitueretur quod perverſum, etiam ex ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, conſtabit: per opus ſignificatur, quod non niſi cum labore & anguſtia percipere poſſent quid verum; per dolorem manuum ex humo, cui maledixit Jehovah, quod nihil bonum facere poſſent; ita deſcribitur Lamech, ſeu Eccleſia vaſtata; opus & labor manuum noſtrarum, eſt, cum ex ſemet aut proprio debeant inquirere quid verum, & facere quod bonum; quod inde fit, eſt humus cui maledixit Jehovah, hoc eſt, quod nihil niſi falſum & malum: ſed quid ſignificat, quod maledicat Jehovah, videatur n: 245. At conſolari, ſe refert ad filium, ſeu Noachum, quo ſignificatur nova regeneratio, ita nova Eccleſia, quæ eſt Antiqua; per quam ſeu per Noachum ſignificatur ideo quoque requies, & ex requie ſolatium, ſicut de Antiquiſſima Eccleſia, quod ſeptimus dies, in quo Dominus quievit, videatur n: 84 ad 88.

532. Verſ: 30, 31. *Et vixit Lamech, poſtquam genuit illum Noachum, quinque & nonaginta annis, & quingentis annis, & genuit filios & filias. Et fuit omnes dies Lamech, ſeptem & ſeptuaginta anni, & ſeptingenti anni, & mortuus eſt.* Per Lamechum ſignificatur, ut dictum, Eccleſia vaſtata: per filios & filias, conceptus & partus talis Eccleſiæ.

533. Quia nec de Lamecho plura memorantur, quam quod genuerit filios & filias, qui ſunt conceptus & partus talis Eccleſiæ, non amplius immorandum: quinam partus, ſeu filii & filiæ ſunt, ab Eccleſia conſtare poteſt, nam qualis Eccleſia, tales partus. Exſpiravit utraque illa Eccleſia, quæ Methuſchelach & Lamech vocatæ, proxime ante diluvium.

534. Verſ: 32. *Et fuit Noach filius quingentorum annorum; & genuit Noach Schem, Cham & Japheth.* Per Noachum, ſignificatur, ut dictum, Eccleſia Antiqua: per Schem, Cham & Japheth, ſignificantur tres Eccleſiæ Antiquæ; quarum parens fuit Antiqua, Noach, appellata.

535. Quod Eccleſia Noach dicta, non adnumeranda ſit Eccleſiis, quæ ante diluvium, conſtare poteſt ex verſ: 29, "quod illa conſolatura eos ab "opere eorum, & a labore manuum eorum ex humo, cui maledixit Je-"hovah," conſolatio fuit quod ſuperviveret & perſtaret: ſed de Noacho & filiis ejus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

536. Quia pluries in præcedentibus dictum eſt de Perceptione Eccleſiarum, quæ ante diluvium, & hodie prorſus ignota res eſt Perceptio, & uſque ita ignota, ut putare poſſint eſſe revelatum quoddam continuum; vel eſſe inſitum quoddam; alii quod ſit mere imaginarium quid, alii aliter; & uſque Perceptio eſt ipſum Cœleſte a Domino donatum illis, qui in fide amoris ſunt, & in univerſo Cœlo eſt Perceptio cum innumerabili varietate, quapropter, ut notio Perceptionis habeatur, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus licet deſcribere Perceptionem quoad ſua genera, qualis eſt in Cœlis.

Continuatio de Cœlo & Gaudio Cœleſti.

537. *QUIDAM Spiritus ſe applicuit lateri meo ſiniſtro, quærens, num ſcirem, quomodo intrare poſſet in cœlum; cui reſpondere datum, quod admitti in Cœlum ſit ſolius Domini, Qui ſolus novit, qualis eſt; tales ſunt perplures, qui e mundo veniunt, quod nihil aliud quærant, quam ut veniant in Cœlum, neſcientes prorſus quid Cœlum, & quid gaudium cœleſte, quod Cœlum ſit Amor mutuus, & quod gaudium cœleſte ſit gaudium inde; quare qui neſciunt, informantur primum, quid Cœlum, & quid gaudium cœleſte, etiam per vivam experientiam: ſicut quidam Spiritus recens quoque e mundo, qui ſimiliter cupiebat Cœlum, ut perciperet quale cœlum, interiora ejus aperiebantur, ut aliquid de cœleſti gaudio ſentiret, quo ſentito incepit lamentari & torqueri, ſupplicans ut liberaretur, vivere ſe præ anxietate non poſſe dicens; quare clauſa ſunt interiora*

ejus verſus cœlum, & ſic reſtitutus: inde conſtare poteſt, quali conſcientiæ morſu & quali anxietate torquentur illi, qui modo parumper admittuntur, dum non tales ſunt.

538. *Quidam etiam ambiebant in Cœlum, neſcientes quid Cœlum, quibus dictum, quod tam periculoſum ſit venire in Cœlum, niſi ſint in fide amoris, ſicut in flammam; ſed uſque ambiebant; cum venerunt ad primum atrium, ſeu in ſphæram inferiorem Spirituum angelicorum, ita perculſi ſunt, ut ſe præcipites retro conjicerent; inde inſtructi, quantum periculi ſit modo approximare ad Cœlum, antequam præparati ſunt a Domino recipiendi fidei affectiones.*

539. *Quidam, qui in vita corporis adulteria pro nihilo reputavit, etiam, quia cupivit, admiſſus ad primum Cœli limen; quo cum venit, incepit angi, & ſentire ſui fœtorem cadaveroſum, uſque dum non amplius ſuſtineret; ſi ulterius veniſſet, viſum ei quaſi periret: quare inde dejectus in terram inferiorum, iratus, quod cum ad primum limen cœli, in tales cruciatus veniret, quia in ſphæram contrariam adulteriis; inter infelices eſt.*

540. *Fere omnes, qui in alteram vitam veniunt, ignorant, quid beatitudo & felicitas cœleſtis, quia quid & quale gaudium internum neſciunt, ſolum ex lætitiis & gaudiis corporeis & mundanis perceptionem capiunt; quare quod ignorant, nihil eſſe putant, cum tamen gaudia corporea & mundana ſunt nihili & ſpurci reſpective; ideo probi, qui non ſciunt, quid gaudium cœleſte, ut ſciant & cognoſcant, feruntur primum ad Paradiſiaca, quæ omnem imaginationis ideam excedunt, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus, tunc arbitrati veniſſe in Paradiſum Cœleſtem; ſed docentur, quod id non ſit felicitas vere cœleſtis, quare datur iis cognoſcere Status interiores gaudii ad intimum eorum perceptibiles; dein auferuntur in ſtatum Pacis, uſque ad intimum eorum, fatentes tunc quod nihil ejus uſquam expreſſibile ſit, nec cogitabile: denique in ſtatum Innocentiæ, etiam uſque ad ſenſum eorum intimum: inde noſſe iis datur, quid vere bonum ſpirituale & cœleſte.*

541. *Quidam, qui neſciebant quid gaudium cœleſte, inopinato ſublati ſunt in Cœlum; in ſtatum illum redacti, ut attolli tunc poſſent, ſopiti nempe quoad corporea & phantaſias: inde audivi quendam ad me dicentem, quod nunc primum ſentiret, quantum gaudii in Cœlo; & quod maximopere deceptus, quod aliam ideam habuerit, & quod nunc intimum ſui perciperet, indefinite majus quam uſquam in ſummo alicujus voluptatis in vita corporis, quod vocabat ſpurcum, quo delectantur.*

542. *Qui auferuntur in Cælum, ſciendi cauſa, quale ſit, iis vel ſopiuntur corporea & phantaſiæ, nam cum corporeis & phantaſiis, quæ ex mundo ſecum trahunt, nemo intrare poteſt in Cælum: vel ſphæra ſpirituum circumdantur, quibus temperantur miraculoſe ea quæ immunda ſunt, & quæ diſſenſum faciunt: quibuſdam aperiuntur interiora; ita & aliter, ſecundum eorum vitas & inde tractas indoles.*

543. *Quidam deſiderabant noſſe, quid gaudium cæleſte, ideo conceſſum erat percipere intimum ſui uſque ad illum gradum, ut non plus ſuſtinere poſſent; ſed uſque non erat gaudium Angelicum, vix erat ſicut minimum Angelicum, quod percipere per communicationem gaudii eorum datum; erat tam leve, ut quaſi frigidiuſculum, quod tamen vocabant cæleſtiſſimum, quia intimum eorum; inde conſtabat, non ſolum, quod gradus ſint, ſed etiam quod intimum unius, vix accedat ad extimum aut medium alterius; tum quod cum aliquis intimum ſui accipit, in gaudio ſuo cæleſti ſit, & quod adhuc interius non ſuſtineat, eique dolorificum evadat.*

544. *Quidam in Cælum Innocentiæ primi Cæli admiſſi, & inde mecum loquuti, confeſſi ſunt, quod talis gaudii & lætitiæ ſtatus ſit, ut nuſquam aliqua idea capi queat; ſed erat hoc ſolum in primo Cælo, nam tres Cæli ſunt, & in unoquovis ſtatus Innocentiæ cum ſuis innumeris varietatibus.*

545. *Sed ut ſcire poſſem, quid & quale Cælum, & cæleſte gaudium, ſæpe & diu, a Domino, datum eſt, percipere jucunditates gaudiorum cæleſtium; quare, quia ab experientia viva, poſſum ſcire, ſed nuſquam deſcribere: aſt ut ſolum idea ejus habeatur; eſt Affectio jucunditatum & gaudiorum innumerabilium, quæ commune quoddam ſimultaneum ſiſtunt, in quo communi, ſeu in qua communi affectione, ſunt innumerabilium affectionum harmoniæ, quæ diſtincte non perveniunt ad perceptionem, ſed obſcure, quia communiſſima perceptio; uſque percipere datum, quod innumerabilia ineſſent, ita ordinata, ut deſcribi nuſquam poſſint; innumerabilia illa, qualia, ex Cæli ordine fluunt: talis ordo eſt in affectionis ſingulis & minimis, quæ modo ut communiſſimum unum ſiſtuntur & percipiuntur ſecundum capacitatem ejus qui eſt objectum; verbo, indefinita in ordinatiſſima forma inſunt cuicunque communi, & nihil non vivit, & afficit, & quidem intima, nam gaudia cæleſtia ab intimis procedunt. Perceptum quoque, quod gaudium & delitium, ſicut a corde veniret, ſe diffundens molliſſime per omnes fibras intimas, & inde in fibras congregatas, cum tali jucunditatis intimo ſenſu, ut fibra ſit quaſi nihil niſi gaudium & delitium, & omne perceptivum & ſenſitivum inde ſimiliter, vivens ex felicitate: voluptatum corporis gaudium, ad illa gaudia, eſt ſicut craſſus & pungens grumus reſpective ad puram & leniſſimam auram.*

546. *Ut ſcirem, quomodo ſe habet cum illis qui in Cælum cupiunt, & non tales ſunt, ut ibi eſſe poſſint; cum fui in aliqua ſocietate cæleſti, viſus mihi Angelus ut infans, circum caput corolla florum cæruleorum ſplendentium, circum pectus cinctus ſertis colorum aliorum; inde cognoſcere datum, quod in ſocietate quadam eſſem, ubi charitas; tunc in eandem ſocietatem admiſſi ſunt quidam ſpiritus probi, qui illico cum intrabant, intelligentiores multo facti ſunt, & loquuti ſicut ſpiritus angelici. Poſtea intromiſſi, qui ex ſemet innocentes eſſe vellent, quorum ſtatus mihi repræſentabatur per infantem, qui lac ore evomebat; taliter ii ſe habent. Dein admiſſi, qui ex ſe intelligentes eſſe putabant, ſtatus eorum repræſentabatur per eorum facies, quæ apparebant acutæ, ſatis pulchræ; viſi pileo inſtructi acuto, ex quo ſpiculum; ſed non apparebant ut facies humanæ carneæ, ſed ut ſculptilia abſque vita; talis eſt ſtatus eorum, qui ex ſemet ſpirituales eſſe, ſeu ex ſemet fidem habere poſſe, credunt. Alii ſpiritus admiſſi, qui non poterant ibi morari, conſternabantur, & anxii facti, inde aufugiebant.*

GENESEOS,

CAPUT SEXTUM.

De Cœlo & Gaudio cœleſti.

547. *ANIMÆ, quæ in alteram vitam veniunt, omnes ignorant, quid Cœlum, & quid Gaudium cœleſte; putant plerique eſſe quoddam gaudium, in quod intromitti queant, utcunque vixerunt, etiam qui odio habuerunt proximum, & vitam in adulteriis tranſegerunt, neſcientes prorſus quod Cœlum ſit Amor mutuus & caſtus, & quod gaudium cœleſte ſit felicitas inde.*

548. *Cum Spiritibus, qui e mundo recens venerunt, aliquoties loquutus de ſtatu vitæ æternæ, quod nempe iis ſcire intereſt, quis Dominus Regni, quale Regimen, & quæ regiminis forma; ſicut qui in mundo in aliud Regnum veniunt, iis nihil prius eſt quam ſcire, quis & qualis Rex, quale regimen, & plura quæ iſtius Regni ſunt; magis in hoc Regno, in quo in æternum victuri; & dictum, quod Dominus Solus non modo regat Cœlum, ſed etiam Univerſum, nam qui regit unum reget alterum; tum quod Regnum, in quo nunc ſunt, ſit Domini; & quod hujus Regni Leges, ſint Veritates æternæ, quæ omnes fundantur in illa unica Lege, ut ament Dominum ſupra omnia, & proximum ut ſemet; imo nunc adhuc magis, ſi velint eſſe ſicut Angeli, quod amare debeant proximum plus quam ſemet: cum hæc audiverunt, nihil reſpondere poterant, quia in vita corporis tale quid audiverunt, ſed non crediderunt: mirati, quod talis amor ſit in Cœlo, & quod dabilis, ut quiſque amet proximum plus quam ſemet, cum tamen audiverunt, quod amarent proximum ſicut ſemet: ſed informati, quod omnia bona indefinite creſcant in altera vita, & quod talis vita ſit in corpore, ut non ultra progredi poſſint, quam amare proximum ut ſemet, quia in corporeis; at iis remotis, tunc amor magis purus fit, & tandem Angelicus, qui eſt amare proximum plus quam ſemet. Quod talis Amor dabilis ſit, conſtare potuit ex quorundam amore conjugiali,*

quod prætulerint mortem, quam ut læderetur conjux; ex amore parentum erga liberos, quod mater potius famem patiatur, quam ut videat infantem eſurire; etiam apud aves & animalia: ut & ab amicitia ſincera, quod pro amicis pericula ſubeant; etiam ex amicitia civili & ſimulata, quæ æmulari vult ſinceram, quod potiora offerant iis, quibus bene volunt; & tale ore ferant, tametſi non corde: demum ex natura Amoris, quæ talis eſt, ut gaudium ejus ſit inſervire aliis, non ſui ſed ejus cauſa. Verum hæc non potuerunt capere, qui ſe præ aliis amabant; & qui lucri avidi in vita corporis fuerunt; omnium minime avari.

549. *Talis eſt ſtatus Angelicus, ut unuſquiſque ſuam beatitudinem & felicitatem communicet alteri; nam omnium affectionum & cogitationum communicatio & perceptio exquiſitiſſima datur in altera vita, quare unuſquiſque communicat ſuum gaudium omnibus, & omnes unicuique, ſic ut unuſquiſque ſit quaſi centrum omnium; quod eſt Forma cæleſtis: quare quo plures ſunt, qui Regnum Domini conſtituunt, eo major felicitas, nam in ratione plurium augeſcit; inde eſt, quod felicitas cæleſtis ſit ineffabilis. Communicatio talis eſt omnium cum ſingulis, & ſingulorum cum omnibus, cum amat unus alterum plus quam ſemet: at ſi quis ſibi melius vult quam alteri, tunc ſui amor regnat, qui nihil ex ſe communicat alteri, quam ſui ideam, quæ eſt ſpurciſſima, quæ cum percipitur, illico diſſociatur & rejicitur.*

550. *Sicut in Corpore humano, omnia & ſingula concurrunt ad uſus communes & ſingulares omnium; ſimiliter in Regno Domini, quod eſt ſicut unus homo, & quoque appellatur Maximus Homo, ibi unuſquiſque propius vel remotius multiplicibus modis concurrit, & hoc ſecundum ordinem a Domino Solo inſtitutum, & jugiter ſtabilitum, ita ad felicitates cujuſvis.*

551. *Quod univerſum Cælum ſe referat ad Dominum, & omnes & ſinguli ad Ipſum Unicum in univerſali & in ſingulariſſimis, inde Ordo, inde Unio, inde Amor mutuus, & inde Felicitas; ita namque ſinguli ſpectant ſalutem & felicitatem omnium, & omnes ſingulorum.*

552. *Quod omne gaudium & felix in Cælo, a Solo Domino, oſtenſum mihi eſt per plures experientias, quarum hanc hic loci licet referre: videbam, quod quidam Spiritus Angelici ſummo ſtudio formarent Candelabrum cum ſuis lucernis & floribus ornatiſſime in honorem Domini; videre datum*

datum per unam alteramve horam, quantum laborabant, ut omnia & ſingula pulchra & repræſentativa eſſent, opinantes quod a ſemet; ſed mihi manifeſte appercipere datum, quod nihil uſque invenire poſſent a ſemet: tandem poſt aliquot horas dicebant, quod formaverint pulcherrimum Candelabrum repræſentativum in honorem Domini, inde ex intimis gaviſi; ſed dicebam, quod nihil uſquam ex ſemet invenerint & formaverint, ſed Solus Dominus pro iis; primum illud vix credere volebant; ſed quia Spiritus angelici erant, illuſtrati ſunt, & faſſi quod ita ſit. Similiter ſe habet cum repræſentativis cæteris, & cum omnibus & ſingulis affectionis & cogitationis, & ſic cum gaudiis cœleſtibus & felicitatibus, quod omnium minima eorum a Solo Domino.

553. *Qui in Amore mutuo ſunt, in Cœlo continue ad vernum adoleſcentiæ ſuæ pergunt, & quo plura millia annorum vivunt, eo ad vernum jucundius & felicius, & hoc in æternum cum continuis incrementis, ſecundum amoris mutui, charitatis & fidei progreſſus & gradus. Ex ſexu fœminino, quæ ſeniles ac ſenio confectæ mortuæ ſunt, & in fide in Dominum, charitate erga proximum, & in amore conjugiali felici cum marito, vixerunt, poſt annorum ſucceſſum, magis & magis in juventutis & adoleſcentiæ florem veniunt, inque pulchritudinem, quæ excedit omnem pulchritudinis ideam uſquam viſu perceptibilem: bonitas enim & charitas eſt quæ format, & ſui ſimile ſiſtit, & facit ut jucundum & pulchrum charitatis ex ſingulariſſimis faciei eluceat, ſic ut ipſæ charitatis formæ ſint: viſæ ſunt quibuſdam, & obſtupuerunt. Charitatis forma eſt talis, quæ ad vivum conſpicitur in altera vita, quod ipſa charitas ſit quæ effigiat & effigiatur, & quidem ſic, ut totus Angelus, cumprimis facies, ſit quaſi Charitas, quæ manifeſte & apparet, & percipitur; quæ forma cum ſpectatur, eſt pulchritudo ineffabilis afficiens charitate ipſam vitam mentis intimam; per pulchritudinem illius formæ exhibentur, in imagine, Vera fidei, quæ quoque inde percipiuntur: qui in fide in Dominum vixerunt, hoc eſt, in fide charitatis, tales formæ, ſeu tales pulchritudines, in altera vita fiunt; omnes Angeli tales Formæ ſunt, cum innumerabili varietate; ex his Cœlum.*

CAPUT

CAPUT V.

1. ET fuit, quod inciperet homo multiplicare ſe ſuper faciebus humi, & filiæ natæ iis.

2. Et viderunt filii Dei filias hominis, quod bonæ illæ, & acceperunt ſibi uxores ab omnibus quas elegerunt.

3. Et dixit JEHOVAH, non arguet ſpiritus meus hominem in perpetuum, eo quod ille caro; & erunt dies ejus centum & viginti anni.

4. Nephilim fuerunt in terra in diebus iſtis, & quam maxime poſtquam intrabant filii Dei ad filias hominis, & genuerunt iis; hi viri fortes, qui a ſæculo viri nominis.

5. Et vidit JEHOVAH, quod multiplicatum malum hominis in terra; & figmentum cogitationum cordis ejus ſolummodo malum omni die.

6. Et pœnituit JEHOVAM, quod fecerit hominem in terra, & doluit Ipſi ad cor Ipſius.

7. Et dixit JEHOVAH, delebo hominem, quem creavi, deſuper faciebus humi, ab homine uſque ad beſtiam, uſque ad reptile, & uſque ad avem cœlorum, quia pœnitet Me, quod feci ea.

8. Et Noach invenit gratiam in oculis JEHOVÆ.

CONTENTA.

554. AGITUR de ſtatu antediluvianorum.

555. Quod apud hominem, ubi Eccleſia, regnare cæperint cupiditates, quæ ſunt filiæ. Tum quod cupiditatibus ſuis conjunxerint doctrinalia fidei, ac ita ſe confirmaverint in malis & falſis, quæ ſunt, quod filii Dei acceperint ſibi uxores ex filiabus hominis: verſ: 1, 2.

556. Quia ſic ei nullæ reliquiæ boni & veri, prædicitur, quod homo aliter formaretur, ut ei reliquiæ, quæ ſunt centum & viginti anni, verſ: 3.

557. Qui doctrinalia fidei immerſerunt cupiditatibus, & inde, tum ex amore ſui, diras perſuaſiones de magnitudine ſui præ aliis conceperunt, ſunt Nephilim, verſ: 4.

558.

558. Inde nulla amplius voluntas & perceptio boni & veri, verſ: 5.

559. Miſericordia Domini deſcribitur per pænitere, & dolere ad cor, verſ: 6. quod tales facti, ut cupiditates eorum & perſuaſiones non potuiſſent non eos exſtinguere, verſ: 7. quare, ut ſalvaretur genus humanum, quod exiſteret nova Eccleſia, quæ eſt Noachus, verſ: 8.

SENSUS INTERNUS.

560. Antequam ulterius progredi licet, memorandum, quomodo ſe res habuit cum Eccleſia ante diluvium; in genere ſe habuit ſicut cum Eccleſiis poſtea, ut cum Judaica ante adventum Domini, & cum Chriſtiana poſt adventum, quod veræ fidei cognitiones depravaverint, & adulteraverint: in ſpecie, quod hominem Eccleſiæ antediluvianæ attinet, is ſucceſſu temporis diras concepit perſuaſiones, & bona & vera fidei fædis cupiditatibus immerſit, uſque adeo, ut vix aliquæ Reliquiæ apud eos eſſent; & cum tales facti, a ſemet quaſi ſuffocati ſunt; nam homo abſque reliquiis non vivere poteſt; Reliquiæ enim ſunt, ut prius dictum, quibus vita hominis præ brutis ineſt; ex Reliquiis, ſeu per reliquias a Domino, poteſt homo eſſe ſicut homo, ſcire quid bonum & verum, reflectere ſuper ſingula, proinde cogitare & ratiocinari; nam Reliquiis ſolis vita ſpiritualis & cœleſtis ineſt.

561. Sed ut ſciatur quid Reliquiæ; ſunt non ſolum bona & vera, quæ ex Verbo Domini, homo uſque ab infantia didicit, & ſic memoriæ ejus impreſſa; ſed etiam ſunt omnes ſtatus inde, ſicut ſtatus innocentiæ ab infantia, ſtatus amoris erga parentes, fratres, inſtructores, amicos; ſtatus charitatis erga proximum, ut & miſericordiæ erga pauperes & egenos; verbo omnes ſtatus boni & veri: hi ſtatus cum bonis & veris memoriæ impreſſis, dicuntur Reliquiæ, quæ a Domino apud hominem conſervantur, & reconduntur in Interno ejus homine, illo prorſus neſciente, & ſeparantur probe ab iis, quæ ſunt hominis propria, ſeu mala & falſa: omnes illi ſtatus ita conſervantur a Domino apud hominem, ut ne minimum illorum pereat; quod ſcire mihi datum ex eo, quod unuſquiſque ſtatus hominis ab infantia ejus uſque ad ultimam ſenectam, in altera vita, non ſolum remaneat, ſed etiam redeat, & quidem prorſus ita, ſicut fuerunt, dum vixit, in mundo; ita non ſolum bona & vera memoriæ, ſed etiam ſtatus innocentiæ, & charitatis, omnes; & quando ſtatus mali & falſi, ſeu malitiæ & phantaſiæ, recurrunt, qui etiam omnes & ſinguli quoad omnia minima, remanent, & redeunt, tunc a Domino, hi ſtatus per illos temperantur; ex quibus conſtare poteſt, ſi homo nullas Reliquias haberet,

quod nuſquam poſſet aliter, quam in damnatione æterna eſſe; videantur quæ prius, n: 468.

562. Antediluviani ita fuerunt, ut fere nullas Reliquias tandem habuerint, ex cauſa, quod tali genio eſſent, quod imbuerint diras & abominabiles perſuaſiones de omnibus, quæcunque obvenerunt, & in cogitationem eorum inciderunt, ſic ut ab iis ne hilum recedere voluerint, & quidem quam maxime ex ſui amore, putantes ſe quaſi deos eſſe, & quicquid cogitarent, divinum eſſe; talis perſuaſionis natura nuſquam apud aliquam gentem ex iſtitit antea & poſtea, nam eſt necativa ſeu ſuffocativa; quare in altera vita nec uſquam poſſunt eſſe ubi alii ſpiritus, cum adſunt, illis per perſuaſionum pervicaciſſimarum ſuarum influxum omnem cogitandi facultatem adimunt, præter alia, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

563. Cum talis perſuaſio occupat hominem, tunc eſt ſicut gluten, cui inviſcantur bona & vera, quæ forent Reliquiæ, ſic ut Reliquiæ non amplius recondi, & quæ reconditæ non uſui eſſe, poſſint; quare etiam cum ad ſummum talis perſuaſionis pervenerunt, ex ſemet extincti ſunt, & ſuffocati ſicut inundatione non diſſimili diluvio, ideo eorum exſtinctio diluvio comparatur, & quoque ad morem Antiquiſſimorum, per diluvium deſcribitur.

564. Verſ: 1. *Et fuit, quod inciperet homo multiplicare ſe ſuper faciebus humi, & filiæ natæ iis.* Per hominem ſignificatur hic genus humanum tunc temporis: per facies humi, omnis ille tractus, ubi Eccleſia fuit: per filias ſignificantur hic, quæ ſunt voluntatis iſtius hominis, proinde cupiditates.

565. Quod per hominem ſignificetur hic genus humanum tunc temporis, & quidem malum ſeu corruptum, conſtare poteſt a ſequentibus, "Non "arguet ſpiritus meus *hominem* in perpetuum, eo quod ille caro," verſ: 3, "quod multiplicatum malum *hominis* in terra, & omne figmentum cogitationum cordis ejus ſolummodo malum," verſ: 5. "delebo *hominem*, quem creavi," verſ: 7. & Cap: ſeq: verſ: 21, 22. "Exſpiravit omnis caro repens ſuper terra, & omnis *homo*, in cujus naribus ſtatus ſpiritus vitarum." De homine prius dictum, quod Dominus Solus Homo; & quod ab Ipſo omnis cœleſtis homo, ſeu cœleſtis Eccleſia, vocatur homo; inde reliqui; tum quoque omnis cujuſcunque fidei, ad diſtinguendum eum a brutis; ſed homo non eſt homo, & diſtinctus a brutis, niſi per Reliquias, ut dictum, quæ ſunt Domini, inde quoque homo vocatur homo, & quia propter Reliquias, quæ ſunt Domini, ita quoque a Domino, etiamſi peſſimus; nam homo nuſquam eſt homo, ſed viliſſimum brutorum, ſi non ei reliquiæ.

566. Quod per facies humi ſignificetur omnis ille tractus, ubi Eccleſia fuit, conſtat a ſignificatione Humi, nam in Verbo accurate diſtinguitur humus a terra; per Humum ubivis ſignificatur Eccleſia, ſeu aliquid Eccleſiæ; inde quoque nomen hominis ſeu Adam, quod eſt humus; per Terram intelligitur ubi paſſim non Eccleſia, ſeu non aliquid Eccleſiæ, ſicut in Capite Primo modo nominatur Terra, quia nondum Eccleſia, ſeu regeneratus homo; in Capite ſecundo primum nominatur Humus, quia tunc Eccleſia; ſimiliter hic & in Capite ſeq: quod perderetur omnis ſubſtantia deſuper faciebus *humi*,"

verſ:

verſ: 4, 23. ubi ſignificatur in tractu ubi Eccleſia; & ibidem, ad vivificandum ſemen ſuper faciebus *humi*, verſ: 3. ubi de Eccleſia creanda: ſimiliter in Verbo ubivis, ut apud Eſaiam, "Miſerebitur Jehovah Jacobi, & eliget adhuc Iſraelem, & ponet illos ſuper *Humo* illorum, & accipient eos populi, & deducent eos ad locum ſuum, & hæreditabunt eos domus Iſrael ſuper *Humo* Jehovæ," XIV: 1, 2. ubi de Eccleſia facta; at ubi nulla Eccleſia, in eodem Capite dicitur *Terra*, verſ: 9, 12, 16, 20, 21, 25, 26. apud Eundem, "Et erit *Humus* Jehudæ Ægypto in tremorem; die illo erunt quinque urbes in *Terra* Ægypti loquentes labio Canaanis," XIX: 17, 18. ibi humus ubi Eccleſia, & terra ubi non Eccleſia. Apud Eundem, "Vagando vagabitur *Terra* ſicut ebrius; viſitabit Jehovah ſuper exercitum altitudinis in altitudine, & ſuper reges *Humi* ſuper *Humo*," XXIV: 20, 21, ſimiliter. Apud Jeremiam, "Propter *Humum* contritam, quia non fuit pluvia in *Terra*, pudefacti ſunt Agricolæ, operuerunt caput ſuum, nam etiam cerva in *Agro* peperit," XIV: 4, 5. ibi terra pro continente ubi humus, & humus pro continente ubi ager. Apud Eundem, "Deduxit ſemen domus Iſraelis e Terra ſeptentrionali, & ex omnibus *Terris*, quo propuli eos, & habitabunt ſuper *Humo* eorum," XXIII: 8. terra & terræ, ubi non Eccleſiæ, humus ubi Eccleſia, aut cultus verus. Apud Eundem, "Dabo *reliquias* Hieroſolymæ, relictos in *Terra* hac, & habitantes in *Terra* Ægypti, & dabo illos in commotionem, in malum omnibus regnis *Terræ*, & mittam in eos gladium, famem & peſtem, uſque ad conſumere eos deſuper *Humo*, quam dedi illis & patribus eorum," XXIV: 8, 9, 10. humus pro doctrina, & cultu inde: ſimiliter apud Eundem, Cap: XXV: 5. apud Ezechielem, "Congregabo vos e *Terris*, in quas diſperſi fuiſtis, & agnoſcetis, quod Ego Jehovah, cum reduxero vos in *Humum* Iſraelis, in *Terram*, qua ſuſtuli manum meam ad dandum eam patribus veſtris," XX: 41, 42. humus pro cultu interno, terra vocata dum non cultus internus. Apud Malachiam, "Increpabo vobis in conſumentem, & non corrumpet vobis fructum *Humi*, neque orba erit vobis vitis in agro, & beatos vos dicent omnes gentes, quia *eritis vos Terra* beneplaciti," III: 11, 12. ubi terra pro continente, ita manifeſte pro homine, qui vocatur terra, ubi humus pro Eccleſia, aut doctrina. Apud Moſen, "Cantate gentes, populus ejus, expiabit *Humum* ſuam, populum ſuum," Deut: XXXII: 43, manifeſte pro Eccleſia gentium, quæ vocatur humus. Apud Eſaiam, "Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, deſeretur *Humus*, quam tu faſtidis coram duobus regibus ejus," VII: 16. de Adventu Domini, quod deſeretur humus pro Eccleſia, ſeu doctrina vera fidei. Quod Humus & Ager dicatur a ſemente conſtat: ut apud Eſaiam, "Dabit pluviam ſeminis tui, quo ſemines *Humum*; boves & pulli aſinini laborantes *Humum*," XXX: 23, 24. & apud Joelem, "Vaſtatus *Ager*, & luxit *Humus*, quia vaſtatum frumentum," I: 10. inde nunc conſtat, quod Homo, qui in Hebræa lingua dicitur Adam, ab Humo, ſignificet Eccleſiam.

567. Omnis illa regio vocatur tractus Eccleſiæ, ubi illi ſunt, qui inſtructi in doctrina veræ fidei, ſicut Terra Canaan, cum ibi Eccleſia Judaica; & ſicut

Europa, ubi nunc Eccleſia Chriſtiana; terræ & regiones quæ extra ſunt, non ſunt tractus Eccleſiæ, ſeu facies humi. Ubinam ante diluvium fuit, etiam conſtare poteſt, ex Terris, quas circumdabant fluvii exeuntes ex Horto Edenis, per quos paſſim in Verbo quoque deſcribuntur termini terræ Canaanis; tum ex iis quæ ſequuntur, ut a Nephilim in terra, qui quod in terra Canaane fuerint, conſtat a filiis Anaki, quod fuerint ex Nephilim, Num: XIII: 33.

568. Quod Filiæ ſignificent quæ ſunt voluntatis iſtius hominis, proinde cupiditates, conſtat ab illis, quæ de filiis & filiabus dicta & oſtenſa ſunt Capite præc: ad verſ: 4. ubi ſignificarunt filii vera, & filiæ bona; filiæ ſeu bona, ſunt voluntatis; ſed qualis homo, talis intellectus, & talis voluntas, ita tales filii & filiæ; hic agitur de homine corrupto, cui voluntas nulla, ſed pro voluntate mera cupiditas, quam putant, & quam quoque vocant voluntatem; quod prædicatur, ſe habet ſecundum qualitatem ejus, de quo prædicatur; quod homo, ſit corruptus homo, prius oſtenſum, de quo prædicantur filiæ. Quod filiæ ſignificent quæ ſunt voluntatis, & cum nulla voluntas boni, quod cupiditates, & quod filii ſignificent quæ ſunt intellectus, & cum nullus intellectus veri, quod phantaſias, cauſa eſt, quod Sexus fæmininus talis ſit, & ita formatus, ut voluntas ſeu cupiditas regnet præ intellectu; talis eſt omnis diſpoſitio earum fibrarum, talis earum natura: at ſexus maſculinus ita formatus eſt, ut intellectus ſeu ratio regnet, talis quoque eſt diſpoſitio eorum fibrarum, talis eorum natura; inde conjugium utriuſque, ſicut eſt voluntatis & intellectus in unoquovis homine: & quia nulla hodie voluntas boni, ſed cupiditas, & uſque intellectuale quid ſeu rationale dari queat, inde eſt, quod tot leges in Eccleſia Judaica latæ ſint de prærogativa viri, & obedientia uxoris.

569. Verſ: 2. *Et viderunt filii Dei, filios hominis, quod bonæ illæ, & acceperunt ſibi uxores ab omnibus, quas eligebant.* Per filios Dei ſignificantur doctrinalia fidei: per filias, hic ut prius, cupiditates: quod filii Dei viderint filias hominis quod bonæ, & acceperint ſibi uxores, ab omnibus quas eligebant, ſignificat quod doctrinalia fidei conjunxerint cum cupiditatibus, & quidem cum quibuſcunque.

570. Quod per filios Dei ſignificentur doctrinalia fidei, conſtat a ſignificatione filiorum, de qua mox prius, & Cap: præc: ad verſ: 4, ubi filii ſignificarunt vera Eccleſiæ; vera Eccleſiæ ſunt doctrinalia, quæ, quia illi, de quibus, per traditiones habuerunt ab Antiquiſſimis, in ſe ſpectata vera fuerunt, quare vocantur filii Dei, & quoque reſpective, quia cupiditates vocantur filiæ hominis. Quales fuerunt, hic deſcribitur, nempe quod vera Eccleſiæ, quæ ſancta, immerſerint ſuis cupiditatibus, & ſic conſpurcaverint; inde quoque perſuaſiſſima ſua principia confirmarunt: hoc quomodo ſe habet, quiſque poteſt judicare a ſe & aliis; qui de aliqua re ſibi perſuadent, ii ſe confirmant ab omni quod verum eſſe putant, etiam ab illis quæ in Verbo Domini; nam cum in principiis captis & perſuaſis hærent, tunc faciunt ut omnia faveant & aſſentiantur, & quo magis quis ſe amat, eo magis obfirmat ſe: hæc gens

talis

talis fuit, de qua ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus, ubi etiam de diris eorum perſuaſionibus, quæ, mirum, tales ſunt, ut nuſquam liceat eis a ratiociniis influere, tunc necant omne rationale ſpirituum præſentium, ſed ſolum ex cupiditatibus: inde conſtat, quid ſignificat, quod filii Dei viderint filias hominis, quod bonæ, & acceperint ſibi uxores ab omnibus quas eligebant, quod nempe doctrinalia fidei conjunxerint cum cupiditatibus, & quidem cum quibuſcunque.

571. Cum homo talis eſt, ut immergat vera fidei ſuis veſanis cupiditatibus, tunc prophanat vera, & deprivat ſe reliquiis, quæ tametſi manent, uſque non poſſunt produci; nam illico ut producuntur, ab iis quæ prophana ſunt, iterum prophanantur; nam prophanationes Verbi faciunt quaſi callum, qui obſtat, & qui abſorbet bona & vera reliquiarum; quare caveat ſibi homo a prophanatione Verbi Domini, ubi, tametſi is, qui in falſis principiis eſt, non credit quod veritates ſint, uſque ſunt veritates æternæ, in quibus vita.

572. Verſ: 3. *Et dixit Jehovah, non arguet ſpiritus meus hominem in perpetuum, eo quod ille caro; & erunt dies ejus centum & viginti anni.* Quod Jehovah dixit, non arguet ſpiritus meus hominem in perpetuum, ſignificat, quod homo non ita amplius duceretur: ex eo quod ille caro, ſignificat, quia corporeus factus: & erunt dies ejus centum & viginti anni, ſignificat, quod reliquiæ fidei ei eſſe debeant; eſtque prædictio de Eccleſia futura.

573. Quod Jehovah dixit, non arguet ſpiritus meus hominem in perpetuum, ſignificet, quod homo non ita amplius duceretur, conſtat ex illis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur; ex illis quæ præcedunt, quod tales facti per immerſionem doctrinalium ſeu veritatum fidei in cupiditates, ut non amplius potuiſſent redargui, ſeu ſcire quid malum; omne perceptivum veri & boni erat per perſuaſiones exſtinctum, id ſolum credentes verum quod perſuaſionibus eorum conforme: ex illis quæ ſequuntur, quod aliter homo Eccleſiæ factus poſt diluvium, apud quem loco perceptionis ſucceſſit Conſcientia, per quam redargui poſſet; quare per redarguitionem a ſpiritu Jehovæ ſignificatur dictamen internum, perceptio vel conſcientia, & per ſpiritum Jehovæ influxus veri & boni; ut quoque apud Eſaiam, "Non in æternum *litigabo*, non in "perpetuum ſuccenſebo, quia *ſpiritus* a coram Me obrueret; & animas Ego "feci," LVII: 16.

574. Quod Caro ſignificet, quod homo corporeus factus, conſtat ex ſignificatione Carnis in Verbo, ubi tam pro omni homine in genere, quam pro corporeo in ſpecie, ſumitur; pro omni homine, apud Joelem, "Effundam "*ſpiritum* meum ſuper omnem *Carnem*, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ "veſtræ," III: 1, caro pro homine, ſpiritus pro influxu veri & boni a Domino: apud Davidem, "Audiens preces, uſque ad Te omnis *Caro* venient," Pſalm: LXV: 3, pro omni homine. Apud Jeremiam, "Maledictus is vir, "qui confidet in homine, & ponet *Carnem* brachium ſuum," XVII: 5. Caro pro homine, brachium pro potentia. Apud Ezechielem, "Ut ſcient omnis "*Caro*," XXI: 4, 5. apud Sachariam, "Sile omnis *Caro* coram Jehovah,"

II : 13, pro omni homine. Pro Corporeo in ſpecie: apud Eſaiam, "Ægyp- "tius homo, & non Deus; & equi ejus *Caro*, & non ſpiritus," XXXI : 3. pro quod ſcientificum eorum, ſit corporeum, equi hic & alibi in Verbo pro rationali. Apud Eundem, "Recedet ad dextram & eſuriet, & comedet ad "ſiniſtram, & non ſaturabuntur, quiſque *Carnem* brachii ſui comedent," IX : 19, pro propriis, quæ omnia ſunt corporea. Apud Eundem, "ab anima & uſque *Carnem* conſumet," X : 18. Caro pro corporeis. Apud Eundem, "Revelabitur gloria Jehovæ, & videbunt omnis *Caro* ſimul, vox dicit cla- "ma, & dixit quid clamabo, omnis ea *Caro* gramen," XL : 5, 6. Caro pro omni homine, qui corporeus. Apud Eundem, "In igne Jehovah diſcepta- "bit, & gladio ſuo cum omni *Carne*, & multiplicabuntur confoſſi Jehovæ." LXVI : 16. ignis pro punitione cupiditatum, gladius pro punitione falſitatum, Caro pro hominis corporeis. Apud Davidem, "Deus recordatus, quod "*Caro* illi, ſpiritus vadens, ut non reverteretur," Pſalm : LXXVIII : 39, de populo in deſerto deſiderante carnem, quod corporei; qui quod deſideraverint carnem, repræſentabat, quod ſolum corporea cuperent, Num : XI : 32, 33, 34.

575. Quod dies hominis eſſent centum & viginti anni, ſignificent, quod reliquiæ fidei ei eſſe debeant; in Capite præc: ad verſ: 3 & 4. dictum, quod dies & anni ſignificent tempora & ſtatus: & quod Antiquiſſimi per numeros varie compoſitos ſignificaverint ſtatus & mutationes ſtatuum Eccleſiæ; ſed qualis eorum Eccleſiaſticorum computus fuerit, inter res perditas eſt. Hic ſimiliter occurrunt numeri annorum, quos nuſquam aliquis ſcire poteſt, quid ſignificant, niſi quid in numeris ſingulis ab 1 ad 12, & ſic porro, latet, ſciatur: manifeſte apparet, quod aliud quid & arcanum involvant, nam quod victuri centum & viginti annos, cum præcedentibus Verſus non cohæret; nec vixerunt poſtea 120 annos, ut conſtat de illis, qui poſt diluvium vixerunt, Cap: XI, de Schemo, quod vixerit, poſtquam genuit Arphachſad 500 annos; Arphachſad poſtquam genuit Schelach, 403 annos; Schelach poſtquam genuit Eberum pariter 403 annos; Eberus poſtquam genuit Pelegum 430 annos: Noachus poſt diluvium 340 annos, Cap: X : 28. & ſic porro. Quid autem numerus 120 involvit, conſtat ſolum ex 10 & 12, ex quibus multiplicatis compoſitus eſt, nempe quod ſignificet Reliquias fidei; numerus Decem in Verbo, ſicut etiam Decimæ ſignificant & repræſentant Reliquias, quæ in interno homine conſervatæ a Domino, quæ ſanctæ quia Solius Domini; numerus Duodecim ſignificat Fidem, ſeu omnia quæ ſunt fidei in uno complexu; ex illis nunc compoſitus numerus ſignificat reliquias fidei.

576. Quod numerus *Decem* ſignificet reliquias, ſimiliter ac *Decimæ*, ex his quæ ſequuntur locis conſtare poteſt; apud Eſaiam, "Domus multæ in deſo- "lationem erunt, magnæ & pulchræ, abſque habitatore, nam *Decem* jugera vineæ facient bathum unum, & ſementis Chomer faciet epham," V : 9, 10. de vaſtatione ſpiritualium & cœleſtium, decem jugera vineæ facient bathum, pro quod tam paucæ reliquiæ ſpiritualium; ſementis Chomer faciet epham, pro

pro quod tam paucæ reliquiæ cœleſtium. Apud Eundem, “ Et multa de- “ relicta in medio terræ, & adhuc in ea *pars decima* & convertetur, & ta- “ men erit ad exſtirpandum,” VI: 12, 13. medium terræ pro interno homine, decima pars pro reliquiis tantillis: apud Ezechielem, “ Lances juſtitiæ, & “ Epha juſtitiæ, & Bath juſtitiæ, erit vobis: Ephæ & Bathi menſura una “ erit, ad tollendum *Decimum* Chomeris Bathus, & *Decimum* Chomeris Epha, “ ad Chomerem erit menſura ejus, & ſtatutum olei Bathus olei, *Decimum* “ Bathi de Koro, *Decem* Bathi Chomer, nam *Decem* Bathi Chomer,” XLV: 10, 11, 14. Ubi de ſanctis Jehovæ per menſuras agitur, per quas ſignificantur ſanctorum genera; per decem hic Reliquiæ celeſtium & inde ſpiritualium; nam quid tot menſuræ determinatæ numeris, ut in hoc Capite & prioribus apud hunc Prophetam, ubi agitur de Hieroſolyma Cœleſti & Templo novo, & apud alios, tum circa ritus varios Eccleſiæ Judaicæ, niſi arcana ſancta contineant. Apud Amos, “ Cecidit, non addet ſurgere virgo Iſrael: ſic dixit Dominus Jehovih, urbs exiens *Mille*, *Reliquias* faciet *Centum*, & exiens *Centum* “ *reliquias* faciet *Decem* domui Iſraelis,” V: 2, 3. ubi reliquiæ nominantur, quarum minimum manſurum, quia modo decima pars, ſeu reliquiarum reliquiæ. Apud Eundem, “ Ego ſuperbiam Jacobi, & palatia ejus odi, & con- “ cludam urbem & plenitudinem ejus, & fiet, ſi *relicti* fuerint *Decem* viri in “ domo una, & morientur,” VI: 8, 9. pro reliquiis, quæ vix remanſuræ: apud Moſen “ Non veniet Ammonita & Moabita in congregationem Jehovæ, “ etiam generatio *Decima* non venient illis in congregationem Jehovæ uſque “ in æternum,” Deut: XXIII: 3. Ammonita & Moabita pro prophanatione cœleſtium & ſpiritualium fidei, de quorum reliquiis prius. Quod Decimæ repræſentent Reliquias, inde conſtat; de quibus ita apud Malachiam, “ Ad- “ ducite omnes *Decimas* ad domum theſauri, ut ſit præda in domo mea, & “ probent Me, agite, in hoc, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero “ vobis benedictionem,” III: 10. ut ſit præda in domo mea, pro reliquiis in interno homine, quæ comparantur prædæ, quia quaſi furtim inſinuantur inter tot mala & falſa, per quas reliquias omnis benedictio. Quod per reliquias, quæ in interno homine, omnis charitas hominis, repræſentatum quoque fuit in Eccleſia Judaica, per id, quod poſtquam dederint decimas, darent Levitæ, peregrino, orphano & viduæ, Deut: XXVI: 12, ſeq: Quia Reliquiæ ſunt Solius Domini, ideo Decimæ vocantur Sanctitas Jehovæ, de quibus ita per Moſen, “ Omnes *Decimæ* terræ, de ſemine terræ, de fructu arboris, Jehovæ illæ, Sanctitas Jehovæ: Omnes *Decimæ* armenti & gregis, omne quod “ tranſit ſub baculo (paſtoritio) *Decimum* erit ſanctitas Jehovæ,” Lev. XXVII: 30, 31. Quod *Decalogus* fuerint Decem præcepta, ſeu Decem Verba, & quod Jehovah ſcripſerit illa ſuper tabulis, Deut: X. 4. ſignificat reliquias, & quod ſcripta manu Jehovæ, ſignificat quod Reliquiæ ſint ſolius Domini; quod in interno homine repræſentatum eſt per tabulas.

577. Quod Duodecim ſignificent Fidem, ſeu illa quæ ſunt Amoris & inde fidei in uno complexu, multis quoque confirmari a Verbo poteſt, tam ex Duodecim filiis Jacobi & eorum nominibus; quam ex Duodecim tribubus Iſrae-

lis;

lis; & ex Duodecim diſcipulis Domini; ſed de illis ex Divina Domini Miſericordia in ſequentibus, imprimis in Capite XXIX & XXX Geneſeos.

578. Ex his ſolum numeris conſtare poteſt, quid Verbum Domini in ſinu & receſſu interiori habet, quæ abſcondita arcana, quæ nuſquam ad oculum nudum patent; præter quæ ubivis ſimilia in unaquavis voce.

579. Quod apud hos antediluvianos, de quibus, paucæ, & fere nullæ reliquiæ fuerint, conſtabit ex iis, quæ de iis, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur in ſequentibus; apud quos quia reliquiæ non conſervari potuerunt, hic prædicitur de nova Eccleſia Noachus dicta, quod reliquias haberet, de quibus etiam, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

580. Verſ: 4. *Nephilim fuerunt in terra in diebus iſtis, & quam maxime poſtquam intrabant filii Dei ad filias hominis, & genuerunt eis; hi viri fortes, qui a ſæculo viri nominis.* Per Nephilim ſignificantur, qui ex perſuaſione ſuæ altitudinis & præeminentiæ nihili fecerunt omnia ſancta & vera: quam maxime poſtquam intrarunt filii Dei ad filias hominis & genuerunt eis, ſignificat, quod tunc, cum doctrinalia fidei immerſerint ſuis cupiditatibus, & perſuaſiones falſi formaverint: viri fortes vocantur ex amore ſui; a ſæculo viri nominis, ſignificat quod prius quoque tales fuerunt.

581. Quod per Nephilim ſignificentur, qui ex perſuaſione ſuæ altitudinis, & præeminentiæ nihili fecerunt omnia ſancta & vera, conſtat ex illis quæ præcedunt, & mox ſequuntur, quod nempe immerſerint doctrinalia ſuis cupiditatibus, quæ ſignificantur per illa, quod filii Dei intraverint ad filias hominis, & hic quod genuerint eis: perſuaſio de ſe & ſuis phantaſiis creſcit etiam ſecundum ingredientium multitudinem, tandem ut fiat perſuaſio indelebilis; & cum doctrinalia fidei adjiciuntur, tunc ex perſuaſiſſimis principiis nihili faciunt omnia ſancta & vera, & fiunt Nephilim: gens iſta, quæ vixit ante diluvium, talis eſt, ut dictum, ut quemcunque ſpiritum, diriſſimis ſuis phantaſiis, quæ, ſicut venenata & ſuffocativa ſphæra, ab illis, effunduntur, ita necat & ſuffocat, ut ne hilum ſciant ſpiritus cogitare, ſic ut ſibi ſemineces videantur; & niſi Dominus, per Adventum Ipſius in mundum, liberaviſſet mundum ſpirituum a venenata tali gente, nuſquam unus potuiſſet ibi eſſe, ita periiſſet genus humanum, quod regitur per ſpiritus a Domino; quare nunc in Inferno ſub nebuloſa & denſa quaſi petra ſub Calcaneo pedis ſiniſtri tenentur, nec hiſcunt minimum exſurgere, ita ab infeſtiſſima illa turba liber eſt mundus ſpirituum, de qua turba & ejus ſphæra perſuaſionum venenatiſſima, ex Divina Domini Miſericordia, ſeorſim: illi ſunt, qui Nephilim vocantur, & nihili faciunt omne ſanctum & verum. Mentio quoque eorum fit in verbo, ſed poſteri eorum dicti ſunt Enakim & Rephaim; quod dicti Enakim, conſtat apud Moſen, "Exploratores terræ Canaanis, dixerunt, ibi vidimus *Ne-*
"*philim*, filios *Enaki* de *Nephilim*, & fuimus in oculis noſtris ſicut locuſtæ, & ſic
"fuimus in oculis eorum," Num. XIII: 33. quod dicti Rephaim, etiam apud Moſen, "Emim prius habitarunt in terra Moabi, populus magnus, & multus,
"& excelſus, ſicut *Enakim*, *Rephaim* reputabantur etiam ii ſicut *Enakim*, &
"Moabitæ vocant eos Emim," Deut. II: 10. Nephilim non amplius memorantur,

tur, ſed Rephaim, qui deſcribuntur apud Prophetas, quod tales, ſicut dictum: ut apud Eſaiam, "Infernus inferius commotus eſt tibi, obviam veniendo tibi, excitavit tibi *Rephaim*," XIV: 9. agitur de inferno, ubi tales. Apud Eundem, "Mortui non vivent, *Rephaim* non ſurgent, eo quod viſitaſti, & de-"leviſti eos, & perdidiſti omnem memoriam illis," XXVI: 14. ubi etiam de eorum inferno, a quo non amplius reſurgent: & apud Eundem, "Vi-"vent mortui tui, cadaver meum reſurgent; expergiſcimini, & cantate "habitatores pulveris, nam ros olerum ros tuus; at terram *Rephaim* "projicies," XXVI: 19, terra Rephaim eſt infernus, de quo dictum. Apud Davidem, "Num mortuis facies miraculum, num *Rephaim* ſurgent, confi-"tebuntur tibi," Pſalm LXXVIII: 11. ſimiliter de eorum inferno, & quod ſurgere nequeant, & ſphæram mundi ſpirituum diriſſimis perſuaſionum veneris infeſtare. Sed quod non genus humanum tam diris phantaſiis & perſuaſionibus, amplius imbueretur, proviſum eſt a Domino. Qui ante diluvium vixerunt, tali natura & genio fuerunt, ut imbui poſſent, ex cauſa adhuc nemini nota, de qua etiam, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

582. Quod poſtquam intrarunt filii Dei ad filias hominis, & genuerunt eis, ſignificet quod tunc cum immerſerint doctrinalia fidei ſuis cupiditatibus, facti Nephilim, conſtat ex illis, quæ mox prius ad Verſ: 2. dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe filii Dei ſignificent doctrinalia fidei, & filiæ cupiditates, partus inde non alius eſt, quam quod nihili faciant, & prophanent ſancta fidei; nam cupiditates hominis, quæ ſunt amorum ſui & mundi, prorſus contrariæ ſunt omni ſancto & vero; & apud hominem cupiditates prævalent, quare cum ſanctum & verum, quod agnitum, cupiditatibus immergitur, actum eſt cum homine, nam extirpari & reſolvi non poſſunt; in unaquavis idea cohærent, & ideæ ſunt quæ communicantur mutuo in altera vita, quare ut primum aliqua idea ſancti ac veri producitur, prophanum & falſum adjunctum eſt, quod illico & momento percipitur; quare tales non poſſunt non ſeparari, & detrudi in infernum.

583. Quod Nephilim viri fortes vocati ſint ab amore ſui, conſtat paſſim quoque in Verbo, ubi tales fortes vocantur, ut apud Jeremiam, "Ceſſarunt "*Fortes* Babelis pugnare, ſedent in munitionibus, deficit *fortitudo* eorum, "facti ſunt in mulieres, LI: 30, ubi fortes Babelis pro iis quoque qui ſui "amore ineſcati ſunt: apud Eundem," Gladius adverſus mendaces, & in-"ſanient, gladius adverſus *Fortes* ejus, & conſternabuntur," L: 36. apud Eundem, "Vidi, illi conſternati, ſe convertentes retrorſum, *Fortes* eorum "concluſi ſunt, & fugam ſugerunt, nec reſpexerunt, terror circumcirca, non "fugiet celer, & non evadet *Fortis*," aſcendite equos, & inſanite currus, "exeant *Fortes*, Kuſch, Puth, Ludii, XLVI: 5, 6, 9. ubi de perſuaſione ex "ratiociniis. Apud Eundem, "Quomodo dicitis *Fortes* nos, & viri roboris "ad bellum; devaſtatus eſt Moabus," XLVIII: 14, 15. Apud Eundem, "Capta eſt urbs, & munitiones, occupata eſt, & factum eſt cor *Fortium* "Moabi in die illo, ſicut cor mulieris anguſtatæ," XLVIII: 41. ſimiliter "cor *Fortium* Edomi," XLIX: 22. apud Eundem, Redemit Jehovah Jacobum,

"bum, & vindicavit illum e manu *Fortioris* illo," xxxi: 11. ubi fortes alia voce. Quod Enakin, qui ex Nephilim, fortes prædicati ſint, conſtat apud Moſen, "Tranſis hodie Jordanem, veniendo ad poſſidendum gentes magnas "& numeroſas præ te, urbes magnas & munitas in cœlum, populum mag-"num & excelſum, filios *Enakim*, quos tu noſti, & tu audiviſti, *quis conſiſtet* "*coram filiis Enakim*," Deut: ix: 1, 2.

584. Verſ: 5. *Et vidit Jehovah, quod multiplicatum malum hominis in terra; & omne figmentum cogitationum cordis ejus ſolummodo malum omni die.* Quod viderit Jehovah, quod multiplicatum malum hominis in terra, ſignificat quod voluntas boni inceperit nulla eſſe: omne figmentum cogitationum cordis ſolummodo malum omni die, ſignificat quod nulla perceptio veri & boni.

585. Quod per multiplicatum malum hominis in terra ſignificetur, quod voluntas boni inceperit nulla eſſe, conſtat a præcedentibus, quod amplius nulla voluntas, ſed ſolum cupiditas; tum ex ſignificatione hominis in terra; Terra in literali ſenſu, eſt ubi homo; in interno ubi amor, qui quia eſt voluntatis, aut cupiditatis, terra pro ipſa voluntate hominis ſumitur; homo enim a velle eſt homo, non ita a ſcire & intelligere, quia ſcire & intelligere fluit ex ejus velle, quicquid non fluit ex velle ejus, non ſcire vult nec intelligere; imo cum aliud loquitur & agit, quam vult, uſque eſt voluntatis quoddam a loquela & actione remotius, quod eum regit. Quod Terra Canaan ſeu Terra Sancta pro Amore, & ſic pro voluntate cœleſtis hominis accipiatur, multis ex Verbo confirmari poteſt; pariter quod terræ gentium diverſarum pro amoribus illorum, qui in genere ſunt amor ſui & mundi; ſed quia toties recurrit, non hic loci immorandum; inde conſtat, quod per malum hominis in terra, ſignificetur malum ejus naturale, quod eſt voluntatis, quod multiplicatum dicitur, quia non ita depravatum apud omnes, quin bonum aliis vellent, ſed ſui cauſa: at quod prorſus perverſum factum, eſt figmentum cogitationum cordis.

586. Figmentum cogitationum cordis ſolummodo malum omni die, ſignificat, quod nulla perceptio boni & veri, ex cauſa, ut dictum & oſtenſum, quod doctrinalia fidei immerſerint fœdis ſuis cupiditatibus; quod cum factum, periit omnis perceptio, & loco perceptionis ſucceſſit dira perſuaſio, ſeu obfirmatiſſima & morticina phantaſia, quæ quoque fuit cauſa exſtinctionis & ſuffocationis eorum; perſuaſio illa lethalis ſignificatur hic per figmentum cogitationum cordis, at per figmentum cordis, abſque voce cogitationum, ſignificatur malum amoris ſui ſeu cupiditatum, ut in ſequente viii Capite, ubi dixit Jehovah, poſtquam Noach obtulerit holocauſta, "Non addam maledicere amplius humo propter hominem, eo quod *Figmentum cordis* hominis malum a pueritia ejus," 21. Figmentum eſt, quod homo ſibimet fingit, & de quo ſibi perſuadet; ut apud Habakuk, "Quid prodeſt ſculptile, "quia ſculpſit illud *Fictor* ejus, fuſile & docens mendacium, quia confidit "fictor *Figmento* ſuo ſuper eo ad faciendum idola muta," ii: 18. ſculptile ſignificat perſuaſiones falſas ex conceptis & excluſis a ſemet principiis; fictor

eſt

eſt is qui perſuadet ſibi, de quo prædicatur figmentum: apud Eſaiam, "Subverſio veſtra, num ſicut lutum figulus reputabitur, quod dicet opus "factori ſuo, non fecit me, & *Figmentum* dixerit *Fictori* ſuo, non intel-"lexit," XXIX: 16. figmentum hic pro cogitatione ex proprio, & inde perſuaſione falſi. Figmentum in genere eſt, quod homo fingit ex corde ſeu voluntate, ut & quod ex cogitatione ſeu perſuaſione, ut apud Davidem, "Je-"hovah novit *Figmentum* noſtrum, memor quod pulvis nos," Pſalm: CIII: 14. apud Moſen. "Novi *Figmentum* ejus, quod ille faciens hodie, antequam "introducam eum in terram," Deut: XXXI: 21.

586. Verſ: 6. *Et pænituit Jehovam, quod fecerit hominem in terra; & doluit Ipſi ad Cor Ipſius.* Quod pænituerit, ſignificat Miſericordiam: quod doluerit ad cor, ſimiliter: pænitere ſpectat Sapientiam; dolere ad cor, Amorem.

587. Quod pænituit Jehovam, quod fecerit hominem in terra, ſignificet Miſericordiam, & quod doluerit ad cor, ſimiliter, conſtat ex eo, quod Jehovam nuſquam pæniteat, quia omnia & ſingula ab æterno prævidet; & cum fecit hominem, hoc eſt, e novo creavit, & perfecit, uſque ut factus cœleſtis, etiam prævidit, quod talis ſucceſſu temporis fieret; & quia prævidit, quod talis fieret, non potuit Ipſum pænitere; quod manifeſte conſtat apud Samuelem, Samuel dixit, "Invictus Iſraelis non mentitur, & non Ipſum *pæ-*"*nitebit*, quia non homo Ille, ut Ipſum *pæniteat*," I Sam: XV: 29. & apud Moſen, "Non vir Deus, & mentitur, & filius hominis & *pænitet* Ipſum; "num Ille dixerit, & non faciet, aut loquutus fuerit, & non ſtabiliet," Num: XXIII: 19. ſed pænitere ſignificat miſereri: Miſericordia Jehovæ ſeu Domini involvit omnia & ſingula, quæ a Domino fiunt erga genus humanum, quod tale eſt, ut ejus miſereatur, & cujuſvis ſecundum ejus ſtatum; ita miſeretur ſtatus ejus quem puniri permittit; & miſeretur ejus, cui bono frui dat; Miſericordiæ eſt puniri, quia flectit omne malum pœnæ in bonum; & Miſericordiæ eſt dare bono frui, quia nullus aliquid boni meretur; omne enim genus humanum eſt malum, & ex ſemet ad infernum unuſquiſque ruit, quare Miſericordia eſt, ut inde eximatur; nec aliud eſt quam Miſericordia, quia nullius indiget: Miſericordia inde dicitur, quia a miſeriis & inferno hominem eximit, ita reſpective ad genus humanum, quod tale, eſtque effectus amoris erga omnes, quia tales.

588. Sed prædicatur de Domino, quod pæniteat & doleat ad cor, quia tale apparet ineſſe omni Miſericordiæ humanæ, quare ſecundum apparentiam hic, ut multoties alibi in Verbo, loquutum; quid Miſericordia Domini nemo ſcire poteſt, quia infinite tranſcendit omnem intellectum hominis; ſed quid Miſericordia hominis, novit homo, quod eſt pænitere & dolere; & niſi ab homine capiatur idea de Miſericordia & alia affectione, quam novit qualis eſt, nuſquam aliquid cogitare poteſt, ita nec inſtrui; quæ cauſa eſt, quod proprietates humanæ multoties prædicentur de Jehovæ ſeu Domini attributis; ſicut quod Jehovah ſeu Dominus puniat, inducat in tentationem, perdat, excandeſcat, cum tamen nuſquam aliquem punit, nuſquam aliquem in tentationem inducit,

nuſquam aliquem perdit, & nuſquam excandeſcit; quare cum talia uſque prædicantur de Domino, ſequitur, quod etiam pænitentia & dolor prædicentur, nam prædicatio unius ſequitur a prædicatione alterius, ſicut manifeſte conſtat ab his in Verbo locis; apud Ezechielem, " Conſumabitur *ira* mea, re-" quieſcere faciam *excandeſcentiam* meam, & *pænitebit* Me," v: 13, ubi quia ira & excandeſcentia prædicatur, etiam prædicatur pænitentia: apud Sachariam, " Quemadmodum cogitavi *malum* facere, cum *iram* excitarunt patres " veſtri Mihi, dixit Jehovah Zebaoth, nec *pænituit* Me; ſic convertere, co-" gitabo in diebus illis bonum facere Hieroſolymæ, & domui Jehudæ," VIII: 14, 15. ubi dicitur, quod Jehovah cogitaverit malum facere, cum tamen nuſquam malum alicui cogitat facere, ſed bonum omnibus & ſingulis. Apud Moſen, cum deprecatus facies Jehovæ, " Revertere ab *excandeſcentia* " *iræ* tuæ, & *pæniteat* Te, ſuper malo populi tui; & *pænituit* Jehovam " ſuper *malo, quod* loquutus eſt *facere* populo ſuo," Exod: XXXII: 12, 14. ibi quoque tribuitur Jehovæ excandeſcentia iræ, conſequentur pænitentia: apud Jonam Rex Ninivæ, " Quis ſciens, revertatur & *pæniteat* Deum, ut " revertatur ab *ardore iræ* ſuæ, & non peribimus," III: 9. ſimiliter pænitentia prædicatur, quia ira. Apud Hoſeam, " Converſum eſt ſuper Me *Cor* " Meum, ſimul æſtuarunt *pænitudines* meæ, non faciam *excandeſcentiam iræ* " meæ," XI: 8, 9. ubi ſimiliter de corde, quod æſtuaverint pænitudines, ſicut hic quod doluerit ad cor; pænitudines manifeſte pro multa Miſericordia: ſimiliter apud Joelem. " Convertimini ad Jehovam, Deum veſtrum, quia " gratioſus & *Miſericors* Ipſe, longanimis, & multus *Miſericordia*, & *Pænitens* " ſuper malum," II: 13. ubi quoque manifeſte, quod pænitere ſignificet Miſericordiam Apud Jeremiam, " Si forte audiant & revertantur vir a via ſua " prava, & *pæniteat* Me mali," XXVI: 3, pro miſereri. Apud Eundem. " Si convertitur gens iſta a malo ſuo, *pænitebit* Me ſuper malo," XVIII: 8. ubi etiam pænitere pro miſereri, ſi ſe converterent; nam homo eſt, qui avertit a ſe Miſericordiam Domini, nuſquam Dominus ab homine.

589. Ex his & perplurimis aliis locis Verbi conſtare poteſt, quod ſecundum apparentias apud hominem loquutum ſit, quare qui ex apparentiis, ſecundum quas loquutum in Verbo, velit confirmare principia falſa, is poſſet ex innumerabilibus: ſed aliud eſt confirmare principia falſa ex Verbo, & aliud eſt credere ſimpliciter quæ in Verbo; qui confirmat principia falſa, is prius capit principium, a quo nuſquam vult recedere, aut minimum remittere, ſed corradit & cumulat confirmantia ubicunque poteſt, ita quoque ex Verbo, uſque dum ita ſibi perſuadet, ut non amplius poſſit videre verum. At qui ſimpliciter aut ex ſimplici corde credit, is non capit principia prius, ſed cogitat, quia Dominus ita loquutus, quod verum ſit, & ſi inſtruitur, quomodo intelligendum, ex aliis dictis Verbi, tunc acquieſcit, & corde ſuo gaudet: imo qui ex ſimplicitate credit, quod Dominus iraſcatur, puniat, pæniteat, doleat, & homo ſic timeat a malo & faciat bonum, ei nihil nocet, ſic etenim etiam credit, quod Dominus videat omnia & ſingula, & cum in tali fide eſt,

in cæteris dein, ſi non prius, in altera vita, illuſtratur; ſecus ac ii, qui ex captis principiis ſibi perſuadent, conſpirante amore fœdo ſui aut mundi.

590. Quod pænitere ſpectet ſapientiam, & dolere ad cor amorem, non poteſt explicari ad captum humanum, ſolum ſecundum ea, quæ apud hominem, ita per apparentias: unicuivis cogitationis ideæ apud hominem eſt aliquid de intellectu & de voluntate, ſeu de cogitatione & de amore ejus; quæ idea non trahit aliquid de voluntate ſeu amore ejus, non eſt idea, nam aliter nuſquam cogitare poteſt; eſt perpetuum quoddam conjugium & indivulſum cogitationis & voluntatis, ita ideis cogitationis inhærent aut adhærent ea quæ ſunt voluntatis ſeu amoris ejus: ex hoc apud hominem ſicut ſciri, ſeu potius ſicut idea aliqua capi poſſe videtur, quid Miſericordiæ Domini ineſt, nempe Sapientia & Amor. Ita apud Prophetas, cumprimis apud Eſaiam, fere ubivis ſunt binæ expreſſiones de quacunque re, una involvit ſpirituale, altera cœleſte; Spirituale Miſericordiæ Domini eſt Sapientia, Cœleſte eſt Amor.

591. Verſ: 7. *Et dixit Jehovah, delebo hominem quem creavi, deſuper faciebus humi, ab homine uſque ad beſtiam, uſque ad reptile, & uſque ad avem Cœlorum, quia pænitet Me quod feci ea.* Quod dixerit Jehovah, delebo hominem, ſignificat quod homo ſe exſtingueret: quem creavi deſuper faciebus humi, ſignificat hominem a poſteritate Antiquiſſimæ Eccleſiæ: ab homine uſque ad beſtiam, & uſque ad reptile, eſt, quod quicquid eſt voluntatis exſtingueret eum: uſque ad avem cœlorum, eſt, quicquid eſt intellectus ſeu cogitationis: quia pænituit Me quod feci ea, ſignificat, ut prius, Miſerationem.

592. Quod dixerit Jehovah, delebo hominem, ſignificet quod homo ſe exſtingueret, conſtat ab illis, quæ prius dicta ſunt, quod nempe prædicetur de Jehovah ſeu Domino, quod puniat, quod tentet, quod malum faciat, quod deleat ſeu occidat, quod maledicat; ſicut quod Jehovah occiderit Erum primogenitum Jehudæ; & Ananem alterum filium Jehudæ, Gen: XXXVIII. 7, 10. quod Jehovah necaverit omnem primogenitum Ægypti, Ex: XII: 12, 29. ſicut apud Jeremiam, "Quos *percuſſi* in *ira* mea, & in *excan-* "*deſcentia* mea," XXXIII: 5. apud Davidem, "Miſit in eos *excandeſcentiam* "*iræ* ſuæ, *iram vehementem*, & *furorem*, & *anguſtiam*, *immiſſionem angelorum* "*malorum*," Pſalm: LXXVIII: 49. apud Amos, "Num erit *malum* in urbe, "& Jehovah non fecit," III: 6. apud Johannem, "Septem phialæ aureæ "*plenæ ira Dei* viventis in ſæcula ſæculorum," Apoc: XV: 1, 7. Cap: XVI: 1. quæ omnia prædicantur de Jehovah, tametſi prorſus contrarium eſt: quod prædicentur, cauſa eſt, de qua prius; tum etiam, ut communiſſimam ideam primum capiant, quod Dominus regat & diſponat omnia & ſingula; at poſtea, quod nihil mali a Domino, minus quod occidat; ſed quod homo ſit, qui ſibimet malum inferat, ſemetque perdat & occidat; tametſi non eſt homo, ſed ſunt mali ſpiritus, qui eum excitant, & ducunt; ſed eſt homo, quia non aliter credit, quam quod ipſe. Ita nunc hic quod prædicetur de Jehovah, quod deleret hominem, cum tamen homo eſſet, qui ſemet perdidit & exſtinxit. Quomodo ſe

res habet, imprimis conſtare poteſt ab illis in altera vita, qui in cruciatu & inferno ſunt, qui continue lamentantur, & omne malum pœnæ tribuunt Domino; ſimiliter ſpiritus mali in mundo ſpirituum malorum, qui jucundum imo jucundiſſimum ſuum ponunt in eo, ut alios lædant & puniant; qui læduntur & puniuntur putant a Domino, quibus dictum & oſtenſum, quod ne hilum mali a Domino, ſed quod ii ſibimetipſis malum inferant; nam talis ſtatus, & tale æquilibrium omnium eſt in altera vita, ut malum redeat ad illum qui malum facit, & fit malum pœnæ; & quod non poſſit aliter quam exiſtere; quod vocatur permitti, ex cauſa emendationis mali; ſed uſque Dominus vertit omne malum pœnæ in bonum, ſic ut nihil uſquam niſi bonum a Domino. Verum quid Permiſſio, nemo adhuc novit; quod permittitur, putatur fieri ab Ipſo qui permittit, quia permittit, ſed res ſe prorſus aliter habet, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

593. Quem creavi deſuper faciebus humi, quod ſignificet hominem a poſteritate Eccleſiæ Antiquiſſimæ, conſtat non ſolum ex eo, quod dicatur homo quem *creavit*, quod eſt quem regeneravit; & poſtea, quem *fecit*, quod eſt, quem perfecit, ſeu regeneravit uſque ut factus cœleſtis: tum quoque ex eo, quod dicatur deſuper *faciebus humi*, humus eſt ubi Eccleſia, ut prius oſtenſum eſt; etiam exinde, quod de illis agatur, qui doctrinalia fidei immerſerunt cupiditatibus ſuis, qui non habuerunt doctrinam fidei non potuerunt ita facere; qui extra Eccleſiam, in ignorantia veri & boni ſunt: qui in ignorantia, poſſunt eſſe in quadam ſpecie innocentiæ, dum aliquid contra vera & bona fidei loquuntur & agunt, nam zelo quodam agi poſſunt pro eo cultu, quo ab infantia imbuti, quem ideo putant verum & bonum; at cum iis, qui doctrinam fidei apud ſe habent, alia prorſus res eſt, ii commiſcere poſſunt vera falſis, & ſancta prophanis; inde ſors eorum in altera vita multo pejor eſt ſorte illorum, qui Gentes vocantur, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

594. Quod ab homine ad beſtiam, & uſque ad reptile, ſignificet, quod quicquid eſt voluntatis, exſtingueret eum, conſtat ex ſignificatione hominis, beſtiæ, & reptilis: homo non eſt homo niſi a voluntate & intellectu, per quæ diſtinguitur a brutis, cætera ſunt ſimillima iis; apud hos periit omnis voluntas boni, & intellectus veri; loco voluntatis boni ſucceſſerunt veſanæ cupiditates, loco intellectus veri veſanæ phantaſiæ, & hæ commixtæ illis; quare poſtquam ſic quaſi deleverunt reliquias, non potuerunt non exſtingui: quod quicquid eſt voluntatis, beſtiæ & reptilia vocantur, conſtat ab iis, quæ prius de beſtiis & reptilibus oſtenſa ſunt; ſed hic, quia de tali homine agitur, non ſignificantur per beſtias, bonæ affectiones, ſed malæ, proinde cupiditates; & per reptilia voluptates tam corporeæ, quam ſenſuales: quod beſtiæ & reptilia ſignificent talia, non amplius eget confirmatione ex Verbo, quia de iis prius, n: 45, 46, 142, 143, quæ videantur.

595. Quod avis cœlorum ſignificet quicquid eſt intellectus ſeu cogitationis, videatur etiam prius, n: 40.

496.

596. Verſ: 8. *Et Noach invenit gratiam in oculis Jehovæ:* Per Noachum ſignificatur Eccleſia nova: quod invenerit gratiam in oculis Jehovæ, eſt quod præviderit Dominus, quod ita ſalvari poſſet genus humanum.

597. Quod per Noachum ſignificetur nova Eccleſia, quæ Eccleſia Antiqua vocanda, ad diſtinguendum inter Eccleſiam Antiquiſſimam, quæ fuit ante diluvium, & illam, quæ fuit poſt diluvium. Eccleſiarum illarum prorſus diverſi ſtatus fuerunt; Eccleſiæ Antiquiſſimæ ſtatus fuit, ut perceptionem boni & inde veri habuerint a Domino; Antiquæ Eccleſiæ ſeu Noachi ſtatus factus, ut Conſcientiam boni & veri haberet; qualis differentia eſt inter habere perceptionem, & habere conſcientiam, talis differentia ſtatus fuit Eccleſiæ Antiquiſſimæ, & Eccleſiæ Antiquæ; perceptio non eſt conſcientia; perceptionem habent Cœleſtes, conſcientiam Spirituales; Antiquiſſima Eccleſia fuit Cœleſtis, ſed Antiqua Spiritualis. Antiquiſſima Eccleſia revelationem immediatam habuit per conſortium cum ſpiritibus & Angelis, ut & per viſiones & ſomnia, a Domino, ex quibus communiter quid bonum & verum illis noſſe datum, & poſtquam communiter noverunt, tunc confirmata ſunt communia illa quaſi principia innumerabilibus per perceptiones; quæ innumerabilia erant particularia ſeu ſingularia communium, ad quæ ſe referebant; ita Communia quaſi principia corroborabantur quotidie; quicquid non congruebat communibus, hoc perceperunt non ita eſſe, & quicquid congruebat, perceperunt ita eſſe; talis ſtatus etiam eſt Angelorum cœleſtium: Antiquiſſimæ Eccleſiæ communia quaſi principia erant Veritates cœleſtes & æternæ; ſicut, quod Dominus regat univerſum; quod a Domino omne bonum & verum; quod a Domino omnis vita; quod proprium hominis non eſſet niſi malum: & quod eſſet mortuum in ſe; præter ſimilia alia; innumerabilium illa confirmantium & conſentientium perceptionem acceperunt a Domino: illis Amor erat principale fidei; per Amorem percipere iis datum a Domino quicquid eſſet fidei, inde fides illis erat amor, ut prius dictum. Sed Antiqua Eccleſia, alia prorſus facta fuit, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

598. Quod invenerit gratiam in oculis Jehovæ, ſignificet, quod præviderit Dominus, quod ita ſalvari poſſet genus humanum: Miſericordia Domini involvit & ſpectat ſalvationem totius generis humani, ſimiliter etiam Gratia, quare ſalvatio generis humani ſignificatur: per Noachum non ſolum ſignificatur Eccleſia nova, ſed etiam Eccleſiæ iſtius fides, quæ erat fides Charitatis; ita prævidit Dominus, quod per fidem Charitatis ſalvari potuiſſet Genus humanum, de qua fide in ſequentibus. Sed Miſericordia & Gratia diſtinguuntur in Verbo, & quidem ſecundum differentiam eorum, qui recipiunt: Miſericordia applicatur illis qui cœleſtes ſunt, Gratia autem illis qui ſpirituales; nam Cœleſtes non agnoſcunt aliud quam Miſericordiam, & Spirituales vix aliud quam Gratiam; Cœleſtes neſciunt quid Gratia, Spirituales vix ſciunt quid Miſericordia, quam unam eandemque faciunt cum gratia; quod venit ex cauſa humiliationis utriuſque, quæ ita differt; qui in humiliatione cordis ſunt, ii implorant Miſericordiam Domini, at qui in humiliatione

cogi-

cogitationis, ii petunt gratiam, & ſi implorant Miſericordiam, hoc fit in ſtatu tentationis, vel fit ore ſolum non corde. Quia Eccleſia nova Noachus dicta, non cœleſtis fuit, ſed ſpiritualis, ideo non miſericordiam, ſed gratiam inveniſſe in oculis Jehovæ dicitur: quod diſtinguatur in Verbo inter Miſericordiam & Gratiam, conſtat ex plurimis locis, ubi Jehovah dicitur *Miſericors* & *Gratioſus*, ut Pſalm: CIII: 8. CXI: 4. XCII: 4. Joel II: 13, ſimiliter diſtinguuntur alibi, ut apud Jeremiam, "Sic dixit Jehovah, invenit *Gratiam* "in deſerto populus reſiduorum gladii, eundo ad quietem dandum illi Iſraeli: "e longinquo Jehovah apparuit mihi, & amore ſæculi amavi te, propterea "attraxi te *Miſericordia*," XXXI: 2, 3. ubi Gratia prædicatur de ſpirituali, & Miſericordia de cœleſti: apud Eſaiam, "Propterea morabitur Jehovah ad "*Gratiam* dandum vobis, & propterea attollet ſe ad *miſerandum* veſtri." XXX: 18. ubi gratia ſimiliter ſpectat ſpirituale miſericordia cœleſte: in ſequentibus, ubi Lothus ad Angelos, "Ecce quæſo invenit ſervus tuus *Gratiam* in oculis tuis, & "magnam feciſti *Miſericordiam* tuam, quam feciſti mecum, vivificando "animam meam," Geneſ: XIX. 19. quod Gratia ſpectet ſpiritualia, quæ ſunt fidei ſeu intellectus, hic quoque conſtat, tum quod dicatur inveniſſe gratiam in oculis tuis; Miſericordia vero cœleſtia, quæ ſunt amoris ſeu voluntatis, conſtat ex eo, quod dicatur feciſſe Miſericordiam, & vivificaſſe animam.

* * * * * * *

9. Hæ nativitates Noachi: Noach vir juſtus integer fuit in generationibus ſuis: cum DEO ambulavit ſibi Noach.

10. Et genuit Noach tres filios, Schem, Cham & Japheth.

11. Et corrupta fuit terra coram DEO; & impleta fuit terra violentia.

12. Et vidit DEUS terram, & ecce corrupta fuit, quia corrupit omnis caro viam ſuam ſuper terra.

13. Et dixit DEUS Noacho, finis omnis carnis venit coram Me, quia impleta eſt terra violentia a faciebus eorum, & ecce Ego perdens eos cum terra.

14. Fac tibi arcam lignorum Gopher, manſiones facies arcam, & bituminabis eam intus & extus bitumine.

15. Et ſic facies illam; trecenti cubiti longitudo arcæ, quinguaginta cubiti latitudo ejus, & triginta cubiti altitudo ejus.

16. Feneſtram facies arcæ, & ad cubitum perficies illam ſuperne; & januam arcæ in latere ejus pones; infimas, ſecundanas, & tertianas facies illam.

17. Et

17. Et Ego, ecce Me, adducens diluvium aquarum ſuper terram, ad perdendum omnem carnem, in qua ſpiritus vitarum, de ſub cœlis; omne quod in terra exſpirabit.

18. Et erigam fœdus meum tecum; & intrabis in arcam tu & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.

19. Et ab omni vivente, ab omni carne, paria ab omni, intrare facies in arcam, ad vivificandum tecum: maſculus & fæmina erunt.

20. Ab ave ſecundum ſpeciem ejus; & a beſtia ſecundum ſpeciem ejus; ab omni reptili humi ſecundum ſpeciem ejus; paria ab omnibus intrabunt ad te, ad vivificandum.

21. Et tu ſume tibi ab omni cibo, qui comeditur, & collige ad te, & erit tibi & illis in cibum.

22. Et fecit Noach ſecundum omne, quod præcepit ei Deus, ita fecit.

CONTENTA.

599. Agitur de ſtatu Eccleſiæ, quæ Noachus vocata, ante regenerationem.

600. Deſcribitur homo iſtius Eccleſiæ, quod talis, ut regenerari poſſet, verſ: 9. ſed quod inde exſurgerent tria doctrinarum genera, quæ ſunt Schem, Cham, & Japheth. verſ: 10.

601. Quod reliquus homo, qui ab Antiquiſſima Eccleſia, non poſſet regenerari, propter diras ejus perſuaſiones, & fædas cupiditates, verſ: 11, 12. Per quas ſe omnino perderet, verſ: 13.

602. Sed homo Eccleſiæ Noachus vocatæ, non ita, qui deſcribitur per Arcam, Verſ: 14. Et deſcribuntur Reliquiæ apud eum, per Menſuras, n: 15. Ejus Intellectualia per feneſtram, januam, & manſiones, verſ: 16.

603. Quod is conſervaretur, cum cæteri per inundationem mali & falſi perirent. verſ: 17.

604. Et quod ſalvarentur, quæ apud illum, vera & bona, verſ: 18: ita quæ Intellectus, & quæ Voluntatis, per regenerationem, verſ: 19, 20. Ad quam recipiendam præparatus eſſet, verſ: 21. Et quod ita factum, verſ: 22.

SENSUS

SENSUS INTERNUS.

605. AGITUR nunc de formatione Eccleſiæ novæ, quæ appellatur Noachus, & ejus formatio deſcribitur per arcam, in quam recepta omnis generis animantia; ſed antequam Eccleſia illa nova exiſtere potuit, ſicut ſolet, homo Eccleſiæ non potuit non plures ſuſtinere tentationes, quæ deſcribuntur per Arcæ iſtius elevationem, fluctuationem & moram, ſuper aquas diluvii; & tandem, quod factus verus ſpiritualis homo, & liberatus, per ceſſationem aquarum, & plura, quæ ſequuntur: Nemo hoc poteſt videre, qui ſolum ſenſui literæ inhæret, ex cauſa hic imprimis, quod omnia illa hiſtorice connexa ſint, & ſiſtant ideam, qualem hiſtoriæ rerum; ſed tunc temporis talis ſtylus fuit, qui iis gratiſſimus, ut involverentur omnia typis, & hi hiſtorice concinnarentur; & quo melius hiſtorica ſerie cohærerent, eo convenientius fuit genio illorum; nam antiquis illis temporibus non ita ſcientiis, quibus hodie, indulſerunt, ſed cogitationibus profundis, ex quibus tales proles; erat hoc ſapientia veterum.

606. Quod diluvium, arca, & ſic quæ de diluvio & arca, deſcribuntur, ſignificent regenerationem, ut & tentationes, quæ præcedunt, aliquid hodie apud eruditos notum eſt, a quibus Regeneratio & Tentationes quoque comparantur aquis diluvii.

607. Sed qualis illa Eccleſia fuit, in ſequentibus deſcribitur; ut hic ſiſtatur idea ejus, breviter dicendum: Antiquiſſima ut dictum cœleſtis fuit, hæc autem facta Spiritualis: Antiquiſſima perceptionem boni & veri habuit; hæc ſeu Antiqua non perceptionem, ſed loco ejus aliud quoddam dictamen, quod vocari poteſt Conſcientia. Sed quod Orbi adhuc ignotum eſt, & forte incredibile; Antiquiſſimæ Eccleſiæ homo Reſpirationem habuit internam, nec externam niſi tacitam; quare nec ita per voces, ſicut poſtea & hodie, loquuti ſunt, ſed per ideas, ſicut angeli, quas exprimere potuerunt, per innumeras mutationes vultus & faciei, imprimis per labiorum, in quibus innumerabiles muſcularium fibrarum hodie non extricatarum ſeries ſunt, per quas tunc exſolutas, ita ideas ſiſtere, ſignificare & repræſentare potuerunt, ut quæ hodie debent per horæ tempus ſonis articulatis ſeu vocibus, tunc intra minutum potuerunt, & multo plenius & evidentius ad captum & intellectum præſentium, quam uſquam poteſt vocibus & vocum combinatarum ſeriebus; hoc forte incredibile eſt, ſed uſque verum; ſunt etiam plures alii, qui non ex hac tellure, qui ſimiliter loquuti, & hodie loquuntur, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: Reſpiratio illa interna, qualis fuit, & quomodo temporis ſucceſſu mutata eſt, etiam ſcire datum; & quia talem reſpirationem habuerunt qualem Angeli, qui ſimiliter reſpirant, in profundis cogitationis ideis fuerunt,

fuerunt, & perceptionem potuerunt habere talem, quæ deſcribi nequit; quare ſi deſcriberetur, qualis fuiſſet, quia non caperetur, etiam nec crederetur. Sed in poſteris eorum Reſpiratio illa interna paullatim evaneſcebat; & apud eos, qui diris perſuaſionibus & phantaſiis occupati, talis facta, ut nullam cogitationis ideam ſiſtere amplius potuiſſent, niſi deformiſſimam, cujus effectus fuit, ut non ſupervivere poſſent, quare omnes illi exſtincti ſunt.

608. Quando deſiit Reſpiratio interna, ſenſim ſubiit reſpiratio externa, qualis fere hodie; & cum reſpiratione externa loquela vocum, ſeu ſoni articulati, in quem determinabantur ideæ cogitationis; ita mutatus eſt prorſus ſtatus hominis, & talis factus, ut non amplius perceptionem ſimilem potuiſſet habere, ſed loco perceptionis aliud quoddam dictamen, quod vocari poteſt Conſcientia, nam conſcientiæ ſimile erat, tametſi quoddam intermedium inter perceptionem & conſcientiam hodie quibuſdam notam: Cumque talis determinatio idearum cogitationis facta, nempe in voces loquelæ, tunc nec amplius potuerunt inſtrui ita per internum hominem, ut homo antiquiſſimus, ſed per externum; quare tunc loco revelationum Antiquiſſimæ Eccleſiæ ſucceſſerunt doctrinalia, quæ ſenſibus externis primum caperentur, ex quibus ideæ memoriæ materiales, & inde ideæ cogitationis formarentur, per quas & ſecundum quas inſtruebantur: inde fuit, quod hæc Eccleſia, quæ ſucceſſit, prorſus alium genium habuit, quam Antiquiſſima; in quem genium, ſeu in quem ſtatum, niſi Dominus redegiſſet Genus humanum, nuſquam aliquis homo ſalvari potuiſſet.

609. Quia ſtatus hominis hujus Eccleſiæ, quæ Noachus vocatur, prorſus mutatus eſt a ſtatu hominis Antiquiſſimæ Eccleſiæ, non potuit amplius ille, ut dictum, ita informari & illuſtrari, ut Antiquiſſimus homo, quia interna clauſa erant, ut nulla amplius communicatio cum cœlo, niſi quæ ignota; quare nec inſtrui potuit, niſi quam per viam externam, ſeu ſenſuum aut ſenſualem, ut dictum; propterea, ex Providentia Domini, conſervata ſunt Doctrinalia fidei cum quibuſdam revelationibus Antiquiſſimæ Eccleſiæ in uſum hujus poſteritatis; quæ doctrinalia primum collecta ſunt a Caino, & repoſita ne perirent, quare dicitur de Caino, quod ei ſignum impoſitum, ne quis illum occideret, de quibus videantur quæ dicta ibi loci, Cap: IV: 15. poſtea in doctrinam redacta a Chanocho, quæ doctrina, quia illo tempore nulli uſui eſſet, ſed poſteritati, ideo dicitur, quod ſumſerit eum Deus, de quibus etiam videantur, quæ ibi loci, Cap: V: 24. hæc doctrinalia fidei fuerunt quæ a Domino conſervata ſunt in uſum hujus poſteritatis ſeu Eccleſiæ; nam a Domino præviſum, quod periret perceptio, quare etiam proviſum, ut illa remanerent.

610. Verſ: 9. *Hæ nativitates Noachi: Noach vir juſtus & integer fuit in generationibus ſuis; cum Deo ambulavit ſibi Noach.* Per nativitates Noachi ſignificatur deſcriptio reformationis ſeu regenerationis novæ Eccleſiæ: quod Noach vir juſtus & integer in generationibus ſuis, ſignificat quod talis eſſet, ut charitate donari poſſet; juſtus ſpectat bonum charitatis, integer verum charitatis; generationes ſunt fidei: ambulare cum Deo ſignificat hic, ut prius, ubi de Chanocho, doctrinam fidei.

611. Quod per nativitates Noachi ſignificetur deſcriptio reformationis ſeu regenerationis novæ Eccleſiæ, conſtat ab illis quæ prius ad Cap: II: 4, & ad Cap: V: 1: dicta ſunt.

612. Quod Noach vir juſtus & integer in generationibus ſuis ſignificet, quod talis eſſet, ut charitate donari poſſet, conſtat a ſignificatione Juſti & Integri, quod Juſtus ſpectet bonum charitatis, Integer verum charitatis; tum ab Eccleſiæ illius eſſentiali, quod eſſet Charitas, de qua ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: quod Juſtus ſpectet bonum charitatis, & Integer verum charitatis, conſtat ex Verbo, ut apud Eſaiam, " Me quovis die quærent, " & ſcientiam viarum mearum deſiderabunt, velut gens quæ *Juſtitiam* facit, & " *Judicium* Dei ſui non derelinquit; interrogabunt Me *judicia Juſtitiæ*, appro- " pinquationem Dei deſiderabunt," LVIII: 2: ubi judicium pro illis quæ ſunt veri, & juſtitia pro illis quæ ſunt boni: ſolennis quaſi formula facta, judicium & juſtitiam facere, pro verum & bonum, ut Eſai: LVI: 1. Jer: XXII: 3, 13, 15. Cap: XXIII: 5. Cap: XXXIII: 15. Ezech: XXXIII: 14, 16, 19. Dominus dixit, " *Juſti* fulgebunt ut ſol in Regno Patris Mei, " Matth: XIII: " 43, pro illis qui charitate præditi: tum ubi de conſumatione ſæculi, " Ex- " ibunt Angeli, & ſeparabunt malos e medio *Juſtorum*," ib: verſ: 49. ubi etiam pro illis, qui in bono charitatis ſunt. Integer autem ſignificat verum quod ex charitate; verum enim datur ex plurima alia origine, ſed quæ ex bono charitatis ex Domino, hoc dicitur Integrum, & homo integer: ut apud Davidem, " Qui peregrinabitur in tentorio tuo, qui habitabit in monte ſancti- " tatis tuæ, ambulans *Integer*, & faciens *Juſtitiam*, & loquens veritatem in " corde ſuo," Pſalm: XV: 1, 2. hic deſcribitur integer. Apud Eundem, " Cum ſancto ſancte Te geris, cum *Viro Integro Integrum* Te præbes," Pſalm: XVIII: 26. ubi vir integer, qui ex ſancto ſeu bono charitatis, talis eſt. Apud Eundem, " Jehovah non prohibebit bonum *ambulantibus* in *Integritate*," Pſalm: LXXXIV: 12. Quod Integer ſit qui verus ex bono, ſeu qui loquitur & facit verum ex charitate, conſtat ex eo, quod pluries applicetur Integro ſeu Integritati vox *ambulare*, & *via*, tum *rectum* ſeu rectitudo, quæ voces ſunt Veri, ut apud Davidem, " Informabo in *Via Integrum*, quouſque veniet ad Me, " *ambulabo* mihi in *Integritate* cordis mei in medio domus meæ," Pſalm: CI: 2. " & *Ambulans in via Integri*, hic miniſtrabit Mihi," ib: verſ: 6. Apud Eundem, " Beati *Integri via*, *ambulantes* in lege Jehovæ," Pſalm: CXIX: 1. Apud Eundem, " *Integritas* & *Rectitudo* cuſtodient Me," Pſalm: XXV: 21. Apud Eundem, " Obſerva *Integrum*, & vide *Rectum*, quia poſtremum viro " pax," Pſalm: XXXVII: 37. Ex his conſtat, quod Juſtus dicatur qui facit bonum, & Integer qui facit verum inde, quod etiam eſt facere juſtitiam & judicium; ſanctitas & juſtitia eſt cœleſte fidei, integritas & judicium eſt ſpirituale inde.

613. Quod generationes ſint fidei, ex ſenſu literæ non patet, qui eſt hiſtoricus; ſed hic quia ſolum interna ſunt, ſignificantur illa quæ ſunt fidei; ex ſerie quoque conſtat, quod generationes hic non ſint aliæ; in verbo aliquoties ſimiliter, ut aqud Eſaiam, " Ædificent ex te vaſtitates ſæculi, fundamenta

" *generationis*

"*generationis* & *generationis* erigas, & vocabitur tibi ſepiens rupturam, reducens "ſemitas ad habitandum," LVIII: 12. ubi omnia ſignificant quæ fidei ſunt, vaſtitates ſæculi quæ ſunt cœleſtium fidei; fundamenta generationis & generationis, quæ ſunt ſpiritualium fidei, quæ lapſa, a temporibus antiquis, quæ ſimul ſignificantur: apud Eundem, "Ædificabunt vaſtitates ſæculi, deſolationes priores erigent, & renovabunt urbes vaſtitatis, deſolationes *generationis* & *generationis*," LXI: 4, ſimiliter. Apud Eundem, "Non laborabunt in vacuum, & non *generabunt* ad perturbationem, nam ſemen benedictorum Jehovæ illi, & *prognati* illorum cum illis," LXV: 23. ubi etiam generare prædicatur de illis quæ ſunt fidei, laborare de illis quæ ſunt amoris, de his prædicatur ſemen benedictorum Jehovæ, de illis prognati.

614. Quod ambulare cum Deo, ſignificet doctrinam fidei, videantur quæ prius de Chanocho, Cap: V: 22, 24. de quo etiam dicitur, quod ambulaverit cum Deo, & ibi ſignificavit Doctrinam fidei, conſervatam in uſum poſteritatis; & quia hæc poſteritas eſt, in cujus uſum, hic nunc reaſſumitur.

615. Deſcribitur hic in communi, qualis homo hujus Eccleſiæ, non quod ita adhuc fuit, in ſequentibus enim agitur de ejus formatione, ſed qualis potuit fieri, ſcilicet quod per cognitiones fidei donari potuiſſet charitate, & ſic a charitate agere, & ex bono charitatis cognoſcere quid verum; quare bonum charitatis ſeu juſtus præcedit, & verum charitatis ſeu integer ſequitur. Charitas eſt, ut prius dictum, amor erga proximum, & miſericordia, eſtque inferior gradus amoris qui fuit Antiquiſſimæ Eccleſiæ, qui amor fuit in Dominum: ita nunc amor deſcendit, & exterior factus; & appellandus Charitas.

616. Verſ: 10. *Et genuit Noach tres filios, Schem, Cham, & Japheth*: quod Noach genuerit tres filios, ſignificat, quod tria genera doctrinarum inde exſurgerent, quæ ſignificantur per Schem, Cham, & Japheth.

617. Quod Noach genuerit tres filios, ſignificet quod tria genera doctrinarum inde exſurgerent, conſtat ex omnibus illis quæ præcedunt, quod Nomina nihil aliud ſignificent quam Eccleſias, ſeu quod idem eſt, Doctrinas: ita quoque hic; ſed hic modo nominantur ob ſeriem ſeu nexum cum iis quæ præcedunt, qui eſt, quod prævifum a Domino, quod homo hujus genii potuiſſet donari charitate, ſed uſque quod inde doctrinarum tria genera naſcerentur, de quibus doctrinis in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur, ubi de Schemo, Chamo, & Japheto.

618. Quod Noach Juſtus & integer fuit, quod ambulavit cum Deo, & hic quod genuit tres filios, in præterito dicatur, & tamen ſpectant futura, ſciendum quod talis ſit ſenſus internus, ut nullam rationem temporum habeat; cui quoque favet Lingua originalis, ubi quandoque vox una eademque ad quodcunque tempus explicabilis eſt, ſicut nec diſtinguit inter voces; ſic patent interiora evidentius; Lingua illa ex ſenſu interno hoc trahit, qui multiplicior eſt, quam uſquam aliquis credere poſſit, inde non ſe finiri per tempora & per diſtinctiones patitur.

619. Verſ: 11. *Et corrupta fuit terra coram Deo, & impleta fuit terra violentia:* per terram ſignificatur gens illa, de qua prius; quæ corrupta dicitur ex diris perſuaſionibus; & impleta violentia ex fædis cupiditatibus: Deus hic & in ſequentibus hujus capitis dicitur, quia nulla nunc Eccleſia.

620. Quod per terram ſignificetur gens illa, de qua prius, conſtat ex illis, quæ de ſignificatione terræ & humi oſtenſa ſunt: Terra eſt vox, quæ in Verbo ſæpiſſime nominatur, & per illam ſignificatur terra ubi vera Eccleſia Domini, ſicut terra Canaan; terra quoque ubi non Eccleſia, ut terra Ægypti, & gentium, ita pro gente quæ ibi habitat; & quia pro gente, etiam pro unoquovis tali, qui ibi: terra dicitur ex Amore Cæleſti, ut Terra Canaan; terræ gentium ex amoribus ſpurcis; ſed humus ex fide, quæ inſeminatur; nam, ut oſtenſum, terra eſt continens humi, & humus eſt continens agri, ſicut amor eſt continens fidei, & fides eſt continens cognitionum fidei, quæ inſeminantur: hic terra ſumitur pro gente, in qua omne amoris cœleſtis & Eccleſiæ periit; ex ſubjecto noſcitur quid prædicatur.

621. Quod terra corrupta dicatur ex diris perſuaſionibus, & impleta violentia ex fædis cupiditatibus, conſtat ex ſignificatione vocis *Corrumpere*, & vocis *Violentia*; in Verbo nuſquam una vox pro altera ſumitur, ſed conſtanter illa adhibetur, quæ proprie rem, de qua, exprimit, & quidem ita, ut ex ſolis vocibus, quæ adhibentur, pateat illico, quid in ſenſu interno; ſicut hic vox Corrumpere & Violentia; Corrumpere prædicatur de iis quæ ſunt intellectus cum deſolatus, Violentia de iis quæ ſunt voluntatis, cum vaſtata, ita corrumpere de perſuaſionibus, & violentia de cupiditatibus.

622. Quod Corrumpere de perſuaſionibus, conſtat apud Eſaiam, "Non "facient malum, & non *Corrumpent* in toto monte ſanctitatis meæ, quia "plena erit *terra* ſcientia a cum Jehovah," XI: 9. & ſimiliter, Cap: LXV. 21. ubi malum facere ſpectat voluntatem ſeu cupiditates, corrumpere intellectum ſeu perſuaſiones falſi. Apud Eundem, "Væ genti peccatrici, populo gravi "iniquitate, ſemini male facientium, filiis *Corruptoribus*," I: 4. ibi, ut alibi, gentes & ſemen malefacientium pro malis quæ ſunt voluntatis ſeu cupiditatum; populus & filii corruptores pro falſis, quæ ſunt intellectus ſeu perſuaſionum. Apud Ezechielem, "*Corrupta* es præ iis in omnibus viis tuis," XVI: 47. ibi corrumpere de iis quæ ſunt intellectus, rationis ſeu cogitationis, via enim eſt vox ſignificans veritatem. Apud Davidem, "*Corruptum* fecerunt, & "abominabile fecerunt opus," Pſalm: XIV: 1: ubi corruptum pro diris perſuaſionibus, & abominabile pro fædis cupiditatibus, quæ in opere, ſeu a quibus opus. Apud Danielem, "Poſt ſeptimanas ſexaginta & duas excidetur "Meſſias, & non Illi, & civitatem & ſanctuarium *Corrumpet* populus ducis venturi, & finis ejus cum inundatione," IX: 26: ſimiliter corrumpere pro perſuaſionibus falſi, de quibus prædicatur inundatio.

623. Quod terra impleta violentia dicatur ex fædis cupiditatibus, & quam maxime ex cupiditatibus quæ ſunt amoris ſui, ſeu inſolentis faſtus, conſtat ex Verbo: violentia vocatur, cum violentiam inferunt ſanctis, illa prophanando, ſicut hi antediluviani, qui doctrinalia fidei immerſerunt cupiditatibus quibuſcunque;

ut

ut apud Ezechielem, "Avertam facies meas ab iis, & prophanabunt abſcon-" "ditum meum, veniantque in illud effractores, & prophanabunt illud; fac "catenam, quia *terra* eſt plena judicio ſanguinum, & urbs *plena eſt violentia*," VII: 22, 23, 24. deſcribuntur violenti, quinam, quod tales, ut dictum. Apud Eundem, "Panem ſuum in ſollicitudine edent, & aquas ſuas in deſola-" "tione bibent, ut devaſtetur terra ejus a plenitudine ſua, præ *Violentia* om-" "nium habitantium in ea," XII: 19. panis quem cum ſollicitudine edent ſunt cœleſtia, aquæ quas in deſolatione bibent, ſunt ſpiritualia, quibus violentiam intulerunt, ſeu quæ prophanarunt. Apud Eſaiam, "Telæ eorum non "erunt in veſtem, nec tegentur in operibus ſuis; opera eorum opera iniqui-" "tatis, & facinus *Violentiæ* in volis eorum," LIX: 6: ubi telæ & veſtes prædicantur de iis quæ ſunt intellectus ſeu cogitationis, iniquitas & violentia de iis quæ ſunt voluntatis ſeu operum. Apud Jonam," Convertantur quiſque a "via ſua mala, & a *Violentia*, quæ in volis eorum," III: 8: ubi via mala prædicatur de falſis quæ ſunt intellectus, & violentia de malis, quæ ſunt voluntatis. Apud Jeremiam, "Veniet in anno auditio & *Violentia* in terra," LI: 46. Auditio pro iis quæ ſunt intellectus, violentia quæ ſunt voluntatis. Apud Eſaiam, "Non *Violentiam* fecit, & non dolus in ore ejus, LIII: 9: ubi violentia de iis quæ ſunt voluntatis, dolus in ore de iis quæ ſunt intellectus.

624. Quod hic de ſtatu non Eccleſiæ agatur, conſtat inde, quod hic & in ſequentibus hujus Capitis dicatur *Deus*, in præcedentibus autem *Jehovah*; quando non Eccleſia, dicitur Deus, at quando Eccleſia, dicitur Jehovah, ſicut in Capite Primo Geneſeos, quando non Eccleſia, dictum eſt Deus, in ſequente autem, quando Eccleſia, dictum, Jehovah Deus: Jehovah eſt ſanctiſſimum, & non niſi quam Eccleſiæ; at Deus non ita, quia nulla non gens habuit Deos, quare nomen Deus non ita ſanctum: nemini Jehovam nominare licuit, niſi cui veræ fidei cognitio, at Deum cuicunque.

625. Verſ: 12: *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta fuit, quia corrupit omnis caro viam ſuam ſuper terra:* quod vidit Deus terram, ſignificat quod Deus noſſet hominem: quod corrupta, ſignificat, quod nihil niſi falſum: quia corrupit omnis caro viam ſuam ſuper terra, ſignificat quod corporeum hominis perdiderit omnem intellectum veri.

626. Quod vidit Deus terram, ſignificet quod Deus noſſet hominem, conſtare unicuique poteſt; Deus enim, qui novit omnia & ſingula ab æterno, non opus habet ut videat num talis ſit; videre eſt humanum quid, quare, ut dictum ad verſ: 6, & alibi, ſecundum ea, quæ apparent in homine, loquutum; imo adeo, ut etiam oculis dicatur videre.

627. Quia corrupit omnis caro viam ſuam ſuper terra, quod ſignificet corporeum hominis perdidiſſe omnem intellectum veri, conſtat a ſignificatione Carnis de qua prius ad verſ: 3, quod ſit in genere omnis homo, in ſpecie corporeus, ſeu omne corporeum; & ex ſignificatione Viæ, quod ſit Intellectus veri, ſeu ipſa Veritas: quod Via prædicetur de Intellectu veri, ſeu de veritate, conſtare poteſt ab illis quæ allata ſunt prius paſſim, & præterea ab

his, quæ ſequuntur: apud Moſen, "Dixit Jehovah, ſurge, deſcende cito "hinc, quia *corrupit* ſe populus tuus, receſſerunt ſubito de *Via*, quam præ-"cepi eis, fecerunt ſibi fuſile," Deut: IX: 12, 16. ibi a præceptis, quæ ſunt veritates: apud Jeremiam, "Cujus *Oculi* aperti ſunt ſuper omnes *Vias* filio-"rum hominis, ad dandum viro juxta *Vias* ejus, & juxta fructum operum "ejus," XXXII: 19. viæ ſunt vita ſecundum præcepta, fructus operum eſt vita ex charitate; ita via prædicatur de veris, quæ ſunt præceptorum & man-datorum; ſicut etiam filius hominis, & vir, ut ſupra oſtenſum: ſimiliter, Jer: VII: 3. Cap: XVII: 10. Apud Hoſeam, "Viſitabo ſuper eum *Vias* "ejus, & opera ejus reddam ei," IV: 9. Apud Sachariam, "Revertimini "a *Viis* veſtris malis, & operibus veſtris malis: ſicut cogitavit Jehovah Ze-"baoth facere nobis juxta *Vias* noſtras, & juxta opera noſtra," I: 4, 6. ſimi-liter, ſed contraria prioribus, quia viæ malæ, & opera mala: apud Jeremiam, "Dabo iis cor unum, & *Viam* unam," XXXII: 39: Cor pro bonis, & via pro veris. Apud Davidem, "*Viam* mandatorum tuorum fac me intelligere. "*Viam* mendacii remove a me; & legem tuam gratioſe largire mihi. *Viam* "*veritatis* elegi. *Viam* præceptorum tuorum curram," Pſalm CXIX: 26, 27, 29, 30, 32, 35. ubi via mandatorum & præceptorum dicitur via veritatis; cui contraria via mendacii. Apud Eundem, "*Vias* tuas Jehovah notas fac "mihi, *tramites* tuos doce me, *duc viam meam* in *veritate* tua, & doce me," Pſalm: XXV: 4, 5. ſimiliter manifeſte pro veritate. Apud Eſaiam, "Cum "quo conſiliatus eſt Jehovah, & inſtruxit Ipſum, & docuit Ipſum *Semitam* "judicii, & docuit Ipſum ſcientiam, & *Viam intelligentiarum* noſſe fecit Ipſi," XL: 14. manifeſte pro intellectu veri. Apud Jeremiam, "Sic dixit Jehovah, "ſtate ſuper *Viis*, & videte, & quærite de *Semitis* ſæculi, quæ ſit *Via* bona, "& ite in illa," VI: 16: ſimiliter pro intellectu veri. Apud Eſaiam, "Ducam cœcos in *Via* non noverunt, in *Semitis* non noverunt, ducam eos," XLII: 16. de veris prædicantur & Via, & Semita, & Trames, & Platea, & Vicus, quia ducunt ad verum; ut etiam apud Jeremiam, "Impingere fece-"runt eos in *Viis* eorum, *tramitibus* ſæculi, ad eundum *ſemitas*, *Viam* non "ſtratam," XVIII: 15. ſimiliter in Libro Judicum, "in diebus Jaelis ceſſa-"runt *tramites*, & euntes *ſemitas*, iverunt *tramites* tortuoſos; ceſſarunt *vici* "in Iſrael," V: 6."

628. Senſus internus hic eſt, quod omnis homo, quicunque fuit in terra, ubi Eccleſia, corruperit viam ſuam, ſic ut non intelligeret verum, quia omnis homo corporeus factus; non ſolum illi, de quibus in verſu priori, ſed etiam illi, qui Noachus dicuntur, de quibus hic & in verſu ſequente in ſpecie agitur; nam antequam regenerati, tales fuerunt; hæc præcedunt quia de Regenera-tione eorum in ſequentibus agitur: & quia parum Eccleſiæ remanſit, nunc di-citur Deus, non Jehovah. In hoc verſu ſignificatur, quod nihil verum fue-rit; in nunc ſequente, quod nihil bonum; modo in reliquiis, quæ apud hos, qui Noachus vocantur, nam abſque reliquiis, non datur regeneratio; tum in doctrinalibus, quæ ſciverunt: ſed non fuit intellectus veri, qui nuſquam datur niſi ubi voluntas boni; ubi non voluntas ibi nec intellectus, & qualis voluntas

talis intellectus; apud Antiquiſſimos fuit Voluntas boni quia amor in Dominum, & inde intellectus veri, ſed hic intellectus prorſus cum voluntate periit: Verum quoddam rationale, & bonum naturale remanſit apud hos, qui vocantur Noachus, quare etiam potuerunt regenerari.

629. Verſ: 13. *Et dixit Deus Noacho, finis omnis carnis venit coram Me, quia impleta eſt terra violentia a faciebus eorum; & ecce, Ego perdens eos cum terra.* Quod dixit Deus, ſignificat quod ita fuit: finis omnis carnis venit coram Me, ſignificat, quod humanum genus non poſſet non perire: quia impleta eſt terra violentia, ſignificat, quod amplius nulla voluntas boni: ecce Ego perdam eos cum terra, ſignificat quod genus humanum cum Eccleſia periret.

630. Quod dixit Deus, ſignificet quod ita fuit, conſtat ex eo, quod apud Jehovam non ſit niſi quam Eſſe.

631. Quod finis omnis carnis venit coram Me, ſignificet quod genus humanum non poſſet non perire, conſtat ab ipſis verbis, tum a ſignificatione Carnis, quod ſit omnis homo in genere, & corporeus homo in ſpecie, de quo prius.

632. Quod impleta eſt terra violentia, ſignificet quod amplius nulla voluntas boni, conſtat ab illis, quæ de ſignificatione violentiæ prius ad verſ: 11, dicta & oſtenſa ſunt: in præcedente verſu dictum eſt de Intellectu veri, hic dicitur de Voluntate boni, quod utrumque perierit apud hominem Eccleſiæ.

633. Res ſe ita habet, quod apud nullum hominem ſit aliquis Intellectus veri ac Voluntas boni, ne quidem apud illos qui fuerunt ex Antiquiſſima Eccleſia; ſed cum Cœleſtes fiunt, apparet ſicut Voluntas boni & Intellectus veri eſſet apud eos, ſed eſt ſolius Domini, quod etiam ſciunt, agnoſcunt & percipiunt; ſicut etiam apud Angelos; uſque adeo, ut qui non ſcit, agnoſcit & percipit, quod ita ſit, nihil prorſus intellectus veri & voluntatis boni habeat: apud hominem quemcunque, & apud Angelum quemcunque, etiamſi cœleſtiſſimum, proprium ejus non eſt niſi falſum & malum; nam notum eſt, quod Cœli non ſint puri coram Domino; & quod omne Bonum & omne Verum ſit Solius Domini: ſed ſicut homo & angelus poteſt perfici, ita, ex Divina Domini Miſericordia, perficitur, & recipit ſicut intellectum veri & voluntatem boni, ſed quod habeat, eſt ſolum apparentia: perfici poteſt unuſquiſque homo, & conſequenter recipere donum hoc Miſericordiæ Domini, ſecundum cujuſvis vitæ actualitates convenientur ejus implantato a parentibus malo hæreditario.

634. Sed perquam difficile eſt ad captum dicere, quid intellectus veri & voluntas boni in proprio ſenſu, ex cauſa, quod omne quod cogitat homo, putet eſſe intellectus, quia ita id appellat; & omne quod cupit, putet eſſe voluntatis, quia ita id appellat: eoque difficilius eſt dicere ad captum, quia plerique hodie quoque ignorant quod intellectuale ſit diſtinctum a voluntario, nam cum cogitant quid, dicunt ſe velle, & cum volunt quid dicunt ſe cogitare, ita quoque ex cauſa quod ita appellent: præterea cauſa eſt, quod difficile comprehendi poſſit, quia in corporeis ſolum ſunt, ſeu vita eorum in extremis:

tremis:

tremis: ex his cauſis ignorant quoque, quod interius quoddam, & adhuc interius, imo intimum detur apud unumquemvis hominem; & quod corporeum ejus & ſenſuale ſit extremum; cupiditates & res memoriæ ſint interiora; affectiones & rationalia ſint adhuc interiora; & voluntas boni ac intellectus veri ſint intima; & hæc ita diſtincta inter ſe, ut nihil uſquam diſtinctius; corporeus homo omnia hæc unum facit, & confundit; quæ cauſa eſt, quod credat, cum moritur corporeum ejus, etiam omnia moritura eſſe, cum tamen tunc primum incipit vivere, & quidem per interiora ſua ordine ſuccedentia: niſi interiora ejus ita diſtincta eſſent, & ſibi ſuccederent, nuſquam potuiſſent homines in altera vita eſſe ſpiritus, eſſe ſpiritus angelici, eſſe angeli, qui diſtinguuntur ita ſecundum interiora; inde tres Cœli inter ſe diſtinctiſſimi. Ex his nunc aliquantum conſtare poteſt, quid intellectus veri & voluntas boni in proprio ſenſu, & quod ſolum prædicari queant de homine cœleſti, ſeu de Angelis tertii Cœli.

635. Quod in fine dierum Eccleſiæ antediluvianæ perierit omnis intellectus veri & voluntas boni, ſignificatur per illa, quæ dicta ſunt in verſu priori, & in hoc; apud antediluvianos qui diris perſuaſionibus & fædis cupiditatibus imbuti erant, ita, ut ne quidem aliquod veſtigium appareret; ſed apud hos, qui Noachus appellantur, permanſerunt Reliquiæ, quæ tamen non potuerunt ſiſtere aliquod intellectus ac voluntatis, ſed modo rationale verum, & naturale bonum; nam qualis homo, talis Reliquiarum operatio; per reliquias potuerunt illi regenerari, nec perſuaſiones obſtabant & abſorbebant operationem Domini per reliquias: perſuaſiones ſeu principia falſi radicata, impediunt omnem operationem, quæ niſi prius exſtirpentur, nuſquam poteſt homo regenerari; de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

636. Quod perdam eos cum terra, ſignificet, quod Genus humanum cum Eccleſia periret, conſtat ex eo, quod hic dicatur cum terra; terra enim in lato ſenſu ſignificat Amorem, ut prius dictum, ita cœleſtia Eccleſiæ; hic quia nullus amor, nec quicquam cœleſte, remanſit, ſignificat amorem ſui, & quod contrarium cœleſti Eccleſiæ eſt; ſed uſque homo Eccleſiæ fuit, quia doctrinalia fidei habuit: nam, ſicut dictum, terra eſt continens humi, & humus continens agri, ſicut amor eſt continens fidei, & fides continens cognitionum fidei.

637. Quod perdam eos cum terra, ſignificet, quod genus humanum periret cum Eccleſia, res ſe ita habet, ſi Eccleſia Domini prorſus exſtingueretur in tellure, genus humanum nequaquam potuiſſet eſſe, ſed omnes cum ſingulis perirent; ſe habet Eccleſia ſicut Cor, ut prius dictum, quamdiu Cor vivit, circumjacentia viſcera & membra poſſunt vivere; at ut primum cor moritur, omnia & ſingula quoque moriuntur: Eccleſia Domini in tellure eſt ſicut cor, inde genus humanum, etiam illud quod extra Eccleſiam eſt, vitam habent; cauſa ignotiſſima unicuivis eſt; ſed ut aliquid ſciatur, ſe habet univerſum genus humanum in tellure, ſicut corpus cum ejus partibus, in quo Eccleſia eſt inſtar cordis, & niſi Eccleſia foret, cum qua, ſicut cum quodam corde, uniretur Dominus per Cœlum & mundum ſpirituum, foret disjunctio, & cum disjunctio humani generis a Domino, illico periret: quæ cauſa eſt, quod a pri-

ma creatione hominis, ſemper aliqua Eccleſia fuerit; & quoties Eccleſia perire incepit, quod uſque remanſerit apud quoſdam: hæc quoque cauſa fuit adventus Domini in mundum, niſi ex Divina Ipſius Miſericordia veniſſet, univerſum genus humanum in hac tellure periiſſet, nam tunc Eccleſia in extremis fuit, & vix aliquid bonum & verum ſuperſtes. Quod genus humanum nuſquam vivere poſſit, niſi conjunctum ſit cum Domino per cœlum & mundum ſpirituum, cauſa eſt, quia homo in ſe ſpectatus multo vilius eſt brutis; ſi relinqueretur ſibi, rueret in ſui & omnium perniciem, nam nihil aliud quam ſui & omnium deſtructionem cupit; ordo ejus foret, ut unus alterum amaret ſicut ſemet, ſed nunc unuſquiſque ſemet amat præ aliis, ita omnes alios odit; at bruta animalia prorſus aliter, eorum ordo eſt, ſecundum quem vivunt, ita vivunt prorſus ſecundum ordinem in quo ſunt, homo autem prorſus contra ordinem; quare niſi Dominus ejus miſereretur, & conjungeret eum ſibi per angelos, nuſquam potuiſſet unum minutum vivere: hoc homo ignorat.

638. Verſ: 14. *Fac tibi arcam lignorum gopher, manſiones facies arcam, & bituminabis eam intus & extus bitumine.* Per arcam ſignificatur homo hujus Eccleſiæ: per ligna gopher ejus concupiſcentiæ: per manſiones ſignificantur binæ partes hominis, quæ ſunt voluntatis & intellectus: per bituminare eam intus & extus ſignificatur conſervatio a cupiditatum inundatione.

639. Quod per arcam ſignificetur homo hujus Eccleſiæ, ſeu Eccleſia Noachus dicta, conſtare ſatis poteſt a deſcriptione ejus in ſequentibus; tum ex eo, quod Verbum Domini ubivis involvat ſpiritualia & cœleſtia, hoc eſt, quod Verbum Domini ſit ſpirituale & cœleſte: ſi Arca, cum ejus bituminatione, dimenſione, & conſtructione, ut & diluvium, non plus, quam ſonat litera, ſignificarent, nihil prorſus ſpirituale & cœleſte foret, ſed modo aliquid hiſtoricum, quod pluri uſui non foret humano generi, quam ſimile quid, quod deſcribitur a prophanis: at quia Verbum Domini ubivis in ſinu ſeu receſſu ſuo continet & involvit ſpiritualia & cœleſtia, conſtat clare, quod per arcam, & per omnia, quæ de arca dicuntur, ſignificentur arcana nondum detecta: ſimiliter quoque alibi, ut per arculam, in qua Moſes reconditus, & quæ poſita in ulva juxta litus fluminis, Exod: 11: 3. & adhuc ſublimius per Arcam ſanctam in deſerto, quæ exſtructa ſecundum typum oſtenſum Moſi in monte Sinai; in qua niſi omnia & ſingula fuiſſent repræſentativa Domini, & Ipſius Regni, non aliud fuiſſet, quam quoddam idolum, & cultus idololatricus; ſimiliter Templum Salomonis, quod nuſquam ſanctum fuit ex ſe, ſeu ex auro, argento, cedro & lapide ibi, ſed ex ſingulis quæ repræſentabantur per illa; ſimiliter hic, niſi Arca & ejus conſtructio cum ſingulis ſignificarent aliquod arcanum Eccleſiæ, Verbum non foret Verbum Domini, ſed mortua quædam litera, ſicut apud aliquem prophanum ſcriptorem. Quod Arca ſignificet hominem Eccleſiæ, ſeu Eccleſiam, quæ Noachus dicta, inde conſtat.

640. Quod per ligna Gopher ſignificentur concupiſcentiæ, & per manſiones, binæ partes ejus hominis, quæ ſunt voluntatis & intellectus, nemo adhuc novit: nec quomodo illa ſignificantur, ſcire quiſquam poteſt, niſi prius dicatur,

quomodo ſe res habuit cum illa Eccleſia. Antiquiſſima Eccleſia, ut ſæpius dictum, ex Amore novit quicquid eſſet fidei, ſeu quod idem eſt, ex voluntate boni habuit intellectum veri; ſed poſteri eorum ex hæreditario quoque traxerunt, quod dominarentur apud eos cupiditates, quæ ſunt voluntatis, quibus etiam immerſerunt doctrinalia fidei, inde Nephilim facti: cum itaque Dominus prævidit, ſi homo in tali natura maneret, quod in æternum periret, ideo proviſum a Domino, ut voluntarium ſepararetur ab intellectuali, & formaretur homo, non ut prius, per voluntatem boni, ſed per intellectum veri donaretur ei charitas, quæ quaſi voluntas boni apparet; hæc nova Eccleſia, quæ Noachus vocatur, talis facta eſt, & ſic fuit ex prorſus alia indole, quam Eccleſia Antiquiſſima. Præter hanc Eccleſiam etiam aliæ fuerunt tunc temporis, ut illa quæ Enoſch dicta, de qua prius ad Cap: IV: 25, 26. tum etiam, quarum non talis mentio & deſcriptio exſtat: hic modo deſcribitur Eccleſia Noach, quia alia & prorſus diverſa indole fuit ab Antiquiſſima.

641. Quia hic homo Eccleſiæ reformandus eſſet, quoad illam partem hominis, quæ Intellectus vocatur, prius quam reformari poſſet quoad alteram, quæ voluntas appellatur, hic deſcribitur, quomodo illa, quæ ſunt voluntatis, ſeparata ſint ab illis quæ ſunt intellectus, & quaſi contecta & reſervata, ne quicquam eam tangeret; nam ſi excitarentur ea, quæ voluntatis, hoc eſt, quæ cupiditatis eſſent, periiſſet; ut ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus, conſtabit. Binæ illæ partes, Intellectus & Voluntas, ita diſtinctæ ſunt apud hominem, ut nihil diſtinctius, quod mihi manifeſte ſcire datum, etiam per id, quod intellectualia ſpirituum & angelorum influant in ſiniſtram partem Capitis ſeu Cerebri, at voluntaria in dextram, ſimiliter quoad faciem; cum angelici ſpiritus influunt, tunc molliter ſicut leniſſimæ auræ influunt, at cum ſpiritus mali, tunc eſt quaſi inundatio, in ſiniſtram cerebri partem cum phantaſiis & perſuaſionibus diris, in dextram cum cupiditatibus; influxus eorum eſt quaſi inundatio phantaſiarum & cupiditatum.

642. Ex his conſtare poteſt, quid involvit prima hæc Arcæ deſcriptio, quod conſtructa ſit ex Lignis Gopher, quid manſiones, tum quod bitumine foris & intus bituminaretur; nempe quod altera illa pars, quæ voluntatis, conſervaretur ab innundatione; & ſolum aperiretur illa pars, quæ eſt intellectus, quæ deſcribitur, verſ: 16. per feneſtram, januam, infimas, ſecundanas & tertianas. Hæc forte incredibilia ſunt, quia in nullius ideam adhuc venerunt, & quia non talem conceptum habuerunt de Verbo Domini, uſque tamen veriſſima ſunt: ſed hæc minima & communiſſima arcana ſunt, quæ homo neſcit; ſi ei ſingularia dicerentur ne quidem unum caperet.

643. Quod itaque ipſam ſignificationem vocum attinet, ut quod Ligna Gopher ſignificent concupiſcentias, & quod manſiones utramque partem hominis, conſtare poteſt a Verbo: Lignum Gopher, eſt lignum abundans ſulphure, ſicut abies, & ejus generis plura; ex ſulphure prædicatur quod ſignificet concupiſcentias, quia facile arripit ignem. Antiquiſſimi compararunt & aſſimilarunt illa, quæ ſunt apud hominem, Auro, Argento, Æri, Ferro, Lapidi, Ligno; Cœleſte ejus intimum Auro, Cœleſte inferius Æri, & quod infimum

ſeu

ſeu corporeum inde Ligno; at ſpirituale intimum compararunt & aſſimilarunt Argento, ſpirituale inferius ferro, & infimum ejus lapidi; quæ cum nominantur in Verbo, per illa in ſenſu interno talia ſignificantur, ut apud Eſaiam, "Pro *ære* adducam *aurum*, & pro *ferro* adducam *argentum*, & pro *Lignis æs*, & pro *lapidibus ferrum*; ponamque cenſum tuum pacem, & exactores tuos juſtitiam," LX: 17. ibi agitur de Regno Domini, ubi non talia metalla; ſed ſunt cœleſtia & ſpiritualia, quæ quod ſignificentur, etiam ex eo clare conſtat, quia de pace & juſtitia dicitur; ibi aurum, æs & lignum ſibi correſpondent, & ſignificant cœleſtia, ſeu voluntaria, ut dictum; & argentum, ferrum & lapis ſibi correſpondent, & ſignificant ſpiritualia ſeu intellectualia. Apud Ezechielem, "Prædabuntur opes tuas, deprædabuntur merces tuas; *lapides* tuos, & *Ligna* tua," XXVI: 12. quod per opes & merces non ſignificentur opes & merces mundanæ, conſtat manifeſte, ſed cœleſtes & ſpirituales; ita quoque per lapides & ligna, ubi lapides ſunt illa quæ ſunt intellectus, & ligna illa quæ voluntatis. Apud Habakuk, "*Lapis* e pariete clamat, & trabs e *Ligno* reſpondet," II: 11: lapis pro infimo intellectus, & lignum pro infimo voluntatis, quod reſpondet cum aliquod depromitur ex ſcientifico ſenſuali. Apud Eundem, "Væ dicenti *Ligno*, expergiſcere, & ſuſcitare *lapidi* ſilenti, hic docebit; hic ecce fixus auro & argento, & nullus ſpiritus in medio ejus; at Jehovah in Templo ſanctitatis ſuæ," II: 19. hic quoque lignum pro cupiditate, lapis pro intellectuali infimo, quare de eo prædicatur ſilere & docere; quod ſpiritus non in medio ejus, ſignificat quod nihil cœleſte & ſpirituale repræſentet; ſicut templum ubi lapis & lignum, & ea alligata auro & argento, apud eos, qui nihil cogitant de illis quæ repræſentant. Apud Jeremiam, "Aquas noſtras pro argento bibimus, *Ligna* noſtra pro pretio veniunt," Thren: V: 5. ubi aquæ & argentum ſignificant ea quæ ſunt intellectus, ligna quæ ſunt voluntatis. Apud Eundem, "Dicentes *Ligno*, pater meus tu, & *lapidi* tu genuiſti nos," II: 27. ibi lignum pro cupiditate, quæ voluntatis, ex qua conceptus, & lapis pro ſcientifico ſenſuali, ex quo genitus. Inde apud Prophetas paſſim, ſervire *Ligno* & *Lapidi*, pro ſculptilibus ex ligno & lapide, per quæ ſignificatur, quod ſerviverint cupiditatibus & phantaſiis; etiam mæchari cum *Ligno* & *Lapide*, ut Jerem: III: 9. apud Hoſeam, "Populus *Lignum* ſuum interrogat, & baculus ejus indicat ei, quia ſpiritus ſcortationum ſeduxit," IV: 12, pro quod interroget ſculptile ligneum, ſeu cupiditates. Apud Eſaiam, "Paratum ab heri topheth, rogus ejus *ignis* & *Ligna* multum, flatus Jehovæ ſicut flumen *ſulphuris* ardentis," XXX: 33. hic ignis, ſulphur & ligna pro fædis cupiditatibus. Lignum in genere ſignificat illa quæ ſunt infima voluntatis; Ligna pretioſa, ut cedrinum, & ſimilia, quæ bona, ſicut cedrina Ligna in Templo; & lignum cedrinum adhibitum in mundatione lepræ, Lev: XIV: 4, 6, 7. & Lignum projectum in aquas amaras ad Marah, ex quo aquæ dulces factæ, Exod: XV: 25. de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in illis locis. Ligna vero non pretioſa, & quæ facta in ſculptilia, ut & ad rogum adhibita, & talia, ſignificant cupiditates, ſicut hic ligna gopher ex ſulphure; ut apud Eſaiam, "Dies ultionis Jehovæ; convertentur flumina

 "ejus

“ ejus in picem, & pulvis ejus in *Sulphur*, & erit terra ejus in picem ardentem,” xxxiv: 9. pix pro diris phantaſiis, ſulphur pro fædis cupiditatibus.

644. Quod per Manſiones ſignificentur binæ partes hominis, quæ ſunt voluntatis & intellectus, conſtat ex illis quæ dicta ſunt, quod binæ illæ partes, voluntas & intellectus, ſint inter ſe diſtinctiſſimæ, & quod ideo, ut dictum, Cerebrum humanum in binas partes, quæ vocantur hæmiſphæria, diviſum ſit, ad ſiniſtrum ejus hæmiſphærium pertinent intellectualia, ad dextrum voluntaria; hæc communiſſima eſt diſtinctio. Præterea tam Voluntas quam Intellectus in innumerabiles partes diſtinguuntur, nam tot diviſiones intellectualium, & tot voluntariorum hominis ſunt, ut nuſquam quoad genera univerſalia, minus quoad ſpecies, exprimi aut enumerari poſſint: homo eſt ſicut quoddam exiguiſſimum Cœlum, qui correſpondet mundo ſpirituum & Cœlo, ubi omnia genera & omnes ſpecies intellectualium & voluntariorum, ex Domino, ita ordinatiſſime diſtincta ſunt, ut ne quidem omnium minimum ſit, quod non diſtinctum, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: in Cœlo diviſiones illæ appellantur Societates, in Verbo Habitacula, a Domino Manſiones, Joh: xiv: 2. hic autem manſiones, quia prædicantur de Arca, per quam ſignificatur homo Eccleſiæ.

645. Quod per bituminare eam intus & extus bitumine, ſignificetur conſervatio a cupiditatum inundatione, conſtat ab illis quæ prius dicta ſunt: homo enim hujus Eccleſiæ reformandus prius erat quoad ejus intellectualia, quare conſervatus eſt ab inundatione cupiditatum, quæ omne reformationis opus deſtruerent. In textu originali non quidem legitur, quod bitumine bituminaretur, ſed adhibetur vox, quæ denotat protectionem, derivata ab expiare, aut propitiare, quare ſimile involvit; expiatio ſeu propitiatio Domini eſt protectio ab inundatione mali.

646. Verſ: 15. *Et ſic facies illam; trecenti cubiti longitudo arcæ; quinquaginta cubiti latitudo ejus; & triginta cubiti altitudo ejus.* Per numeros hic ut prius ſignificantur Reliquiæ quod paucæ; longitudo eſt illarum ſanctum, latitudo eſt verum, altitudo eſt bonum.

647. Quod hæc talia ſignificent, non poteſt non unicuique peregrinum & remotiſſimum apparere, ut quod Numeri trecenti, & quinquaginta, & triginta ſignificent Reliquias & quidem paucas; tum quod Longitudo, Latitudo & Altitudo ſignificent ſanctum, verum & bonum: ſed præter quæ dicta & oſtenſa ſupra ſunt de Numeris ad verſ: 3. hujus capitis, quod ibi centum & viginti ſignificent Reliquias fidei, etiam conſtare unicuique poteſt ex eo, quod, qui in ſenſu interno ſunt, ut ſpiritus boni & angeli, extra omnia illa ſint, quæ terreſtria, corporea & mere mundana, ita extra omnia quæ ſunt numerorum & menſurarum, & tamen illis datur a Domino percipere Verbum plene, & quidem prorſus abſtracte a talibus; &, quia hoc verum, inde manifeſte conſtare poteſt, quod cœleſtia & ſpiritualia involvant; quæ ita remota ſunt a ſenſu literæ, ut ne quidem apparere poſſit, quod talia ſint; ſicut ſunt cœleſtia & ſpiritualia omnia & ſingula; exinde quoque ſcire poteſt homo, quam veſanum

ſanum ſit velle explorare illa quæ ſunt fidei per ſenſualia & ſcientifica, & non prius credere, quam ſic illa capiat.

648. Quod Numeri & Menſuræ in Verbo cœleſtia & ſpiritualia ſignificent, conſtare manifeſte poteſt ex menſuratione Novæ Hieroſolymæ & Templi apud Johannem & Ezechielem; cuivis conſtare poteſt, quod per Novam Hieroſolymam & per Novum Templum ſignificetur Regnum Domini in cœlis & in terris, & quod Regnum Domini in cœlis & in terris non ſub menſuras terreſtres cadat, & uſque dimenſiones quoad longitudinem, latitudinem & altitudinem in numeris deſignantur; inde concludi ab unoquovis poteſt, quod per numeros & menſuras ſignificentur ſancta, ſicut apud Johannem, "Datus mihi eſt calamus ſimilis baculo, & adſtitit angelus, dixit mihi, "ſurge, & *metire Templum* Dei, & Altare, & adorantes in eo," Apoc: XI: 1. Et de Nova Hieroſolyma, "*Hieroſolymæ Cœleſtis* murus magnus & altus, habens portas *duodecim*, & ſuper portis Angelos *duodecim*, & Nomina ſcripta quæ ſunt duodecim Tribuum filiorum Iſraelis, ab oriente portæ *tres*, a ſeptentrione portæ *tres*, a meridie portæ *tres*, ab occaſibus portæ *tres*. "Murus Civitatis habebat fundamenta *duodecim*, & in iis duodecim nomina "Apoſtolorum Agni. Qui mecum loquebatur calamum habebat aureum, "ut metiretur Civitatem, & portas ejus & murum ejus, Civitas jacet quadrangularis, & *Longitudo* ejus tanta eſt, quanta etiam *Latitudo*; menſus itaque eſt Civitatem calamo in ſtadiis *duodecies mille*, *Longitudo* & *Latitudo* & *Altitudo* ejus æqualia erant: Menſus eſt murum ejus *Centum quadraginta quatuor cubitorum*, quæ eſt menſura hominis hoc eſt Angeli," Apoc: XXI: 11, 12, 14, 15, 16, 17. hic ubivis Numerus duodecim occurrit, qui numerus ſanctiſſimus eſt, quia ſignificat ſancta fidei, ut ſupra ad verſ: 3. hujus Capitis dictum, & ad Cap: XXIX: & XXX Geneſeos, ex Divina Domini Miſericordia, oſtendetur; quare etiam additur, quod illa menſura, ſit menſura hominis, hoc eſt, Angeli. Similiter ſe habet cum Templo Novo & Hieroſolyma Nova apud Ezechielem, quæ quoque ſecundum menſuras deſcribuntur, Cap: XL: 3, 5, 7, 9, 11, 13, 14, 22, 25, 30, 36, 42, 47. Cap: XLI: 1 ad f. Cap: XLII: 5 ad 15. Sachar: II: 5, 6. ubi quoque Numeri in ſe ſpectati nihil ſignificant, ſed ſanctum cœleſte & ſpirituale a numeris abſtractum. Omnes quoque numeri dimenſionum Arcæ, Exod: XXV: 10. Propitiatorii, Menſæ aureæ, Habitaculi, Altaris, ſimiliter, Exod: XXV: 10, 17, 23. Cap: XXVI: & XXVII: 1. & omnes numeri & dimenſiones Templi, 1 Reg: VI: 2, 3. præter plura.

649. Hic vero numeri ſeu menſuræ Arcæ nihil aliud ſignificant quam Reliquias quæ fuerant apud hominem hujus Eccleſiæ, cum reformaretur, & quidem quod paucæ; quod conſtat ab eo, quod in numeris illis dominentur Quinque, qui in Verbo ſignificant aliquid ſeu parum, ut apud Eſaiam, "*Relinquentur* in eo racemationes, ſicut decuſſio oleæ, *duæ tres* baccæ in capite rami ſupremi, quatuor *quinque* in ramis fructiferæ," XVII: 6. ubi duo tria & quinque pro paucis. Apud Eundem, "Mille unum coram increpatione unius, coram increpatione *Quinque* fugietis, donec *reliqui* ſitis "ſicut malus ſuper capite montis," XXX: 17. ubi etiam pro paucis. Minimum

nimum etiam mulctæ, ſuper reſtitutionem, fuit *Quinta pars*, Lev: v: 16. 24. Cap: xxii: 14. Num: v: 7. & minimum additamenti, cum redimerent beſtiam, domum, agrum, decimas, erat *Quinta pars*, Lev: xxvii: 13, 15: 19. 31.

650. Quod Longitudo ſignificet illarum ſanctum, Latitudo illarum Verum, & Altitudo illarum Bonum, quæ deſcribuntur per numeros, non ita confirmari poteſt ex Verbo, quia prædicantur omnia & ſingula ex ſubjecto aut re, de qua agitur; ſicut Longitudo applicate ad tempus ſignificat perpetuum & æternum, ut longitudo dierum, Pſalm: xxiii: 6. Pſalm: xxi: 5. at applicate ad ſpatium ſignificat ſanctum, quod inde ſequitur: ita quoque ſe habet cum Latitudine, & Altitudine: trina dimenſio omnium eſt in terreſtribus, ſed tales dimenſiones non prædicari poſſunt de cœleſtibus & ſpiritualibus; cum prædicantur, abſtracte a dimenſionibus intelligitur perfectio major & minor, tum ejus quale & quantum; ut hic quale, quod ſint reliquiæ, & earum quantum, quod ſint paucæ.

651. Verſ: 16. *Feneſtram facies arcæ, & ad cubitum perficies illam ſuperne, & januam arcæ in latere ejus pones: infimas, ſecundanas & tertianas facies illam:* Per feneſtram, quæ ad cubitum perficienda ſuperne, ſignificatur intellectuale: per januam a latere ſignificatur auditio: per infimas, ſecundanas & tertianas ſignificantur ſcientifica, rationalia & intellectualia.

652. Quod feneſtra ſignificet intellectuale, & janua auditionem, & ſic in hoc verſu agatur de parte hominis intellectuali, conſtare poteſt ab illis quæ prius dicta ſunt, quod nempe homo hujus Eccleſiæ reformabatur ita: ſunt in homine binæ vitæ, una eſt voluntatis altera eſt intellectus; binæ vitæ fiunt, cum nulla voluntas, ſed pro voluntate cupiditas; pars altera ſeu intellectualis eſt, quæ tunc poteſt reformari, & poſtea per eam dari nova voluntas, ſic ut uſque unam vitam conſtituant, nempe charitas & fides: quia nunc homo talis erat, ut nulla voluntas, ſed pro ea mera cupiditas, ea pars, quæ voluntatis eſt, clauſa erat, ſicut ad verſ: 14. dictum, & altera pars ſeu intellectualis, aperiebatur, de qua in hoc verſu agitur.

653. Se res ita habet, cum reformatur homo, quod fit per pugnas & tentationes, tunc tales ſpiritus mali ei aſſociantur, qui non niſi quam ſcientifica ejus & rationalia excitant, & ab illo tunc arcentur prorſus ſpiritus qui excitant cupiditates: nam bina genera ſpirituum malorum ſunt, qui nempe in ratiocinia hominis agunt, & qui in ejus cupiditates: ſpiritus mali, qui ratiocinia hominis excitant, omnia falſa ejus depromunt, & perſuadere ei conantur quod falſa ſint vera, imo etiam vera vertunt in falſa; cum quibus homo, dum in tentationibus eſt, pugnare debet; ſed Dominus, per angelos qui homini adjuncti, pugnat: poſtquam per pugnas ſeparata ſunt, & quaſi diſcuſſa falſa, tunc præparatus eſt homo, ut recipere poſſit vera fidei; quamdiu enim falſa regnant, nuſquam poteſt homo recipere vera fidei, nam principia falſi obſtant: cum ita præparatus eſt, ut recipere poſſit vera fidei, tunc primum inſeminari poſſunt ei ſemina cœleſtia, quæ ſunt ſemina charitatis; ſemina charitatis nuſquam poſſunt ſeminari in humo, ubi falſa regnant, ſed ubi

ubi vera: ita ſe habet reformatio ſeu regeneratio hominis ſpiritualis; ita quoque ſe habuit cum homine hujus Eccleſiæ, quæ Noachus vocatur: inde eſt, quod hic nunc agatur de feneſtra & janua arcæ, deque manſionibus ejus infimis, ſecundanis & tertianis, quæ omnia ad ſpiritualem ſeu intellectualem hominem pertinent.

654. Hoc nunc eſt, quod notum eſt in Eccleſiis hodie, quod fides per auditionem; ſed fides nuſquam eſt cognitio illorum quæ ſunt fidei, ſeu cognitio credendorum, hoc ſolum eſt ſcientia; ſed eſt Agnitio; ſed agnitio nuſquam apud aliquem dari poteſt, niſi principale fidei apud illum ſit, quod eſt charitas, hoc eſt, amor erga proximum, & miſericordia; quando charitas eſt, tunc eſt agnitio, aut tunc eſt fides; qui aliter capit, tam longe abeſt a cognitione fidei, quantum abeſt vel diſtat terra a cœlo: cum charitas adeſt, quæ eſt bonitas fidei, tunc adeſt agnitio, quæ eſt veritas fidei: quare homo dum ſecundum ſcientifica, rationalia & intellectualia regeneratur, eſt ob finem, ut præparetur humus, ſeu mens ejus, ad recipiendum charitatem, ex qua ſeu ex cujus vita dein cogitet & agat, tunc reformatus ſeu regeneratus eſt, non prius.

655. Quod per feneſtram, quæ quoad cubitum perficienda ſuperne, ſignificetur intellectuale, conſtare poteſt unicuique ex illis quæ nunc dicta ſunt; tum ex eo, quod intellectuale non aliter comparari queat, quam feneſtræ ſuperne, cum agitur de conſtructione arcæ, & per arcam ſignificatur homo Eccleſiæ: in Verbo ſimiliter appellatur feneſtra hominis intellectuale, ſive ſit ratio ſive ratiocinatio, hoc eſt, viſus ejus internus; ut apud Eſaiam, "Afflicta, turbine jactata, non conſolata; ponam pyropum ſoles (*Feneſtras*) tuos, & portas tuas in lapides carbunculi, & omnem finem tuum in lapides deſiderii," LIV: 11, 12. ibi pro feneſtris ſoles a lumine, quod immittitur ſeu tranſmittitur; ſoles ſeu feneſtræ ibi ſunt intellectualia, & quidem ex charitate, quare pyropo aſſimilantur; portæ ſunt rationalia inde; & finis eſt ſcientificum & ſenſuale; agitur ibi de Eccleſia Domini. Omnes *Feneſtræ* Templi Hieroſolymæ idem repræſentabant, illarum ſupernæ Intellectualia, mediæ Rationalia, & infimæ ſcientifica & ſenſualia, nam tres ſubſtructiones erant, 1 Reg. VI: 4, 6, 8. ſimiliter *Feneſtræ* novæ Hieroſolymæ apud Ezechielem, Cap. XL: 16, 22, 25, 33, 36. Apud Jeremiam, "Aſcendit mors in *Feneſtras* noſtras, venit in palatia noſtra, ad exſcindendum infantem e platea, juvenes e vicis," IX: 21. ubi feneſtræ mediæ manſionis ſignificantur, quæ ſunt rationalia, quod exſtinguantur; infans in platea eſt naſcens veritas. Quia feneſtræ ſignificant intellectualia & rationalia quæ ſunt veri, etiam ſignificant ratiocinia quæ ſunt falſi; ut apud Eundem, "Væ ædificanti domum ſuam in non juſtitia, & hyperoa ſua in non judicio, qui dicit, ædificabo mihi domum menſurarum, & hyperoa ſpatioſa, & excidit ſibi *Feneſtras*, & tabulata cedro, & pingendo minio," XXII: 14. feneſtræ pro principiis falſi. Apud Zephaniam, "Cubabunt in medio ejus catervæ beſtiarum, omnis fera ejus gentis; tam platea quam chippod in malogranatis ejus pernoctabunt; vox cantabit in *Feneſtra*, vaſtitas in limine," II: 14, de Aſchure

&

& Ninive, Aſchur pro intellectu, hic vaſtato; vox cantans in feneſtris pro ratiociniis ex phantaſiis.

656. Quod per januam a latere ſignificetur auditio, inde nunc conſtare poteſt, nec opus eſt ut confirmetur per ſimilia ex Verbo: ſimiliter enim ſe habet auris ad organa ſenſoria interna, ſicut janua a latere, ad feneſtram ſuperne, ſeu quod idem eſt, auditio quæ eſt auris, ad intellectuale quod eſt ſenſorii interni.

657. Quod per infimas, ſecundanas & tertianas ſignificentur ſcientifica, rationalia & intellectualia, inde quoque ſequitur: ſunt tres gradus Intellectualium in homine, ejus infimum eſt ſcientificum, medium eſt rationale, ſupremum eſt intellectuale; hæc ita diſtincta ſunt inter ſe, ut nuſquam confundantur, ſed quod homo hoc neſcit, cauſa eſt, quod in ſenſuali & ſcientifico ſolum vitam ponit; & cum ei inhæret, ne quidem ſcire poteſt, quod rationale ejus ſit a ſcientifico diſtinctum, minus tunc, quod intellectuale; cum tamen ita ſe res habet, quod Dominus per intellectuale apud hominem influat in ejus rationale, & per rationale in ſcientificum memoriæ, inde vita ſenſuum, viſus & auditus; hic eſt verus influxus, & hoc eſt verum commercium animæ cum corpore: abſque influxu vitæ Domini in intellectualia apud hominem, ſeu potius in voluntaria, & per voluntaria in intellectualia, & per intellectualia in rationalia, & per rationalia in ejus ſcientifica, quæ ſunt memoriæ, nuſquam dari poteſt vita apud hominem: & tametſi homo in falſis eſt & malis, uſque tamen eſt influxus vitæ Domini per voluntaria & intellectualia, ſed recipiuntur illa, quæ influunt, in parte rationali ſecundum ejus formam; & facit ut homo poſſit ratiocinari, poſſit reflectere, poſſit intelligere quid verum & bonum; ſed de his, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; tum quomodo ſe habet vita apud bruta.

658. Tres illi gradus, qui in genere vocantur intellectualium hominis, nempe intellectus, ratio & ſcientia, ſignificati quoque ſunt, ut dictum, in Templo Hieroſolymæ per feneſtras trium ſuſtructionum, 1 Reg: VI: 4, 6, 8. tum etiam prius per Fluvios, qui exibant ex horto Edenis ab Oriente, ubi Oriens ſignificat Dominum, Eden Amorem qui eſt voluntatis, hortus intelligentiam inde, fluvii ſapientiam, rationem, & ſcientiam, de quibus videantur quæ dicta ſunt ad Cap: II: verſ: 10, 11, 12, 13, 14.

659. Verſ: 17. *Et Ego, ecce Me adducens diluvium aquarum ſuper terram, ad perdendum omnem carnem, in qua ſpiritus vitarum, de ſub cœlis, omne quod in terra, exſpirabit.* Per diluvium ſignificatur inundatio mali & falſi: ad perdendum omnem carnem, in qua ſpiritus vitarum, de ſub cœlis, ſignificant, quod ſe perderet omnis poſteritas Eccleſiæ Antiquiſſimæ: Omne quod in terra exſpirabit, ſignificat eos, qui ab Eccleſia illa, & tales facti ſunt.

660. Quod per diluvium ſignificetur inundatio mali & falſi, conſtat ex illis, quæ prius dicta ſunt de poſteritate Eccleſiæ Antiquiſſimæ, quod fœdis cupiditatibus poſſeſſi fuerint, & quod iis immerſerint doctrinalia fidei, inde illis

illis perſuaſiones falſi, quæ exſtinguebant omne verum & bonum, & ſimul intercludebant viam pro Reliquiis, ne operari poſſent, inde non potuit aliter, quam quod ſemet perderent; cum interclusa eſt via pro Reliquiis, tunc homo non amplius eſt homo, quia non amplius tutari poteſt ab angelis, ſed totus quantus poſſidetur a malis ſpiritibus, qui non aliud ſtudent & cupiunt, quam ut hominem exſtinguant; inde mors antediluvianorum, quæ deſcribitur per diluvium, ſeu inundationem totalem: influxus phantaſiarum & cupiditatum a malis ſpiritibus etiam non eſt diſſimilis cuidam diluvio, quare etiam in Verbo paſſim vocatur diluvium ſeu inundatio, quod, ex Divina Domini Miſericordia, videbitur in præmittendis ad Caput ſequens.

661. Ad perdendum omnem carnem, in qua ſpiritus vitarum, ſub cœlis, quod ſignificet, quod ſe perderet omnis poſteritas Eccleſiæ Antiquiſſimæ, conſtat inde, tum ex eorum deſcriptione prius, quod ſucceſſive hæreditario traxerint a parentibus talem genium, ut tam diris perſuaſionibus, præ aliis, imbuerentur; imprimis ex cauſa, quod doctrinalia fidei, quæ apud ſe habebant, cupiditatibus ſuis infuderint, tunc tales facti; aliter ſe res habuit cum iis, qui nulla doctrinalia fidei habent, ſed in ignorantia prorſus vivunt, ii non poſſunt ita facere, ita non prophanare ſancta, & ſic intercludere viam pro reliquiis, conſequenter non angelos Domini a ſe expellere: Reliquiæ, ut dictum, ſunt omnia innocentiæ, omnia charitatis, omnia miſericordiæ, & omnia veritatis fidei, quæ homo ab infantia a Domino habuit, & didicit; omnia & ſingula illa reconduntur; quæ ſi homo non haberet, nuſquam aliquid innocentiæ, charitatis & miſericordiæ potuiſſet ineſſe ejus cogitationi & actionibus, proinde nihil boni & veri, inde pejor foret immanibus feris; ſimiliter ſi haberet reliquias talium, at per fœdas cupiditates, & diras perſuaſiones falſi, viam obturaret, ne operari poſſent; tales fuerunt antediluviani, qui ſemet perdiderunt, qui intelliguntur per omnem carnem, in qua ſpiritus vitarum, ſub cœlis. Caro ſignificat, ut prius oſtenſum, omnem hominem in genere, & corporeum in ſpecie; ſpiritus vitarum omnem vitam in genere, ſed proprie illorum vitam, qui regenerati fuerunt, ita hic poſteritatem ultimam Eccleſiæ Antiquiſſimæ, in qua tametſi nulla vita fidei reſidua, uſque quia a parentibus traxerunt aliquid ſeminis inde quod ſuffocarunt, hic vocatur ſpiritus vitarum, ſeu in cujus naribus flatus ſpiritus vitarum, ut Cap: ſeq: VII: verſ: 22. Caro ſub cœlis, ſignificat mere corporeum, cœli ſunt intellectualia veri & voluntaria boni, quæ cum a corporeo ſeparata ſunt, homo non amplius poteſt vivere; quod ſuſtinet hominem, eſt conjunctio ejus cum cœlo, hoc eſt, per cœlum cum Domino.

662. Omne, quod in terra exſpirabit, quod ſignificet eos, qui ab Eccleſia illa, & tales facti ſunt: quod Terra non ſignificet univerſum terrarum orbem, ſed modo illos, qui ab Eccleſia fuerunt, prius oſtenſum eſt; ita nuſquam intelligitur hic aliquod diluvium, minus diluvium univerſale, ſed exſpiratio ſeu ſuffocatio eorum, qui ibi, cum ſeparati a reliquiis, ita ab intellectualibus veri, & voluntariis boni, proinde a cœlis. Quod Terra ſignificet tractum ubi Eccleſia, proinde eos, qui ibi, præter loca prius ex Verbo al-

lata, etiam hæc confirmationi ſint: apud Jeremiam, "Sic dixit Jehovah, "deſolata erit tota *Terra*, & conſumationem non faciam, propter hoc lugebit *Terra*, & atrati erunt cœli deſuper," IV: 27, 28. ibi terra pro habitatoribus ubi Eccleſia, quæ vaſtata. Apud Eſaiam, "Commovebo Cœlum, "& concutietur *Terra* e loco ſuo," XIII: 13. terra pro homine vaſtando ubi Eccleſia. Apud Jeremiam, "Erunt conſoſſi Jehovæ, in die illo a fine "*Terræ* uſque ad finem *Terræ*," XXV: 33. ubi finis terræ non ſignificat univerſum orbem terrarum, ſed modo tractum, ubi Eccleſia, proinde homines qui fuerunt Eccleſiæ. Apud Eundem, "Gladium Ego vocans ſuper "omnes habitatores *Terræ*; venit tumultus uſque ad finem *Terræ*, quia lis "Jehovæ contra gentes," XXV: 29, 31. ubi nec intelligitur univerſus orbis, ſed modo tractus ubi Eccleſia, proinde habitator, ſeu homo Eccleſiæ; gentes ibi pro falſis. Apud Eſaiam, "Ecce Jehovah exiens e loco ſuo ad viſitandum iniquitatem habitatoris *Terræ*," XXVI, 21. ſimiliter. Apud Eundem, "Annon auditis, annon indicatum eſt ab initio vobis, annon intelligitis fun-"damenta *Terræ*," XL: 21. Apud Eundem, "Jehovah creans cœlos, Ille "Deus formans *Terram*, & faciens eam, idem ſtabiliens eam," XLV: 18. terra pro homine Eccleſiæ. Apud Sachariam, "Dictum Jehovæ extendentis "cœlos, & fundantis *Terram*, & formantis ſpiritum hominis in medio "ejus," XII: 1. terra manifeſte pro homine Eccleſiæ. Terra diſtinguitur ab Humo, ut Homo Eccleſiæ & ipſa Eccleſia, aut ſicut Amor & fides.

663. Verſ: 18. *Et erigam fœdus meum tecum; & intrabis in arcam tu, & filii tui, & uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.* Erigere fœdus ſignificat quod regeneraretur: quod is intraret in arcam, & filii ejus, & uxores filiorum ejus, ſignificat quod ſalvaretur; filii ſunt vera, uxores ſunt bona.

664. In priori verſu actum eſt de iis qui ſe perderent; hic vero de regenerandis, & ſic ſalvarentur, qui vocati Noach.

665. Quod erigere fœdus ſignificet quod regeneraretur, manifeſte conſtare poteſt ex eo, quod non aliud fœdus intercedere poſſit inter Dominum & hominem, quam conjunctio per amorem & fidem, ita fœdus ſignificat conjunctionem; eſt enim Conjugium cœleſte, quod eſt ipſiſſimum fœdus; Conjugium cœleſte ſeu conjunctio non exiſtit, niſi apud illos qui regenerantur; ita ipſa regeneratio in latiſſimo ſenſu ſignificatur per fœdus; Dominus fœdus cum homine init, cum eum regenerat; quare fœdus cum antiquis nihil aliud repræſentavit: ex ſenſu literæ non aliud capitur, quam quod fœdus cum Abrahamo, Iſaco & Jacobo, & toties cum poſteris eorum pactum, ſpectet eos, ſed ii tales fuerunt, ut non regenerari potuerint, nam ſolum in externis cultum ponebant, & externa ſancta putabant, abſque quod interna adjuncta forent, quare fœdera cum iis pacta non erant niſi quam repræſentationes regenerationis; ſicut omnes ritus; & ſicut ipſe Abrahamus, Iſacus & Jacobus, qui repræſentabant illa quæ ſunt amoris & fidei; ſimiliter ac pontifices & ſacerdotes, qualeſcunque eſſent, etiam qui ſceleſti, repræſentare potuerunt Sacerdotium cœleſte & ſanctiſſimum; in repræſentationibus nihil

reflectitur

reflectitur ſuper perſonam, ſed ſuper rem quæ repræſentatur; ita omnes reges Iſraelis & Jehudæ, etiam peſſimi, repræſentabant Regium Domini; imo quoque Pharao, qui Joſephum ſuper terram Ægypti exaltavit: inde & ex pluribus aliis, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus, conſtare poteſt, quod fœdera toties cum filiis Jacobi pacta, nihil fuerint, niſi ritualia, quæ repræſentabant.

666. Quod fœdus nihil aliud ſignificet quam Regenerationem, & quæ regenerationis ſunt, conſtare poteſt ex Verbo paſſim, ubi Ipſe Dominus appellatur Fœdus, quia Ipſe unicus eſt Qui regenerat, & Qui ab homine regenerato ſpectatur, & eſt omne in omnibus amoris & fidei: quod Dominus ſit Ipſum fœdus conſtat apud Eſaiam. "Ego Jehovah vocavi Te in juſtitia, & "apprehendens manum tuam, & cuſtodiens Te, & dabo Te in *Fœdus* populi, in "Lucem gentium," XLII: 6. ubi fœdus pro Domino, lux gentium eſt fides: ſimiliter, Cap: XLIX: 6, 8. Apud Malachiam, "Ecce Ego mittens Angelum "meum, & ſubito veniet ad Templum ſuum Dominus, Quem vos quæren-"tes, & *Angelus fœderis*, quem vos deſideratis; ecce venit, quis ſuſtinet diem "adventus Ipſius," III: 1, 2, ubi Dominus appellatur Angelus fœderis. Sabbathum appellatur *Fœdus æternum*, Exod: XXXI: 16. quia ſignificat Ipſum Dominum; & hominem ab ipſo regeneratum cœleſtem. Quia Dominus eſt Ipſum fœdus, conſtat, quod fœderis ſit omne quod conjungit hominem Domino, ita Amor & fides, & quæ ſunt Amoris & fidei; illa enim ſunt Domini, & in illis Dominus, ita ipſum fœdus in illis, ubi recipiuntur; hæc non dantur, niſi quam apud Regeneratum, apud quem quicquid eſt Regeneratoris ſeu Domini, hoc eſt fæderis ſeu fœdus, ut apud Eſaiam, "Miſericordia Mea "a tecum non recedet, & *Fœdus pacis* meæ non dimovebitur," LIV: 10. ubi miſericordia & fœdus pacis eſt Dominus, & quæ ſunt Domini. Apud Eun-"dem, Inclinate aurem veſtram, & ite ad Me, audite & vivat anima veſtra, & "pangam vobis *fœdus æternitatis*, miſericordias Davidis firmas; en teſtem "populis dedi Ipſum, ducem & legiſlatorem gentibus," LV: 3, 4. ubi David pro Domino; fœdus æternitatis in illis, & per illa, quæ ſunt Domini, quæ intelliguntur per ire ad Ipſum, & audire ut vivat anima. Apud Jeremiam, "Dabo illis cor unum, & viam unam, ad timendum Me omnibus diebus in "bonum illis & filiis illorum poſt illos, feriamque illis *Fœdus ſæculi*, quod "non avertar a poſt eos, ad benefaciendum Me illis, & timorem meum da-"bo in cor illorum," XXXII: 39, 40. pro illis qui regenerandi, tum pro iis quæ ſunt apud regeneratum, quæ ſunt cor unum, & via una, hoc eſt, charitas & fides, quæ ſunt Domini, ita fœderis. Apud Eundem, "Ecce "dies venientes dictum Jehovæ, & pangam cum domo Iſraelis, & cum domo Jehudæ *fœdus novum*, non ſicut *fœdus*, quod pepigi cum patribus eorum, quia ii irritum reddiderunt *fœdus* meum: ſed hoc *fœdus*, quod pangam cum domo Iſraelis poſt dies hos, dabo legem meam in medio eorum, & ſuper cor eorum ſcribam illam, eroque iis in Deum, & ii erunt mihi in populum," XXXI: 31, 32, 33. manifeſte hic explicatur quid fœdus, quod ſit amor & fides in Dominum, quæ apud regenerandum. Apud Eundem, "appellatur

"Amor *Fœdus diei*, & fides *Fœdus noctis*," xxxiii: 20. apud Ezechielem, "Ego Jehovah ero illis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio illorum, & pangam illis *Fœdus pacis*, & ceſſare faciam feram malam e terra, & habitabunt in deſerto confidenter, & dormient in ſylvis," xxxiv: 24, 25. ibi manifeſte de regeneratione; David pro Domino. Apud Eundem, "David princeps iis in æternum, pangam iis *Fœdus pacis*, *Fœdus æternitatis* "erit cum illis, ponam Sanctuarium meum in medio eorum in æternum," xxxvii: 25, 26. ubi ſimiliter de regeneratione; David & Sanctuarium pro Domino. Apud Eundem, "Inii *Fœdus* tecum, & fuiſti mihi; & lavi te "aquis, & ablui ſanguines tuos deſuper te, & unxi te oleo," xvi: 8, 9, 11. ubi manifeſte pro regeneratione. Apud Hoſeam, "Pangam illis *Fœdus* "in die illo, cum fera agri, & cum ave cœlorum, & reptili terræ," ii: 18. pro regeneratione; fera agri, pro illis quæ ſunt voluntatis, avis cœlorum, quæ ſunt intellectus. Apud Davidem. "Redemptionem miſit populo ſuo, "præcepit in æternum *Fœdus* ſuum," Pſalm. cxi. 9. pro regeneratione: fœdus dicitur, quia datur & recipitur: qui vero non regenerati ſunt, ſeu quod idem eſt, qui in externis ponunt cultum, & ſemet, & quæ cupiunt & cogitant, ſicut pro diis æſtimant & colunt, ii quia ſeparant ſe a Domino, prædicatur de iis quod irritum reddant fœdus; ut apud Jeremiam, "Deſeruerunt "*Fœdus* Jehovæ Dei ſui, & incurvarunt ſe diis aliis, & ſerviverunt iis," xxii: 9. apud Moſen, "Qui tranſgrederetur *Fœdus* ſerviendo diis aliis, ſoli, lunæ, exercitui cœlorum, lapidaretur," Deut: xvii: 2 ſeq: ſol pro amore ſui, luna pro principiis falſi, excercitus cœlorum pro ipſis falſis. Exinde nunc conſtat, quid Arca fœderis, in qua Teſtimonium ſeu Fœdus, quod Ipſe Dominus: quid Liber fœderis, quod Ipſe Dominus, Exod: xxiv: 4, 5, 6, 7, 27. Deut: iv: 13, 23. quid Sanguis fœderis, quod Ipſe Dominus, Exod: xxiv: 6, 8. Qui Solus Regenerator; inde fœdus ipſa regeneratio.

667. Quod is intraret in arcam, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus, ſignificent, quod ſalvaretur, conſtat ab illis quæ prius dicta ſunt, & quæ ſequuntur, quod ſalvatus, quia regeneratus.

668. Quod filii ſint vera, & uxores ſint bona, etiam prius oſtenſum eſt ad Cap: v: 4. ubi filii & filiæ, hic autem filii & uxores, quia uxores ſunt illa bona, quæ adjuncta ſunt veris: nuſquam enim aliquid verum produci poteſt, niſi ſit bonum ſeu jucundum ex quo; in bono & jucundo eſt vita, non autem in vero niſi quam habet a bono & jucundo. Verum inde formatur & germinatur; ſimiliter fides quæ eſt veri ab Amore qui eſt boni; habet ſe Verum ſicut lux, niſi ex ſole ſeu flamma, nulla lux, eſt lux inde formata: Verum eſt modo forma boni, & fides eſt modo forma amoris; Verum inde formatur ſecundum qualitatem boni; & fides ſecundum qualitatem amoris ſeu charitatis: hæc nunc cauſa eſt, quod uxor & uxores nominentur, quæ ſignificant bona adjuncta veris; inde in ſequenti verſu, quod bina ab omnibus intrarent in arcam, maſculus & fœmina; nam abſque bonis adjunctis nulla regeneratio.

669.

669. Verſ: 19. *Et ab omni vivente, ab omni carne, paria ab omni, intrare facies in arcam ad vivificandum tecum; maſculus & fœmina erunt.* Per animam viventem ſignificantur quæ ſunt intellectus; per omnem carnem, quæ ſunt voluntatis: paria ab omni intrare facies in arcam, ſignificant regenerationem eorum: maſculus eſt verum, fæmina eſt bonum.

670. Quod per animam viventem ſignificentur quæ ſunt intellectus, & per omnem carnem quæ ſunt voluntatis, conſtare poteſt ab illis, quæ prius dicta ſunt, tum ab illis quæ ſequuntur: per animam viventem ſignificatur in Verbo omne animal in genere, quodcunque, ut Cap: 1: verſ: 20, 21, 24. Cap: 11: verſ: 19. hic autem, quia ei adjungitur immediate omnis caro, ſignificantur illa, quæ ſunt intellectus, ex cauſa de qua prius, quod homo hujus Eccleſiæ regenerandus eſſet primum quoad intellectualia, quare etiam in ſequente verſu primum nominatur Avis, quæ ſignificat intellectualia ſeu rationalia, & ſequitur de beſtiis, quæ ſunt voluntatis: Caro ſignificat in ſpecie corporeum, quod eſt voluntatis.

671. Quod paria ex omni intrare facies in arcam ad vivificandum, ſignificent regenerationem eorum, conſtare poteſt ab illis, quæ in verſu præcedente dicta, quod vera non regenerari queant niſi per bona & jucunda, ita quæ ſunt fidei non niſi quam per illa quæ ſunt charitatis; quare hic dicitur, quod paria ex omni intrarent, tam ſcilicet ex veris quæ ſunt intellectus, quam ex bonis, quæ ſunt voluntatis: apud hominem non regeneratum non datur intellectus veri aut voluntas boni, ſed modo apparent ſicut forent, etiam ita in communi ſermone vocantur; ſed apud illum dari poſſunt vera rationalia & ſcientifica, ſed non ſunt viva; dari quoque poſſunt quaſi voluntaria bona, ſed non ſunt viva, ſimilia ſicut apud gentes; imo apud bruta; ſed ſunt modo analoga: apud hominem talia nuſquam ſunt viva, priuſquam regeneratus eſt, & ſic vivificata a Domino: in altera vita manifeſtiſſime percipitur quid non vivum, & quid vivum; Verum quod non vivum percipitur illico ſicut materiale quoddam, filamentoſum, clauſum: Bonum non vivum ſicut quoddam ligneum, oſſeum, lapideum; at Verum & Bonum a Domino vivificatum, eſt apertum, vitale, plenum ſpirituali & cœleſti, patens uſque a Domino, & hoc in unaquavis idea & actione, etiam in minimo utriuſque; ideo nunc dicitur, quod paria intrarent in arcam ad vivificandum.

672. Quod maſculus ſit verum, & fœmina ſit bonum, prius dictum & oſtenſum eſt: in unoquovis minimo hominis eſt inſtar cujuſdam conjugii; quicquid eſt intellectus ita copulatum eſt alicui ejus voluntatis; abſque copula ſeu conjugio tali ne hilum producitur.

673. Verſ: 20. *Ab ave ſecundum ſpeciem ejus, & a beſtia ſecundum ſpeciem ejus, ab omni reptili humi ſecundum ſpeciem ejus, paria ab omnibus intrabunt ad te, ad vivificandum.* Avis ſignificat intellectualia; beſtia voluntaria; reptile humi utrumque ſed infimum: bina ab omnibus intrabunt ad vivificandum, ſignificant, ut prius, regenerationem eorum.

674. Quod Avis ſignificet intellectualia ſeu rationalia prius oſtenſum eſt, n: 40.

n: 40. tum quod Beſtia ſignificet voluntaria ſeu affectiones, n: 45, 46, 143, 144, 246. Quod Reptile humi ſignificet utrumque ſed infimum, cuivis patere poteſt ex eo, quod repens humi ſit infimum. Quod paria ab omnibus intrabunt ad vivificandum ſignificet regenerationem eorum, verſu præcedente dictum.

675. Quod dicatur avis ſecundum ſpeciem ſuam, beſtia ſecundum ſpeciem ſuam, & reptile ſecundum ſpeciem ſuam, ſciendum, quod apud unumquemvis hominem, intellectualium & voluntariorum dentur innumera genera, & innumerabiliores adhuc ſpecies, quæ inter ſe diſtinctiſſima ſunt, tametſi homo hoc neſcit; ſed in regeneratione hominis depromit Dominus omnia & ſingula ſuo ordine, ea ſeparat & diſponit, ut ad vera & bona poſſint flecti, & cum illis conjungi; & hoc cum varietate ſecundum ſtatus, qui quoque innumerabiles ſunt: omnia illa uſque nuſquam in æternum perfici poſſunt, quippe unumquodvis genus, unaquævis ſpecies, & unuſquiſque ſtatus, indefinita comprehendit, in ſimplici, & magis in compoſito; homo ne quidem ſcit, quod hoc ſit, minus ſcire poteſt, quomodo regeneratur; hoc eſt quod Dominus dicit ad Nicodemum de regeneratione hominis, "Spiritus, ubi vult "ſpirat, & vocem ejus audis, atqui non ſcis unde venit, aut quo abit, ſic "eſt omnis qui generatus eſt a ſpiritu," Joh: III: 8.

676. Verſ: 21. *Et tu ſume tibi ab omni cibo, qui comeditur; & collige ad te, & erit tibi & illis in cibum.* Quod ſumeret ſibi ab omni cibo, qui comeditur, ſignificat bona & jucunda: quod colligeret ad ſe, ſignificat vera: quod eſſet ei & illis in cibum, ſignificat utrumque.

677. Quod cibum hominis regenerandi concernit, ita ſe res habet; antequam regenerari poteſt homo, inſtructus debet eſſe omnibus illis, quæ pro mediis inſervire poſſunt, bonis & jucundis affectionum pro voluntariis; veris ex Verbo Domini, & confirmantibus quoque aliunde pro intellectualibus; antequam homo talibus inſtructus eſt, non regenerari poteſt; ſunt illa cibi; quæ cauſa eſt, quod homo, non niſi quam cum ad adultam ætatem venit, regeneretur: ſed unicuique homini peculiares, & quaſi proprii cibi ſunt, qui a Domino providentur ei, antequam regeneratur.

678. Quod ſumeret ſibi ab omni cibo, qui comeditur, ſignificet bona & jucunda, conſtare poteſt ab illis, quæ dicta ſunt, quod vitam hominis conſtituant bona & jucunda, non ita vera, nam vera vitam ſuam accipiunt a bonis & jucundis: omne ſcientificum & rationale hominis ab infantia uſque ad ſenectam, nuſquam inſinuatur ei niſi per bonum & jucundum; quæ, quia ex illis anima ejus vixit & ſuſtentatur, vocantur cibi, & ſunt cibi, nam abſque illis anima hominis nuſquam vivere poteſt; quod quiſque ſcire poteſt, ſi modo velit attendere.

679. Quod colligeret ad ſe, ſignificent vera, conſtat inde, nam de illis prædicatur colligere, quæ in memoria hominis, ubi collecta ſunt: & præterea involvit, quod illa & hæc, ſeu bona & vera, colligerentur apud hominem, antequam regeneratur; abſque enim bonis & veris collectis, per

quæ ut per media, operetur Dominus, nuſquam poteſt homo regenerari, ut dictum; inde nunc ſequitur, quod eſſet ei & illis in cibum, ſignificet utrumque.

680. Quod bona & vera, ſint genuini cibi hominis, conſtare unicuivis poteſt, qui enim deſtituitur illis, non vitam habet, ſed eſt mortuus; cibi quibus anima ejus paſcitur, cum mortuus, ſunt jucunda ex malis, & amæna ex falſis, quæ ſunt cibi mortis, tum ex rebus corporeis, mundanis & naturalibus, quæ nihil vitæ in ſe habent; & præterea talis homo nec ſcit, quid cibus ſpiritualis & cœleſtis, in tantum, ut quoties nominatur cibus aut panis in Verbo, putet ſignificari cibum corporeum, ſicut in Oratione Domini, "Da nobis panem quotidianum," putat ſolum eſſe victum corporis, & qui ulterius extendunt ideas, ajunt quoque eſſe cætera corporis neceſſaria, ut veſtes, opes, & ſimilia; imo diſputant acriter quod non alius cibus intelligatur; cum tamen manifeſte vident, quod præcedentia & ſequentia ſolum cœleſtia & ſpiritualia involvant, & de Regno Domini agatur; tum ſcire poſſunt, quod Verbum Domini cœleſte & ſpirituale ſit; inde & ex ſimilibus aliis conſtare ſatis poteſt, quantum homo hodie corporeus eſt, & quod nihil non, ſicut Judæi, quod in Verbo dicitur, in ſenſu materiali & craſſiſſimo velit capere: Ipſe Dominus clare docet, quid in Ipſius Verbo ſignificatur per Cibum & Panem; de Cibo ita apud Johannem, "Jeſus dixit, operamini *Cibum*, non qui perit, ſed *Cibum* qui manet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dat," VI: 27. de Pane, apud Eundem, "Patres veſtri comederunt "Man in deſerto, & mortui ſunt; hic eſt *Panis*, qui e cœlo deſcendit, ut quis "ex illo *comedat*, & non moriatur: Ego ſum *Panis* vivens, Qui e cœlo deſcendit, ſi quis comederit ex hoc *Pane*, vivet in æternum," VI: 49, 50, 51, 58. ſed ſunt hodie, ſicut qui audiverunt hoc, dicentes, "Durus eſt hic "ſermo, quis poteſt audire: & qui abiverunt retro, & non amplius ambulabant cum Ipſo," ib: verſ: 60, 66. quibus Dominus dixit, "Verba, "quæ Ego loquor vobis, ſpiritus ſunt, & vita ſunt," ib: verſ: 63. Similiter ſe habet de Aqua, quod ſignificet ſpiritualia fidei, de qua ita Dominus apud Johannem, "Jeſus dixit, omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum; "qui vero biberit ex aqua, quam Ego dabo ei, non ſitiet in æternum; ſed aqua, quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam," IV: 13, 14, ſed ſunt hodie, ſicut mulier, cum qua Dominus apud fontem loquutus, quæ reſpondit, "Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, "neque veniam huc ad hauriendum," ib: verſ: 15. Quod Cibus in Verbo nihil aliud ſignificet, quam cibum ſpiritualem & cœleſtem, qui eſt fides in Dominum, & Amor, conſtat a multis in Verbo locis, ut apud Jeremiam, "Manum ſuam extendit hoſtis ſuper omnia deſiderabilia Hieroſolymæ, quia "vidit gentes, venerunt in Sanctuarium ejus, de quo præcepiſti, non venient in congregationem tibi; omnis populus gementes, quærentes *Panem*, "dederunt deſiderabilia ſua pro *Cibo* ad recreandum animam," Thren: I: 10, 11. ubi non alius panis & cibus intelligitur, quam ſpiritualis, nam de

ſanctuario

ſanctuario agitur. Apud Eundem, "Clamavi ad amaſios meos, ii decepe-"runt me; ſacerdotes mei & ſeniores mei in urbe exſpirarunt, qui quæſive-"runt *Cibum* ſibi, & reducerent animam ſuam," Thren: I: 19, ſimiliter: Apud Davidem, "Omnia illa Te exſpectant, ad dandum *Cibum* eorum in "tempore ſuo, das illis, *colligunt*, aperis manum tuam, *ſaturantur bono*," Pſalm: CIV: 27, 28. ſimiliter pro cibo ſpirituali & cœleſti. Apud Eſaiam, "Omnis ſitiens, ite ad *aquas*, & cui non argentum, ite, emite, & *comedite*; "& ite, emite ſine argento, & ſine pretio, *vinum* & *lac*," LV: I. ubi vinum & lac pro potu ſpirituali & cœleſti. Apud Eundem, "Virgo concipiens, "& pariens filium, & vocabis nomen ejus Immanuel, *butyrum & mel comedet*, ad ſciendum reprobare malum, & eligere *bonum*: erit, præ multi-"tudine faciendi *lac comedent butyrum*, nam butyrum & mel comedet omnis "*reſiduus* in medio terræ," VII: 14, 15, 22. ibi comedere mel & butyrum eſt cœleſte ſpirituale; reſidui pro reliquiis; de quibus quoque Malachias, "Adducite omnes decimas ad domum theſauri, ut ſit *Cibus* in domo mea," III: 10. decimæ pro reliquiis: de cibi ſignificatione videantur plura, n: 56 ad 58, n: 276.

681. Quid Cibus cœleſtis & ſpiritualis, ſciri quam optime poteſt in altera vita; vita angelorum & ſpirituum non ſuſtentatur aliquo cibo, quali in mundo, ſed ex unoquovis Verbo, quod exit ex ore Domini, ſicut Ipſe Dominus docet, Matth: IV: 4, hoc ita ſe habet, Dominus Solus eſt vita omnium, ex Ipſo veniunt omnia & ſingula, quæ Angeli & ſpiritus cogitant, loquuntur & faciunt, non ſolum quæ Angeli, & Spiritus boni, ſed etiam quæ Spiritus mali; quod mala loquantur & faciant, eſt cauſa, quia omnia bona & vera, quæ ſunt Domini, ita recipiant & pervertant; qualis forma recipientis, talis receptio & affectio; comparari hoc poteſt objectis variis, quæ ſolis lucem recipiunt, & ſecundum formam, & partium diſpoſitionem & determinationem vertunt receptam lucem in colores injucundos & tetros, cum alia objecta in colores jucundos & pulchros: ita univerſum Cœlum, & univerſus mundus ſpirituum vivit ex omni, quod egreditur ex ore Domini; & quiſque ſuam vitam inde habet; imo non ſolum Cœlum & Mundus ſpirituum, ſed etiam univerſum genus humanum; ſcio quod non crediturí ſint, ſed uſque ex annorum continua experienta aſſeverare poſſum, quod veriſſimum: ſpiritus mali in mundo ſpirituum, nec credere volunt, quod ita ſit, quare iis pluries ad vivum demonſtratum eſt, uſque adeo, ut cum indignatione faſſi ſint, quod ita ſe res habeat: ſi Angeli, ſpiritus, & homines, hoc cibo privarentur, momento exſpirarent.

682. Verſ: 22. *Et fecit Noach ſecundum omne, quod præcepit ei Deus, ita fecit.* Quod fecit Noach ſecundum omne quod præcepit ei Deus, ſignificat quod ita factum; quod bis dicatur fecit, involvit utrumque.

683. Quod bis dicatur, fecit, involvat utrumque; ſciendum, quod in Verbo, cumprimis apud Prophetas, una res dupliciter deſcribatur, ſicut apud Eſaiam, "Tranſivit pace, viam pedibus ſuis non ivit: quis operatus eſt & "fecit," XLI: 3, 4. ubi tamen unum ſpectat bonum, alterum autem verum,

ſeu unum quæ voluntatis, alterum quæ intellectus; ita tranſire pace involvit quæ voluntatis, viam pedibus non ire, quæ intellectus; ſimiliter operari & facere: ita conjunguntur in Verbo illa quæ ſunt voluntatis & intellectus, ſeu quæ ſunt amoris & fidei, ſeu, quod idem, cœleſtia & ſpiritualia, ut in ſingulis ſit inſtar conjugii, ſeque referant ad Conjugium cœleſte: hic ſimiliter, quod vox una repetatur.

De Societatibus, quæ Cœlum conſtituunt.

684. *SUNT tres Cæli, Primum ubi Spiritus boni; Secundum ubi Spiritus Angelici, Tertium ubi Angeli; & unum interius & purius altero; ita inter ſe diſtinctiſſimi: tam Primum Cælum, quam Secundum, & Tertium, diſtinctum eſt in innumerabiles Societates, & unaquævis Societas ex pluribus conſiſtit, qui ex harmonia & unanimitate conſtituunt ſicut unam perſonam; & omnes ſocietates ſimul ſicut unum Hominem. Societates inter ſe diſtinctæ ſunt ſecundum differentias amoris mutui & fidei in Dominum; quæ differentiæ tam innumerabiles ſunt, ut ne quidem genera univerſaliſſima recenſeri queant: nec datur minimum differentiæ, quod non ordinatiſſime diſpoſitum ſit, ut unaniſſime conſpiret ad commune unum, & commune unum ad ſingulorum unanimum, & inde ad omnium ex ſingulis, & ſingulorum ab omnibus felicitatem: inde unuſquiſque Angelus, & unaquævis Societas eſt univerſi Cæli imago, & ſicut exiguum cælum.*

685. *Conſociationes mirabiles ſunt in altera vita, ſe habent comparative ſicut affinitates in terris, nempe quod agnoſcantur ſicut parentes, ſicut liberi, ſicut fratres, ſicut conſanguinei, ſicut affines; ſecundum tales differentias eſt Amor; differentiæ ſunt indefinitæ, perceptiones communicativæ ita exquiſitæ, ut non deſcribi poſſint; nullo prorſus reſpectu habito ad parentes, liberos, conſanguineos & affines in terra, nec ad aliquam perſonam, qualiſcunque fuit, ita non ad dignitates, non ad divitias, & ſimilia, ſed ſolum ad Amoris mutui & Fidei differentias, quarum recipiendarum facultatem acceperunt a Domino cum vixerunt in mundo.*

686. *Eſt Domini Miſericordia, hoc eſt, Amor erga univerſum Cælum, ac univerſum Genus humanum, ita Solus Dominus, Qui determinat omnia & ſingula in ſocietates; quæ Miſericordia eſt, quæ producit Amorem con-*

conjugialem, & inde Amorem parentum erga liberos, qui fundamentales & principales ſunt; inde ſunt omnes, & reliqui amores, cum indefinita varietate, qui in ſocietates diſtinctiſſime ordinati ſunt.

687. *Quia tale eſt Cœlum, nuſquam aliquis Angelus aut ſpiritus, aliquam vitam habere poteſt, niſi ſit in aliqua ſocietate, & ſic in harmonia plurium, ſocietas non eſt niſi harmonia plurium; nam nuſquam datur vita alicujus diſſociata a vita aliorum: imo nuſquam angelus, aut ſpiritus, aut ſocietas, vitam aliquam habere poteſt, hoc eſt, affici bono, velle, affici vero, cogitare, niſi conjunctio ejus per plures ſuæ ſocietatis ſit cum Cœlo, & cum Mundo ſpirituum: ſimiliter Genus humanum, homo quicunque & qualiſcunque, nuſquam vivere poteſt, hoc eſt, affici bono, velle, affici vero, cogitare, niſi ſimiliter conjunctus ſit cum Cœlo per Angelos apud eum, & cum Mundo ſpirituum, imo cum inferno per ſpiritus apud eum, nam quiſque cum vivit in corpore in quadam ſocietate ſpirituum & angelorum eſt, tametſi is id prorſus neſcit; & niſi per ſocietatem, in qua eſt, conjunctus ſit cum Cœlo & cum Mundo ſpirituum, ne minutum temporis vivere poteſt: ſe habet hoc ſicut in corpore humano, quæ pars ejus non conjuncta eſt reliquis per fibras & vaſa, & ſic per officiorum rationes, non eſt pars corporis, ſed illico diſſociatur, & ut nullius vitæ rejicitur. Ipſæ Societates, in quibus & cum quibus homines fuerunt in vita corporis, iis oſtenſæ ſunt, cum venerunt in alteram vitam; cum in illam ſocietatem poſt vitam corporis, veniunt, in ipſiſſimam ſuam vitam, quam habuerunt in corpore, veniunt, & ab illa vita novam exordiuntur, & ſic ſecundum vitam ſuam, quam egerunt in corpore, vel deſcendunt ad infernum, vel elevantur ad cœlum.*

688. *Quia talis conjunctio eſt omnium cum ſingulis, & ſingulorum cum omnibus, etiam ſingulariſſimorum affectionis, & ſingulariſſimorum cogitationis, ſimilis eſt.*

689. *Inde Æquilibrium eſt omnium & ſingulorum quoad cœleſtia, ſpiritualia & naturalia, ut nullus cogitare, ſentire, & agere poſſit niſi a pluribus, & uſque unuſquiſque autumat, quod liberrime a ſe: ſimiliter nihil uſquam datur quod non æquilibratur a ſuo oppoſito, & oppoſiti intermediis, ſic ut unuſquiſque per ſe, & plures ſimul, vivant in perfectiſſimo æquilibrio: quare nec alicui malum accidere poteſt, quin illico æquilibretur; & quando ſuprapondium eſt mali, tunc caſtigatur malum ſeu malus ex lege æquilibrii, ut a ſemet, ſed nuſquam niſi ob finem, ut inde bonum. In tali forma, & inde æquilibrio, conſiſtit ordo cœleſtis, qui a Solo Domino formatur, diſponitur, & conſervatur in æternum.*

690.

690. *Præterea ſciendum, quod nuſquam ſit una ſocietas prorſus & abſolute ſimilis alteri, nec in ſocietate unus alteri, ſed eſt varietas omnium conſentiens & harmonica, quæ varietates a Domino ita ordinatæ ſunt, ut ad unum finem tendant, quod fit per amorem & fidem in Ipſum, inde Unio. Inde nuſquam datur uni prorſus & abſolute ſimile Cælum & gaudium cæleſte, ac alteri, ſed ſicut ſe habent varietates amoris & fidei, ita quoque in illis cælum & gaudium.*

691. *Hæc in genere de ſocietatibus, ex multiplici & diutina experientia, de quibus in ſpecie, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.*

GENESEOS,

CAPUT SEPTIMUM.

De Inferno.

692. *HOmo, ſicut de Cælo, ita de Inferno, non habet ideam niſi communiſſimam, quæ ita obſcura eſt, ut ſit pæne nulla; ſicut qui non extra ſuas caſas ſylvæ fuerunt, ideam habere de tellure poſſint, & non ſciunt imperia, nec regna, minus regiminis formas, & adhuc minus ſocietates, & ſocietatum vitas, antequam hæc ſciunt, non poſſunt quam in communiſſima idea de tellure eſſe, quæ talis eſt, ut fere nulla; ita de Cælo & de Inferno; cum tamen utrobivis innumerabilia ſunt, & indefinite plura, quam in aliquo terrarum orbe: quam innumerabilia ſunt, exinde ſolum conſtare poteſt, quod ſicut nuſquam aliquis ſimile Cælum habet, ita nec uſquam aliquis ſimile Infernum: & quod omnes animæ, quæcunque in mundo fuerunt a prima creatione, illuc veniant & congregentur.*

693. *Sicut Amor in Dominum, & erga proximum, ac gaudium & felicitas inde, conſtituit Cælum; ita Odium contra Dominum, & contra proximum, ac pœna & cruciatus inde, conſtituit Infernum: Odiorum ſunt innumerabilia genera, & innumerabiliores ſpecies, totidem ſunt inferna.*

694. *Sicut Cælum a Domino, per amorem mutuum, unum quaſi Hominem, & unam Animam conſtituit, ac ita unum finem ſpectat, qui eſt, ad conſervandum & ſalvandum omnes in æternum; ita contra, Infernum a Proprio, per amorem ſui & mundi, hoc eſt, per odium, unum diabolum, & unum animum, conſtituit, ac ita unum finem ſpectat, qui eſt ad perdendum & damnandum omnes in æternum; conatus eorum, quod talis, millies & millies perceptus; quare niſi Dominus, ſingulis momentis, etiam omnium minimis, conſervaret omnes, perirent.*

695. *Sed Infernis talis forma, & talis ordo, a Domino inducitur, ut omnes teneantur vincti & alligati ſuis cupiditatibus & phantaſiis, in quibus ipſamet eorum vita conſiſtit; quæ vita, quia eſt mortis, in diros cruciatus vertitur; qui cruciatus tanti ſunt, ut deſcribi nequeant;*

nam

nam jucundiſſimum eorum vitæ conſiſtit in eo, ut punire, torquere, & cruciare unus alterum poſſit; imo per artes in mundo ignotiſſimas, quibus ſciunt inducere ſenſus exquiſitos, prorſus ſicut forent in corpore, tum phantaſias diras & horrendas, præter terrores & horrores, & plura ſimilia; diabolica turba tantum voluptatis in eo percipiunt, ut ſi in infinitum poſſent dolores & cruciatus augere & intendere, ne tunc quidem acquieſcerent, quin flagrarent adhuc in infinitum; ſed Dominus aufert eorum conatus, & lenit cruciatus.

696. *Tale eſt æquilibrium omnium & ſingulorum in altera vita, ut ipſum malum ſe puniat, ſic ut in malo ſit pæna mali; ſimiliter in falſo, quod redit ad illum, qui in falſo eſt; inde pænam & cruciatum ſibi unuſquiſque inducit, & incurrit tunc in turbam diabolicam, quæ tale patrat. Dominus nuſquam aliquem in Infernum mittit, ſed omnes ab Inferno educere vult; minus in cruciatum inducit; ſed quia ſpiritus malus ipſe irruit, vertit Dominus omnem pænam & cruciatum in bonum, & in aliquem uſum; nulla uſquam pæna dari poteſt, niſi ſit apud Dominum finis uſus, nam Regnum Domini eſt Regnum finium & uſuum; ſed uſum, quem præſtare poſſunt infernales, ſunt viliſſimi, in quibus cum ſunt, non ita ſunt in cruciatu, ſed ceſſante uſu, in infernum remittuntur.*

697. *Apud unumquemvis hominem ſunt ad minimum duo Spiritus mali, & duo Angeli; homo per Spiritus malos communicationem habet cum Inferno, & per Angelos cum Cælo; abſque communicatione utrinque homo nequaquam minutum temporis vivere poteſt; ita unuſquiſque homo in aliqua ſocietate infernalium eſt, quod prorſus neſcit, ſed cruciatus eorum ei non communicantur, quia in præparatione ad vitam æternam eſt; ſocietas illa, in qua fuit, ei in altera vita quandoque oſtenditur, nam ad illam redit, & ſic in vitam, quam habuit in mundo, & inde vel ad infernum tendit, vel ad cælum elevatur: ita homo, qui non in bono charitatis vivit, & ſe non duci a Domino patitur, unus infernalium eſt, & poſt mortem fit quoque diabolus.*

698. *Præter Inferna, ſunt etiam Vaſtationes, de quibus multum in Verbo; homo enim trahit ſecum in alteram vitam, ex actualibus peccatis, innumera mala & falſa, coacervat illa, & copulat: qui probe vixerunt, ſimiliter; hi antequam in cælum poſſunt elevari, eorum mala & falſa diſſipanda ſunt, hæc diſſipatio vocatur Vaſtatio; vaſtationum genera ſunt plura, & vaſtationis tempora majora & minora; quidam*

intra

intra breviuſculum tempus auferuntur in cælum, quidam ſtatim poſt mortem.

699. *Ut viderem cruciatum eorum, qui in Inferno, tum Vaſtationem eorum qui in Terra inferiore, aliquoties illuc demiſſus (demitti in infernum non eſt transferri e loco in locum, ſed eſt immiſſio in aliquam infernalem ſocietatem; manente homine in eodem loco), ſed hanc ſolum experientiam hic licet referre: percipiebam manifeſte, quod quaſi columna quædam me circumdaret; columna illa ſenſibiliter augebatur; & inſinuabatur quod hæc eſſet murus aheneus, de quo in Verbo, ex ſpiritibus angelicis formatus, ut tutus demitti poſſem ad infelices; cum ibi eram, audiebam lamentationes miſerabiles, & quidem has, ah Deus, ah Deus, miſereatur noſtri, miſereatur noſtri, & hoc diu; concedebatur etiam cum miſeris illis loqui, & ſatis multum; imprimis conqueſti ſunt de malis ſpiritibus, quod non aliud cuperent & flagrarent, quam eos cruciare, in deſperatione erant, dicentes quod crederent æternum fore cruciatum, ſed eos conſolari datum.*

700. *Quia totidem Inferna ſunt, ut dictum, ut de iis ordine dicatur, in ſequentibus dicendum.* I. *De Infernis eorum, qui vitam in odiis, vindictis, & crudelitate, tranſegerunt.* II. *De Infernis eorum, qui in adulteriis & laſciviis; tum de Infernis doloſorum, & præſtigiatricium.* III. *De Infernis avarorum; & ibi de ſpurca Hieroſolyma, & latronibus in deſerto: tum de Infernis excrementitiis eorum, qui in meris voluptatibus vixerunt.* IV. *Poſtea de Infernis aliis, quæ ab illis diſtincta ſunt.* V. *Demum de illis qui in vaſtatione ſunt. Hæc videantur in præmiſſis & finibus Capitum ſequentium.*

CAPUT VII.

1. ET dixit JEHOVAH Noacho, intra tu & omnis domus tua in arcam, quia te vidi juſtum coram Me in generatione hac.

2. De omni beſtia munda accipias tibi ſeptena ſeptena, virum & uxorem ejus, & de beſtia quæ non munda illa, bina, virum & uxorem ejus.

3. Etiam

3. Etiam de ave cœlorum ſeptena ſeptena, maſculum & fæminam; ad vivificandum ſemen ſuper faciebus totius terræ.

4. Quia ad dies adhuc ſeptem, Ego pluere faciens ſuper terram, quadraginta dies & quadraginta noctes, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, a ſuper faciebus humi.

5. Et fecit Noach ſecundum omne, quod præcepit ei Jehovah.

* * * * * *

6. Et Noach filius ſexcentorum annorum, & diluvium factum aquarum ſuper terra.

7. Et intravit Noach, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus, cum illo, in arcam, a coram aquis diluvii.

8. De beſtia munda, & de beſtia quæ non ea munda, & de avi, & omni quod repit ſuper humo.

9. Bina bina intrarunt ad Noachum in arcam, maſculus & fæmina, quemadmodum præceperat Deus Noacho.

10. Et erat ad ſeptem dies, & aquæ diluvii erant ſuper terra.

* *

11. In anno ſexcenteſimo anni vitæ Noachi, in menſe ſecundo, in ſeptimo decimo die menſis, in die hoc diſrupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ.

12. Et fuit imber ſuper terra, quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

* * * * * *

13. In ipſo die hoc intravit Noach, & Schem, & Cham & Japheth, filii Noachi, & uxor Noachi, & tres uxores filiorum ejus, cum illis, in arcam.

14. Illi, & omnis fera ſecundum ſpeciem ſuam; & omnis beſtia ſecundum ſpeciem ſuam; & omne reptile repens ſuper terra ſecundum ſpeciem ſuam; & omnis avis ſecundum ſpeciem ſuam, omnis volucris, omne alatum.

15. Et intrarunt ad Noachum in arcam, bina bina de omni carne, in qua ſpiritus vitarum.

16. Et

16. Et intrantes, maſculus & fœmina, de omni carne, intrarunt, quemadmodum præceperat illi Deus; & clauſit Jehovah poſt illum.

17. Et fuit diluvium quadraginta dies ſuper rerra, & creverunt aquæ, & ſuſtulerunt arcam, & elevata eſt deſuper terra.

18. Et corroboratæ aquæ, & auctæ valde ſuper terra, & ivit arca ſuper faciebus aquarum.

* * * * * *

19. Et aquæ corroboratæ valde valde ſuper terra, & operti ſunt omnes montes alti, qui ſub toto cœlo.

20. Quindecim cubitis ſurſum ſuperarunt aquæ, & operuerunt montes.

21. Et exſpiravit omnis caro, repens ſuper terra, quoad avem, & quoad beſtiam, & quoad feram, & quoad omne reptile reptans ſuper terra; & omnis homo.

22. Omne, cui flatus ſpiritus vitarum in naribus ejus, ab omni, quod in arida, mortua ſunt.

23. Et delevit omnem ſubſtantiam, quæ ſuper faciebus humi, ab homine uſque ad beſtiam, uſque ad reptile, & uſque ad avem cœlorum, & deleta ſunt e terra; & relictus tantum Noach, & quod cum illo, in arca.

24. Et corroboratæ ſunt aquæ ſuper terra, quinquaginta & centum dies.

CONTENTA.

701. HIC in genere agitur de præparatione Novæ Eccleſiæ; ſicut prius quoad ejus intellectualia, ita hic quoad ejus voluntaria, a verſ: 1 ad 5.

702. Dein agitur de ejus tentationibus, quæ deſcribuntur quoad ejus intellectualia a verſ: 6 ad 10; & quoad voluntaria, verſ: 11, 12.

703. Poſtea

703. Poſtea de protectione iſtius Eccleſiæ, & conſervatione, a verſ: 13 ad 15. ſed qualis ejus ſtatus fuerit, quod fluctuans, deſcribitur, verſ: 16, 17, 18.

704. Demum agitur de ultima poſteritate Eccleſiæ Antiquiſſimæ, qualis fuit, quod poſſeſſa a perſuaſionibus falſi, & cupiditatibus amoris ſui, adeo, ut perierit, a verſ: 19 ad 24.

SENSUS INTERNUS.

705. HIC agitur in ſpecie de Diluvio, per quod ſignificantur non ſolum Tentationes, quas homo Eccleſiæ, quæ Noachus vocatur, ſuſtinere debuit, antequam regenerari potuit; ſed etiam per Diluvium ſignificatur deſolatio eorum, qui non potuerunt regenerari: tam Tentationes, quam Deſolationes, in Verbo comparantur diluviis ſeu inundationibus aquarum, ac ita vocantur: pro *Tentationibus*, apud Eſaiam, "In momento parvo reliqui "te, & in miſerationibus magnis recolligam te, in *inundatione* iræ abſcondi "facies meas momento a te, ſed in miſericordia æternitatis miſerebor tui, "dixit Redemptor tuus Jehovah, nam *Aquæ Noachi* hoc Mihi, cui juravi "non tranſituras *Aquas Noachi* amplius ſuper terram; ſic juravi non ſuccen-"ſurum tibi, & increpaturum te; afflicta & procellis jactata, nec conſola-"tionem nacta," LIV: 7, 8, 9, 11. hic de regeneranda Eccleſia, & de Tentationibus, quæ vocantur aquæ Noachi. Ipſe Dominus etiam tentationes appellat Inundationem, apud Lucam, "Jeſus dixit, omnis qui venit ad Me, "& audit ſermones meos, facitque eos, ſimilis eſt homini ædificanti domum, "qui fodit, & in profundum penetrat, poſuitque fundamentum ſuper pe-"tra, unde *Inundatione* facta, illiſum flumen domui iſti, ſed non valuit dimo-"vere eam, quoniam fundata erat ſuper petra," VI: 47, 48. quod hic per Inundationem intelligantur Tentationes, unicuivis conſtare poteſt. Pro *Deſolationibus*, apud Eſaiam, "Dominus aſcendere faciens ſuper eos *Aquas fluminis* "*validas & multas*, Regem Aſchuris, & omnem gloriam ejus, & aſcendit "ſuper omnes rivos ejus, & ibit ſuper omnes ripas ejus, & ibit per Jehu-"dam, *Inundabit* & tranſibit, uſque ad collum pertinget," VIII: 7, 8. ubi Rex Aſchuris pro phantaſiis, principiis falſi, & ratiociniis inde, quæ deſolant hominem, & deſolarunt Antediluvianos. Apud Jeremiam, "Sic dixit Je-"hovah, ecce *Aquæ* aſcendentes a ſeptentrione, & erunt in *Flumen Inundans*, "& *Inundabunt* terram, & plenitudinem ejus, urbem & habitantes in ea," XLVII: 2, 3. ubi de Philiſtæis, per quos repræſentantur illi, qui principia falſa capiunt, & inde ratiocinantur de ſpiritualibus, quæ inundant hominem, ſicut antediluvianos. Quod tam Tentationes, quam Deſolationes in Verbo

 com-

comparentur diluviis ſeu inundationibus aquarum, & ita vocentur, cauſa eſt, quia ſimiliter ſe habent; ſunt mali ſpiritus, qui influunt cum ſuis perſuaſionibus & principiis falſi, in quibus ſunt, & excitant ſimilia apud hominem; ſed apud hominem qui regeneratur, ſunt Tentationes, apud hominem qui non regeneratur, ſunt Deſolationes.

706. Verſ: 1. *Et dixit Jehovah Noacho, intra tu & omnis domus tua in Arcam, quia te vidi juſtum coram Me in generatione hac.* Quod dixit Jehovah ad Noachum, ſignificat quod ita factum; Jehovah dicitur, quia nunc agitur de charitate: intra tu & omnis domus in arcam, ſignificat illa quæ ſunt voluntatis, quæ eſt domus; intrare in arcam, hic eſt præparari: quia te vidi juſtum in generatione hac, ſignificat bonum habere, per quod regenerari poſſet.

707. Hic uſque ad verſum quintum, fere eadem ſunt, quæ in Capite priori dicta, aliquantum modo mutata; ſimiliter in ſequentibus; qui non novit ſenſum internum Verbi, nuſquam aliter opinari poteſt, quam quod modo repetitio ſit ejuſdem rei; ſimilia occurrunt alibi in Verbo, cumprimis apud Prophetas, ubi eadem res aliis & aliis vocibus exprimitur; & quandoque etiam reaſſumitur, & iterum deſcribitur: ſed cauſa eſt, ut prius dictum, quod binæ facultates apud hominem ſint, inter ſe diſtinctiſſimæ, intellectus & voluntas, & quod diſtincte in Verbo de utroque agatur; hæc cauſa repetitionum: quod hic ſimiliter, conſtabit ab illis, quæ ſequuntur.

708. Quod dixit Jehovah ad Noachum, ſignificet quod ita factum, conſtat ex eo, quod apud Jehovam non ſit niſi quam Eſſe, quod dicit fit, & eſt factum; ſimiliter ac Capite præc: verſ: 13, & alibi, ubi dicere Jehovæ eſt fieri & factum.

709. Jehovah dicitur, quia nunc agitur de Charitate: in præcedente Capite a verſ: 9 ad fin: non dicitur *Jehovah*, ſed *Deus*, ex cauſa, quod ibi agatur de præparatione Noachi, ſeu hominis Eccleſiæ quæ Noachus vocatur, quoad ejus Intellectualia quæ ſunt fidei, hic autem de præparatione ejus quoad Voluntaria, quæ ſunt amoris; cum de Intellectualibus ſeu veris fidei, dicitur Deus, cum de Voluntariis ſeu bonis amoris dicitur Jehovah; Intellectualia enim, ſeu quæ ſunt fidei, non conſtituunt Eccleſiam, ſed voluntaria quæ ſunt Amoris; Jehovah in amore & charitate eſt, non autem in fide, niſi ſit fides amoris ſeu charitatis; quare etiam in Verbo fides comparatur nocti, ſed amor diei, ſicut in Primo Capite Geneſeos, ubi de Luminaribus magnis actum, quod Luminare Magnum ſeu ſol, qui ſignificat amorem, dominetur die, & Luminare minus ſeu luna, quæ ſignificat fidem, quod dominetur nocte, Gen: I: 14, 16. ſimiliter apud Prophetas; Jerem: XXXI: 35. Cap: XXXIII: 20. Pſalm: CXXXVI: 9. tum Apoc: VIII: 12.

710. Intra tu & omnis domus in arcam, quod ſignificet illa, quæ ſunt voluntatis, conſtat inde; in Cap: præc: ubi de Intellectualibus, aliter, nempe, "Intrabis in arcam, tu & filii tui & uxor tua, & uxores filiorum tuorum, "tecum," verſ: 18. quod Domus ſignificet Voluntatem, & quæ voluntatis, conſtat paſſim ex Verbo, ut apud Jeremiam, "Transferentur *Domus* eorum

ad

" ad alios, agri & uxores ſimul," VI: 12. ubi tam domus, quam agri & uxores " ſe referunt ad illa, quæ ſunt voluntatis. Apud Eundem, " Ædificate *Do-* " *mos*, & inhabitate; & plantate hortos & commedite fructus eorum," XXIX: 5. 28. ubi domos ædificare & inhabitare ſunt voluntatis, hortos plantare ſunt intellectus: ſimiliter alibi: & multoties Domus Jehovæ, pro Eccleſia, ubi amor eſt principale: Domus Jehudæ pro Eccleſia Cœleſti; Domus Iſraelis pro Eccleſia Spirituali, quia Domus eſt Eccleſia, inde Mens hominis Eccleſiæ, in qua voluntaria & intellectualia ſunt, ſeu quæ charitatis & fidei, eſt Domus.

711. Quod intrare in arcam, ſit præparari, prius Cap: præc: ad verſ: 18, dictum; ſed ibi ſignificatum, quod præparatus quoad intellectualia, quæ ſunt vera fidei, hic quoad voluntaria, quæ ſunt bona charitatis, ut ſalvaretur. Homo, niſi præparatus, hoc eſt inſtructus veris & bonis, nuſquam poteſt regenerari, minus ſubire tentationes; nam mali ſpiritus, qui tunc apud eum, excitant ejus falſa & mala, niſi adſint vera & bona, ad quæ flectantur a Domino, & per quæ diſcutiantur, ſuccumbit: vera & bona ſunt Reliquiæ, quæ ad tales uſus a Domino reſervantur.

712. Quia te vidi juſtum in generatione hac, quod ſignificet bonum habere, per quod regenerari poſſet, Cap: præc: ad verſ: 9 dictum & oſtenſum eſt, ibi juſtus ſignificat bonum charitatis, & integer verum charitatis: ibi generationes, quia de Intellectualibus; hic generatio, quia de Voluntariis; voluntas enim comprehendit in ſe intellectualia, non intellectus voluntaria.

713. Verſ: 2. *De omni beſtia munda accipias tibi ſeptena, ſeptena, virum & uxorem ejus, & de beſtia, quæ non munda illa, bina, virum & uxorem ejus.* Per omnem beſtiam mundam ſignificantur affectiones boni: per ſeptena, quod ſancta ſint: per virum & uxorem ſignificatur, quod vera conjuncta bonis: per beſtiam non mundam ſignificantur affectiones malæ: per bina, quod reſpective prophana: per virum & uxorem, falſa conjuncta malis.

714. Quod per omnem beſtiam mundam ſignificentur affectiones boni, conſtat ab illis, quæ prius de beſtiis dicta & oſtenſa ſunt, n: 45, 46, 142, 143, 246. Cauſa quod affectiones ita ſignificatæ ſint, eſt, quia homo in ſe, & in ſuo proprio ſpectatus non eſt niſi beſtia, ſimilimi ei ſenſus, ſimilimi appetitus, ſimilimæ cupiditates, tum ſimilimæ affectiones quæcunque; ejus amores boni & optimi etiam ſimilimi ſunt, ut amare ſocios ſuæ ſpeciei, amare liberos, & amare conjugem; ſic ut nihil prorſus differant: ſed quod homo ſit, & præ beſtiis, eſt quod vitam interiorem habeat, quæ nuſquam datur ſeu dabilis eſt apud beſtias; quæ vita eſt vita fidei & amoris a Domino; quæ vita niſi ineſſet ſingulis, quæ communia habet cum beſtiis, nuſquam aliud eſſet: ſit modo in exemplum, amor erga ſocios, ſi amaret illos ſolum ſui cauſa, nec cæleſtius quid aut divinius amori ineſſet, non poteſt inde dici homo, quia ſimile eſt apud beſtias; ita in omnibus reliquis: quare niſi voluntati ejus ineſſet vita amoris a Domino, & intellectui ejus vita fidei a Domino, nuſquam foret homo; per vitam, quam habet a Domino, vivit poſt mortem, quia adjungit ſibi eum Dominus; & ſic poteſt in cœlo Ipſius cum Angelis eſſe, & vivere in æternum: & tametſi homo vivit ſicut fera, nec quicquam aliud a-

mat quam ſemet, & quæ ſemet ſpectant, uſque Miſericordia Domini tanta eſt, quia Divina & Infinita, ut non eum relinquat, ſed continue vitam ſuam per Angelos ei inſpirat, quam licet non recipit aliter, uſque efficit, ut poſſit cogitare, reflectere, intelligere, num bonum aut malum, morale, civile, mundanum, & corporeum, & inde num verum aut falſum.

715. Quia Antiquiſſimi noverunt, & cum in humiliatione ſui eſſent, agnoverunt, quod non eſſent niſi quam beſtiæ & feræ, at quod homines eſſent, hoc ſolum haberent a Domino; ideo quicquid apud eos erat, non ſolum aſſimilabant beſtiis & avibus, ſed etiam ita vocabant; quæ voluntatis erant, comparabant beſtiis, & vocabant beſtias; & quæ intellectus comparabant avibus, & vocabant aves; ſed diſtinguebant inter affectiones bonas & affectiones malas; affectiones bonas comparabant agnis, ovibus, hædis, capris, hircis caprarum, arietibus, juvencis, bovibus, ob cauſam, quia bonæ & mites, tum quia utiles vitæ, ut quod comedi poſſent, & quod pellibus & lanis eorum veſtiri; hæ ſunt principaliter beſtiæ mundæ: at quæ malæ & immites, ut & inutiles vitæ, ſunt beſtiæ immundæ.

716. Quod per ſeptena ſignificentur ſancta, conſtat ab illis, quæ prius de ſeptimo die ſeu ſabbatho dictum, n.: 84 ad 87, quod nempe Dominus ſit Septimus Dies, & ex Ipſo omnis cœleſtis Eccleſia, ſeu homo, imo ipſum cœleſte, quod quia eſt Solius Domini, eſt ſanctiſſimum; inde Septem in Verbo ſignificant Sanctum, & quidem in ſenſu interno, prorſus nihil quod ex numero, ut hic, nam qui in ſenſu interno ſunt, ut Angeli & ſpiritus angelici, ne quidem ſciunt quid numerus, proinde quid ſeptem; ideo nuſquam hic ſignificatur, quod acciperentur de omni beſtia munda ſeptem paria, ſeu quod tantum boni reſpective ad malum, ut ſeptem ad bina, haberet, ſed quod voluntaria, quibus inſtructus hic homo Eccleſiæ fuit, eſſent bona, quæ ſancta, per quæ, ut prius dictum, potuiſſet regenerari. Quod Septem ſignificent ſanctum ſeu ſancta, conſtare poteſt a ritualibus in Eccleſia repræſentativa, ubi ſeptenarium toties occurrit, ſicut quod de ſanguine & oleo ſpargeretur ſeptem vicibus; ut in Levitico, "Sumſit Moſes Oleum unctionis unxitque Habita-"culum & omnia, quæ in illo, *ſanctificavitque* illa & ſparſit de illo ſuper Altare "*Septem vicibus*, & unxit Altare & omnia vaſa ejus ad *ſanctificandum* illa," VIII: 10, 11. ubi ſeptem vices nihil prorſus ſignificaviſſent, niſi ita repræſentaretur ſanctum; oleum ibi ſignificat ſanctum amoris. Et alibi, "cum intra"ret Aharon in Sanctum, accipiet de Sanguine juvenci, & ſparget digito "ſuo ſuper facies Propitiatorii orientem verſus, & ad facies Propitiatorii "ſparget*Septem vicibus* de Sanguine digito ſuo. Similiter ad Altare, ſparget "ſuper illud de Sanguine digito ſuo *Septem vicibus*, & *mundabit* illud, & *ſan*"*ctificabit* illud," Lev: XVI: 14, 19; ubi omnia & ſingula ſignificant Ipſum Dominum, proinde Sanctum Amoris, tam ſcilicet Sanguis, quam Propitiatorium, ut & Altare, tum Oriens, verſus quem ſpargeretur ſanguis, proinde etiam Septem. In ſacrificiis ſimiliter, de quibus in Numeris, "Si "anima peccaverit per errorem; & ſi ſacerdos unctus peccaverit ad reatum "populi, mactabit juvencum coram Jehovah, & intinget Sacerdos digitum ſuum

" ſuum in ſanguine, & ſparget de Sanguine *Septem vicibus* coram Jehovah " verſus velum Sancti," IV: 1, 3, 5, 6. ubi ſimiliter ſeptem ſignificant ſanctum, quia de expiatione, quæ ſolius eſt Domini, ita de Domino, agitur. Similia quoque inſtituta ſunt circa mundationem lepræ, de qua in Levitico, " Ex volucris ſanguine, ligno cedri, & coccineo, & hyſſopo, ſparget ſacer-" dos ſuper mundandum a lepra *Septem vicibus*, & *mundabit* eum; ſimiliter de " oleo, quod ſuper vola ejus ſiniſtra, *Septem vicibus* coram Jehovah. Similiter " in domum ubi lepra, ex ligno cedri, & hyſſopo, & coccineo, & ſanguine " volucris ſparget *Septem vicibus*," XIV: 6, 7, 27, 51. ubi quiſque videre poteſt, quod nihil prorſus ſit in ligno cedri, coccineo, hyſſopo, oleo, ſanguine volucris, ita nec in ſeptem, niſi inde, quod per illa repreſentarentur ſancta; ſi ſancta inde abſtrahis, manet mortuum quid, aut prophanum idololatricum; ſed cum ſignificantur ſancta, tunc cultus inibi eſt Divinus, qui eſt internus, & modo repræſentatur per externa: non quidem potuerunt ſcire Judæi, quid ſignificarent, ſic nec quiſquam hodie, quid lignum cedri, quid hyſſopus, quid coccineum, quid avis, uſque ſi modo voluiſſent cogitare quod ſancta involverent, quæ neſcirent, & ſic coluiſſent Dominum, ſeu Meſſiam venturum, Qui ſanaret eos ab eorum lepra, hoc eſt, a prophanatione ſancti, ſalvari potuiſſent; nam qui ita cogitant & credunt, in altera vita inſtruuntur illico, ſi deſiderant, quid omnia & ſingula repræſentaverint. Similiter de Vacca rufa, " Quod acciperet Sacerdos de ſanguine digito ſuo, & ſparge-" ret verſus facies Tentorii conventus de ſanguine ejus *Septem vicibus*," Num: XIX: 4. Quia Septimus Dies ſeu Sabbathum ſignificabat Dominum, & ab Ipſo cæleſtem hominem, & ipſum cœleſte, Septimus Dies in Eccleſia Judaica, præ omnibus ritibus ſanctiſſimus erat, inde ſabbathum ſabbathi *Anno Septimo*, Lev. XXV: 4. tum Jubilæum, quod proclamaretur poſt *Septem Sabbatha* annorum, ſeu poſt *Septem* annos *Septem vicibus*, Lev: XXV: 8, 9. Quod Septenum in ſupremo ſenſu ſignificet Dominum, & inde Sanctum amoris, conſtare poteſt etiam a Candelabro aureo, & *Septem* ejus *lucernis*, de quibus, Exod: XXV: 31, 32, 33, 37. Cap: XXXVII: 17, 18, 19, 23. Num. VIII: 2, 3. Sachar: IV: 2. de quibus ita apud Johannem, *Septem* Candelabra " aurea; in medio *Septem* Candelabrorum ſimilis Filio hominis," Apoc: I: 12, 13. ubi clariſſime conſtat, quod Candelabrum cum ſeptem lucernis ſignificet Dominum, & quod Lucernæ ſint ſancta amoris, ſeu cœleſtia, quare etiam ſeptem fuerunt; & apud Eundem, " E Throno exibant *Septem* lampades ig-" nis ardentes coram Throno, quæ ſunt *Septem* ſpiritus Dei," Apoc: IV: 5. hic ſeptem lampades quæ exiverunt e Throno Domini, ſunt ſeptem Lucernæ. Similiter ſe habet ubi ſeptenarius numerus occurrit apud Prophetas, ut apud Eſaiam, " Erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit *Septuplæ*, ſicut lux " *Septem dierum*, in die quo obligabit Jehovah fracturam populi ſui," XXX: 26. ubi lux ſeptupla, ſicut lux ſeptem dierum, nuſquam ſignificat ſeptuplum, ſed ſanctum amoris ſignificati per ſolem. Videantur etiam, quod de ſeptenario numero prius dictum & oſtenſum, Cap: IV: verſ: 15. Ex his quoque

manifeſte

manifeſte conſtat quod Numeri in Verbo, quicunque ſunt, nuſquam ſignificent numeros, ut prius quoque, Cap: VI: ad verſ: 3. oſtenſum.

717. Ex his quoque conſtat, quod de voluntariis hominis, ſeu de ejus bonis & ſanctis, quæ prædicantur de voluntate, agatur; hic enim dicitur, quod acciperet de beſtia munda ſeptena, & in verſ: ſeq: ſimiliter de ave; at in Cap: præced: verſ: 19, 20. non dicitur, quod acciperet ſeptena, ſed bina ſeu paria, quia ibi de Intellectualibus, quæ non ſancta in ſe, ſed ab amore, qui voluntatis, ſancta ſunt, agitur.

718. Quod per virum & uxorem ſignificentur quod vera conjuncta bonis, conſtat a ſignificatione Viri, quod ſit verum, quod eſt intellectus, & a ſignificatione uxoris quod ſit bonum, quod voluntatis, de quibus prius; & exinde, quod nuſquam apud hominem detur vel minimum cogitationis, nec minimum affectionis, & actionis, in quo non ſit quoddam conjugium intellectus & voluntatis; abſque quodam conjugio nuſquam aliquid exiſtit aut producitur; in ipſis organicis hominis compoſitis & ſimplicibus, imo ſimpliciſſimis eſt paſſivum & activum, quæ ſi non copulata forent quaſi conjugio inſtar viri & uxoris, nequicquam poſſent ibi eſſe, minus aliquid producere; in univerſa natura ſimiliter: perpetua hæc conjugia ducunt principium & ortum ſuum a conjugio cœleſti, per quod etiam unicuique rei in univerſa natura, tam animatæ quam inanimatæ impreſſa eſt idea Regni Domini.

719. Quod per beſtiam non mundam ſignificentur affectiones malæ, conſtat ab illis, quæ de beſtiis mundis prius dicta & oſtenſa ſunt: mundæ dictæ quia mites, bonæ & utiles; non mundæ ſunt quæ contrariæ, immites, malæ, & inutiles, quarum genera & ſpecies ſunt; in Verbo etiam exprimuntur per lupos, urſos, vulpes, ſues, & plures, & ſignificantur per eas diverſæ cupiditates & malitiæ. Quod hic dicatur, quod in Arcam quoque introducerentur immundæ beſtiæ, ſeu malæ affectiones, ita res ſe habet, quod hic deſcribatur homo hujus Eccleſiæ, qualis erat, & quidem per arcam, & ſic per illa quæ in arca, ſeu quæ introducta ſunt in arcam, hoc eſt, quæ fuerunt apud hominem antequam regeneraretur; apud illum fuerunt vera & bona, quibus, antequam regeneratus, a Domino inſtructus & donatus eſt, nam abſque veris & bonis nuſquam aliquis regenerari poteſt; hic memorantur mala, quæ apud eum, & ſignificantur per beſtias immundas: cum regeneratur homo, ſunt mala quæ diſcutienda, hoc eſt, quæ reſolvenda & temperanda per bona; nuſquam enim aliquod malum actuale & hæreditarium apud hominem ita diſcuti poteſt ut aboleatur, ſed manet inſitum, ſed modo reſolvitur & temperatur per bona a Domino, ut non noceat & appareat, quod eſt arcanum adhuc incognitum: mala actualia ſunt quæ reſolvuntur & temperantur, non ita mala hæreditaria, quod etiam eſt res incognita.

720. Quod per bina ſignificentur reſpective prophana, ex ſignificatione numeri iſtius conſtare poteſt: Binum vel duo ſignificant non ſolum Conjugium, & quando conjugium cœleſte, eſt numerus ſanctus; ſed etiam ſignificant idem ac ſex, nempe ſicut ſex dies laboris ſe habent ad ſeptimum quietis ſeu ſanctum, ita duo ad tres, quare Tertius dies in Verbo accipitur pro Septimo,

timo, & fere ſimile involvit, ex cauſa Reſurrectionis Domini die tertio, inde quoque adventus Domini in mundum & in gloriam, tum omnis adventus Domini, ſicut per diem ſeptimum, etiam per diem tertium, deſcribitur; inde dies bini, qui antecedunt, non ſunt ſancti, ſed reſpective prophani, ut apud Hoſeam, "Ite & revertemur ad Jehovam, quia Ille ſauciavit, & ſanabit nos; percuſſit & obligabit nos; vivificabit nos poſt *Biduum*, in die *Tertio* eriget nos, & vivemus coram Ipſo," VI: 1, 2. & apud Sachariam, "Erit, in omni terra, dictum Jehovæ, *Duæ* partes in ea exſcindentur, exſpirabunt, & *tertia* relinquetur in ea, & ducam tertiam partem per ignem, & conflabo eos juxta conflare argentum," XIII: 8, 9. & quod argentum puriſſimum eſſet, cum purificatum ſepties, Pſalm: XII: 7. Ex quibus patet, quod, ſicut per ſeptena non ſignificata ſunt ſeptena ſed ſancta, ita per bina non ſignificata ſint bina, ſed reſpective prophana; ita nuſquam quod immundæ beſtiæ ſeu malæ ejus affectiones tam paucæ fuerint reſpective ad mundas beſtias ſeu bona, ut duo ad ſeptem; cum apud hominem mala innumera ſunt præ bonis.

721. Quod per virum & uxorem ſignificentur falſa conjuncta malis, conſtat ex illis, quæ mox prius dicta ſunt; hic enim prædicatur vir & uxor de immundis beſtiis, mox prius de mundis, quare ibi ſignificarunt vera conjuncta bonis, hic falſa conjuncta malis; quale ſubjectum talis eſt prædicatio.

722. Verſ: 3. *Etiam de ave cœlorum ſeptena, ſeptena, maſculum & fæminam, ad vivificandum ſemen ſuper faciebus totius terræ.* Per avem cœlorum ſignificantur intellectualia: per ſeptena, quæ ſancta: per maſculum & fæminam, vera & bona: ad vivificandum ſemen ſuper faciebus totius terræ, ſignificant vera fidei.

723. Quod per avem cœlorum ſignificentur intellectualia, prius oſtenſum eſt, quare illis non immorandum.

724. Similiter, quod ſeptena ſignificent ſancta; ſed hic ſancta vera, quæ ſancta ſunt ex eo, quod veniant ex bonis; nuſquam aliquod verum ſanctum eſt, niſi veniat ex bono; homo poteſt multa vera ex Verbo, & ſic ex memoria, loqui, ſed niſi amor ſit, ſeu charitas, quæ producit, nuſquam de illis prædicari ſanctum poteſt; ſi vero amor & charitas, tunc agnoſcit & credit, ita ex corde; ſimiliter ac fides, de qua tam multi loquuntur, quod ſola ſalvet, niſi Amor ſit ſeu charitas, ex qua fides, nuſquam eſt fides; amor & charitas eſt quæ ſanctificat fidem; Dominus eſt in Amore & Charitate, non autem in fide ſeparata, ſed in fide ſeparata eſt ipſe homo, in quo nihil niſi ſpurcum; nam cum fides ſeparata eſt ab amore, eſt vel ſuæ laudis vel ſui lucri cauſa, quæ in corde, ex qua loquitur: hoc unuſquiſque ex propria experientia ſcire poteſt, qui alicui dicit, quod amet eum, quod præferat aliis, quod agnoſcat pro optimate præ aliis, & ſimilia, & tamen aliter corde cogitat, is non niſi quam ore hoc facit, & corde negat, quandoque etiam ſubſannat: ita quoque ſe habet cum fide: quod notiſſimum mihi per plures experientias factum eſt, qui in vita corporis Dominum & fidem prædicarunt cum

tali

tali eloquio, & ſimul ficta devotione, ut obſtupuerint auditores, & non ex corde, ex iis in altera vita ſunt, qui maxime Dominum odio habent, & fideles perſequuntur.

725. Quod per maſculum & fœminam ſignificentur vera & bona, conſtare ab illis poteſt, quæ prius dicta & oſtenſa ſunt, quod vir & maſculus ſignificet verum, uxor & fœmina bonum; ſed maſculus & fœmina prædicatur de intellectualibus, at vir & uxor de voluntariis, ex cauſa, quod per virum & uxorem repræſentetur conjugium, non ita per maſculum & fœminam; Verum enim nuſquam poteſt ex ſe conjugium inire cum bono, ſed bonum cum vero; quia nuſquam datur aliquod verum quod non producitur a bono, & ſic bono copulatur; ſi abſtrahis bonum a vero, remanet nihil quicquam præter voces.

726. Ad vivificandum ſemen ſuper faciebus totius terræ, quod ſignificent vera fidei, conſtat ex eo, quod per hanc Eccleſiam vivificatum ſit ſemen, per ſemen intelligitur fides; poſteritas cætera Eccleſiæ Antiquiſſimæ ſemen cœleſte & ſpirituale per fœdas cupiditates, & per diras perſuaſiones apud ſe perdidit; ne autem ſemen cœleſte periret, regenerati ſunt, qui Noachus vocantur, & quidem per ſemen ſpirituale; hæc ſunt, quæ ſignificantur. Vivificari dicuntur, qui vitam Domini accipiunt, quia in illis, quæ ſunt Domini, ſolum eſt vita; ut cuique conſtare poteſt ex eo, quod nuſquam aliqua vita ſit in iis, quæ non ſunt vitæ æternæ, ſeu quæ non ſpectant vitam æternam, vita quæ non æterna, non eſt vita, ſed intra pauculum temporis perit; nec prædicari Eſſe poteſt de iis, quæ deſinunt eſſe, ſed de illis quæ nuſquam deſinunt eſſe, ita ſolum vivere & Eſſe inſunt illis, quæ ſunt Domini ſeu Jehovæ, quia omne Eſſe & vivere in æternum eſt Ipſius: per vitam æternam intelligitur felicitas æterna: de quibus videantur quæ dicta & oſtenſa, n: 290.

727. Verſ: 4. *Quia ad dies adhuc ſeptem Ego pluere faciens ſuper terram, quadraginta dies & quadraginta noctes, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, a ſuper faciebus humi.* Per ad dies ſeptem, ſignificatur principium tentationis: per pluere, tentatio: per quadraginta dies & noctes, duratio tentationis: per delere omnem ſubſtantiam quam feci, a ſuper faciebus humi, ſignificatur hominis proprium quod quaſi deletur, cum regeneratur. Per eadem ſignificatur etiam deletio eorum, qui ab Antiquiſſima Eccleſia ſemet perdiderunt.

728. Quod ad dies ſeptem ſignificetur hic principium tentationis, conſtat ex ſenſu interno omnium, quæ in hoc verſu, quod agatur de Tentatione hominis, qui Noachus vocatur; in genere agitur tam de Tentatione illius, quam de totali Vaſtatione eorum, qui fuerunt ab Antiquiſſima Eccleſia, & tales facti; quare *ad dies ſeptem* non modo ſignificat principium tentationis, ſed etiam finem vaſtationis: quod ad dies ſeptem illa ſignificent, cauſa eſt, quia ſeptem eſt numerus ſanctus, ut prius dictum & oſtenſum, verſ: 2. hujus capitis, & Cap: IV: 15, 24. & n: 84 ad 87, ſignificat adventum Domini

mini in mundum, tum adventum Ipſius in gloriam; in particulari omnem Ipſius adventum: omnis Ipſius adventus ſecum habet, quod ſit principium iis qui regenerantur, & finis eorum qui vaſtantur; ita homini hujus Eccleſiæ adventus Ipſius fuit principium tentationis; nam cum tentatur homo, tunc incipit novus fieri & regenerari; & ſimul fuit finis eorum, qui ab Antiquiſſima Eccleſia tales facti, ut non potuiſſent aliter quam perire; ſicut cum Dominus in mundum venit, tunc Eccleſia in ultima ſua vaſtatione fuit, & tunc nova facta: quod ad dies ſeptem illa ſignificent, conſtat apud Danielem, "*Septimanæ ſeptuaginta* deciſæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper civitatem ſanctitatis tuam, ad conſumandum prævaricationem, & ad obſignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum juſtitiam ſæculorum, & ad obſignandum viſionem & prophetam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum: & ſcies & percipies ab exitu Verbi ad reſtituendum & ad ædificandum Hieroſolymam, uſque ad Meſſiam Principem SEPTIMANÆ SEPTEM," IX: 24, 25. ibi ſeptimanæ ſepfuaginta, & ſeptimanæ ſeptem, ſignificant ſimile ac dies ſeptem, nempe adventum Domini, ſed quia ibi manifeſta prophetia, deſignantur tempora adhuc ſanctius & certius per ſeptenarios numeros; inde conſtat, quod ſeptem ita adplicata temporibus ſignificent non ſolum adventum Domini, ſed etiam tunc principium novæ Eccleſiæ, per verba, quod ungeretur Sanctus ſanctorum, & quod reſtitueretur & ædificaretur Hieroſolyma: tum ſimul ultimam vaſtationem, per verba, quod ſeptimanæ deciſæ ſint ſuper civitatem ſanctitatis ad conſumandum prævaricationem, & ad obſignandum peccatum: Similiter alibi in Verbo, ut apud Ezechielem ubi de ſe, "Veni ad captivitatem Thelabib, ſedentes ad fluvium Kebar, & ſedi ibi *Septem dies*, obſtupeſcens inter illos, & fuit a *fine ſeptem dierum*, & fuit verbum Jehovæ ad me," III: 15, 16. ubi dies ſeptem quoque pro principio viſitationis, nam poſt dies ſeptem, cum ſedit apud eos qui in captivitate, factum eſt verbum Jehovæ ad illum. Apud Eundem, "Sepelient Gogum, propterea ut mundent terram *Septem menſibus*, a fine *ſeptem menſium* perſcrutabuntur," XXXIX: 12, 14. ubi ſimiliter pro termino ultimo vaſtationis, & primo viſitationis. Apud Danielem, "Cor Nebuchadnezaris ab homine mutabunt, & cor beſtiæ dabitur ei, & *Septem tempora* tranſibunt ſuper eum," IV: 13, 22, 29, pariter pro fine vaſtationis, & principio novi hominis. Septuaginta anni captivitatis Babylonicæ idem repræſentarunt; ſive ſeptuaginta, ſive ſeptem, idem involvunt, ut ſi ſeptem dies, vel ſeptem anni, vel ſeptem ſæcula, quæ faciunt ſeptuaginta annos; vaſtatio repræſentata erat per annos captivitatis; principium novæ Eccleſiæ repræſentatum per liberationem & reædificationem Templi. Per ſervitium Jacobi apud Labanem ſimilia quoque repræſentata ſunt, ubi hæc, "Serviam tibi *Septem annis* pro Rachele, & ſervivit *Septem annis*: dixit Laban, imple *Septimanam* hanc, & dabimus etiam tibi illam pro ſervitio, quod ſervias mecum adhuc *Septem annis* aliis; & fecit Jacobus ita, & implevit *Septimanam* hanc," Geneſ: XXIX: 18, 20, 27, 28. ubi ſeptem annorum ſervitium ſimile involvit, tum poſt dies annorum ſeptem quod conjugium

& libertas; tempus horum ſeptem annorum vocabatur Septimana, ſicut etiam apud Danielem. Simile quoque repræſentabat, quod mandatum, ut circumirent urbem Jericho ſeptem vicibus, & caderet murus, & dicitur, quod *die ſeptimo* ſurrexerint ſub auroram, & circumiverint urbem, ſecundum morem, *Septem vicibus*, & factum *vice ſeptima* clanxerunt *Septem* ſacerdotes *Septem* buccinis, & cecidit murus, Joſ: v: 10 ad 20. quæ niſi talia etiam ſignificaviſſent, nuſquam mandatum fuiſſet, quod septies circumirent, & ſeptem ſacerdotes, & ſeptem buccinæ eſſent. Ex his & pluribus aliis locis, ut apud Job: II: 13. Apoc: XV: 1, 6, 7. Cap: XXI: 9. conſtare poteſt quod ad dies ſeptem ſignificent pricipium novæ Eccleſiæ, & finem veteris; hic quia tam de homine Eccleſiæ, quæ Noachus vocatur, & de ejus tentatione agitur, quam de poſteritate ultima Eccleſiæ Antiquiſſimæ, quæ ſe perdidit, per a diebus adhuc ſeptem non aliud ſignificari poteſt, quam principium tentationis Noachi, & finis antiquiſſimæ Eccleſiæ, ſeu devaſtatio ultima & exſpiratio.

729. Quod per pluere ſignificetur Tentatio, conſtat ab illis, quæ in præmiſſis ad hoc caput dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe diluvium & inundatio aquarum, quæ eſt hic pluere, ſignificent non ſolum tentationem, ſed etiam vaſtationem: tum quoque patebit ex illis, quæ in ſequentibus, de diluvio, dicenda.

730. Quod per Quadraginta dies & noctes ſignificetur duratio tentationis, conſtat manifeſte ex Verbo Domini: quod Quadraginta ſignificent durationem tentationis, inde venit, quod Dominus ſe paſſus ſit tentari per Quadraginta dies, ut conſtat apud Matth: IV: 1, 2. Luc: IV: 2. Marc: I: 13. & quia omnia & ſingula, quæ inſtituta, in Eccleſia Judaica, & cæteris Eccleſiis repræſentativis, ante Adventum Domini, fuerunt typi Ipſius, ita quoque Quadraginta dies & noctes, quod repræſentarent & ſignificarent in genere omnem Tentationem, in ſpecie durationem quamcunque tentationis: & quia cum homo in tentatione eſt, eſt in vaſtatione omnium quæ ſunt proprii & quæ ſunt corporea, nam propria & corporea moritura ſunt, & quidem per pugnas & tentationes, antequam renaſcitur novus ſeu fit ſpiritualis & cœleſtis, ideo etiam Quadraginta dies & noctes ſignificant quoque durationem vaſtationis; hic ſimiliter, ubi tam de tentatione hominis novæ Eccleſiæ, Noachus, dictæ, quam de devaſtatione antediluvianorum, agitur: quod quadraginta ſignificent tam tentationis quam vaſtationis durationem, tam majorem, quam minorem, conſtat apud Ezechielem, "Jacebis ſuper latere tuo dextro, & portabis iniquitatem "domus Jehudæ *Quadraginta dies*, ſingulos dies pro ſingulis annis dedi illud tibi," IV: 6. ibi pro duratione vaſtationis Eccleſiæ Judaicæ, tum quoque pro repræſentatione tentationis Domini, nam dicitur quod portaret iniquitatem domus Jehudæ. Apud Eundem, "Dabo terram Ægypti vaſtitates, vaſtita-"tem deſolationis, non tranſibit per eam pes hominis, & pes beſtiæ non tran-"ſibit per eam, & non habitabitur *Quadraginta annis*. Et dabo terram Æ-"gypti deſolationem in medio terrarum deſolatarum, & urbes ejus in medio "urbium devaſtatarum erunt ſolitudo *Quadraginta annis*," XXIX: 11, 12. ibi quoque pro duratione vaſtationis & deſolationis; ubi in ſenſu interno nuſquam

ſignificantur

ſignificantur quadraginta anni, ſed tantum deſolatio fidei in genere, ſive intra minus ſive majus tempus. Apud Johannem, "Atrium, quod intra "Templum, ejice foras, ut illud non metiaris, quia datum eſt gentibus, quæ "Civitatem ſanctam conculcabunt *menſibus Quadraginta duobus*," Apoc: XI: 3. & apud Eundem, "Datum eſt beſtiæ os loquens magna, & blaſphemias, "dataque ei poteſtas faciendi *Menſes Quadraginta duos*," Apoc. XIII: 5. ubi pro duratione vaſtationis; nuſquam enim tempus quadraginta duorum menſium intelligitur, ut quiſque ſcire poteſt: ſed hic dicitur, quadraginta duo, quod idem eſt cum quadraginta; quod inde trahit originem, quia dies ſeptem ſignificant finem vaſtationis & principium novum, ſex autem ſignificant laborem ex ſex diebus laboris aut pugnæ, quare multiplicati ſunt ſeptem per ſex, inde numerus exſurgit quadraginta duo, ſignificans durationem vaſtationis & & durationem tentationis ſeu laborem & pugnam hominis regenerandi, in qua ſanctum; ſed numerus rotundus quadraginta, pro non rotundo quadraginta duo, aſſumtus, eſt, ut conſtat ex illis locis Apocalypſeos. Quod populus Iſraeliticus per quadraginta annos circumductus fuiſſet in deſerto, antequam introducti in terram Canaanem, repræſentabat & ſignificabat ſimiliter durationem tentationis, tum quoque durationem vaſtationis; durationem tentationis per id, quod poſtea introducti in terram ſanctam; durationem vaſtationis per id, quod omnes qui ſupra viginti annos exiverunt Ægypto, in deſerto mortui ſunt, præter Joſuam & Chalebum; ſunt tentationes, quæ intelliguntur per illa, contra quæ toties murmurarunt; & ſunt vaſtationes, quod toties illis plagæ & interitus: quod ſignificent tentationes & vaſtationes, ibi, ex Divina Domini Miſericordia, oſtendetur; de quibus ita apud Moſen, "Recorderis omnis viæ, quam duxit "te Jehovah Deus tuus his *Quadraginta annis* in deſerto propter ad affligen-"dum te, ad *tentandum te*, ad ſciendum quid in corde tuo, an ſerves præ-"cepta Ipſius, annon," Deut: VIII: 2, 3, 16. Quod Moſes fuerit quadraginta dies, & quadraginta noctes ſuper monte Sinai, ſimiliter ſignificat durationem tentationis, ſeu tentationem Domini, ut conſtat apud illum, "In "monte Sinai fuit *Quadraginta dies*, & *Quadraginta noctes*, non edens panem, non bibens aquam, ſupplicans pro populo ne perderetur," Deut: IX: 9, 11, 18, 25, ad f. Cap: X: 11. Num: XIV: 33, 34, 35. Cap: XXXII: 8, ad 14. Quod per Quadraginta dies ſignificetur duratio tentationis, cauſa eſt, ut dictum, quod Dominus ſe paſſus tentari a diabolo quadraginta diebus; quare cum omnia erant repræſentativa Domini, cum idea tentationis fuit apud angelos, idea illa in mundo ſpirituum repræſentata fuit per talia quæ in mundo, ſicut fit cum omnibus ideis angelicis dum labuntur in mundum ſpirituum, quod ſiſtantur repræſentative; ita per quadraginta, quia Dominus tentaretur quadraginta diebus; idem eſt apud Dominum, & inde in Cœlo angelico, quod venturum, aut quod præſens; quod venturum eſt præſens, ſeu quod fiet hoc factum; inde repræſentatio tentationum, ut & vaſtationum per quadraginta in Eccleſia repræſentativa: ſed hæc nondum ſatis comprehendi poſſunt, quia neſcitur influxus Cœli Angelici in mundum ſpirituum, & quod talis.

731. Quod per delere omnem ſubſtantiam, quam feci, a ſuper faciebus humi, ſignificetur hominis proprium, quod quaſi deletur, cum vivificatur, conſtat ex illis, quæ prius de proprio dictum eſt; hominis proprium eſt omne malum & falſum, quamdiu hoc manet, tamdiu homo eſt mortuus, ſed cum tentationes ſubit, tunc diſcutitur, hoc eſt, reſolvitur & temperatur per vera & bona a Domino, & ſic vivificatur, & apparet ſicut non adeſſet; quod non appareat, nec amplius noceat, ſignificatur per deleri, tametſi nuſquam deletur, ſed manet; ſe habet fere ſicut nigrum & album, quæ dum temperantur varie per lucis radios, vertuntur in colores pulchros, ut in cæruleos, flavos, purpureos, per quos, ſecundum diſpoſitionem, ut in floribus, pulchra & jucunda ſiſtuntur, manentibus uſque radicitus & fundamentaliter nigro & albo. Sed quia hic ſimul agitur de ultima vaſtatione eorum, qui fuerunt ab Eccleſia Antiquiſſima, etiam per delere omnem ſubſtantiam, quam feci, a ſuper faciebus humi, ſignificantur ii qui perierunt, ſicut quoque ſeq: verſ: 23. ſubſtantia, quam feci, eſt omne id, ſeu omnis homo, in quo fuit ſemen cœleſte, ſeu qui fuit ab Eccleſia, quare etiam in hoc verſu, & in ſequente 23, humus dicitur, quæ hominem Eccleſiæ ſignificat, cui inſeminatum bonum & verum, quod ſucceſſive apud eos, qui Noachus, vocantur, diſcuſſis, ſicut dictum, malis & falſis, ſuccrevit, ſed apud antediluvianos, qui perierunt, per zizanias, exſtinctum eſt.

732. Verſ: 5. *Et fecit Noach ſecundum omne, quod præcepit ei Jehovah*, ſignificat ut prius quod ita factum.

Videatur Cap: præced: verſ: 22, ubi bis dicitur, quod Noachus fecerit, hic modo ſemel; & ibi Deus, hic autem Jehovah; cauſa eſt, quia ibi agitur de intellectualibus, hic de voluntariis; intellectualia ſpectant voluntaria ſicut alia & diſtincta a ſe, ſed voluntaria ſpectant intellectualia ſicut unita ſibi, aut ſicut unum, nam a voluntate intellectus, quæ cauſa eſt, quod ibi bis, *facere*, dicatur, hic modo ſemel; tum quod ibi Deus, hic autem Jehovah.

733. Verſ: 6. *Et Noach filius ſexcentorum annorum, & diluvium factum aquarum ſuper terra:* per Noachum, quod filius ſexcentorum annorum, ſignificatur ſtatus primus tentationis ejus: per diluvium aquarum ſuper terra, ſignificatur tentationis inchoamentum.

734. In præcedentibus actum eſt de intellectualibus veris, quibus homo Eccleſiæ Noachus dictæ, a Domino inſtructus fuit, antequam regeneraretur, Cap: præc: verſ: 13 ad f. & dein de voluntariis bonis, quibus etiam a Domino donatus, in hoc Cap: a verſ: 1 ad 5; ubi, quia de utriſque agitur, apparet ſicut repetitio. Nunc autem agitur de tentatione ejus, & quidem hic de primo ſtatu, & ſic de inchoamento tentationis a verſ: 6 ad 11; & quod quiſque videre poteſt, iterum occurrit repetitio, nam in hoc verſu dicitur, quod Noach fuit filius ſexcentorum annorum, cum factum diluvium ſuper terra; ſed in verſ: 11. quod in anno ſexcenteſimo vitæ ejus, menſe ſecundo, & decimo ſeptimo die: pariter verſ: ſeq: 7. quod intraverit Noachus in arcam cum filiis & uxoribus, ſimiliter, verſ: ſeq: 13. tum quod beſtiæ intrarunt in arcam ad Noachum, verſ: 8, 9. ſimiliter etiam, verſ: 14, 15, 16.

ex

ex quibus conſtat, quod hic ſimiliter ſit repetitio priorum: qui in ſolo ſenſu literæ manet, non poteſt aliter ſcire, quam quod ſit quoddam hiſtoricum ita repetitum; ſed hic ſicut alibi, nuſquam aliqua vocula eſt, quæ ſuperflua & inanis, quia eſt Verbum Domini; proinde non aliqua repetitio, niſi ſignificet alia; & quidem hic, ſicut prius, quod ſit tentatio prima, quæ eſt quoad ejus intellectualia, & dein ejus tentatio quoad voluntaria: quæ tentationes apud regenerandum ſuccedunt; nam aliud prorſus eſt tentari quoad intellectualia, & aliud tentari quoad voluntaria; tentatio quoad intellectualia levis eſt, at tentatio quoad voluntaria eſt gravis.

735. Quod Tentatio quoad intellectualia, ſeu quoad falſa, quæ apud hominem, levis ſit, cauſa eſt, quia homo in fallaciis ſenſuum eſt, & fallaciæ ſenſuum tales ſunt, ut non poſſint non intrare; quare etiam facile diſcutiuntur; ſicut omnes qui in ſenſu literæ Verbi manent, ubi loquutum eſt ſecundum captum hominis, proinde ſecundum fallacias ejus ſenſuum, quibus ſi ſimpliciter fidem habent, quia eſt Verbum Domini, tametſi in fallaciis ſunt, uſque facile ſe inſtrui patiuntur; ut pro exemplo, qui credit quod Dominus iraſcatur, puniat, malum impiis faciat, is quia ex ſenſu literæ hoc habet, facile poteſt informari, quomodo ſe res habet: pariter ſi ſimpliciter credit, quod bonum facere poſſit ex ſe, & quod mercedem in altera vita accipiat ſi bonus ſit ex ſe, is etiam facile, inſtrui poteſt, quod bonum quod facit, ſit a Domino, & Dominus mercedem det gratis ex Miſericordia: quare dum tales in tentationem quoad intellectualia ſeu tales fallacias veniunt, non poſſunt niſi leniter tentari, eſtque hæc prima tentatio, & vix apparet ut tentatio, de qua nunc agitur. Aliter vero ſe habet cum illis, qui non ex ſimplici corde credunt Verbo, ſed in fallaciis & falſitatibus ſe confirmant, ex cauſa, quod faveant eorum cupiditatibus, & ex hac cauſa impulſiva ratiocinia ex ſe & ſuis ſcientificiis plura congerunt, & dein eadem per Verbum confirmant, & ſic imprimunt ſibi, perſuadentque quod falſum ſit verum.

736. Quod Noachum, ſeu hominem novæ hujus Eccleſiæ, concernit, is fuit talis, quod ſimpliciter crediderit illis, quæ habuit ex Antiquiſſima Eccleſia, quæ fuerunt doctrinalia collecta, & redacta in quandam doctrinæ formam ab illis, quæ Chanochus dicti ſunt: & prorſus diverſæ indolis fuit ab antediluvianis, qui perierunt, & nephilim dicti, qui doctrinalia fidei immerſerunt fœdis ſuis cupiditatibus, & ſic captarunt diras perſuaſiones, a quibus recedere non vellent, utcunque ab aliis inſtruerentur, & iis demonſtraretur quod falſa: homines duplicis hujus genii ſeu indolis hodie quoque dantur; ſed illi facile poſſunt regenerari, hi autem difficile.

737. Quod per Noachum, quod filius ſexcentorum annorum ſignificetur ſtatus primus tentationis ejus, conſtat ex eo, quod hic uſque ad Heberum, Cap: xi, per numeros, & per ætates annorum, & per nomina, nihil aliud ſignificentur, quam res, ſicut etiam per ætates & nomina omnium in Cap: v. Hic quod ſexcenti anni ſignificent ſtatum primum tentationis, conſtare poteſt a numeris, qui ibi dominantur, qui ſunt *Decem* & *Sex*, qui bis in ſe multiplicati; numerus major & minor eorundem nihil mutat: quod *Decem* attinet,

prius

prius Cap: v ad verſ: 3. oſtenſum eſt, quod ſignificent Reliquias; & quod *Sex* hic ſignificent laborem & pugnam, ex Verbo paſſim conſtat; nam ita ſe res habet, in præcedentibus actum eſt de præparatione ejus ad tentationem, quod nempe inſtructus fuerit a Domino Intellectualibus veris, & Voluntariis bonis, hæc vera & bona ſunt Reliquiæ, quæ non producuntur ita ut agnoſcantur, priuſquam homo regeneratur; apud eos qui per tentationes regenerantur, reliquiæ apud hominem ſunt pro angelis apud eum, qui ex iis depromunt illa, quibus hominem defendunt contra malos ſpiritus, qui falſa apud eum excitant, & ſic oppugnant: quia reliquiæ ſignificantur per decem, & pugna per ſex, inde eſt, quod ſexcenti anni dicantur, in quibus dominantur decem & ſex, & ſignificant ſtatum tentationis: quod in ſpecie ſex attinet, quod ſignificent pugnam, conſtat ex Capite Primo Geneſeos, ubi ſex dies ſunt, quibus regeneratus homo, antequam factus cœleſtis, intra quos dies continua pugna fuit, ſed ſeptimo die quies; inde eſt, quod ſex dies laboris ſint, & ſeptimus ſabbathum, quod ſignificat quietem: inde quoque eſt, quod ſervus Hebræus, ſerviret *Sex annis*, & ſeptimo eſſet liber, Exod: XXI: 2. Deut: XV: 12. Jer: XXXIV: 14. quodque *Sex annis* conſererent terram, & colligerent proventum ejus, ſeptimo autem intermitterent eam, Exod: XXIII: 10, 11, 12. ſimiliter vineam: & quod ſeptimo anno ſabbathum ſabbathi terræ, ſabbathum Jehovæ, Lev: XXV: 3, 4. Sex quia ſignificant laborem & pugnam, etiam ſignificant diſperſionem falſi, apud Ezechielem, "Ecce " *Sex* viri venientes a via portæ ſuperioris, quæ reſpiciens verſus ſeptentrio- " nem, & cuique inſtrumentum *diſperſionis* ſuæ in manu ſua," IX: 2; & apud Eundem contra Gogum, "Et reverti faciam te, & *Sextabo* te, & aſcen- " dere faciam te a lateribus ſeptentrionis," XXXIX: 2. ubi ſex & ſextare pro diſperſione, ſeptentrio pro falſis, Gogus pro iis, qui doctrinalia capiunt ab externis quibus deſtruunt cultum internum: a Jobo, "In *Sex* anguſtiis li- " berabit te, & in ſeptima non tanget te malum," V: 19. ubi pro pugna tentationum. Alioquin Sex in Verbo occurrunt, ubi non ſignificant laborem, pugnam aut diſperſionem falſi, ſed ſanctum fidei, quia ſe referunt ad Duodecim, quæ ſignificant fidem & fidei omnia in uno complexu; & ad tria, quæ ſignificant ſanctum, inde etiam derivatio genuina numeri ſex, ſicut apud Ezechielem, Cap: XL: 5, ubi Calamus viri, quo menſus eſt urbem Iſraelis ſanctam, quod eſſet ſex ulnarum; & alibi; quod derivatio inde, cauſa eſt, quia in pugna tentationis eſt ſanctum fidei, tum quod ſex dies laboris & pugnæ ſpectent ſeptimum ſanctum.

738. Filius ſexcentorum annorum hic vocatur, quia filius ſignificat intellectuale verum, ut prius oſtenſum; non autem filius appellatur, verſ: ſeq: 11, quia ibi de tentatione ejus quoad voluntaria, agitur.

739. Quod per diluvium aquarum ſignificetur tentationis inchoamentum, inde conſtat, quod hic de tentatione quoad intellectualia agatur, quæ tentatio præcedit, & levis eſt, ut dictum; quare appellatur diluvium aquarum, non ſimpliciter diluvium, ut ſeq: verſ: 17. aquæ enim imprimis ſignificant ſpiritualia hominis, intellectualia fidei, tum illis oppoſita, ſeu falſa, ut per-

multis

multis a Verbo confirmari poteſt. Quod diluvium aquarum, ſeu Inundatio ſignificet Tentationem, conſtat ab illis, quæ in præmiſſis hujus Capitis oſtenſa ſunt, tum quoque apud Ezechielem, " Sic dixit Dominus Jehovih, faciam " perrumpere ſpiritum procellarum in excandeſcentia mea; & *Imber inundans* " in ira mea fiet, & lapides grandinis in fervore, ad conſumationem, ut de- " ſtruam parietem, quem incruſtatis inepto," XIII: 11, 13, 14. ubi ſpiritus procellarum, & imber inundans pro deſolatione falſi; paries incruſtatus inepto, pro ficto apparente ſicut verum. Apud Eſaiam, " Jehovah Deus protectio " ab *Inundatione*, umbraculum ab æſtu, nam ſpiritus violentorum ſicut *Inun-* " *datio* parietis," XXV: 4. ibi inundatio pro tentatione quoad intellectualia, & diſtinguitur a tentatione quoad voluntaria, quæ vocatur æſtus. Apud Eundem, " Ecce validus & robuſtus Domino, ſicut Inundatio grandinis, pro- " cella exciſionis, ſicut *Inundatio aquarum* validarum *ſuperinundantium*," XXVIII: 2. ibi gradus tentationis deſcripti: apud Eundem, " Cum tranſi- " eris per *Aquas*, tecum Ego, & per flumina, non *inundabunt* te; cum iveris " per ignem, non adureris, & flamma non comburet te," XLIII: 2. ubi aquæ & flumina pro falſis & phantaſiis, ignis & flamma, pro malis & cupiditatibus. Apud Davidem, " Super hoc precabitur omnis ſanctus ad Te " tempore inveniendi, unde in *Inundatione aquarum* multarum ad illum non " pertingent; tu latibulum mihi, ab anguſtia ſervabis me," Pſalm: XXXII: 6, 7. ubi inundatio aquarum pro tentatione; quæ etiam appellatur diluvium: apud Eundem, " Jehovah ad *Diluvium* ſedet; & ſedet Jehovah Rex in æternum," Pſalm: XXIX: 10. Ex his & a præmiſſis ante hoc Caput, patet, quod Diluvium ſeu Inundatio aquarum nihil aliud ſignificet quam Tentationes & Vaſtationes, tametſi hiſtorice, ſecundum morem Antiquiſſimorum, deſcriptum.

740. Verſ: 7. *Et intravit Noach, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum illo in arcam, a coram aquis diluvii:* Quod intravit Noach in arcam a coram aquis diluvii, ſignificat quod in tentatione tutatus: per filios ſignificantur ut prius vera; per uxorem bona; per uxores filiorum vera conjuncta bonis.

741. Quod intravit Noachus in arcam a coram aquis diluvii, ſignificet quod tutatus, unicuique conſtare poteſt. Tentationes non aliud ſunt, quam pugnæ malorum ſpirituum cum angelis, qui apud hominem; mali ſpiritus omnia prava hominis facta excitant, etiam cogitata, quæ habuit ab infantia, ita tam mala quam falſa, & condemnant, quo illis nihil jucundius eſt, ipſa vitæ eorum jucunditas in eo conſiſtit; at Dominus per Angelos, hominem tutatur, & prohibet, ne mali ſpiritus & genii extra limites & ulterius quam ſuſtinere poſſit homo, vagentur & inundent.

742. Quod per filios ſignificentur vera, per uxorem bona, per uxores filiorum vera conjuncta bonis, prius Cap: præc: ad verſ: 18 dictum, ubi eadem verba: per vera & bona, tametſi hic vocantur filii & uxores, ſignificantur illa, quæ apud hominem, Noachus, dictum, fuerunt, per quæ tutatus;

talis

talis eſt ſtylus Verbi antiquiſſimus, involvens arcana cœleſtia, qui hiſtorice connexus.

743. Verſ: 8, 9. *De beſtia munda, & de beſtia, quæ non ea munda, & de avi, & omni quod repit ſuper humo. Bina bina intrarunt ad Noachum in arcam, maſculus & fæmina, quemadmodum præceperat Deus Noacho.* Per beſtiam mundam ſignificantur ut prius affectiones boni: per beſtiam non mundam, cupiditates; per avem in genere cogitata; per omne quod repit ſuper humo, ſenſuale & quodcunque volupe: bina bina ſignificant correſpondentia: quod intrarint in arcam, quod tutata: maſculus & fæmina, ut prius, verum & bonum: quemadmodum præceperat Deus Noacho, quod ita factum.

744. Quod per beſtiam mundam ſignificentur affectiones boni, prius ad verſ: 2. hujus Capitis, dictum & oſtenſum eſt, quare non illis immorandum; ſimiliter quod per beſtiam non mundam ſignificentur cupiditates ſeu affectiones malæ, ibi.

745. Quod per Avem in genere ſignificentur cogitata, conſtat ex illis, quæ prius paſſim dicta de Avibus, quod ſignificent intellectualia, aut rationalia, ſed ibi aves cœlorum, at hic ſolum avis, quare in genere ſignificantur cogitata; ſunt enim plura avium genera, tam munda quam immunda, quæ in ſeq: verſ: 14. diſtinguuntur in avem, volucrem & alatum, munda ſunt cogitationes veri, immunda ſunt cogitationes falſæ, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

746. Per omne quod repit ſuper humo quod ſignificetur ſenſuale, & quodcunque volupe, prius quoque dictum & oſtenſum eſt: Antiquiſſimi ſenſualia hominis & voluptaria ejus compararunt & aſſimilarunt reptilibus & repentibus, & ita quoque illa vocarunt, quia extrema ſunt, & quaſi repunt in ſuperficie hominis, & quod iis non altius ſe elevare permittendum.

747. Quod bina bina ſignificent correſpondentia, conſtare cuivis poteſt ex eo, quod ſint paria; paria non poſſunt eſſe niſi ſibi correſpondeant, ſicut ſibi vera & bona, mala & falſa; omnium enim eſt conjugii inſtar, ſeu copulatio, ut verorum cum bonis, & malorum cum falſis, quia eſt conjugium intellectus cum voluntate, ſeu intellectualium cum voluntariis, & quidem unicuivis rei ſuum eſt conjugium ſeu ſua copulatio, abſque qua nuſquam ſubſiſtit.

748. Quod intrarunt in arcam ſignificent quod tutata ſint, prius eſt dictum, verſ: præc: 7, ubi de Noacho, & filiis ejus, & uxoribus.

749. Quod maſculus & fæmina ſignificent verum & bonum, conſtat ab illis, quæ prius Cap: verſ: VI: 19; ubi maſculus & fæmina prædicatur de avibus, ſed vir & uxor de beſtiis; cauſa quoque ibi dicta eſt, quod nempe voluntariorum cum intellectualibus ſit conjugium, non ita intellectualium in ſe ſpectatorum cum voluntariis, illa ſe habent ut vir & uxor, hæc vero ut maſculus & fæmina: & quia hic primum agitur de tentatione iſtius hominis quoad intellectualia, ut dictum, dicitur maſculus & fæmina; & intelligitur pugna, ſeu tentatio quoad intellectualia.

750.

740. Quemadmodum præceperat Deus, quod ſignificet ita factum eſſe, prius Cap: præc: verſ: 22, tum hujus Capitis ver: 5, oſtenſum.

751. Hic quia agitur de Tentatione hominis Eccleſiæ novæ Noachus dictæ, & paucis, ſi ulli, notum eſt, quomodo ſe Tentationes habent, quia pauci hodie tales tentationes ſubeunt, & qui ſubeunt, non ſciunt aliter, quam quod aliquid in ipſis ſit inhærenter, quod ſic patitur, breviter licet rem exponere; ſunt mali ſpiritus, qui tunc, ut dictum, excitant falſa & mala hominis, & quidem ex ejus memoria, quæcunque ab infantia cogitavit & patravit, hoc mali ſpiritus tam ſolerter & malitioſe facere poſſunt, ut non deſcribi poſſit; ſed Angeli, qui apud eum, depromunt ejus bona & vera, & ſic defendunt hominem; hæc pugna eſt quæ ſentitur & percipitur apud hominem, & cauſatur conſcientiæ morſum & cruciatum. Sunt Tentationes duplicis generis, unum quoad intellectualia, alterum quoad voluntaria; cum tentatur homo quoad intellectualia, tunc ſpiritus mali ſolum facta ejus mala, quæ patravit, quæ hic ſignificantur per beſtias immundas, excitant, & accuſant & damnant; tum quidem facta ejus bona, quæ hic quoque ſignificantur per beſtias mundas, ſed illa mille modis pervertunt, ſimul etiam excitant cogitata ejus, quæ hic quoque ſignificantur per Avem, porro etiam illa, quæ hic ſignificantur per repentia ſuper humo, ſed hæc tentatio levis eſt, & percipitur ſolum per revocationem talium in memoriam, & quandam inde anxietatem: cum autem tentatur homo quoad voluntaria, tunc non excitantur ita facta & cogitata, ſed ſunt genii mali, ita vocari poſſunt hujus generis ſpiritus mali, qui incendunt eum ſuis cupiditatibus, & fœdis amoribus, quibus imbutus, & ſic per ipſas hominis cupiditates, pugnant; quod tam malitioſe & clandeſtine faciunt, ut nuſquam credi poſſit, quod ab illis, momento enim ſe infundunt in vitam ejus cupiditatum, ut & vertunt & flectunt fere in inſtanti affectionem boni & veri in affectionem malam & falſi, ut nuſquam aliter ſcire poſſit homo, quam quod ex ſemet fiat, & ſponte ſic fluat; hæc tentatio eſt graviſſima, & percipitur ut dolor internus & ignis crucians, de hac in ſequentibus agitur. Quod ita ſe res habeat, ex multiplici experientia noſſe & ſcire mihi datum, tum quando, undenam, quinam, & quomodo mali ſpiritus aut genii influxerunt & inundarunt; de quibus experientiis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus ſingillatim dicetur.

752. Verſ: 10. *Et erat ad ſeptem dies, & aquæ diluvii erant ſuper terra:* per hæc ſignificatur, ut prius, principium tentationis.

753. Quod per dies ſeptem ſignificetur principium tentationis, ſupra ad verſ: 4 oſtenſum eſt; ſeque refert ad præcedentia, quod nempe hæc tentatio, quæ fuit intellectualium ejus, eſſet principium tentationis, ſeu prima tentatio, eſtque clauſula ita expreſſa; & quia tentatio hæc prima quoad intellectualia fuit, exprimitur per aquas diluvii, ſicut ſupra, verſ: 7. & verſ: 6, per diluvium aquarum, quod proprie ſignificat tentationem talem, ut ibi oſtenſum.

754. Verſ: 11. *In anno ſexcenteſimo anni vitæ Noachi, in menſe ſecundo, in ſeptimo decimo die menſis, in die hoc diſrupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, &*

 cataractæ

cataractæ cœli apertæ. Per annum ſexcenteſimum, menſem ſecundum, & diem decimum ſeptimum, ſignificatur alter ſtatus tentationis: quod diſrupti ſint omnes fontes abyſſi magnæ, ſignificant extremum tentationis quoad voluntaria: quod cataractæ cœli apertæ, ſignificant extremum tentationis quoad intellectualia.

755. Quod per annum ſexcenteſimum, menſem ſecundum, & diem decimum ſeptimum, ſignificetur alter ſtatus tentationis, ſequitur ex illis, quæ hactenus dicta ſunt, nam a verſ: 6 ad hunc 11. actum eſt de primo ſtatu tentationis, qui fuit quoad ejus intellectualia, nunc autem agitur de altero ſtatu, nempe quoad voluntaria, quæ cauſa eſt, quod iterum dicatur ætas ejus, prius quod fuerit filius ſexcentorum Annorum, hic quod factum diluvium anno ſexcenteſimo ejus vitæ, menſe ſecundo, & die decimo ſeptimo: nuſquam aliquis autumare poteſt, quod per annos ætatis Noachi, ubi & anni, & menſes, & dies, deſignantur, intelligatur ſtatus tentationis quoad voluntaria, ſed, ut dictum, talis fuit modus loquendi & ſcribendi Antiquiſſimorum, & imprimis delectati ſunt in eo, quod deſignare tempora & nomina poſſent, & inde hiſtoriam vero-ſimilem concinnare; in eo ſapientia eorum conſtabat. Quod autem ſexcenti anni non ſignificent aliud quam ſtatum tentationis primum, oſtenſum eſt ſupra ad verſ: 6; hic ſimiliter anni ſexcenti, ſed ut alter ſtatus tentationis ſignificaretur, additi ſunt menſes & dies, & quidem menſes duo, ſeu in menſe ſecundo, qui ſignificant ipſam pugnam, ut conſtare poteſt a ſignificatione numeri *Duo* prius ad verſ: 2. hujus Capitis, nempe quod ſignificent idem ac Sex, hoc eſt, laborem & pugnam, tum diſperſionem, ut ibi oſtenſum videatur: Numerus autem *Septendecim* ſignificat tam principium tentationis, quam finem tentationis, ex cauſa quia compoſitus eſt ex Numero ſeptenario, & decem; qui numerus cum ſignificat principium tentationis tunc involvit *ad dies ſeptem*, ſeu ſeptimanam ſeptem dierum, quæ quod ſignificet principium tentationis, prius ad verſ: 4 hujus Capitis oſtenſum eſt; at cum ſignificat finem tentationis, ut Cap: ſeq: VIII: verſ: 4, tunc ſeptem eſt numerus ſanctus, cui decem adjectus, qui ſignificat reliquias, nam abſque reliquiis non poteſt regenerari homo: quod numerus ſeptendecim ſignificet principium tentationis, conſtat apud Jeremiam, quod mandatum ei, ut emeret agrum a Chanamele, filio patrui ſui, qui in Anatoth; & appendit ei Argentum *ſeptem ſiclorum & decem argenti*, XXXII: 9. qui numerus quod ſignificet etiam captivitatem eorum Babylonicam, per quam repræſentatur tentatio fidelium, & devaſtatio infidelium, & quidem principium tentationis & ſimul finis tentationis ſeu liberatio, conſtare poteſt a ſequentibus in Capite illo apud Prophetam; quod captivitas ad verſ: 36 ibi, quod liberatio a verſ: 37 ſeq: ibi; talis numerus nuſquam apud Prophetam exſtaret, niſi arcana, ſicut omnia reliqua, involveret. Quod ſeptendecim ſignificent principium tentationis, etiam conſtare poteſt ab ætate Joſephi, qui ſeptendecim annorum filius erat, cum miſſus ad fratres, & venditus in Ægyptum, Geneſ: XXXVII: 2. quod venditus in Ægyptum, ſimilia repræſentat, ut ibi loci, ex Divina Domini Miſericordia, oſtendetur; ibi hiſto-

rica

rica repræſentativa ſunt, quæ ita ſe habent ſicut deſcribuntur, hic autem hiſtorica facta ſignificativa, quæ ſe non ita habent ſicut deſcribuntur in ſenſu literæ; ſed uſque illa involvunt arcana cœli, & quidem unaquavis vox, ſicut hæc: quod ita ſe habeant, non poteſt non peregrinum apparere, quia ubi aliquod hiſtoricum verum, aut hiſtoricum factum, occurrit, animus detinetur in litera, e qua ſe abſtrahere nequit, inde credit, quod nihil aliud ſignificet & repræſentet; ſed quod internus aliquis ſenſus ſit, in quo vita Verbi, non autem in litera, quæ abſque ſenſu interno mortua eſt, unicuique intelligenti conſtare poteſt; abſque ſenſu interno quid hiſtoricum aliud eſt quam hiſtoricum apud aliquem prophanum ſcriptorem; ita quid utilitatis foret ſcire annum Noachi, & menſem & diem, cum diluvium factum, niſi arcanum cœleſte involvat; & quis non poteſt videre, quod omnes fontes abyſſi magnæ diſrupti, & cataractæ cœli apertæ, ſit loquutio prophetica; præter alia ſimilia.

756. Quod diſrupti ſint omnes fontes abyſſi magnæ ſignificent extremum tentationis quoad voluntaria, conſtare poteſt ex illis quæ dicta ſunt mox prius de tentationibus, quod duplicis generis ſint, unum quoad intellectualia, alterum quoad voluntaria, & quod hoc grave ſit reſpective ad illud; tum ex eo, quod huc uſque de tentatione quoad intellectualia actum ſit; ſimiliter conſtat ex ſignificatione Abyſſi, quod ſint cupiditates & falſitates inde, ut prius, n: 18, tum etiam ex his in Verbo; apud Ezechielem, "Sic dicit Dominus Jehovih, "cum dedero te urbem deſolatam, ſicut urbes, quæ non habitantur, cum "aſcendere fecero ſupra te *Abyſſum*, & obtexerint te *Aquæ multæ*," XXVI: 19. ubi abyſſus & aquæ multæ pro tentationis extremo. Apud Jonam, "Circumcinxerunt me *Aquæ*, uſque ad animam, *Abyſſus* circumdedit me:" II: 6. ubi aquæ & abyſſus ſimiliter pro extremo tentationis. Apud Davidem, "*Abyſſus* ad *Abyſſum* clamans, ad vocem *aquæ canalium* tuorum, omnes con"fractiones tuæ, & omnes *fluctus* tui ſupra me," Pſalm: XLII: 8. ubi manifeſte pro extremo tentationis. Apud Eundem, "Increpavit mare Suph, & "exſiccatum eſt, & ire fecit eos per *Abyſſos*, *ſicut in deſerto*, & ſervavit eos e "manu oſoris, & redemit eos e manu inimici, & *obtexerunt Aquæ hoſtes eo"rum*," Pſalm CVI: 9, 10, 11. ubi abyſſus pro tentationibus in deſerto. Per Abyſſum antiquitus ſignificatum eſt Infernum, & phantaſiæ & perſuaſiones falſi aſſimilatæ ſunt aquis & fluminibus, tum fumo, inde; ita quoque apparent quorundam Inferna, nempe ſicut abyſſi, & ſicut maria, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: Spiritus mali, qui devaſtant hominem, tum etiam qui tentant, inde ſunt; & phantaſiæ eorum quas infundunt, & cupiditates quibus incendunt hominem, ſunt ſicut inundationes & exhalationes inde; nam ut dictum, homo per malos ſpiritus conjunctus eſt inferno, & per Angelos cœlo; quare cum diſrupti dicuntur omnes fontes abyſſi, ſignificantur talia: quod Infernum vocetur Abyſſus, & fœda quæ inde, vocentur flumina, conſtat apud Ezechielem, "Sic dixit Dominus Jehovih, in die deſcendere "eum in *Infernum*, lugere feci, obtexi ſuper eum *Abyſſum*, & inhibui *Flumina* ejus, & occluſæ ſunt *Aquæ magnæ*," XXXI: 15. Infernum vocatur quo-

 que

que abyſſus apud Johannem, Apoc: IX: 1, 2, 11. Cap: XI: 7. Cap: XVII: 8. Cap: XX: 1, 3.

757. Quod Cataractæ cœli apertæ ſignificent extremum tentationis quoad intellectualia, inde quoque conſtat; tentatio quoad voluntaria ſeu cupiditates nuſquam poteſt ſeparari a tentatione quoad intellectualia; ſi ſepararetur, non foret aliqua tentatio, ſed inundatio qualis apud eos, qui in cupiditatum incendiis vivunt, in quibus, ſicut infernales ſpiritus, jucunda vitæ ſuæ percipiunt: cataractæ cœli dicuntur ex inundatione falſorum ſeu ratiociniorum, de quibus etiam apud Eſaiam, "Fugiens præ voce pavoris cadet in foveam, & aſcen-"dens e medio foveæ capietur in laqueo, nam *Cataractæ ab alto apertæ* ſunt, "& commota fundamenta terræ," XXIV: 18.

758. Verſ: 12. *Et fuit imber ſuper terra quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, ſignificat quod hæc tentatio duraverit; imber eſt tentatio, quadraginta dies & noctes eſt duratio.

759. Quod imber hic ſit tentatio, conſtare poteſt ab illis, quæ de diluvio & inundatione prius dicta & oſtenſa ſunt; tum quod fontes abyſſi diſrupti, & cataractæ cœli apertæ ſint tentationes.

760. Quod quadraginta dies & quadraginta noctes ſignificent durationem, ſupra ad verſ: 4 oſtenſum eſt: per quadraginta, ut dictum, ſignificatur omnis duratio tentationis, ſive major ſive minor ſit, & quidem tentatio gravis, quæ eſt voluntariorum: homo enim vitam ſibi per continuas voluptates, & per amores mundi & ſui, proinde per cupiditates, quæ ſunt continua amorum iſtorum, comparavit, ſic ut vita ejus nihil aliud ſit quam talium; quæ vita nuſquam concordare poteſt cum vita cœleſti; nam amare mundana nemo poteſt & ſimul cœleſtia, amare mundana eſt ſpectare deorſum, amare cœleſtia eſt ſpectare ſurſum; minus poteſt quiſquam amare ſe, & ſimul proximum, & adhuc minus Dominum; qui ſe amat, omnes, qui ipſi non ſerviunt, odit; ita, qui ſe amat, remotiſſime abeſt ab amore & charitate cœleſti, quæ eſt ut amet proximum plus quam ſe, & Dominum ſupra omnia; ex his conſtat, quantum vita hominis diſtat a vita cœleſti, quare per tentationes a Domino regeneratur, & flectitur ut uſque concordet: hæc cauſa eſt, quod hæc tentatio ſit gravis, ipſam enim vitam hominis tangit, aggreditur, deſtruit & mutat, quare etiam deſcribitur illa per quod fontes abyſſi ſint diſrupti, & quod cataractæ cœli ſint apertæ.

761. Quod Tentatio ſpiritualis apud hominem, ſit pugna ſpirituum malorum cum angelis, qui apud hominem, & quod illa pugna communiter in ejus conſcientia ſentiatur, prius dictum eſt: de qua pugna porro hoc ſciendum eſt, quod angeli continuo defendant hominem, & avertant mala, quæ mali ſpiritus ei intendunt; etiam quæ falſa ſunt & mala apud hominem defendunt, nam norunt optime unde homini falſa & mala, nempe quod a malis ſpiritibus & geniis; homo nuſquam producit a ſe aliquid falſum & malum, ſed ſunt mali ſpiritus, qui apud eum, qui producunt & ſimul faciunt hominem credere, quod ex ipſomet, talis eſt malignitas eorum, & adhuc magis, momento cum infundunt & faciunt credere, etiam accuſant & damnant; quod

multis

multis experientiis confirmare poſſum: homo qui non fidem habet in Dominum, non poteſt illuſtrari, quin credat, quod malum ſit ab ipſo, quare etiam appropriat ſibi malum, & fit ſimilis ſpiritibus iſtis malis, qui apud eum; ita ſe res habet cum homine: hoc quia Angeli norunt, etiam in tentationibus regenerationis falſa & mala hominis defendunt, alioquin ſuccumberet, quia apud hominem nihil niſi quam malum eſt & inde falſum, ſic ut ſit malorum & inde falſorum mera congeries & compoſitio.

762. Sed tentationes ſpirituales parum hodie notæ ſunt, nec permittuntur ita ut olim, quia homo non in veritate fidei eſt, ſic etenim ſuccumberet; loco illarum ſunt alia, ut infortunia, triſtitiæ & anxietates, quæ a cauſis naturalibus & coporeis exiſtunt, ſicut etiam ægritudines corporis & morbi, quæ uſque vitam ejus voluptatum & cupiditatum aliquantum domant & frangunt, & cogitationes ad interiora & pia determinant & elevant; ſed non ſunt tentationes ſpirituales, quæ non dantur niſi apud eos, qui conſcientiam veri & boni a Domino acceperunt; ipſa conſcientia eſt planum illarum, in quod operantur.

763. De Tentationibus huc uſque actum eſt, ſequitur nunc finis tentationis, qui fuit ut nova Eccleſia exiſteret.

764. Verſ: 13. *In ipſo die hoc intravit Noach, & Schem, & Cham, & Japheth, filii Noachi, & tres uxores filiorum ejus cum illis in arcam.* Per quod intrarent in arcam, ſignificatur hic ut prius, quod ſalvati: per Noachum, quod fuit Eccleſiæ: per Schem, Cham & Japheth, quod fuit Eccleſiarum inde: per filios Noachi, doctrinalia: per tres uxores filiorum ejus cum illis, ipſæ Eccleſiæ inde.

765. Huc uſque actum de tentatione hominis Eccleſiæ, Noachus dicti, & quidem primum de tentatione ejus quoad intellectualia, quæ ſunt vera fidei, a verſ: 6, ad 10. & dein de tentatione ejus quoad voluntaria, quæ ſpectant bona charitatis; verſ: 11, 12. finis tentationum fuit, ut inde renaſceretur homo Eccleſiæ, ſeu Eccleſia nova, pereunte Antiquiſſima: hæc Eccleſia, ut prius dictum, diverſæ indolis fuit ab Antiquiſſima, nempe ſpiritualis, quæ talis eſt, ut homo per doctrinalia fidei renaſcatur, quæ cum implantata ſunt, tunc inſinuatur ei conſcientia, ne contra verum & bonum fidei agat, & ſic donatur charitate, quæ conſcientiam ejus regit, ex qua ſic agere incipit; ex quibus conſtare poteſt, quid Spiritualis homo, non qui putat fidem abſque charitate ſalvare, ſed qui eſſentiale fidei facit charitatem, & inde agit: ut talis homo, ſeu talis Eccleſia exiſteret, fuit finis, quare nunc de ipſa hac Eccleſia agitur: quod nunc de Eccleſia agatur, conſtare etiam poteſt a repetitione quaſi ejuſdem rei, dicitur enim hic, "In ipſo hoc die intravit Noach, "& Schem, & Cham, & Japheth, filii Noachi, & uxor Noachi, & tres "uxores filiorum ejus cum illis in arcam," ſupra verſ: 7 ſimiliter, ſed his verbis, "& intravit Noach, & filii ejus & uxor ejus, & uxores filiorum ejus "cum illo in arcam," ſed quia nunc de Eccleſia agitur, nominantur filii Schem, Cham & Japheth, qui cum nominantur, ſignificant hominem Eccleſiæ; at cum vocantur filii, abſque nominibus, ſignificant vera fidei: præterea repetuntur iterum, quæ prius dicta ſunt, verſ: 8, 9. de beſtiis & avibus, quod

intrarint in arcam, verſ: 14, 15, 16. ſed cum varietate conveniente & applicabili hic ad Eccleſiam.

767. Quod intrarint in arcam, ſignificet ſalvatos eſſe, nempe hominem Eccleſiæ, qui Noachus, & ab illo deſcendentes & derivatas Eccleſias cæteras, de quibus hic ſermo, conſtare poteſt ex iis, quæ prius de intrare in arcam, dicta ſunt.

768. Quod per Noachum, ſignificetur quod fuit Eccleſiæ, & per Schem, Cham & Japheth, quod fuit Eccleſiarum inde, conſtat ex eo, quod hic non filii ejus, ut prius verſ: 7, ſed ipſi quoad nomina, dicantur; cum nominantur ita, ſignificant hominem Eccleſiæ; homo Eccleſiæ non ſolum eſt ipſa Eccleſia, ſed omne Eccleſiæ; eſt vox communis comprehendens quicquid eſt Eccleſiæ, ſicut prius dictum de Antiquiſſima Eccleſia, quæ dicta fuit Homo, ſimiliter de cæteris, qui nominati ſunt; ita per Noachum, & per Schem, Cham & Japheth, ſignificatur quicquid eſt Eccleſiæ, & Eccleſiarum inde, in uno complexu, talis eſt ſtylus & modus loquendi in Verbo; ſicut ubi nominatur Judas, ſignificatur, apud Prophetas plurimum Eccleſia Cœleſtis ſeu quicquid eſt Eccleſiæ; ubi nominatur Iſrael ſignificatur plurimum Eccleſia Spiritualis, ſeu quicquid eſt Eccleſiæ illius; ubi Jacob, ſignificatur Eccleſia externa; nam apud unumquemvis hominem Eccleſiæ datur internum Eccleſiæ & externum, internum eſt ubi vera Eccleſia, externum eſt quod inde, id eſt Jacob: aliter cum non nominantur: cauſa, quod ita ſit, eſt, quod ſe referant tunc ad Regnum Domini repræſentative, Dominus eſt Solus Homo & eſt omne Regni ſui, & quia Eccleſia eſt Regnum Domini in terris, eſt Dominus Solus omne Eccleſiæ: omne Eccleſiæ eſt Amor ſeu charitas, quare Homo, ſeu quod idem, nomine nominatus, ſignificat amorem ſeu charitatem, hoc eſt, omne Eccleſiæ, & tunc uxor ſimpliciter Eccleſiam quæ inde; ut quoque hic. Sed quales Eccleſiæ ſignificantur per Schem, Cham, & Japheth, in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur.

769. Quod per filios Noachi ſignificentur doctrinalia, conſtat a ſignificatione filiorum, de qua prius; Eccleſia enim non dari poteſt abſque doctrinalibus, quare etiam non ſolum nominantur, ſed etiam additur, quod filii ejus.

770. Quod per uxorem Noachi ſignificetur ipſa Eccleſia, & per tres uxores filiorum ejus cum illis, ipſæ Eccleſiæ inde, conſtat ex illis quæ dicta ſunt, nempe cum homo Eccleſiæ nominatur quod ſit omne Eccleſiæ, ſeu, ut appellatur, caput Eccleſiæ; & tunc Uxor eſt Eccleſia, ſicut prius oſtenſum, n: 252, 253. aliter cum in Verbo, Vir & Uxor, aut Maſculus & Fæmina, tunc per virum & maſculum ſignificantur Intellectualia ſeu vera fidei, & per uxorem & fæminam Voluntaria, ſeu bona fidei.

771. Quia unaquævis vox in Verbo a Domino eſt, & ita Divinum unicuique ineſt, conſtat quod nuſquam aliqua vox, ne quidem jotha ſit, quæ non aliquid ſignificat & involvit, ita quoque quod hic dicatur, *Tres* uxores, tum

tum uxores *filiorum ejus*, ut & *cum illis*; ſed quid ſingula involvunt, prolixum foret exponere, ſatis eſt modo ideam communem communiſſimorum dare.

772. Verſ: 14, 15. *Illi, & omnis fera ſecundum ſpeciem ſuam; & omnis beſtia ſecundum ſpeciem ſuam: & omne reptile repens ſuper terra ſecundum ſpeciem ſuam; & omnis avis ſecundum ſpeciem ſuam, omnis volucris, omne alatum. Et intrarunt ad Noachum in arcam; bina bina de omni carne, in qua ſpiritus vitarum.* Per illi, ſignificatur in genere homo Eccleſiæ: per omnem feram ſecundum ſpeciem ſuam, ſignificatur omne bonum ſpirituale: per beſtiam ſecundum ſpeciem ſuam, bonum naturale: per omne reptile repens ſuper terra ſecundum ſpeciem ſuam, omne bonum ſenſuale & corporeum: per avem ſecundum ſpeciem ſuam, omne ſpirituale verum: per volucrem, naturale verum: per alatum, ſenſuale verum: quod intrarunt ad Noachum in arcam, ſignificant, ut prius, quod ſalvata; bina & bina, ſignificant, ut prius, paria: de omni carne, in qua ſpiritus vitarum, ſignificant novam creaturam, ſeu quod vitam novam acceperunt a Domino.

773. Quod per *Illi* ſignificetur in genere homo Eccleſiæ, ſeu omne quod fuit hujus Eccleſiæ, conſtat ex eo, quod ſe referant ad illos, qui mox nominati ſunt, ad Noachum, Schemum, Chamum & Japhetum; qui tametſi quatuor ſunt, uſque ſimul conſtituunt unum: in Noacho, per quem in genere intelligitur Antiqua Eccleſia, continentur ſicut in parente aut ſemine, Eccleſiæ inde; quare per *Illi* ſignificatur Eccleſia Antiqua; omnes illæ Eccleſiæ, quæ Schem, Cham & Japheth dictæ ſunt, conſtituunt ſimul Eccleſiam, quæ Eccleſia Antiqua vocatur.

774. Quod per feram ſecundum ſpeciem ſuam ſignificetur omne bonum ſpirituale; & per beſtiam ſecundum ſpeciem ſuam omne bonum naturale; & per reptile repens ſuper terra, omne bonum ſenſuale & corporeum, prius dictum & oſtenſum eſt n: 45, 46, 142, 143, 246. at quod fera ſignificet bonum ſpirituale, primo intuitu quidem apparere poteſt, ſicut quod ita non eſſet; ſed conſtare poteſt a ſerie rerum, quod primum dicantur *Illi*, hoc eſt, homo Eccleſiæ, dein Fera, tum Beſtia, demum Reptile, quare Fera quid dignius & excellentius involvit quam beſtia, ex cauſa quia vox illa in Lingua Hebræa etiam ſignificat Animal in quo anima vivens; ita quoque hic non ſignificat feram, ſed animal in quo anima vivens, nam eadem vox eſt. Quod per animalia, beſtias & reptilia repentia ſuper terra ſignificentur voluntaria, prius dictum & oſtenſum eſt, & porro in his ſequentibus, ubi de avibus, oſtendetur.

775. Quia omnium dantur genera & ſpecies, tam ſcilicet bonorum ſpiritualium, quam bonorum naturalium, tum etiam ſenſualium & corporeorum inde, hic dicitur de unoquovis, ſecundum ſpeciem ſuam: tot Genera bonorum ſpiritualium dantur, ſimiliter tot Genera verorum ſpiritualium, ut nuſquam poſſint recenſeri; minus adhuc Species, quæ generum ſunt: in Cœlo ſunt omnia Bona & Vera Cœleſtia & Spiritualia ita in ſua genera, & hæc

in ſuas ſpecies diſtincta, ut ne hilum ſit, quod non diſtinctiſſimum; & tam innumerabilia ſunt, ut differentiæ ſpecificæ poſſint dici indefinitæ; ex quibus quam egena, & fere nulla ſapientia humana ſit, conſtare poteſt, quæ neſcit fere, quod bonum & verum ſpirituale ſit, minus quid ſit. Ex Bonis Cœleſtibus & Spiritualibus, & veris inde, exiſtunt & deſcendunt bona & vera naturalia, nam nuſquam datur aliquod bonum & verum naturale, quod non exiſtit a bono ſpirituali, & hoc a cœleſti, & ab iiſdem ſubſiſtit; ſi recederet ſpirituale a naturali, naturale nullum foret: origo rerum omnium ſe ita habet, omnia & ſingula ſunt a Domino, ab Ipſo eſt Cœleſte, per Cœleſte ab Ipſo exiſtit ſpirituale, per Spirituale naturale, per Naturale corporeum & ſenſuale, & ſicut exiſtit a Domino ita, etiam ſubſiſtit ita, nam, ut notum eſt, ſubſiſtentia eſt perpetua exiſtentia: qui aliter rerum exiſtentias & ortus capiunt, ut ii, qui naturam colunt, & ex ea ducunt rerum origines, in tam funeſtis principiis ſunt, ut ferarum ſylvæ phantaſiæ poſſint multo ſaniores vocari; tales ſunt perplures, qui aliis præeminere ſapientia ſibi videntur.

776. Quod per avem ſecundum ſpeciem ſuam ſignificetur omne ſpirituale verum; per volucrem, naturale verum; per alatum, ſenſuale verum, conſtat ab illis quæ prius de avibus dicta & oſtenſa ſunt, ut n: 40. Antiquiſſimi aſſimilarunt cogitata hominis avibus, quia ita ſe habent reſpective ad voluntaria: quia hic nominantur avis, & volucris, & alatum, & hæc ſuccedunt, ſicut in homine Intellectualia, Rationalia & Senſualia, ne cui dubium ſit, quin illa ſignificent, licet adhuc quædam loca ex Verbo confirmantia, adducere, ex quibus etiam patet, quod Beſtiæ talia, quæ dicta ſunt, ſignificent; apud Davidem, "Dominari feciſti Illum ſuper opera manuum tuarum, "omnia poſuiſti ſub pedibus Illius, *Gregem* & *Armenta* omnia, & etiam "*Beſtias* agrorum, *Volucrem* cœlorum, & piſces maris:" Pſalm: VIII: 7, 8. ubi de Domino, Cujus dominium ſuper hominem, & ſuper quæ ſunt hominis, ita deſcribuntur; aliter, quid foret dominium ſuper beſtias & aves. Apud Eundem, "Arbor fructus, & omnes cedri, *Fera*, & omnis *Beſtia*, "*Reptile*, & *Volucris alæ*, glorificabunt nomen Jehovæ," Pſalm: CXLVIII: 9, 10, 13. Arbor fructus eſt Cœleſtis homo, cedrus eſt ſpiriritualis homo, fera & beſtia & reptile, illorum bona, ſicut hic, volucris alæ illorum vera, ex quibus glorificare poſſunt nomen Jehovæ, nequaquam poteſt fera, beſtia, reptile, volucris; in ſcriptis prophanis talia hyperbolice dici poſſunt, ſed in Verbo Domini nuſquam hyperbolica ſunt, ſed ſignificativa & repræſentativa. Apud Ezechielem, "Contremiſcent coram Me piſces maris, & *Avis* cœlorum, "& *Fera* agri, & omne *Reptile repens* ſuper humo, & omnis homo, qui ſuper "faciebus humi," XXXVIII: 20. quod hic beſtiæ & aves talia ſignificent, conſtat manifeſte, nam quid gloriæ Jehovæ ſi contremiſcerent piſces, aves, beſtiæ; an quiſque putare poteſt, quod tales loquutiones forent ſanctæ, ſi non ſancta involverent. Apud Jeremiam, "Vidi & ecce non *Homo*, omnis "*Avis* cœlorum aufugit," IV: 25. pro quod omne bonum & verum, hic

quoque

quoque homo pro bono amoris. Apud Eundem, " Vaſtata ſunt, ut non " ſit vir tranſiens, & non audiunt vocem *Pecoris*, ab *Ave* cœlorum & uſque " ad *Beſtiam*, evagati ſunt, abiverunt," IX: 9. ſimiliter, pro quod omne verum & bonum abivit. Apud Eundem, " Quouſque lugebit terra, & " herba omnis agri exareſcet, propter malitiam habitantium in ea, periit " *Beſtiæ* & *Avis*, quia dixerunt, non videbit noviſſimum noſtrum," XII : 4. ubi beſtiæ pro bonis, & avis pro veris, quæ perierunt. Apud Zephaniam, " Conſumam *Hominem* & *Beſtiam*, conſumam *Avem* cœlorum, & piſces ma- " ris, & offendicula cum impiis, & exſcindam Hominem a faciebus humi," I : 3, ubi homo & beſtia pro illis quæ ſunt amoris & inde boni; avis cœlorum & piſces maris pro illis quæ ſunt intellectus, ita quæ ſunt veri, quæ vocantur offendicula, quia impiis bona & vera ſunt offendicula, non beſtiæ & aves; quod ſint illa quæ hominis, manifeſte etiam dicitur. Apud Davidem, " Saturantur arbores Jehovæ, & cedri Libani, quas plantavit, ubi *Vo-* " *lucres* nidificant," Pſalm: CIV: 16, 17. arbores Jehovæ, & cedri Libani pro ſpirituali homine; volucres pro ejus veris rationalibus aut naturalibus, quæ ſunt quaſi nidi. Alioquin communis formula loquendi fuit, quod nidificarent aves in ramis, qua ſignificabantur vera; ut apud Ezechielem, " In " monte altitudinis Iſraelis plantabo illum, & attollet ramum, & faciet " fructum, & erit in cedrum magnificam, & habitabunt ſub illa omnis *Vo-* " *lucris omnis alæ*, in umbra ramorum ejus habitabunt," XVII : 23. pro Eccleſia gentium, quæ ſpiritualis, quæ eſt cedrus magnifica, avis omnis alæ pro veris omnis generis. Apud Eundem, " In ramis ejus nidificarunt omnis *Avis* cælorum, & ſub ramis ejus genuerunt omnis *Fera* agri, ac in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnæ," XXXI : 6, de Aſchure, qui eſt Eccleſia ſpiritualis, & vocatur cedrus, avis cœlorum pro veris ejus, beſtia pro bonis. Apud Danielem, " Ramus ejus pulcher, & " fructus ejus multus, & eſca omnibus in ea, ſub illa umbram habebat " *Beſtia* agri, & in ramis ejus habebant *Volucres* Cœli," IV : 9, 18. ubi beſtia pro bonis, volucris cœlorum pro veris; quod unicuivis conſtare poteſt, nam quid foret, quod ibi habitaret avis & beſtia. Similiter quæ Dominus loquutus, " Regnum Dei ſimile eſt grano ſinapis, quod accipiens homo projecit in " hortum ſuum, crevitque, & factum eſt in arborem magnam, ut *Aves* Cœli " habitarint in ramis ejus," Luc: XIII : 19. Matth: XIII : 32. Marc: IV: 32.

777. Quod avis ſignificet verum ſpirituale, volucris verum naturale, alatum verum ſenſuale, conſtat inde, ita quoque diſtincta ſunt Vera: alata dicuntur vera ſenſualia, quæ ſunt viſus & auditus, quia extrema, qualis quoque eſt ſignificatio alæ applicatæ ad alia.

778. Quia nunc Aves cœlorum ſignificant intellectualia vera, ita Cogitationes, etiam ſignificant contraria, ut phantaſias ſeu falſa, quæ quia ſunt cogitationis hominis, quoque aves vocantur, ſicut quod impii darentur in cibum avibus cœli, & feris, pro phantaſiis & cupiditatibus, Eſ: XVIII : 6. Jer: VII : 33. Cap: XVI : 4. Cap: XIX: 7. Cap: XXXIV: 20. Ezech: XXX: 5: Cap: XXXIX : 4. Ipſe Dominus quoque phantaſias & perſuaſiones falſi com-

parat avibus, ubi dicit, "Semen quod cecidit ſuper viam duram, conculcatum eſt, & *Aves* cœli comederunt illud," Matth: XIII: 4. Luc: VIII: 5. Marc: IV: 4, 15. ubi aves cœli non aliud ſunt quam falſa.

779. Quod intrarunt ad Noachum in arcam, ſignificet quod ſalvata ſint, prius dictum eſt. Quod bina & bina ſignificent paria, quæ quid ſint, videatur, Cap: præc: VI ad verſ: 19.

780. Quod de omni carne, in qua ſpiritus vitarum, ſignificet novam creaturam, ſeu quod novam vitam acceperint a Domino, conſtare poteſt a ſignificatione carnis, quod ſit omnis homo in genere, & corporeus in ſpecie, ut prius dictum & oſtenſum eſt; inde caro, in qua ſpiritus vitarum, ſignificat regeneratum; nam in proprio ejus, eſt Vita Domini, quæ eſt vita charitatis & fidei: omnis homo non eſt niſi caro, ſed cum vita charitatis & fidei ei a Domino inſpiratur, tunc vivificatur caro, & fit ſpiritualis & cœleſtis, & vocatur nova creatura, Marc: XVI: 15. ex eo quod e novo creatus.

781. Verſ: 16. *Et intrantes, maſculus & fæmina, de omni carne intrarunt, quemadmodum præceperat illi Deus; & clauſit Jehovah apud illum.* Intrantes ſignificant quæ apud hominem Eccleſiæ; maſculus & fæmina de omni carne intrarunt, ſignificant quod vera & bona omnis generis apud eum eſſent: ſicut præceperat Deus, ſignificat, ad quæ recipienda præparatus eſſet: & clauſit Jehovah poſt illum, ſignificat quod amplius non communicationem haberet homo cum cœlo, qualem cœleſtis Eccleſiæ homo.

782. Actum eſt huc uſque ad verſ: 11, de Eccleſia quod conſervata ſit in his, qui Noachus dicti; ſequitur nunc de ſtatu Eccleſiæ, qui deſcribitur, & quidem primum hic ſicut explicatum; dein qualis Eccleſiæ hujus ſtatus fuerit; ſinguli verſus, imo ſingula verba involvunt peculiarem ſtatum ejus; & quia nunc de ſtatu Eccleſiæ agitur, repetitur quod mox prius, & quidem bis, nempe, "& *intrantes*, maſculus & fæmina, de *omni carne*, *intrarunt*," cum in mox præcedente verſu, ita, "& *intrarunt* ad Noachum in arcam, *bina & bina*, de *omni carne*," quæ repetitio in Verbo ſignificat, quod de alio ſtatu agatur, alioquin, ut quiſque comprehendere poteſt, repetitio foret prorſus inanis.

783. Quod intrantes, ſignificent quæ apud hominem Eccleſiæ, conſtat inde: tum quod maſculus & fæmina de omni carne intrarunt, ſignificent, quod vera & bona omnis generis apud eum eſſent, quod quoque ſequitur; nam quod maſculus & fæmina ſignificent vera & bona, prius aliquoties dictum & oſtenſum eſt. Sicut præceperat Deus, quod ſignificet, ad quæ recipienda præparatus eſſet, de quibus, quod talia, etiam prius dictum eſt; præcipere apud Dominum eſt præparare & facere.

784. Quod clauſit Jehovah poſt illum, ſignificent, quod amplius non communicationem haberet homo cum Cœlo, qualem Cœleſtis Eccleſiæ homo; ita ſe res habet; Antiquiſſimæ Eccleſiæ ſtatus fuit, quod communicationem internam habuerint cum Cœlo, ita per cœlum cum Domino; in amore in Dominum fuerunt; qui in amore in Dominum, illi ſunt ſicut Angeli, modo cum differentia, quod corpore induti; interiora illorum aperta

fuerunt,

fuerunt, & patuerunt uſque a Domino: at Eccleſia hæc nova aliter, non in amore in Dominum fuit, ſed in fide, & per fidem in charitate erga proximum; ii non internam, ſicut antiquiſſimi, communicationem habere poſſunt, ſed externam; ſed qualis communicatio hæc & illa ſit, prolixum foret dicere: unuſquiſque homo communicationem habet, etiam impii per Angelos apud eos, ſed cum differentia quoad gradus, quod propius vel remotius, alioquin homo non poſſet eſſe; gradus communicationis ſunt indefiniti: ſpiritualis homo nuſquam talem communicationem habere poteſt, qualem cœleſtis homo, ex cauſa quia Dominus in amore eſt, non ita in fide; hoc nunc eſt quod ſignificat, quod Jehovah clauſit poſt illum: Poſt illa tempora nec uſquam apertum fuit Cœlum, ſicut Antiquiſſimæ Eccleſiæ homini; poſtea quidem plures loquuti ſunt cum ſpiritibus & angelis, ſicut Moſes, Aharon, & alii, ſed prorſus alio modo, de quo, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Cauſa, quod clauſum ſit cœlum, arcaniſſima eſt, tum quod hodie clauſum ſit ita, ut homo ne quidem ſciat, quod ſpiritus ſint, minus quod Angeli apud eum, & quod putet ſe prorſus ſolum eſſe, cum abſque ſociis in mundo, & cum apud ſe cogitat, cum tamen in conſortio ſpirituum eſt continue, qui tam probe animadvertunt & percipiunt, quid homo cogitat, & quid intendit, & machinatur, tam probe & aperte, ſicut exiſteret coram omnibus in mundo; hoc neſcit prorſus homo, ita clauſum eſt ei cœlum; cum tamen veriſſimum eſt: cauſa eſt, niſi clauſum fuiſſet ita apud eum cœlum, cum in nulla fide eſt, minus in veritate fidei, & adhuc minus in charitate, quod ei periculoſiſſimum foret: hoc ſignificatum etiam eſt, per quod Jehovah Deus ejecerit hominem, & habitare fecerit ab oriente ad hortum Edenis Cherubos, & flammam gladii vertentis ſe, ad cuſtodiendum viam arboris vitarum, prius, Cap: III: verſ: 24. videantur etiam quæ n: 301, 302, 303.

785. Verſ: 17, 18. *Et fuit diluvium quadraginta dies ſuper terra, & creverunt aquæ, & ſuſtulerunt arcam, & elevata eſt deſuper terra. Et corroboratæ aquæ, & auctæ valde ſuper terra; & ivit arca ſuper faciebus aquarum.* Per quadraginta dies ſignificatur duratio Eccleſiæ, Noachus, vocatæ: per diluvium, falſa quæ adhuc illam inundarunt: quod creverunt aquæ, & ſuſtulerunt arcam, & elevata ſit deſuper terra, ſignificant, quod ita ejus fluctuatio fuit: Corroboratæ aquæ, & auctæ valde ſuper terra, & ivit arca ſuper faciebus aquarum, ſignificant, quod fluctuationes ejus ita increbuerint.

786. Quod per quadraginta dies ſignificetur duratio Eccleſiæ, Noachus, vocatæ, ſupra ad verſ: 4, oſtenſum eſt; hic quadraginta dies, ibi quadraginta dies & noctes, quia ibi ſignificabatur duratio tentationis, in qua noctes ſunt anxietates.

787. Quod per diluvium ſignificentur falſa, quæ adhuc illam inundarunt, ſequitur etiam inde; nam diluvium ſeu inundatio non eſt niſi falſorum: prius verſ: 6. diluvium aquarum ſignificabat tentationem, ut ibi oſtenſum, quæ inundatio etiam eſt falſorum, quæ mali ſpiritus tunc apud hominem

 exci-

excitant; hic ſimiliter ſed abſque tentatione; quare hic ſimpliciter diluvium, non diluvium aquarum, dicitur.

788. Quod creverunt aquæ, & ſuſtulerunt arcam, & elevata ſit deſuper terra, ſignificent, quod ita ejus fluctuatio fuit: & quod corroboratæ aquæ, & auctæ valde ſuper terra & ivit arca ſuper faciebus aquarum, ſignificent, quod fluctuationes ejus ita increbuerint, non conſtare poteſt, niſi prius dicatur, qualis fuit ſtatus hujus Eccleſiæ, quæ Noachus vocatur: Noachus non fuit ipſa Antiqua Eccleſia, ſed ſicut parens aut ſemen iſtius Eccleſiæ, ut prius dictum, ſed Noachus cum Schemo, Chamo, & Japheto, conſtituebant Eccleſiam Antiquam, quæ immediate ſucceſſit Eccleſiæ Antiquiſſimæ; omnis homo Eccleſiæ, Noachus, dictus, fuit ex poſteris Eccleſiæ Antiquiſſimæ, proinde in ſimili fere ſtatu quoad malum hæreditarium, ſicut cætera poſteritas, quæ periit; & qui in ſimili ſtatu, non potuerunt regenerari & fieri ſpirituales, ſicut ii qui non ex hæreditario tale trahunt; quale hæreditarium habuerunt, dictum prius eſt, n: 310: ut hoc clarius ſciatur, quomodo ſe habet; qui ex ſemine Jacobi ſunt, ut Judæi, non ita regenerari poſſunt, ac gentes; inhæret non ſolum contrarium fidei ex principiis captis ab infantia, & dein confirmatis, ſed etiam ex hæreditario; quod inhæreat etiam ex hæreditario, aliquantum conſtare poteſt ex eo, quod diverſo genio ſint, imo diverſis moribus, ut & diverſa facie a reliquis, a quibus dignoſci poſſunt, quæ ſunt ex hæreditario; ita quoque quoad interiora, nam mores & facies ſunt interiorum typi; quare etiam Judæi converſi, præ aliis fluctuant inter verum & falſum: ſimiliter primi homines hujus Eccleſiæ, qui Noachus vocantur, quia ex proſapia & ſemine Antiquiſſimorum fuerunt: hæ fluctuationes ſunt, quæ hic deſcribuntur; & dein in ſequentibus, quod Noachus fuerit vir humi, & quod plantaverit vineam, & biberit ex vino, & inebriatus ſit, ita ut nudatus jaceret in medio tentorii, Cap: IX: 20, 21. Quod pauci fuerint, conſtare mihi potuit ex eo, quod homo Eccleſiæ iſtius in mundo ſpirituum repræſentetur ſicut vir longus & gracilis, indutus candido, in arcto conclavi: ſed uſque hi fuerunt, qui doctrinalia fidei conſervarunt, & apud ſe habuerunt.

789. Fluctuationes hominis hujus Eccleſiæ deſcribuntur hic per quod primum creverint aquæ, hoc eſt, falſa; tum quod ſuſtulerint arcam; adhuc, quod elevata ſit deſuper terra; dein quod corroboratæ aquæ & auctæ valde ſuper terra; demum quod iverit arca ſuper faciebus aquarum; ſed ſingulos fluctuationis gradus deſcribere, & prolixum nimis & ſupervacaneum foret; ſatis eſt, quod ſciatur, hic deſcribi illos; ſolum quid ſignificet, quod arca elevata ſit deſuper terra, & iverit ſuper faciebus aquarum, quod conſtare nemini poteſt, niſi ſit inſtructus, quomodo homo a malis & falſis detinetur, hoc quia arcanum eſt, paucis deſcribendum: omnis homo in genere, tum quoque regeneratus, talis eſt, ut niſi Dominus detineat eum a malis & falſis, quod ſe præcipitem conjiciat in infernum, & quo momento non detinetur, præceps ruit, quod per experientias mihi notum factum, & repræſentatum quoque per equum, de quo videatur, n: 187, 188.: hæc detentio a malis & falſis non aliter ſe habet ac elevatio, ſic ut mala & falſa percipiantur infra, & is ſupra; de

qua

qua elevatione, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: hæc elevatio eſt, quæ ſignificatur per arcam, quod elevata ſit deſuper terra, & quod iverit arca ſuper faciebus aquarum.

790. Quod Aquæ hic & in ſequentibus ſignificent falſa, conſtare poteſt ab illis locis ex Verbo, quæ in præmiſſis hujus Capitis, & quæ ad verſ: 6: hujus Capitis, allata ſunt, ubi de diluvio ſeu inundatione aquarum; ibi oſtenſum eſt, quod inundationes aquarum ſignificaverint Deſolationes & Tentationes, quæ idem involvunt ac falſa, nam deſolationes & tentationes non ſunt niſi quam inundationes falſorum excitatorum a malis ſpiritibus; quod tales aquæ falſa ſignificent, inde eſt, quia in genere Aquæ in Verbo ſignificant ſpirituale, hoc eſt, intellectuale, rationale & ſcientificum, & quia hæc, etiam ſignificant contraria, omne enim falſum eſt ſcientificum quoddam, & apparet ſicut rationale & intellectuale, quia eſt cogitationis: quod Aquæ ſpiritualia ſignificent, ex plurimis locis in Verbo conſtat; at quod etiam falſa, præter illa, quæ prius adducta ſunt, ſint ſequentia hæc confirmationi: apud Eſaiam, "Reprobavit populus hic *Aquas* Schiloach euntes leniter; ideo ecce Dominus "aſcendere faciens ſuper eos *Aquas fluminis validas & multas*; & aſcendet ſu-"per omnes rivos ejus, & ibit ſuper omnes ripas ejus," VIII: 6, 7. ubi aquæ leniter euntes pro ſpiritualibus, aquæ validæ & multæ pro falſis. Apud Eundem, "Væ terræ inumbranti alis, quæ trans flumina Kuſchi, mittens in "mare legatos, & in vaſis junci ſuper *faciebus Aquarum:* ite legati celeres ad "gentem delineatam & conculcatam, cujus terram deprædata ſunt *Flumina*," XVIII: 2. pro falſis, quæ ſunt terræ incumbrantis alis. Apud Eundem, Cum tranſibis per *Aquas*, tecum Ego, & per *Flumina*, non ſubmergent te," XLIII: 2. aquæ & flumina pro difficultatibus, tum pro falſis. Apud Jeremiam, "Quid tibi cum via Ægypti, ad bibendum *Aquas* Schichoris; & quid tibi cum via Aſchuris, ad bibendum *Aquas* fluminis," II. 18. aquæ pro falſis ex ratiociniis. Apud Eundem, "Quis hic ſicut *Flumen* aſcendit, ſicut *Flu-"mina* commoventur *Aquæ* ejus; Ægyptus ſicut *Flumen* aſcendit, & ſicut "*Flumina* commoventur *Aquæ*, & dixit, aſcendam, *operiam terram*, perdam "urbem, & habitantes in ea," XLVI: 7, 8. aquæ pro falſis ex ratiociniis. Apud Ezechielem, "Sic dixit Dominus Jehovih, cum dedero te urbem vaſta-"tam, ſicut urbes, quæ non habitantur, cum aſcendere fecero ſupra te *a-"byſſum*, & *operuerint te Aquæ multæ*, & deſcendere te fecero cum deſcen-"dentibus in foveam," XXVI: 19. Aquæ pro malis & falſis inde. Apud Habakuk, "Calcaſti *mare* equis tuis, lutum *Aquarum* multarum," III. 15. aquæ pro falſis. Apud Johannem, "Ejecit draco poſt mulierem ex ore ſuo "*Aquam* ſicut *fluvium*, ut eam a *flumine* abſorptam faceret," Apoc: XII: 15, 16. ubi aquæ pro falſis & mendaciis. Apud Davidem, "Mitte manus tuas "de alto, eripe me, & libera me ex *Aquis multis*, e manu filiorum alienige-"næ, quorum os loquitur *mendacium*, & dextra eorum dextra *falſitatis*," Pſalm: CXLIV: 7, 8. ubi aquæ multæ manifeſte pro falſis; filii alienigenæ quoque ſignificant falſa.

791.

791. Hic nunc actum eſt de Noacho, ſeu de regeneratis, qui Noachus vocati, qui in Arca fuerunt, & elevati ſupra aquas; ſequitur nunc de poſteris Antiquiſſimæ Eccleſiæ, qui ſub aquis, ſeu aquis ſubmerſi ſunt.

792. Verſ: 19, 20. *Et aquæ corroboratæ valde valde ſuper terra, & operti ſunt omnes montes alti, qui ſub toto cælo. Quindecim cubitis de ſurſum ſuperarunt aquæ, & operuerunt montes.* Aquæ corroboratæ valde valde, ſuper terra, ſignificant perſuaſiones falſi, quod ita accreverint: & operti ſunt omnes montes alti, qui ſub toto cælo, ſignificant quod omnia bona charitatis exſtincta ſunt: quod quindecim cubitis de ſurſum ſuperarunt aquæ, & operuerunt montes, ſignificant quod nihil reſidui eſſet de charitate; quindecim ſignificant ita paucum, ut vix quicquam.

793. Hic nunc uſque ad finem hujus Capitis agitur de Antediluvianis, qui perierunt, quod conſtare poteſt a ſingulis deſcriptionis; qui in ſenſu interno ſunt, illico & quidem ex unica voce ſcire poſſunt, de qua re agitur, magis ex connexu plurium; cum de alia re agitur, illico ſunt aliæ voces, aut eædem voces aliter connexæ; cauſa eſt, quia voces peculiares ſunt pro rebus ſpiritualibus, & peculiares pro cœleſtibus, ſeu, quod idem, pro intellectualibus & pro voluntariis; ſicut pro exemplo, deſolatio eſt vox ſpiritualium, vaſtatio eſt cœleſtium; urbs eſt ſpiritualium, mons eſt cœleſtium, & ſic porro; ſimiliter in connexionibus; & quod quiſque non poteſt non mirari, in Lingua Hebræa diſtinguuntur perſæpe ſono, quæ ad claſſem ſpiritualium pertinent, in iis dominari ſolent vocales tres primæ; in quibus cœleſtia, vocales binæ ultimæ: quod hic nunc de alia re agatur, etiam inde cognoſcitur, tum a repetitione, de qua prius, quod nempe hic iterum dicatur, "Et aquæ corroboratæ ſunt valde valde ſuper terra," quod in verſ: præc: etiam dictum; tum ab omnibus, quæ ſequuntur.

794. Et aquæ corroboratæ valde valde ſuper terra, quod ſignificent perſuaſiones falſi, quod ita accreverint, conſtat ex illis quæ mox prius de aquis dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe aquæ diluvii ſeu inundantes ſignificent falſa, hic quia adhuc magis falſa ſeu perſuaſiones falſi, dicitur quod corroboratæ ſint aquæ valde valde, quod eſt ſuperlativum Linguæ originalis. Falſa ſunt principia falſi, & perſuaſiones falſi, quæ quod apud Antediluvianos accreverint immenſum, ab illis, quæ prius dicta ſunt de iis, conſtat: Perſuaſiones immenſum creſcunt, cum vera infundunt cupiditatibus, ſeu faciunt ut amoribus ſui & mundi faveant, tunc enim pervertunt illa, & cogunt mille modis in conſenſum; quis enim eſt, qui principium falſi hauſit, aut ſibi finxit, qui non confirmat id ex multo ſcientifico apud eum, imo etiam ex Verbo; an ulla hæreſis eſt, quæ non confirmantia ſic capit, & quæ non conſentiunt, uſque cogit, ac diverſimode explicat & detorquet, ut non diſſentiant; ſicut qui capit principium, quod ſola fides ſalvet abſque bonis charitatis, annon integrum ſyſtema doctrinæ ex Verbo contexere queat, & tamen ne hilum curat, ne quidem attendit, imo nec videt, quod Dominus dixit, quod Arbor cognoſcatur ex fructu, & quæ arbor non bonum fructum fert, exſcindetur & projicietur

jicietur in ignem, Matth: VII: 16, 17, 18, 19, 20. Cap: XII: 33. quid magis placet, quam vivere ſecundum carnem, & uſque ſalvari, modo ſciat quid verum, tametſi ne hilum boni agat: omnis cupiditas, cui homo favet, vitam ejus voluntatis facit, & omne principium, ſeu omnis perſuaſio falſi, vitam ejus intellectus facit, hæ vitæ unam faciunt, cum vera ſeu doctrinalia fidei immergunt cupiditatibus; quiſque homo ita quaſi animam ſibi format, cujus vita fit talis poſt mortem; quare nihil plus intereſt homini, quam ſcire quid verum; cum ſcit quid verum, & quidem ita, ut non perverti poſſit, tunc non ita infundi poteſt cupiditatibus, & mortiferum facere; quid plus homini cordi eſſe debet, quam vita ejus in æternum, ſi animam ſuam in vita corporis deſtruit, anne eam in æternum.

795. Quod operti ſunt omnes montes alti, qui ſub toto cœlo, ſignificent quod omnia bona charitatis exſtincta ſint, conſtat a ſignificatione *Montium* apud Antiquiſſimos: Montes apud eos ſignificabant Dominum, quia cultum Ipſius ſuper montibus habuerunt, ex cauſa, quia Montes erant editiſſima terræ, inde Montes ſignificabant cœleſtia, quæ etiam Altiſſima appellabant, proinde amorem & charitatem, ita bona amoris & charitatis, quæ Cœleſtia ſunt. In contrario ſenſu etiam Montes vocantur in Verbo qui elati animo ſunt, ita ipſe Amor ſui. Antiquiſſima Eccleſia etiam ſignificatur in Verbo per Montes, ex eo quod montes elevati ſunt ſuper terra, & propiores quaſi cœlo, rerum principiis. Quod Montes ſignificent Dominum, & omnia Cœleſtia inde, ſeu bona amoris & charitatis, conſtat a ſequentibus in Verbo locis, ex quibus patet, quid in ſpecie ſignificant, nam ſe habent omnia & ſingula ad rem, de qua, applicate; apud Davidem, "Ferent *Montes* pacem, & *Colles* "in juſtitia," Pſalm: LXXII: 3. montes pro amore in Dominum, colles pro amore erga proximum, quali apud Antiquiſſimam Eccleſiam, quæ quoque per montes & colles ideo, quia talis, in Verbo, ſignificatur. Apud Ezechielem, "In *Monte ſanctitatis* meæ, in *Monte Altitudinis* Iſraelis, dictum "Domini Jehovih, ubi ſervient Mihi omnis domus Iſraelis tota illa in terra," XX: 40. ubi mons ſanctitatis pro amore in Dominum, mons altitudinis Iſraelis pro charitate erga proximum. Apud Eſaiam, "Erit in poſteritate dierum, "ſtabilis erit *Mons domus Jehovæ*, in caput *Montium*, & elatus præ *Collibus*," II: 2. pro Domino, inde pro omni Cœleſti. Apud Eundem, "Faciet Je-"hovah Zebaoth omnibus populis in *Monte* hoc convivium pinguedinum; "& abſorbebit in *Monte* hoc facies obvolutionis," XXV: 6, 7. mons pro Domino, inde pro omni cœleſti. Apud Eundem, "Erit, ſuper omni *Monte* "*alto*, & ſuper omni *Colle elato*, rivi, ductus aquarum," XXX: 25. montes pro bonis amoris, colles pro bonis charitatis, ex quibus vera fidei, quæ ſunt rivi & ductus aquarum. Apud Eundem, "Cantus erit vobis, ſicut nocte "ſanctificari feſtum, & gaudium cordis ſicut euntis cum tibia, ad veniendum "in *Montem Jehovæ*, ad *Petram Iſraelis*," XXX: 29. Mons Jehovæ pro Domino prædicate ad bona amoris; petra Iſraelis pro Domino prædicate ad bona charitatis. Apud Eundem, "Deſcendet Jehovah Zebaoth ad militan-"dum ſuper *Monte* Zionis, & ſuper *Colle* illius," XXXI: 4. mons Zionis hic

&

& multoties alibi pro Domino, & inde pro omni cœleſti quod eſt amor, & colles pro cœleſti inferiori quod eſt charitas. Apud Eundem, "Super "*Montem altum* aſcende tibi evangelizatrix Zion, extolle in robore vocem "tuam evangelizatrix Hieroſolyma," XL: 9. aſcendere in montem altum & evangelizare, eſt colere Dominum ex amore & charitate, quæ ſunt intima, quare etiam vocantur altiſſima, quod intimum hoc altiſſimum appellatur. Apud Eundem," Cantent habitatores *Rupis*, e *Capite Montium* clament," XLII: 11. habitatores rupis pro iis qui in charitate; e capite montium clamare pro colere Dominum ex amore. Apud Eundem, "Quam jucundi ſunt ſuper *Mon-* "*tibus* pedes evangelizantis, audire facientis pacem, evangelizantis *Bonum*, "audire facientis ſalutem," LII: 7. evangelizare ſuper montibus ſimiliter pro prædicare Dominum ex doctrina amoris & charitatis, & ex illis colere. Apud Eundem, "*Montes* & *Colles* perſonabunt coram vobis cantu, & omnes "arbores agri complaudent vola," LV: 12. pro colere Dominum ex amore & charitate, quæ ſunt montes & colles, & ex fide inde, quæ ſunt arbores agri. Apud Eundem, "Ponam omnes *Montes* meos in viam, & ſemitæ "meæ *exaltabuntur*," XLIX: 11. montes pro amore & charitate, via & ſemitæ pro veris fidei inde, quæ exaltari dicuntur, cum ex amore & charitate ſunt, quæ intima. Apud Eundem, "Confidens in Me, poſſidebit in hæreditatem "terram, & hæreditabit *Montem ſanctitatis* meæ," LVII: 13. pro Regno Domini, ubi nihil niſi amor & charitas. Apud Eundem, "Producam ex "Jacobo ſemen, & ex Jehuda hæredem *Montium* meorum, & poſſidebunt "illam electi mei," LXV: 9. montes pro Regno Domini, & bonis cœleſtibus, Jehuda pro Eccleſia cœleſti. Apud Eundem, "Sic dixit *Altus* & *Excelſus* "habitans in æternum, & Sanctus Nomen Ipſius, *Altus* & Sanctus habito," LVII: 15. ibi altum pro ſancto, inde montes ex altitudine ſuper terram ſignificabant Dominum, & Ipſius ſancta cœleſtia; quapropter etiam Dominus ex Monte Sinai promulgavit Legem. A Domino etiam intelligitur amor & charitas per Montes, ubi loquitur de conſumatione ſæculi, quod qui in Judæa tunc fugerent in *Montes*, Matth: XXIV: 16. Luc: XXI: 21. Marc: XIII: 14. ubi Judæa pro Eccleſia vaſtata.

796. Quia Antiquiſſima Eccleſia cultum ſanctum habuerunt ſuper Montibus, ideo quoque Antiquæ Eccleſiæ, & inde omnibus illius temporis Eccleſiis repreſentativis, imo etiam inde gentibus, ritus ſacrificandi ſuper Montibus, & exſtruendi Excelſa: de Abramo conſtat Gen: XII: 8. Cap. XXII: 2. de Judæis antequam ædificatum Templum, Deut: XXVII: 4, 5, 6, 7. Joſ: VIII: 30. I Sam: IX: 12, 13, 14, 19. Cap: X: 5. I Reg: III: 2, 3, 4. de Gentibus, Deut: XII: 2. II Reg: XVII: 9, 10, 11. de Judæis idololatris, Eſ: LVII: 7. I Reg: XI: 7. Cap: XIV: 23. Cap: XXII: 44. II Reg: XII: 4. Cap: XIV: 4. Cap: XV: 3, 4, 34, 35. Cap: XVI: 4. Cap: XVII: 9, 10, 11. Cap: XXI: 5. Cap: XXIII: 5, 8, 9, 13, 15.

797. Ex omnibus his nunc conſtat, quid per aquas quibus operti ſunt montes, ſignificetur, nempe quod perſuaſiones falſi exſtinxerint omne bonum charitatis.

798. Quod quindecim cubitis de ſurſum ſuperarunt aquæ, & operuerunt montes, ſignificent quod nihil reſidui eſſet de charitate; & quod quindecim ſignificent ita paucum, ut vix quicquam, conſtare poteſt ex ſignificatione numeri *Quinque*, de qua Cap: præc: VI: verſ: 15; ubi oſtenſum, quod Quinque in ſtylo Verbi, ſeu in ſenſu interno, ſignificent paucum: & quia numerus Quindecim compoſitus eſt ex Quinque, quæ ſignificant paucum, & ex Decem, quæ ſignificant Reliquias, ut oſtenſum Cap: præc: VI: verſ: 3, ſpectat hic numerus Reliquias, quæ apud eos vix erant aliquid: nam perſuaſiones falſi tantæ erant, ut exſtinxerint omne bonum. Cum Reliquiis apud hominem, ſe res habet, ut prius dictum, quod principia falſi, & adhuc magis perſuaſiones falſi, quales fuerunt apud hos antediluvianos, incluſerint & recluſerint ita prorſus Reliquias, ut non produci poſſent, & ſi productæ fuiſſent, quod illico falſificatæ fuiſſent; vita enim perſuaſionum talis eſt, ut non ſolum rejiciat omne verum, & inſorbeat omne falſum, ſed etiam verum, quod alluit, pervertat.

799. Verſ: 21, 22. *Et exſpiravit omnis caro repens ſuper terra, quoad avem, & quoad beſtiam, & quoad feram, & quoad omne reptile reptans ſuper terra; & omnis homo. Omne, cui flatus ſpiritus vitarum in naribus ejus; ab omni, quod in arida, mortua ſunt.* Exſpiravit omnis caro repens ſuper terra, ſignificat quod exſtincti qui ab ultima poſteritate Eccleſiæ Antiquiſſimæ: quoad avem, & quoad beſtiam, & quoad feram, & quoad omne reptile reptans ſuper terra, ſignificant perſuaſiones eorum, in quibus avis affectiones falſi, beſtia cupiditates, fera voluptates, reptile corporea & terreſtria; quæ in uno complexu, vocantur omnis homo: omne cui flatus ſpiritus vitarum in naribus ejus, ſignificant illos qui ab Antiquiſſima Eccleſia fuerunt, quibus flatus ſpiritus vitarum in naribus, hoc eſt, vita amoris & fidei inde, fuerat: ab omni, quod in arida, ſignificant eos, in quibus nihil talis vitæ amplius; quod mortua ſint, ſignificat exſpiraviſſe.

800. Quod exſpiravit omnis caro repens ſuper terra, ſignificet quod exſtincti qui ab ultima poſteritate Antiquiſſimæ Eccleſiæ, conſtat a ſequentibus, ubi deſcribuntur quoad perſuaſiones, & quoad cupiditates: hic primum vocantur Caro repens ſuper terra, ex cauſa quia prorſus ſenſuales & corporei facti ſunt; ſenſualia & corporea ab Antiquiſſimis aſſimilata ſunt reptilibus, ut prius dictum, quare cum dicitur caro repens ſuper terra, ſignificatur talis homo, qui mere ſenſualis, & corporeus factus: quod Caro ſignificet omnem hominem in genere, & corporeum in ſpecie, prius dictum & oſtenſum eſt.

801. Ex deſcriptione antediluvianorum horum, conſtare poteſt, qualis ſtylus antiquiſſimorum fuit, & inde qualis ſtylus propheticus; deſcribuntur hic uſque ad finem hujus Capitis, in hoc verſu quoad perſuaſiones, in verſ: ſeq: 23 quoad cupiditates; hoc eſt, quoad ſtatum eorum intellectualium, dein quoad ſtatum illorum voluntariorum; & tametſi nulla apud eos intellectualia nec voluntaria, uſque ita nominanda ſunt, quæ contraria, ſicut perſuaſiones falſi, quæ nihil minus quam intellectus ſunt, quia ſunt cogitationis & ratiocinationis, pariter cupiditates, quæ nihil minus quam voluntatis ſunt; deſcribuntur,

buntur, inquam, primum quoad perſuaſiones falſi, dein quoad cupiditates, quæ cauſa eſt repetitionum in hoc verſ: 21, & in ſequente 23, ſed alio ordine: talis quoque eſt ſtylus propheticus; cauſa eſt, quia binæ vitæ apud hominem ſunt, una intellectualium, altera voluntariorum, quæ diſtinctiſſimæ inter ſe ſunt; homo ex utraque conſiſtit, & tametſi ſeparatæ ſunt hodie apud hominem, uſque tamen influit una in alteram, & ſe ut plurimum uniunt; quod ſe uniant, & quomodo ſe uniunt, a multis conſtare & illuſtrari poſſet: cum itaque homo ex binis his partibus, intellectu & voluntate, conſiſtit, & unum influit in alterum, cum deſcribitur homo in Verbo, diſtincte deſcribitur quoad unam partem, & quoad alteram, quæ cauſa eſt repetitionum, aliter mancum foret; ſimiliter ſe habet cum omni re, res enim ſe habent prorſus ſicut ſubjecta, nam ſunt ſubjectorum, quia prodeunt a ſubjectis, res ſeparatæ a ſubjecto ſuo, ſeu a ſubſtantia ſua, ſunt nullæ res, quæ cauſa eſt, quod ſimiliter quoad utramque partem deſcribantur res in Verbo; ita eſt deſcriptio cujuſcunque rei plena.

802. Quod de perſuaſionibus hic agatur, & in verſ: 23 de cupiditatibus, cognoſcitur inde, quod in hoc Verſu primum nominetur avis, dein beſtia; avis enim ſignificat illa quæ ſunt intellectualium aut rationalium, beſtia autem quæ ſunt voluntariorum: cum autem deſcribuntur, quæ ſunt cupiditatum, ut in verſ: ſeq: 23, tunc primum nominatur beſtia, & dein avis; & hoc ex cauſa, ut dictum, quia reciproce influit ita unum in alterum, & ſic plena eſt eorum deſcriptio.

803. Quoad avem, & quoad beſtiam, & quoad feram, & quoad omne reptile reptans ſuper terra, quod ſignificent perſuaſiones eorum, in quibus aves affectiones falſi, beſtia cupiditates, fera voluptates, reptile reptans corporea & terreſtria, conſtare poteſt ex illis, quæ prius de ſignificatione avium & beſtiarum oſtenſa ſunt; de Avibus, n: 40, & ſupra ad verſ: 14, 15, hujus Capitis; de Beſtiis etiam ibi, tum, n: 45, 46, 142, 143, 246. Aves quia intellectualia, rationalia & ſcientifica ſignificant, etiam ſignificant contraria, ut perverſa rationalia, falſa, & affectiones falſi: Perſuaſiones Antediluvianorum hic plene deſcribuntur, nempe quod in illis affectiones falſi, cupiditates, voluptates, corporea & terreſtria; omnia hæc inſunt perſuaſionibus, quod homo neſcit, putans principium falſi ſeu perſuaſionem falſi eſſe modo ſimplex quoddam, aut unum commune quoddam, ſed multum fallitur, prorſus aliter ſe res habet; unaquævis affectio hominis trahit ſuam exiſtentiam & naturam ex ejus intellectualibus, & ſimul ex ejus voluntariis ita, ut totus homo quoad omnia ſua intellectualia, & omnia ſua voluntaria, ſit in unaquavis ejus affectione, imo in affectionis ejus ſingulariſſimis ſeu minimis, quod conſtare mihi potuit manifeſte a pluribus experientiis, ut memorem ſolum id, quod ſpiritus in altera vita ex modo unica idea cogitationis ejus cognoſci poſſit qualis eſt, imo angeli a Domino habent, ut cum modo inſpiciunt in aliquem, norunt illico qualis eſt, nec fallit quicquam; inde conſtat, quod unaquævis hominis idea, & quod unaquævis affectio, imo unumquodvis minimum ejus affectionis ſit imago ejus, & effigies ejus, hoc eſt, quod eis inſit

ſit aliquid proxime & remote ab omni ejus intellectuali, & ab omni ejus voluntario. Ita nunc deſcriptæ ſunt antediluvianorum diræ Perſuaſiones, quod in iis fuerint affectiones falſi, tum affectiones mali ſeu cupiditates, ut & voluptates, demum corporea & terreſtria; omnia hæc inſunt talibus perſuaſionibus, & non ſolum perſuaſionibus in communi, ſed etiam perſuaſionum ſingulariſſimis ſeu minimis, in quibus corporea & terreſtria dominantur: ſi ſciret homo, quantum uni principio falſi, ac uni perſuaſioni falſi, inſit, horreſceret, eſt quædam imago inferni: ſed ſi ex innocentia aut ex ignorantia, falſa ibi facile diſcutiuntur.

804. Additur, omnis homo, quo ſignificatur quod illa fuerint in homine iſto; eſt clauſula communis, quæ comprehendit præcedentia; tales clauſulæ paſſim adjiciuntur.

805. Omne, cui flatus ſpiritus vitarum in naribus ejus, quod ſignificent illos qui ab Antiquiſſima Eccleſia, quibus flatus vitarum in naribus, hoc eſt, vita amoris & fidei inde, fuerat, conſtat ab illis quæ prius, n: 96, 97, dicta ſunt. Vita ab Antiquiſſimis ſignificata fuit per flatum in naribus, ſeu per reſpirationem, quæ eſt vita corporis correſpondens ſpiritualibus; ſicut motus cordis eſt vita corporis correſpondens cœleſtibus: hic quia agitur de Antediluvianis, in quibus fuit a parentibus hæreditario ſemen ex cœleſti, ſed exſtinctum ſeu ſuffocatum, hic dicitur, omne cui flatus ſpiritus vitarum in naribus ejus: in his verbis quoque altius quid reconditum latet, de quo prius, n: 97, quod nempe Antiquiſſimæ Eccleſiæ homo reſpirationem internam habuerit, ita concordem & ſimilem cum reſpiratione angelorum, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; quæ reſpiratio variata fuit ſecundum omnes ſtatus interni hominis; ſed ſucceſſu temporis in poſteris mutata uſque ad ultimam hanc poſteritatem, in qua omne angelicum periit, tunc nec amplius cum Cœlo angelico reſpirare potuerunt; quæ cauſa genuina exſtinctionis eorum fuit, inde nunc dicitur, quod exſpiraverint, & quod mortui ſint, quibus flatus ſpiritus vitarum in naribus. Poſt hæc tempora ceſſavit reſpiratio interna, & cum illa communicatio cum cœlo, ita perceptio cœleſtis, & ſucceſſit externa; & quia ſic communicatio cum cœlo ceſſavit, homines Antiquæ ſeu novæ Eccleſiæ non amplius potuerunt cœleſtes homines eſſe, ſicut Antiquiſſimi, ſed ſpirituales; ſed de his, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

806. Ab omni quod in arida, quod ſignificet illos, in quibus nihil talis vitæ amplius; & quod mortua ſunt, ſignificet exſpiraviſſe, inde nunc ſequitur: & quia omnis vita amoris & fidei exſtincta fuit, hic dicitur arida: Arida eſt, ubi non aqua, hoc eſt, ubi nihil ſpirituale amplius, minus cœleſte; perſuaſio falſi omne ſpirituale & cœleſte exſtinguit & quaſi ſuffocat; ſicut unuſquiſque ſcire poteſt a multa experientia, ſi attendat; qui ſemel opiniones captarunt, tametſi falſiſſimas, inhærent iis tam obſtinate, ut ne quidem audire velint aliquid quod contrariatur; ita nuſquam patiuntur ſe inſtrui, ſi vel ante oculos eorum ponatur verum; adhuc magis, dum opinionem falſi ex ſanctitate quadam colunt; tales ſunt, qui omne verum reſpuunt, & quod admittunt, pervertunt,

vertunt, & ſic infundunt phantaſiis: hi ſunt qui per aridam hic ſignificantur, ſuper qua nec aqua, nec gramen, ut apud Ezechielem, "Ponam fluvios *A-* "*ridam*, & vendam terram in manum malorum, & deſolabo terram & ple- "nitudinem ejus," xxx: 12. ponere fluvios aridam, pro quod non amplius quid ſpirituale. Et apud Jeremiam, "Facta eſt terra veſtra in *Aridam*," xliv: 22. Arida pro terra deſolata & vaſtata, ut amplius nihil veri & boni.

807. Verſ: 23. *Et delevit omnem ſubſtantiam, quæ ſuper faciebus humi, ab homine uſque ad beſtiam, uſque ad reptile, & uſque ad avem cœlorum; & deleta ſunt e terra, & relictus tantum Noach, & quod cum illo in arca.* Delevit omnem ſubſtantiam ſignificat cupiditates, quæ amoris ſui: quæ ſuper faciebus humi, ſignificant poſteritatem Eccleſiæ Antiquiſſimæ: ab homine uſque ad beſtiam, uſque ad reptile, & uſque ad avem cœlorum, ſignificant naturam mali eorum; homo ipſam naturam, beſtia cupiditates, reptile voluptates, avis cœlorum falſitates inde: & deleta ſunt e terra, eſt concluſio, quod Antiquiſſima Eccleſia exſpiravit: relictus tantum Noach, & quod cum illo in arca, ſignificat quod conſervati qui novam Eccleſiam conſtituerunt; quod cum illo in arca, ſignificant omnia quæ novæ Eccleſiæ.

808. Delevit omnem ſubſtantiam, quod ſignificet cupiditates, quæ amoris ſui, conſtat a ſequentibus, ubi deſcribuntur per repræſentativa; ſubſtantia prædicatur de voluntariis, quia a voluntate omnia exſurgunt, ſeu exiſtunt & ſubſiſtunt apud hominem, voluntas eſt ipſa ſubſtantia hominis, ſeu ipſe homo. Cupiditates antediluvianorum fuerunt amoris ſui; ſunt bina cupiditatum genera univerſaliſſima, unum eſt amoris ſui, alterum eſt amoris mundi; homo nihil aliud cupit, quam quod amat, quare cupiditates ſunt amoris; apud hos regnabat amor ſui, proinde ejus cupiditates; ita enim ſemet amarunt, ut putaviſſent ſe deos eſſe, non agnoſcentes aliquem deum ſupra ſe, de eo ſibi perſuaſerunt.

809. Quæ ſuper faciebus humi, quod ſignificet poſteritatem Eccleſiæ Anquiſſimæ, conſtat ex ſignificatione humi, de qua prius, quod ſit Eccleſia, & inde quod eſt Eccleſiæ; hic quia ſubſtantia dicitur deleta quæ ſuper faciebus humi, eſt quod deleti qui ab Antiquiſſima Eccleſia & tales fuerunt; humus hic dicitur, in verſ: præc: 21. terra, ex cauſa, quia Eccleſia nuſquam prædicatur ex intellectualibus, ſed ex voluntariis; ſcientificum & rationale fidei nuſquam conſtituit Eccleſiam aut hominem Eccleſiæ, ſed charitas quæ eſt voluntatis; omne eſſentiale a voluntate venit; proinde nec doctrinale facit Eccleſiam, ſi non doctrinale in genere & in ſpecie ſpectet charitatem; tunc charitas ſit finis, ex fine conſtat quale doctrinale, num ſit Eccleſiæ vel non: Eccleſia Domini, ſicut Regnum Domini in Cœlis, non eſt niſi amoris & charitatis.

810. Ab homine uſque ad beſtiam, uſque ad reptile, & uſque ad avem cœlorum, quod ſignificent naturam mali eorum; homo ipſam naturam, beſtia cupiditates, reptile voluptates, avis cœlorum falſitates inde, conſtat a ſignificatione omnium illorum, de qua prius; quare iis non immorandum.

811. Quod deleta ſunt e terra, ſit concluſio, quod Antiquiſſima Eccleſia exſpiravit, & quod relictus tantum Noach, & quod cum illo in arca, ſignificent quod conſervati, qui novam Eccleſiam conſtituerunt; & quod cum illo in arca, ſignificent omnia quæ novæ Eccleſiæ, nec opus habent explicatione ulteriori, quia ex ſe patent.

812. Verſ: 24. *Et corroboratæ ſunt aquæ ſuper terra, quinquaginta & centum dies*, ſignificant terminum ultimum Antiquiſſimæ Eccleſiæ; quinquaginta & centum eſt terminus ultimus & primus.

813. Quod hæc ſignificent terminum ultimum Antiquiſſimæ Eccleſiæ, & quinquaginta & centum terminum ultimum & primum, non quidem ex Verbo ita confirmari poteſt, ſicut numeri ſimpliciores qui frequenter occurrunt; ſed uſque conſtat a numero Quindecim, de quo ſupra ad verſ: 21, qui ſignificat ita paucum ut vix quicquam, ita adhuc magis numerus quinquaginta & centum, qui eſt compoſitus inde per multiplicationem in decem, quæ ſignificant Reliquias; multiplicatio pauci, ſicut multiplicatio dimidiæ, quartæ aut decimæ partis, facit ut adhuc minus ſit, ſic tandem ut pœne nihil, proinde quod ſit finis ſeu terminus ultimus; occurrit idem numerus in Cap: ſeq; VIII: verſ: 3, quod receſſerint aquæ, a fine quinquaginta & centum dierum," ubi ſimile ſignificat. Numeri in Verbo prorſus abſtracte a ſenſu literæ intelligendi ſunt, inſerti modo ad concinnandam ſeriem hiſtoricam, quæ in ſenſu literæ, ut prius dictum & oſtenſum: ſicut ubi Septem occurrunt, ſignificant ſanctum, prorſus abſtracte a temporibus & menſuris, quibus adjungi ſolent; Angeli enim, qui ſenſum internum Verbi percipiunt, non ſciunt quicquam temporis & menſuræ, minus quid numerus deſignatus, & uſque plene intelligunt Verbum, cum legitur ab homine, quare cum numerus alicubi occurrit, nuſquam poſſunt habere ideam alicujus numeri, ſed rei per numerum ſignificatæ, ita hic per hunc numerum, quod terminus ultimus ſit Antiquiſſimæ Eccleſiæ, & in Cap: ſeq: verſ: 3. quod terminus primus Eccleſiæ Antiquæ, ſeu novæ.

Continuatio de Infernis.

Hic de Infernis eorum, qui in odiis, vindictis, & crudelitate, vitam tranſegerunt.

814. *TALES, qui Odium internecinum habent, & inde vindictam ſpirant, nec ſpirant niſi necem alterius, prius non acquieſcendo, tenentur in Inferno profundiſſimo cadaveroſo, ubi fœtor graveolentus ſicut a cadaveribus; & mirum, quod tales ibi fœtore iſto in tantum delectentur, ut præferant jucundiſſimis odoribus; talis eſt eorum dira natura, & inde phantaſia; ex quo inferno talis fœtor actualiter exhalat: cum aperitur*

aperitur hoc Infernum, quod raro ſit, & modo parumper, inde tantus fætor exundat, ut ſpiritus in vicinia nequeant morari: quidam Genii, ſeu potius furiæ, inde emiſſi, ut ſcirem quales ſunt, tali venenoſo & peſtifero halitu infectabant ſphæram, ut ſpiritus, qui circum me, non manere poſſent, & ſimul habebat effectum in ventriculum, ut evomerem. Se manifeſtabant per infantem non impulchræ faciei, cum latente pugione, quem ad me mittebant, ferentem vas in manu, inde dabatur ſcire, quod animus iis necandi vel pugione, vel veneno, ſub ſpecie innocentiæ; at ipſi erant corpore nudo nigerrimo: ſed mox rejecti ſunt in Infernum ſuum cadaveroſum; tunc obſervare datum, quomodo delapſi; pergebant ad ſiniſtrum in plano ſiniſtri temporis, & quidem ad multam diſtantiam abſque deſcenſu, & poſtea delapſi, primum in ignem qui apparuit, tum in fumum igneum ſicut fornacis, mox ſub iſta fornace verſus anteriora, ubi plures cavernæ tenebroſiſſimæ, deorſum tendentes; in via continue volvebant & intendebant mala, & quidem præcipue contra innocentes abſque cauſa; cum per ignem lapſi, multum lamentati ſunt. Ut dignoſcantur, unde & quales, cum emiſſi, habent circulum quendam, cui affixi aculei quaſi ænei, quos premunt manibus, & contorquent, quod indicium, quod tales ſint, & ligati.

815. *Qui ita delectantur odiis & inde vindictis, ut non ſolum non contenti ſint perdere corpus, ſed etiam cupiunt animam, quam tamen Dominus redemit; demittuntur deorſum per tenebroſiſſimum foramen verſus infima terræ, profunde ſecundum gradum odii & inde vindictæ, & iis tunc terror & horror incutitur gravis, & ſimul tenentur in vindictæ cupidine, quæ ſicut augetur, profundius demittuntur: poſtea mittuntur in locum ſub Gehenna, ubi ſerpentes diri, magni, ventribus ampli, apparent, & quidem ita ad vivum, ſicut prorſus forent, a quibus cruciantur morſibus, quos quoque ſimiliter acute ſentiunt; talia ſentiuntur exquiſite a ſpiritibus, reſpondent eorum vitæ, ſicut corporea illis qui in corpore: & interea vivunt in diris phantaſiis, & ibi per ſæcula, uſque dum non amplius ſciant, quod homines fuerint; aliter eorum vita, quam ex odiis & vindictis talibus traxerant, non exſtingui poteſt.*

816. *Quia odiorum & vindictarum genera innumera ſunt, & ſpecies innumerabiliores, & unum genus non ſimile infernum, ac alterum habet, & ſic impoſſibile eſt in ordine ſingula recenſere, quare licet referre, quæ viſa ſunt: Unus ad me venit, viſus ſicut nobilis: (apparuerunt mihi ſicut in clara die, & adhuc clarius, ſed coram viſu interno, quia, ex Divina Domini Miſericordia, datum intereſſe ſpiritibus) is ad primum adventum ſimulate per nutus inſinuabat, quod multa haberet, quæ vellet mecum communicare, interrogans num Chriſtianus eſſem, cui reſpondebam*

quod eſſem, ſe ſimiliter eſſe ajebat, rogans ut ſolus mecum eſſet, ſe aliquid narraturum, quod alii non audirent, ſed reſpondebam, quod in altera vita ſoli eſſe nequeant, ſicut homines ſe putant eſſe in terra, & quod plures ſpiritus adeſſent; ſed proprius acceſſit, & ſubiit ad occipitium ad tergum; percipiebam tunc, quod ſicarius eſſet, cumque ibi eſſet, ſentiebam tanquam ictum per cor, & mox in cerebro, ex quali ictu facile moriturus homo, ſed quia tutus a Domino, nihil metuebam; qua arte uſus non ſcio; is putans quod ego mortuus, dixit ad alios, quod venerit nunc ab homine, quem occiderit ita, & quidem per exitiale quoddam a tergo, dicens quod calleret artem, quod homo neſciret priuſquam ſuccumbat mortuus, & quod is non aliter crederetur, quam quod inſons; inde ſcire datum, quod is nuper e vita deceſſerit, ubi tale facinus patravit. Talium punitio eſt horrenda, poſtquam infernales cruciatus per ſæcula ſubierint, tandem fiunt facie deteſtabili & monſtroſiſſima, ſic ut non facies, ſed quoddam quaſi ſtuppeum luridum; ita exuunt omne humanum, tunc unuſquiſque eos horreſcit, qui videt, quare ſicut feræ in locis opacis vagantur.

817. *Quidam e Camera infernali, quæ ad latus ſiniſtrum, ad me venit, & mecum loquutus; percipere dabatur, quod inter facinoroſos: quod patravit in mundo, ita detegebatur; in inferiorem terram, anterius paulo ad ſiniſtrum, ſatis profunde demiſſus eſt, & ibi ſcrobem cæpit ejicere, tanquam ii qui pro mortuis qui ſepeliendi, inde ſuborta ſuſpicio, quod aliquid lethale in vita corporis patraverit; tunc apparuit feralis lectica, nigris pannis circumtecta, mox unus ex lectica ſurgens ad me venit, narravit pie, quod mortuus ſit, arbitratus quod veneno ab eo necatus, & quod id circa mortis horam cogitaverit, neſciens tamen an ſuſpicio eſſet: cum nefandus ſpiritus id audivit, confeſſus eſt, quod tale commiſit; poſt confeſſionem punitio ſequebatur; bis involvebatur atræ ſcrobi, quam effodit, & factus niger ſicut Ægyptiorum mumi, tam facie quam corpore, & ſic evectus in altum, circumlatus coram ſpiritibus & angelis, & clamatum, qualis diabolus; frigidus quoque factus, ſic inter infernales frigidos, & miſſus in infernum.*

818. *Sub natibus eſt Infernum horrendum, ubi, qui ibi, ſe cultris percutere videntur, cultros dirigentes in pectora aliorum, ſicut furiæ, ſed culter iis jugiter in ictu percuſſionis adimitur: ſunt ii, qui tanto odio habuerunt alios, ut eos crudeliter occidere flagraverint, & inde naturam tam diram traxerant: apertum mihi hoc infernum erat, ſed modo leviter ob diras eorum crudelitates, ut viderem qualia ſunt odia internecina.*

819. *Eſt Stagnum quoddam ad ſiniſtrum in plano cum inferioribus corporis, quod capax eſt, longitudine majore quam latitudine; circa anteriorem ejus ripam, apparent iis, qui ibi, monſtra ſerpentum, qualium in ſtagnis, cum peſtifero halitu: ad ripam ſiniſtram inde remotius, apparent ii qui comedunt carnes humanas, ſeque invicem, dentibus hærentes in aliorum humeris: ad ſiniſtrum longius inde apparent magni piſces, balænæ monſtroſæ, quæ deglutiunt hominem & evomunt: remotiſſime ſeu in ripa oppoſita, apparent facies deformiſſimæ, cumprimis anuum, tam monſtroſæ ut deſcribi nequeant, diſcurrentes ſicut inſaniæ: ad ripam dextram ſunt qui crudelibus inſtrumentis ſe mutuo interficere tentant, inſtrumenta ſunt varia ſecundum diritates cordis: in medio ſtagni eſt ubivis nigrum, ſicut ſtagnatum. Aliquoties ad ſtagnum hoc adductos vidi, & miratus, ſed inſtructus ab aliquibus qui inde venerunt, qui dicebant, quod eſſent illi, qui inteſtina odia contra proximum foverunt, & quod odia, quoties data eſſet occaſio, eruperint, in quo jucundiſſimum ſuum perceperunt; nec eos magis oblectaviſſe, quam provocare proximum ad judicia, & facere ut irrogarentur ei pœnæ, & ſi legis ſupplicia non inhibuiſſent, interficere. In talia vertuntur Odia, & crudelitates hominum poſt vitam corporis; phantaſiæ eorum inde ortæ iis prorſus ſicut vivæ ſunt.*

820. *Qui latrocinia in vita corporis exercuerunt, & qui piratica, amant præ omnibus aliis liquidis urinam fœtidam & graveolentam, in ſimilibus quoque ſibi habitare videntur, tum in ſtagnis fœtide olentibus: quidam latro ad me accedens frendebat dentibus; ſonus frendoris dentium ita manifeſte auditus ſicut hominis, quod mirum, tametſi iis non dentes; faſſus quod multo potius cupiat in fœdis urinoſis vivere, quam in aquis limpidiſſimis; & quod fœtor urinæ ſit quo delectatur; in tonnis urinoſis dicebat ſe morari velle præ aliis, & ibi domicilium habere.*

821. *Dantur qui extrinſecus ferunt faciem & vitam honeſtam, ſic ut nemo aliud ſuſpicari poſſit, quam quod ſint honeſti, ſtudentes omni modo ita apparere, ob cauſam emergendi in honores, & abſque jactura famæ lucrandi; quare nec aperte faciunt; ſed per alios, artificiis doloſis, ſpoliant alios ſuis bonis, nihil curantes, ſi familiæ, quas ſpoliant, fame perirent; quod ſi non pateret coram mundo ipſi actu facerent abſque conſcientia; ii uſque ſunt tales ac ſi actu feciſſent; ſunt latrones occulti, & genus eorum odii eſt cum faſtu, aviditate lucri, immiſericordia, & dolo, conjunctum. Tales in altera vita volunt inſontes eſſe, dicentes ſe nihil mali feciſſe, quia non detectum; utque inculpatos ſe præbeant, exuunt veſtes, ſiſtunt ſe nudos, teſtantes ſic innocentiam: dum examinantur, ex ſingulis vocibus, & ex ſingulis ideis cogitationis, percipiuntur prorſus quales ſunt,*

quod

quod ignorant. Tales in altera vita ſocios, quoſcunque offendunt, abſque conſcientia necare cupiunt; & apud ſe habent ſecurim, & malleum in manu, & videntur habere alium ſpiritum apud ſe quem ſupinatum percutiunt, ſed non ad ſanguinis effuſionem, quia timidi ſunt mortis; nec poſſunt inſtrumenta iſta e manu projicere, quod tamen ſumma opera conantur ne videantur tales, ut animi eorum ferocia coram ſpiritibus & angelis appareat: ſunt in media diſtantia ſub pedibus verſus anteriora.

822. *Eſt genus odii contra proximum, quod delectentur injurias facere, & laceſſere unumquemvis, & quo plus damni ei poſſint inferre, eo plus ſeinet oblectant; ſunt tales ex infima plebe permulti, ſunt quoque qui non ex plebe qui illis ſimiles animo, ſed extus moratiores, ex civili vita in quam educati, & propter legis pœnas; ii poſt mortem apparent quoad partem ſuperiorem corporis nudi, circumſparſis comis; ruunt unus in alterum, volas tenentes in alterius ſcapulis, ſic laceſſunt, ſubſultant ſuper caput alterius, redeunt poſt breves reverſus, & pugnis laceſſunt graviter: qui moratiores fuerunt, de quibus dictum, faciunt ſimiliter, ſed ſalutant ſe prius, circumeunt ad tergum, & ita laceſſunt pugno, ſed cum vident eos facie, ſalutant, & iterum circumeunt ad tergum, & pugno percutiunt; ita apparentiam ſervant: apparent ſiniſtrorſum in media altitudine, ad aliqualem diſtantiam.*

823. *Quicquid homo fecit in vita corporis, hoc redit in altera vita ſucceſſive, imo quicquid cogitavit: cum redeunt inimicitiæ, odia, doli, etiam perſonæ, contra quos odia habuit, & clandeſtine machinatus eſt, ſiſtuntur præſentes, & quidem momento: ita ſe res habet in altera vita, de qua præſentia, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; & cogitationes, quas habuit contra illos, patent manifeſte, nam omnium cogitationum datur perceptio; inde lamentabiles ſtatus, odia recondita ibi aperte erumpunt; qui mali ſunt, omnia eorum malefacta & cogitata ita redeunt ad vivum; at qui boni ſunt, non ita, eorum omnes ſtatus boni, amicitiæ & amoris, cum ſumma jucunditate & felicitate.*

GENESEOS,

CAPUT OCTAVUM.

Continuatio de Infernis:

Hic de infernis eorum, qui in adulteriis & laſciviis vitam tranſegerunt: tum de infernis doloſorum & præſtigiatricium.

824. *SUB calcaneo pedis dextri eſt Infernum, ubi ii, qui delectati ſunt Crudelitate & ſimul Adulteriis, & in iis jucundiſſimum ſuæ vitæ perceperunt: mirum, quod qui in corporis vita crudeles fuerunt, etiam præ aliis adulteri fuerunt; qui tales, in illo Inferno ſunt: ibi crudelitates excercent infandis modis; Vaſa ſibi per phantaſias faciunt, quaſi trituratoria, ſicut quæ ſunt olerum, & inſtrumenta trituratoria, quibus ſic triturant & cruciant, quos poſſunt; tum etiam quaſi ſecures latas ſicut carnificum, ut & terebras, quibus crudeliter unus alterum tractat, præter alia dira: ibi ſunt aliqui ex Judæis, qui ita olim crudeliter tractarunt gentes; & hodie Infernum hoc creſcit, cumprimis ab illis qui ſunt ex Orbe ita vocato Chriſtiano, & in adulteriis omnem vitæ ſuæ jucunditatem habuerunt, qui ut plurimum quoque crudeles ſunt. Quandoque jucunditas eorum vertitur in fætorem ſtercoris humani, qui, cum infernum hoc aperitur, effatim exhalat; ſentitus in mundo ſpirituum, & tunc fere in deliquium inde lapſus ſum; graveolentia iſta ſtercorea per vices occupat Infernum, & per vices ceſſat; eſt jucundum eorum ex adulteriis, quod in talem graveolentiam vertitur. Succeſſu temporis, quando ætatem in talibus tranſegerunt, relinquuntur ſolitarii, & ſedent in cruciatu, & fiunt ſicut ſceleta deformia; ſed uſque vivunt.*

825. *In plano plantarum pedis antrorſum ad ſatis multam diſtantiam, eſt Infernum, quod vocatur Gehenna, ubi impudicæ mulieres, quæ omne ſuum jucundum in adulteriis poſuerunt, & adulteria non ſolum pro licitis, ſed etiam pro honeſtis reputarunt, ac inſontes & innocentes ſub varia ſpecie honeſti ad talia pellexerunt: apparet ibi ſicut*

igneum

igneum quoddam, quale elucere ſolet in aere ab incendio magno; etiam æſtus eſt, quod ſentire datum per calorem inde effuſum in faciem meam; eſtque fætor ut ex uſtis quaſi oſſibus & crinibus, qui inde exhalat. Infernum hoc quandoque mutatur in diros ſerpentes, qui mordent eos; tunc mortem appetunt, ſed non poſſunt mori. Quædam inde ſolutæ ad me venientes dicebant, quod ibi æſtus ſit, & cum iis permittitur approximare ad ſocietatem quandam ſpirituum bonorum, quod æſtus ille vertatur in frigus intenſum, & tunc apud eas undulare igneum & frigidum ab uno extremo ad alterum, quo miſerabiliter quoque torquentur. Sed uſque ſua interſtitia habent, intra quæ in igneæ ſuæ libidinis æſtro ſunt; ſed mutantur eorum ſtatus, ut dictum.

826. *Quidam ex utroque ſexu fuerunt, ex orbe ita vocato Chriſtiano, qui putarunt in vita corporis eorum Adulteria non ſolum licita, ſed etiam ſancta, & ſic communia, ut impie vocarunt, conjugia, ſub ſpecie ſanctitatis, habuerunt: videbam, quod ii miſſi ſint in gehennam, ſed cum ibi veniebant, facta eſt mutatio; igneum Gehennæ, quod rubentius eſt, ex eorum adventu, factum eſt candentius; & perceptum, quod non concordare poſſent; quare cohors iſta nefanda inde ſeparata eſt, & delata in plagam a tergo, dictum, quod in alium mundum, ubi immergerentur ſtagnis, & inde in novam Gehennam, quæ pro iis. Auditum in Gehenna ſibiloſum quid, quod non deſcribi poteſt, ſed ſibilus ſeu ſuſurrus Gehennæ craſſior fuit, quam horum, qui ſanctitatem fœdarunt adulteriis.*

827. *Qui inſidiantur per amorem conjugialem, & per amorem erga infantes, ſic ſe gerendo, ut maritus nullam ſuſpicionem habeat, quin hoſpites ſint caſti, inſontes, & amici, & ſub tali ſpecie, & alia multiplici, tutius adulterantur; ii ſunt in Inferno ſub natibus in excrementis fœdiſſimis, & devaſtantur, uſque dum fiunt ſicut oſſa, quia inter doloſos: tales ne quidem ſciunt, quid conſcientia; loquutus cum iis, & mirati quod aliquis habeat conſcientiam, & quod dicant adulteria eſſe contra conſcientiam; quibus dictum, quod adulteris talibus abſque conſcientia tam impoſſibile ſit in cælum venire, ſicut eſt piſci in aerem, aut volucri in ætherem, quia dum modo approximant, ſentiunt quaſi ſuffocationem, & vertitur jucundum tale in fætorem graveolentum; tum quod non poſſint aliter quam detrudi in infernum, & fieri demum ſicut oſſei, cum pauca vita, quia vitam ſibi talem acquiſiverunt, quam cum amittunt, tantillum vitæ vere humanæ remanet.*

Ii 2 828.

828. *Qui nihil plus cupiunt, quam deflorare virgines, ſeu quibus virginitates & virginitatum furta maximæ jucunditati ſunt, abſque omni fine conjugii & prolis, & cum virginitatis florem furati, eas poſtea relinquunt, nauſeæ habent, proſtituunt: ii, qui talem vitam egerunt, quia contra ordinem naturalem, ſpiritualem & cœleſtem, & quia non ſolum contra amorem conjugialem, qui ſanctiſſimus habetur in cælo, ſed etiam contra innocentiam, quam lædunt & occidunt, inducendo innocentes, quæ amore conjugiali imbui poſſent, in vitam meretriciam; notum eſt, quod primus flos amoris eſt, qui inducit virgines in amorem conjugialem caſtum, & conjungit animos conjugum; & quia ſanctitas cœli fundatur in amore conjugiali & in innocentia, & ii homicidæ tales interiores ſunt, pœnam ſubeunt in altera vita, graviſſimam; videntur ſibi equo furioſo inſidere, qui eos projicit ſurſum, ſic ut ex equo dejiciantur cum diſcriminibus quaſi vitæ, terror talis incutitur; poſtea apparent ſibi ſub ventre equi furioſi, & mox ſubire ſibi videntur per partem poſteriorem equi in ventrem ejus, & tunc apparet iis ſubito, quaſi ſint in fœminæ ſpurcæ meretricis ventre, quæ meritrix mutatur in magnum draconem, & ibi manent obvelati in cruciatu; hæc pœna multoties redit, intra centenos & millenos annos, uſque dum talium cupiditatum horrore imbuuntur. De eorum prole, mihi dictum, quod pejores ſint infantibus aliis, quia aliquid hæreditarium tale a patre trahunt, quare etiam raro infantes ex talium congreſſu naſcuntur, & qui naſcuntur, non diu remanent in vita.*

829. *Quæ in vita corporis laſcive cogitant, & quicquid alii loquuntur, in laſciviam convertunt, etiam ſancta; & quidem dum adulti & ſenes, cum nihil laſciviæ naturalis ſufflat; ii nec deſiſtunt aliter cogitare & loqui in altera vita, & quia ibi cogitationes eorum communicantur, & quandoque apud alios ſpiritus in repreſentationes obſcænas evadunt, inde ſcandala; pœna eorum eſt, quod coram ſpiritibus, quos læſerant, ſternantur horizontaliter, & circumrotentur ſicut volumen a ſiniſtro ad dextrum feſtine, dein tranſverſim alio ſitu, & ſic in alio, nudi coram omnibus, aut ſeminudi, ſecundum laſciviæ qualitatem, & ſimul pudor eis incutitur; tum circumvolvuntur a capite & pedibus in modum axeos tranſverſaliter; reniſus inditur, & ſimul dolor, nam binæ vires agunt, una circum, & altera retro; ita fit cum diſtractione dolorifica; quibus peractis, datur ei copia ſe ſubducendi a conſpectu ſpirituum, & inſinuatur ei pudor, ſed uſque ſunt, qui tentant eum, num adhuc inſiſtat talibus;*

ſed

ſed quamdiu eſt in ſtatu pudoris & doloris, cavet; ita ſibi latet, tametſi norunt, ubinam: hæc pœna apparuit antrorſum ad aliquam diſtantiam.

Sunt quoque pueri, adoleſcentes & juvenes, qui ex veſania ætatis & pruritu conceperunt principia nefanda, quod uxores cumprimis juveniles & venuſtæ, non debeant eſſe marito, ſed ſibi, & ſimilibus, marito ſolum manente patrefamilias & prolis educatore; dignoſcuntur in altera vita quoque ex ſono loquelæ puerili; ſunt a tergo ad aliquam ibi altitudinem: qui ex iis confirmarunt ſe in principiis, & actuali conformi vita, miſerabiliter in altera vita mulctantur, per colluxationes & reluxationes, ſeu contorſiones & retorſiones, a ſpiritibus, qui inducere arte poſſunt iis phantaſiam corporis & ſimul ſenſum doloris corporeum, ex quibus reverberationibus, cum inductis ſimul reniſibus, ita laniantur, ut quaſi fruſtratim & minutim diſciſſi, cum immani dolore, ſibi videantur; & hoc toties, uſque dum talium principiorum vitæ horrore perculſi, ita cogitare deſiſtant.

830. *Qui acuto dolo decipiunt homines, faciem & loquelam ſuavem præferendo, at intus venenatos dolos recondendo, & ſic captando homines fine perdendi; illorum Infernum eſt atrocius quam aliorum, & quidem atrocius inferno homicidarum; inter ſerpentes videntur ſibi vivere; & quo perniciores eorum doli fuerunt, eo ſerpentes apparent diriores & venenatiores & eo plures, qui eos circumdant & cruciant; non aliter ſciunt, quam quod ſerpentes ſint, ſimiles dolores, & ſimiles cruciatus ſentiunt, quod forte pauci credituri, ſed uſque eſt verum: ſunt ii, qui ex præmeditato dolos exercent, & in eo jucunditatem vitæ ſentiunt. Doloſorum pœnæ ſunt diverſæ, cujuſvis ſecundum doli naturam; in genere in ſocietatibus non tolerantur, ſed expelluntur; quicquid enim cogitat ſpiritus, vicini illico ſciunt & percipiunt, ita ſi quid doli, & qualis dolus; quare tandem e ſocietatibus expulſi ſedent ſolitarii, & apparent tunc lata facie, cujus latitudo æquat 4 vel 5 facies aliorum, cum lato pileo carneo, albeſcente, ſedentes ut mortis ſimulachra in cruciatu. Sunt alii, qui natura doloſi ſunt, ita non ex præmeditato, & non clandeſtine ſub alio vultu, ii ſtatim cognoſcuntur, & eorum cogitatio percipitur manifeſte; & quoque jactant ſe de eo, ſicut quod velint videri callidi, hi non tale infernum habent: ſed plura, de doloſis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.*

831. *Sunt quæ vixerunt genio, & ſolum ſtuduerunt ſibi & mundo, & in externo decoro poſuerunt omnem vitam, & vitæ jucunditatem, quare in ſocietate civili præ aliis æſtimatæ; inde ex actualitate & habitu*

traxerunt id, quod per modos decori ſe inſinuare potuerint aliorum cupiditatibus & voluptatibus, ſimulatione honeſti, ſed ſine dominandi; inde vita eorum facta ſimulativa & doloſa: ſimiliter ac alii frequentarunt Eccleſias, ſed ob nullum alium finem, quam ut honeſtæ & piæ apparerent; & præterea fuerunt abſque conſcientia, ad flagitia & adulteria proniſſimæ, quantum occultari potuiſſent. Tales in altera vita ſimiliter cogitant, quid conſcientia non ſciunt, irrident eos, qui nominant conſcientiam; in aliorum quaſcunque affectiones intrant, ſimulando honeſtum, pium, miſericors, innocens, quæ iis ſunt media decipiendi; & quoties vincula externa iis auferuntur, ruunt in ſceleſtiſſima & obſcæniſſima. Hæ ſunt, quæ in altera vita fiunt Magæ ſeu Præſtigiatrices, quarum quædam ſunt quæ vocantur Sirenes; & arripiunt ibi artes in mundo ignotas; ſunt ſicut ſpongiæ, quæ imbibunt artificia nefanda, & tali genio, ut prompte excerceant; artificia in mundo ignota, quæ ibi addiſcunt, ſunt quod loqui poſſint ſicut alibi, ut vox audiatur ſicut a ſpiritibus bonis, alio loco: quod poſſint ſimul quaſi apud plures eſſe, perſuadendo ſic aliis ſe eſſe quaſi præſentes ubivis: quod loquantur ut plures ſimul, & in pluribus locis ſimul: quod avertere poſſint quæ influunt a ſpiritibus bonis, etiam quæ a ſpiritibus angelicis, & pervertere illico in ſui favorem diverſimode: quod inducere ſimilitudinem alius per ideas quas captant & effigiant: cuivis inſpirare affectionem pro ſe, inſinuando ſe ipſi ſtatui affectionis alterius; ſe ſurripere ſubito e conſpectu, & evadere inconſpicuæ; repræſentare coram ſpiritibus candidam flammam circum caput, & hoc coram pluribus, quod ſignum eſt angelicum; innocentiam ſimulare diverſis modis, etiam repræſentando infantes quos oſculantur: inſpirant quoque aliis, contra quos odium habent, ut ſe necent, quia ſciunt ſe mori non poſſe, poſtea accuſant eos pro homicidis, & divulgant: excitaverunt e memoria quicquid mali cogitavi & patravi, & hoc ſolertiſſime; cum in ſomno eſſem, loquutæ ſunt prorſus ſicut a me cum aliis, ſic ut perſuaderentur ſpiritus, & quidem falſa & obſcæna: præter alia plura: natura earum tam perſuaſiva eſt, ut ei nihil dubitativi ineſſe percipiatur, inde non communicantur ideæ earum, ſicut aliorum ſpirituum; ſuntque iis oculi quaſi ſerpentini, ut dicitur, undequaque viſum & ideam præſentem habentes. Hæ Præſtigiatrices ſeu Sirenes puniuntur graviter; quædam in Gehenna; quædam in Curia quadam inter angues; quædam per diſtractiones & varias colliſiones, cum maximo dolore & cruciatu; ſucceſſu temporis diſſociantur, & fiunt ſicut ſceleta a capite ad calcem. *Continuatio ſequitur in fine Capitis.*

CAPUT

CAPUT VIII.

1. ET recordatus eſt DEUS Noachi, & omnis feræ, & omnis beſtiæ, quæ cum illo in arca; & tranſire fecit DEUS ventum ſuper terram, & deſederunt aquæ.

2. Et obturati ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli, & inhibitus eſt imber e cœlo.

3. Et receſſerunt aquæ deſuper terra, eundo & redeundo, & defecerunt aquæ a fine quinquaginta & centum dierum.

4. Et quievit arca in menſe ſeptimo; in ſeptimo decimo die menſis, ſuper montibus Ararath.

5. Et aquæ erant eundo & deficiendo uſque ad menſem decimum, in decimo, in primo menſis, apparuerunt capita montium.

* *

6. Et factum a fine quadraginta dierum, & aperuit Noach feneſtram arcæ, quam fecit.

7. Et emiſit corvum, & exivit exeundo & redeundo, uſque ad exſiccationem aquarum de ſuper terra.

8. Et emiſit columbam a ſecum, ad videndum num diminutæ ſint aquæ deſuper faciebus humi.

9. Et non invenit columba quietem volæ pedis ſui, & reverſa eſt ad illum, ad arcam, quia aquæ ſuper faciebus totius terræ, & emiſit manum ſuam, & accepit illam, & induxit illam ad ſe in arcam.

10. Et exſpectavit adhuc ſeptem dies alios, & perrexit emittere columbam de arca.

11. Et reverſa eſt ad illum columba, ad tempus veſperæ, & ecce folium olivæ decerptum in ore illius; & cognovit Noach, quod diminutæ aquæ deſuper terra.

12. Et exſpectavit adhuc ſeptem dies alios, & emiſit columbam, & non addidit redire ad illum amplius.

13. Et factum in primo & ſexcentiſſimo anno, in principio, in primo menſis, aruerunt aquæ deſuper terra, & removit Noach tectum arcæ, & vidit, & ecce arefactæ ſunt facies humi.

14. In menſe ſecundo, in ſeptimo & vigeſimo die menſis, exſiccata eſt terra.

* *

15. Et loquutus eſt Deus ad Noachum, dicendo.

16. Exi de arca tu & uxor tua, & filii tui, & uxores filiorum tuorum, tecum.

17. Omnis fera, quæ tecum, de omni carne, quoad avem, & quoad beſtiam, & quoad omne reptile repens ſuper terra, educ tecum, & diffundant ſe in terram, & fructificent ſe, & multiplicentur ſuper terra.

18. Et exivit Noach, & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus, cum illo.

19. Omnis fera, omne reptile, & omnis avis, omne repens ſuper terra; ſecundum familias ſuas exiverunt de arca.

* *

20. Et ædificavit Noach altare Jehovæ, & accepit de omni beſtia munda, & de omni ave munda, & obtulit holocauſta ſuper altari.

21. Et odoratus Jehovah odorem quietis, & dixit Jehovah in corde ſuo, non addam maledicere amplius humo, propter hominem, quia figmentum cordis hominis malum a pueritia ejus, & non addam amplius percutere omne vivum, ſicut feci.

22. Adhuc omnibus diebus terræ, ſementis & meſſis, & frigus & æſtus, & æſtas & hyems, & dies & nox, non ceſſabunt.

CONTENTA.

832. Sequitur nunc ſecundum ſeriem, de novæ Eccleſiæ homine, qui Noachus vocatur; & quidem de ſtatu ejus poſt tentationem, uſque ad ejus regenerationem, & porro.

833. De Primo ſtatu poſt tentationem; de ejus fluctuatione inter verum & falſum, uſque dum apparere incipiunt vera, verſ: 1 ad 5.

834. De Secundo ſtatu, qui tripartitus: primum cum nondum vera fidei; dein cum vera fidei cum charitate; poſtea cum bona charitatis, elucent, verſ: 6 ad 14.

835. De Tertio ſtatu; cum ex charitate incipit agere & cogitare; qui eſt ſtatus primus regenerati, verſ: 15 ad 19.

836. De Quarto ſtatu, cum ex charitate agit & cogitat; qui eſt ſtatus ſecundus regenerati, verſ: 20, 21.

837. Tandem de Eccleſia hac nova, loco prioris, exſuſcitata, quæ deſcribitur, verſ: 21, 22.

SENSUS INTERNUS.

838. IN binis Capitibus, quæ præcedunt, actum eſt de Nova Eccleſia, Noachus, dicta, ſeu de homine iſtius Eccleſiæ; & quidem primum de illius præparatione ad recipiendum fidem, & per fidem charitatem; deinde de ejus tentatione, poſtea de protectione, pereunte Eccleſia Antiquiſſima; hic nunc ſequitur de ſtatu ejus poſt tentationem, & quidem ordine, quo ſe habuit: & ſimul ordine quo ſe habet apud regenerandos quoſcunque; nam Verbum Domini tale eſt, ut de omnibus & ſingulis, ubi de uno, agatur, cum differentia ſecundum cujuſvis indolem; qui ſenſus eſt Verbi univerſalis.

839. Verſ: 1. *Et recordatus eſt Deus Noachi, & omnis feræ, & omnis beſtiæ, quæ cum illo in arca; & tranſire fecit Deus ventum ſuper terram, & deſederunt aquæ.* Recordatus eſt Deus, ſignificat finem tentationis & principium renovationis; per Noachum ſignificatur, ut prius, homo Antiquæ Eccleſiæ: per omnem feram, & omnem beſtiam, quæ cum illo in arca, ſignificantur omnia quæ apud illum: & tranſire fecit Deus ventum ſuper terram, & deſederunt aquæ, ſignificant diſpoſitionem omnium in ſuum ordinem.

840. Et recordatus Deus, quod ſignificet finem tentationis & principium renovationis, conſtat ab illis quæ præcedunt, & ab illis quæ ſequuntur: quod recordetur Deus, in ſpecie ſignificat, quod miſereatur, recordatio Ipſius eſt Miſericordia, quæ prædicatur imprimis poſt tentationem, quia tunc nova lux effulget; quamdiu perſtat tentatio, putat homo, Dominum abeſſe, quia a malis geniis agitatur, & quidem ita, ut quandoque in deſperatione ſit tali, ut vix credat aliquem Deum dari; ſed Dominus præſentior tunc eſt, quam uſquam is credere poteſt; at cum Tentatio deſinit, tunc ſolatium accipit, & tunc primum credit adeſſe Dominum, quare hic, quia ita apparet, Recordari Deus, ſignificat finem tentationis, & principium renovationis. Deus recordari dicitur, non autem Jehovah, quia adhuc in ſtatu ante regenerationem; cum autem regeneratus eſt, tunc nominatur Jehovah, ut in fine hujus Capi-

 tis,

tis, Verſ: 20, 21: cauſa eſt, quia nondum fides conjuncta eſt charitati; tunc primum dicitur homo regeneratus, cum ex charitate agit, in charitate eſt Jehovah, non ita in fide antequam charitati juncta; charitas eſt ipſum eſſe & vivere hominis in altera vita, ipſum Eſſe & Vivere eſt Jehovah, quare antequam eſt & vivit homo, non dicitur apud eum eſſe Jehovah ſed Deus.

841. Quod per Noachum ſignificetur, ut prius, homo Antiquæ Eccleſiæ, & per omnem feram, & omnem beſtiam quæ cum illo in arca, ſignificentur omnia quæ apud illum, conſtare poteſt ab illis, quæ prius de Noacho, & de ſignificatione feræ & beſtiæ, dicta ſunt: Fera in duplici ſenſu in Verbo accipitur, pro iis apud hominem, quæ viva ſunt, & pro iis quæ mortua; quod pro iis quæ viva ſunt, cauſa eſt, quia vox illa in Lingua Hebræa ſignificat Vivum; ſed quia Antiquiſſimi in humiliatione ſua agnoverunt ſe pro feris, inde quoque per eandem vocem ſignificata ſunt quæ apud hominem mortua; hic per feram ſignificatur tam quod vivum, quam quod mortuum in uno complexu, quale ſolet eſſe apud hominem poſt tentationem, in quo viva & mortua, ſeu quæ Domini ſunt, & quæ hominis propria, ita confuſa apparent, ut vix tunc ſciat homo, quid verum & bonum; ſed Dominus tunc omnia in ordinem redigit & diſponit, ut conſtare poteſt ab illis quæ ſequuntur: quod Fera ſignificet quæ apud hominem viva ſunt, videatur in Cap: præc: VII ad verſ: 14, tum quoque in hoc Cap: ad verſ: 17 & 19: quod ſignificet quæ apud hominem ſunt, etiam mortua, conſtat ab illis quæ prius de feris & beſtiis aliquoties oſtenſa ſunt, ut n: 45, 46, 142, 143, 246.

842. Et tranſire fecit Deus ventum ſuper terram, & deſederunt aquæ, quod ſignificent diſpoſitionem omnium in ſuum ordinem, conſtat ex ſignificatione Venti in Verbo; omnes Spiritus, tam boni quam mali, comparantur & aſſimilantur vento, etiam vocantur venti; per eandem vocem in Lingua originali exprimuntur ſpiritus, per quam venti: in tentationibus, quæ hic ſunt aquæ quæ deſederunt, ut prius oſtenſum, ſunt ſpiritus mali qui inundant, qui acervatim influunt cum ſuis phantaſiis, & excitant ſimiles quæ apud hominem; hi ſpiritus, ſeu hæ phantaſiæ, cum diſperguntur, dicitur in Verbo fieri per ventum, & quidem per ventum orientalem; ſe habet res apud hominem qui in tentatione, cum turbæ ſeu aquæ tentationis ceſſant, ſicut in communi, quod a pluri experientia ſcire datum, quod nempe mali ſpiritus in mundo ſpirituum ſe quandoque in cohortes conſocient, & ſic turbas excitent, ſed diſpelluntur per alias cohortes ſpirituum, a dextra utplurimum, ſic a plaga orientali, alluentes, qui illis tantum metum & terrorem incutiunt, ut nihil cogitent quam de fuga, tunc qui ſe conſociarunt, diſperguntur in omnes plagas, & ſic diſſolvuntur ſocietates ſpirituum male confarctæ: cohortes ſpirituum, qui eos ita diſpergunt, vocantur Ventus orientalis; præter quod innumeris aliis modis diſſipentur, qui etiam Venti orientales ſunt, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; cum ita diſperſi ſunt mali ſpiritus, tunc poſt turbam ſeu turbulentum ſtatum, oritur quaſi ſerenum, ſeu ſilentium: ſimiliter ſe habet cum homine, qui in tentatione; is dum in tentatione eſt, inter

turbam

turbam talium ſpirituum eſt, quibus abactis ſeu diſperſis fit quaſi ſerenum, quod principium eſt diſpoſitionis omnium in ordinem. Antequam aliquid in ordinem redigitur, communiſſimum eſt, quod primum in confuſum quoddam, quaſi chaos, redigantur, ita quæ male cohærent, diſſociantur, quæ cum diſſociata ſunt, tunc diſponit Dominus illa in ordinem; comparari hoc poteſt cum illis quæ exiſtunt in natura, ubi quoque omnia & ſingula in confuſum quoddam prius rediguntur, antequam diſponuntur; niſi procellæ forent in atmoſphæra, quæ diſſiparent heterogenea, nuſquam ſerenaretur aer, ſed coacervarentur peſtifera in perniciem: ſimiliter in corpore humano, niſi omnia ſanguinis, tam heterogenea, quam homogenea, continue & per vices confluerent prius in unum Cor, & ibi confunderentur, liquida conglutinarentur in perniciem, & nuſquam ſingula diſponerentur diſtincte ad ſuos uſus: ita quoque ſe habet apud hominem regenerandum. Quod ventus, in ſpecie Ventus orientalis, nihil aliud ſignificet, quam diſperſionem falſorum & malorum, ſeu quod idem eſt, malorum ſpirituum & geniorum, & dein diſpoſitionem in ordinem, conſtare poteſt in verbo: ut apud Eſaiam, "Diſperges eos, & *Ventus* auferet eos, & *Procella* diſſipabit eos; & tu exultabis in Jehovah, in Sancto Iſraelis gloriaberis," XLI: 16. ubi diſperſio comparatur vento, & diſſipatio procellæ, quæ eſt malorum; tunc qui regenerati exultabunt in Jehovah. Apud Davidem, "Ecce reges ſe congregarunt, tranſiverunt una, ii viderunt, ſic obſtupefacti ſunt, confuſi ſunt, feſtinarunt, terror apprehendit eos ibi, dolor ſicut parturientis, per *Ventum Orientalem* confringes," XLVIII: 5, 6, 7, 8. hic deſcribitur terror & confuſio, in quo ſunt ex Vento orientali; deſcriptio hæc ab illis, quæ fiunt in mundo ſpirituum, deſumta eſt, nam ſenſus internus Verbi illa involvit. Apud Jeremiam, "Ponet terram eorum in ſtuporem, ſicut *Ventus orientalis* diſpergam eos coram hoſte; cervice & non faciebus reſpiciam eos in die exitii eorum," XVIII: 16, 17. hic ſimiliter ventus orientalis pro diſperſione falſorum. Similia repræſentantur per Ventum Orientalem, quo exſiccatum mare Suph, ut filii Iſraelis tranſirent, de quo in Exodo ita, "Abduxit Jehovah mare Suph, per *Ventum Orientalem* vehementem tota nocte, & poſuit mare in ſiccum, & ſciſſæ ſunt Aquæ," XIV: 21. quod ſimilia repræſentata ſint per aquas maris Suph, ac hic ſignificata per aquas Diluvii, conſtat inde, quod Ægyptii, per quos mali repræſentati, ſubmerſi ſint, & filii Iſraelis per quos regenerati, ut hic Noachus, tranſgreſſi; perque mare Suph, ſicut per diluvium, damnatio ut & tentatio, ita per Ventum orientalem diſſipatio aquarum ſeu malorum damnationis, aut tentationis; ut quoque ex Cantico Moſis poſtquam tranſgreſſi ſunt, conſtat, Exod: XV: 1 ad 19, & apud Eſaiam, "Devovebit Jehovah linguam maris Ægypti, & agitabit manum ſuam ſuper flumen in vehementia *Venti* ſui, percutietque illud in ſeptem flumina, & viam faciet in calceis; tum erit ſemita *Reliquiis* populi Ipſius, qui reſiduus erit ab Aſchure, quemadmodum fuit Iſraeli, cum aſcenderet e terra Ægypti," XI: 15, 16. ubi ſemita reliquiis populi reſidui ab Aſchure, pro diſpoſitione in ordinem.

843.

843. Verſ: 2. *Et obturati ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli, & inhibitus eſt imber e cœlo*, ſignificant, quod tentatio ceſſavit; fontes abyſſi, mala quæ voluntatis; cataractæ cœli, falſa quæ intellectus; imber ipſam tentationem in genere.

844. Ab hoc verſu ad ſextum, agitur de primo ſtatu hominis hujus Eccleſiæ, poſt tentationem; & quæ in hoc verſu, ſignificant ceſſationem tentationis. actum eſt prius de tentatione ejus quoad voluntaria, tum de tentatione ejus quoad intellectualia; quod ceſſaverit tentatio quoad voluntaria, ſignificatur per quod obturati ſint fontes abyſſi; & quod quoad intellectualia, per quod cataractæ cœli; quæ quod talia ſignificent, prius dictum & oſtenſum eſt Cap: præc: VII: ad verſ: 11; & quod imber ipſam tentationem, etiam ibi verſ: 12, quare iis confirmandis non amplius immorandum.

845. Quod per fontes abyſſi ſignificetur tentatio quoad voluntaria, & per cataractas cœli tentatio quoad intellectualia, cauſa eſt, quia voluntarium hominis eſt quod agitur ab inferno; non ita intellectuale niſi immerſum ſit cupiditatibus, quæ ſunt voluntatis; mala, quæ voluntatis, ſunt quæ damnant hominem & detrudunt eum ad infernum, non ita falſa, niſi copulata ſint malis, tunc unum ſequitur alterum; ut conſtare poteſt a permultis, qui in falſis ſunt, & uſque ſalvantur, ſicut plurimi ex gentibus, qui in charitate naturali vixerunt & in miſericordia, tum Chriſtiani qui ex ſimplicitate cordis crediderunt; ipſa ignorantia & ſimplicitas excuſat, quia in illis poteſt eſſe innocentia; aliter ſe habet cum illis, qui confirmarunt ſe in falſis, & inde vitam falſi talem traxerunt, ut renuant & reſpuant omne verum, quæ vita prius vaſtatur, antequam aliquid veri & ſic boni inſeminari poteſt; pejus autem ſe habet cum illis, qui ſe in falſis confirmarunt ex cupiditatibus, ſic ut falſitates & cupiditates unam vitam conſtituerint, ii ſunt qui ſe demergunt inferno; hæc cauſa eſt, quod tentatio quoad voluntaria, ſignificetur per fontes abyſſi, qui ſunt inferna, & tentatio quoad intellectualia per cataractas cœli, quæ ſunt nubes, ex quibus imber.

846. Verſ: 3. *Et receſſerunt aquæ deſuper terra, eundo & redeundo, & defecerunt aquæ a fine quinquaginta & centum dierum:* quod receſſerint aquæ deſuper terra, eundo & redeundo, ſignificant fluctuationes inter verum & falſum: quod defecerint aquæ a fine quinquaginta & centum dierum, ſignificant quod tentationes ceſſaverint: quinquaginta & centum dies ſignificant hic, ut prius, terminum.

847. Quod receſſerint aquæ deſuper terra, eundo & redeundo, ſignificent fluctuationes inter verum & falſum, conſtat ab illis quæ dicta ſunt, quod nempe aquæ diluvii ſeu inundationes, quoad Noachum, ſignificaverint tentationes, & quia hic agitur de primo ſtatu poſt tentationem, aquæ recedentes eundo & redeundo non aliud ſignificare poſſunt, quam fluctuationem inter vera & falſa; ſed quomodo hæc fluctuatio ſe habet, non ſciri poteſt, niſi ſciatur quid Tentatio; nam qualis tentatio talis fluctuatio poſt tentationem; cum Tentatio cœleſtis tunc fluctuatio eſt inter bonum & malum; cum Tentatio

tatio ſpiritualis, eſt fluctuatio inter verum & falſum; cum Tentatio naturalis, tunc fluctuatio eſt inter illa quæ ſunt cupiditatum & iis contraria; nam Tentationes dantur plures, in genere ſunt Cœleſtes, Spirituales, & Naturales, quæ minime confundendæ ſunt: Cœleſtes tentationes non poſſunt eſſe niſi apud eos, qui in amore in Dominum ſunt; Spirituales apud eos, qui in charitate erga proximum; Naturales ſunt prorſus diſtinctæ ab illis, nec ſunt tentationes, ſed ſolum anxietates ex eo quod impugnentur naturales eorum amores, excitatæ ab infortuniis, morbis, & mala ſanguinis & fluidorum corporis temperie; ex his paucis aliquatenus ſciri poteſt quid Tentatio, nempe, anguſtia & anxietas ex illis quæ repugnant amoribus; apud quos amor in Dominum eſt, quicquid impugnat amorem in Dominum, cruciatum intimum producit, hoc eſt tentatio cœleſtis: apud quos eſt amor erga proximum, ſeu charitas, quicquid impugnat hunc amorem, cruciatum conſcientiæ ſiſtit, hoc eſt tentatio ſpiritualis: at vero naturales, quas perplurimi vocant tentationes, & dolores vocant morſus conſcientiæ, non ſunt tentationes, ſed modo anxietates ex eo, quod amores eorum impugnentur, ut cum prævident & ſentiunt ſe privari honore, bonis mundi, fama, voluptatibus, vita corporis, & ſimilibus, ſed uſque aliquid boni ſolent producere: præterea etiam Tentationes dantur apud eos, qui in charitate naturali ſunt, ita apud hæreticos quoſcunque, gentiles, idolololatras, ex iis, quæ impugnant eorum fidei vitam, quam charam habent; ſed hæ ſunt anguſtiæ æmulæ tentationum ſpiritualium.

848. Peractis Tentationibus eſt quaſi Fluctuatio, & ſi Tentationes ſpirituales ſunt, eſt Fluctuatio inter verum & falſum, quod etiam inde ſatis manifeſte conſtare poteſt, quod Tentatio ſit principium Regenerationis; omnis Regeneratio ideo eſt, ut homo novam vitam accipiat, ſeu potius, ut vitam, & fiat homo ex nullo homine, ſeu vivus homo ex mortuo, quare cum vita ejus prior, quæ ſolum eſt animalis, per tentationes deſtruitur, tunc non poteſt aliter quam poſt tentationem fluctuare inter verum & falſum; verum eſt novæ vitæ, falſum eſt veteris: niſi deſtruatur prior vita, & tale fit, nequaquam ſemen ſpirituale poteſt inſeminari, nam nulla eſt humus. Cum autem prior vita deſtructa eſt, & talis fluctuatio, tunc pœne nihil ſcit quid verum & bonum, uſque adeo ut vix ſciat dari aliquid verum, ſicut pro exemplo, cum cogitat de bonis charitatis, ſeu ut illa vocant, de bonis operibus, annon ex proprio illa poſſit facere, & in proprio ſit meritum, tunc ita in obſcuro & tenebroſo eſt, ut cum dicitur ei, quod ex ſemet, ſeu ex proprio, nemo facere bonum poſſit, minus aliquid mereri, ſed quod omne bonum ex Domino, & omne meritum ſit Domini, nihil aliud poſſit, quam obſtupeſcere; ſimiliter in omnibus reliquis quæ ſunt fidei, ſed uſque obſcurum illud ſeu tenebroſum, in quo eſt, ſenſim & per gradus, illuſtratur. Regeneratio ſe prorſus habet, ſicut cum homo naſcitur infans, tunc in obſcuriſſima vita eſt, fere nihil novit, quare tunc communia rerum primum influunt, quæ per gradus diſtinctiora fiunt, ſicut communibus particularia inſinuantur, porro particularibus ſingularia; ita communia a ſingularibus illuſtrantur, ut ſciat non modo quod ſint, ſed etiam qualia ſunt; ita ſe habet cum omni, qui emergit ex tentatione

tione ſpirituali: ſimilis ſtatus quoque eſt eorum in altera vita, qui in falſis fuerunt, & vaſtantur. Hic ſtatus vocatur fluctuatio, & deſcribitur hic per aquas recedentes eundo & redeundo.

849. Quod defecerint aquæ a fine quinquaginta & centum dierum, ſignificent quod tentationes ceſſaverint, exinde nunc manifeſte ſequitur: quod quinquaginta & centum dies ſignificent terminum, conſtat ab illis quæ in Cap: præc: ad verſ: 24, de eodem numero dicta ſunt; ita hic terminum fluctuationis & novæ vitæ.

850. Verſ: 4. *Et quievit Arca in menſe ſeptimo, in ſeptimo decimo die menſis ſuper montibus Ararath.* Quod quieverit Arca ſignificat regenerationem: menſis ſeptimus ſanctum: ſeptimus decimus dies menſis ſignificat novum: montes Ararath, lumen.

851. Quod quieverit arca ſignificet regenerationem, conſtare poteſt ex eo, quod arca ſignificet hominem hujus Eccleſiæ, & omnia quæ in illa, quæ apud illum hominem, ut prius multis oſtenſum eſt; cum itaque arca quieſcere dicitur, eſt quod hic homo regeneretur: ex ſerie ſenſus literæ quidem involvi videtur, quod per quieſcere arcam ſignificetur quod fluctuationes poſt tentationem, de quibus in verſ: præc: ceſſaverint, ſed fluctuationes, quæ ſunt dubia & obſcuritates de veris & bonis, non ceſſant ita, ſed diu perſtant, ut quoque ex ſequentibus conſtabit; inde conſtat, quod continua alia in ſenſu interno ſint; quæ quia arcana, hic licet aperire, nempe, quod homo ſpiritualis, poſtquam ſuſtinuit tentationes, ſimiliter fiat quies Domini, ſicut homo cœleſtis, tum quoque, quod ſimiliter fiat ſeptimus, non dies ſeptimus ut homo cœleſtis, ſed menſis ſeptimus; de homine cœleſti, quod ſit quies Domini ſeu ſabbathum, & quod ſit ſeptimus dies, videatur n: 84 ad 88, ſed quia differentia eſt inter hominem cœleſtem, & hominem ſpiritualem, illius quies exprimitur in lingua originali per vocem quæ ſignificat ſabbathum, hujus autem quies per vocem aliam, ex qua nominatus Noach, qui proprie eſt quies.

852. Quod menſis ſeptimus ſignificet ſanctum, conſtat abunde ab illis, quæ prius oſtenſa ſunt n: 84 ad 87. 395. 716. ſanctum hic correſpondet illis quæ Cap: II: verſ: 3, de cœleſti homine dicta, quod ſeptimus dies ſanctificatus, quia quievit in illo Deus.

853. Quod ſeptimus decimus dies ſignificet novum, conſtat ab illis quæ de eodem numero dicta & oſtenſa ſunt Cap: præc: VII: ad verſ: 11. n: 755. ubi ſignificat principium, omne principium eſt novum.

854. Quod montes Ararath ſignificent lumen, conſtare poteſt a ſignificatione Montis, quod ſit bonum amoris & charitatis n: 795, & a ſignificatione Ararath, quod eſt lumen, & quidem lumen regenerati: Lumen novum ſeu primum regenerati nuſquam exiſtit a cognitionibus veritatum fidei, ſed ex Charitate; ſe enim habent veritates fidei ſicut radii lucis, amor ſeu charitas ſicut flamma; lumen in regenerando non eſt ex veritatibus fidei, ſed ex charitate, ipſæ veritates fidei ſunt radii luminis inde; ita conſtat, quod montes

Ararath

Ararath ſignificent tale lumen: hoc lumen eſt primum lumen poſt tentationem; quod quia primum, eſt obſcurum, & vocatur lumen, non lux.

855. Ex his nunc conſtare poteſt, quid hæc, quæ in hoc verſu, in ſenſu interno ſignificant, nempe, *quod homo ſpiritualis ſit quies ſancta, ex novo lumine intellectuali quod Charitatis*; hæc cum mirabili varietate, & in jucundo ordine, ita percipiuntur ab angelis, ut ſi homo potuiſſet ſolum in una tali idea eſſe, millia & millia in multiplici ſerie forent, quæ intrarent & afficerent, & quidem talia, quæ nuſquam potuiſſent deſcribi; tale eſt Verbum Domini ubivis in ſenſu interno, tametſi appareat in ſenſu literæ ut rude hiſtoricum, ſicut hæc, quæ illa ſignificant, quod *quievit arca in menſe ſeptimo, & ſeptimo decimo die menſis ſuper montibus Ararath.*

856. Verſ: 5. *Et aquæ erant eundo & deficiendo uſque ad menſem decimum; in decimo, in primo menſis, apparuerunt capita montium.* Quod aquæ eſſent eundo & deficiendo, ſignificat, quod falſa inciperent diſparari: menſis decimus ſignificat vera quæ reliquiarum: quod in primo menſis apparuerint capita montium, ſignificant vera fidei, quæ tunc videri cæperunt.

857. Quod aquæ eſſent eundo & deficiendo, ſignificet quod falſa inciperent diſparari, conſtat ex ipſis verbis, & ex illis quæ mox prius verſ: 3 dicta, ubi dicitur quod aquæ receſſerint eundo & redeundo, hic autem quod aquæ eſſent eundo & deficiendo; per hæc ſicut per illa ſignificantur fluctuationes inter verum & falſum, ſed hic, quod fluctuationes iſtæ diminuerentur; ſe habent fluctuationes poſt tentationem, ut dictum, quod non ſciat homo quid verum, ſed ut per gradus ceſſant, ita lux veritatis apparet; cauſa inde eſt, quod quamdiu homo eſt in tali ſtatu, non operari poſſit Internus homo, hoc eſt, Dominus per internum, in externum; in Interno ſunt Reliquiæ, quæ ſunt affectiones boni & inde veri, de quibus prius; in Externo ſunt cupiditates & inde falſitates; quamdiu externa hæc non domata & exſtincta ſunt, non patet via bonis & veris ab Interno, hoc eſt, per internum a Domino: Tentationes ideo quoque ſunt, ut externa hominis domentur, & ſic obſequioſa reddantur internis; quod cuivis conſtare poteſt ex eo, ut primum impugnantur & franguntur hominis amores, ut in infortuniis, morbis, ægritudinibus animi, tunc ceſſare incipiunt ejus cupiditates, quibus ceſſantibus incipit pia loqui; ut primum autem redit ad priſtinum ſtatum, dominatur externus homo, & vix cogitat de illis; ſimiliter in ultima mortis hora, cum corporea exſtingui incipiunt: ex quibus quiſque videre poteſt, quid Internus homo, & quid Externus; tum quid Reliquiæ; ut & quomodo cupiditates & voluptates, quæ ſunt Externi hominis, impediunt, quin Dominus per internum hominem operari poſſit: inde quoque cuivis patet, quid etiam Tentationes, ſeu dolores interni, qui vocantur morſus conſcientiæ, efficiunt, ut nempe externus homo obſequia præſtet interno; obſequium hominis externi nihil aliud eſt, quam quod affectiones boni & veri, non impediantur, reſiſtantur, & ſuffocentur a cupiditatibus & inde falſitatibus; ceſſationes cupiditatum & falſitatum hic deſcribuntur per aquas, quæ ſunt eundo & deficiendo.

858.

858. Quod menſis decimus ſignificet vera, quæ ſunt Reliquiarum, conſtat a ſignificatione *Decem*, quod ſint Reliquiæ, n: 576 tum ex illis, quæ mox ſupra de reliquiis apud internum hominem dicta ſunt.

859. Quod in primo menſis apparuerint capita montium ſignificent vera fidei, quæ tunc videri incipiunt, conſtat a ſignificatione montium, n: 795, quod ſint bona amoris & charitatis, hæc capita tunc videri incipiunt, cum homo regeneratur, & donatur conſcientia, & per illam charitate: qui putat ſe videre capita montium, ſeu vera fidei aliunde, quam ex bonis amoris & charitatis, prorſus fallitur, abſque illis Judæi & prophani gentiles poſſunt ſimiliter videre. Capita montium ſunt prima lucis, quæ apparent.

860. Ex his conſtare quoque poteſt, quod omnis Regeneratio procedat a veſpera ad mane, ut Capite Primo Geneſeos ſexies dicitur, ubi de Regeneratione hominis agitur; Veſpera hic deſcribitur verſ: 2, 3, Mane verſ: 4, 5. hic quod primum lucis ſeu mane hujus ſtatus per quod apparerent capita montium.

861. Verſ: 6. *Et factum a fine quadraginta dierum, & aperuit Noach feneſtram arcæ, quam fecit.* Factum a fine quadraginta dierum ſignificat durationem prioris ſtatus, & principium ſequentis: aperuit Noach feneſtram Arcæ quam fecit, ſignificat ſtatum alterum, cum vera fidei ei apparerent.

862. Quod factum a fine quadraginta dierum ſignificet durationem prioris ſtatus, & principium ſequentis, conſtat a ſignificatione *Quadraginta*, n: 730, ubi, quia agitur de tentatione, dicitur quadraginta dies & quadraginta noctes, & ſignificavit durationem tentationis; hic quia de ſtatu poſt tentationem agitur, dicitur quadraginta dies, non autem noctes; cauſa eſt, quia nunc charitas incipit apparere, quæ in Verbo comparatur diei, & vocatur dies; at fides quæ præcedit nondum ita juncta charitati comparatur nocti, & vocatur nox, ſicut in Cap: 1, verſ: 16: & alibi in Verbo: Fides quoque Nox in Verbo inde appellatur, quia lucem ſuam accipit a charitate, ſicut Luna a Sole, quare etiam fides comparatur Lunæ, & vocatur Luna; & amor ſeu charitas comparatur Soli & vocatur Sol. Quadraginta dies, ſeu duratio, quam ſignificant, ſe refert tum ad illa quæ præcedunt, tum ad illa quæ ſequuntur, quare dicitur a fine quadraginta dierum; ita ſignificant durationem prioris ſtatus, & principium hujus, de quo nunc agitur: hic nunc inchoat deſcriptio ſecundi ſtatus hominis hujus Eccleſiæ poſt tentationem.

863. Quod aperuit Noach feneſtram arcæ, quam fecit, ſignificet ſtatum alterum, cum vera fidei ei apparerent, conſtare poteſt ab ultimis verbis Verſus præcedentis, quod apparuerint capita montium, & de illorum ſignificatione; tum a ſignificatione feneſtræ, de qua prius, n: 655, quod ſit intellectuale, proinde verum fidei, quod idem eſt; & ex eo, quod hoc ſit primum lucis. De intellectuali ſeu vero fidei, per feneſtram ſignificato, idem hic obſervandum, quod prius, nempe quod nuſquam aliquod verum fidei dari queat niſi a bono amoris aut charitatis, ſicut nuſquam aliquod vere intellectuale, niſi a voluntario,

ſi

ſi removes voluntarium, nullum intellectuale eſt, ut prius aliquoties oſtenſum, ita ſi removes charitatem, nulla eſt fides: ſed quia hominis voluntas eſt mera cupiditas, ne intellectuale ſeu verum fidei cupiditati ejus immergeretur, Dominus miraculoſe providit, & diſtinxit intellectuale ab hominis voluntario per medium quoddam, quod eſt Conſcientia, cui Charitas a Domino inditur; abſque miraculoſa hac Providentia nuſquam aliquis ſalvari potuiſſet.

864. Verſ: 7. *Et emiſit corvum, & exivit exeundo & redeundo, uſque ad exſiccationem aquarum ſuper terra.* Quod emiſit corvum, & exivit exeundo & redeundo, ſignificant, quod falſitates adhuc interturbarent; per corvum ſignificantur falſitates; per exire & redire, ſignificatur ſtatus eorum, qui talis: uſque ad exſiccationem aquarum ſuper terra, ſignificant diſſipationem apparentem falſitatum.

865. Quod emiſit corvum, & exivit exeundo & redeundo ſignificent, quod falſitates adhuc interturbarent, conſtat a ſignificatione Corvi, & a ſignificatione exire & redire, de quibus in ſequentibus: deſcribitur hic ſecundus ſtatus hominis regenerandi poſt tentationem, quando vera fidei, ut prima lucis, incipiunt apparere; qui ſtatus talis eſt, quod falſitates jugiter interturbent, ſic ut ſit ſtatus qualis crepuſculi matutini, dum adhuc obſcurum ex nocte manet, quare hic ſignificatur per corvum: falſitates apud ſpiritualem hominem, imprimis antequam regeneratus eſt, ſe habent ſicut denſæ maculæ nubis; cauſa eſt quia nihil veri fidei poteſt ſcire niſi ex revelatis in Verbo, ubi omnia communiter dicta ſunt; communia non ſunt niſi quam maculæ nubis, nam unumquodvis commune in ſe comprehendit mille & mille particularia, & unumquodvis particulare mille & mille ſingularia; particularium ſingularia ſunt quæ illuſtrant communia; hæc nuſquam ita revelata ſunt homini, tam quod non deſcribi poſſint, quam quod non capi, ita non agnoſci & credi, ſunt enim contraria fallaciis ſenſuum, in quibus homo, quas deſtrui non facile admittit! aliter prorſus ſe habet cum homine cœleſti, qui habet perceptionem a Domino, ei poſſunt particularia, & particularium ſingularia inſinuari; ut exempli cauſa, quod verum conjugium ſit unius viri & unius uxoris, & quod tale conjugium ſit repræſentativum Conjugii cœleſtis, proinde quod in tali conjugio poſſit eſſe felicitas cœleſtis, nuſquam in conjugio viri cum pluribus uxoribus; homo ſpiritualis, qui ex Verbo Domini hoc ſcit, acquieſcit, & inde accipit conſcientiam, quod conjugium cum pluribus uxoribus ſit peccatum, plus non novit; at homo cœleſtis percipit millia, quæ confirmant, ſic ut abhorreat matrimonium cum pluribus. Cum homo ſpiritualis modo communia ſcit, & ex communibus formatur ejus conſcientia, & communia Verbi accommodata ſint fallaciis ſenſuum, conſtat, quod innumeræ falſitates ſe adjungant, ut & ſe inſinuent, quæ non diſcuti poſſunt; hæ falſitates hic ſignificantur per corvum, qui exivit eundo & redeundo.

866. Quod per Corvum ſignificentur falſitates, conſtare poteſt in genere ex illis, quæ prius de Avibus dicta & oſtenſa ſunt, quod ſignificent intellectualia, rationalia & ſcientifica; & quod ſimiliter oppoſita, quæ ſunt ratiocinia & falſa; illa & hæc deſcribuntur in Verbo per varias ſpecies avium; intel-

lectualia vera per aves mites, pulchras & mundas, falſa autem per aves immites, impulchras, & immundas, & quidem ſecundum ſpeciem veri & falſi; falſitates craſſæ & denſæ per noctuas & corvos, per noctuas quia in tenebris noctis vivunt, per corvos quia colore ſunt nigro; ut apud Eſaiam, "*Noctua* "atque *Corvus* habitabunt in ea," XXXIV: 11. ubi agitur de Eccleſia Judaica, quod ibi nihil niſi falſitates, quæ etiam deſcribuntur per noctuam & corvum.

867. Quod per exire & redire ſignificetur ſtatus earum, qui talis, conſtat ex falſitatibus, quæ apud hominem, cum in ſtatu primo & ſecundo poſt tentationem, quod nempe ita falſa volitent, ut exeant & redeant, ex cauſa, de qua prius, quod ſolum in communiſſimorum cognitione ſit, & eſſe poſſit, in quæ influunt phantaſiæ ex corporeis, ſenſualibus, & mundanis, quæ non concordant cum veritatibus fidei.

868. Uſque ad exſiccationem aquarum ſuper terra, quod ſignificent diſſipationem apparentem falſitatum, conſtat ex ſtatu hominis cum regeneratur; hodie nullus non credit, quod mala & falſa apud hominem prorſus diſcutiantur & aboleantur, cum regeneratur, ſic ut cum regeneratus eſt, nihil mali & falſi remaneat, ita ut mundus ſit & juſtus, ſicut abſterſus & ablutus aquis, ſed hoc eſt falſiſſimum, nuſquam unicum malum, aut unicum falſum, diſcutitur ita ut aboleatur, ſed omne, quodcunque ab infantia hæreditario imbuit, & actualitate acquiſivit, remanet, ſic ut homo, tametſi regeneratus eſt, non ſit niſi malum & falſum, quod animabus poſt mortem ad vivum oſtenditur; quod etiam inde ſatis manifeſte conſtare poteſt, quod nihil boni, & nihil veri ſit homini niſi a Domino, & quod omne malum & falſum homini a proprio, & quod homo, ut & ſpiritus, imo Angelus, ſi vel minime relinquitur ſibi, ruat ex ſe ad infernum, quare etiam in Verbo dicitur, quod Cœlum non ſit purum; hoc Angeli agnoſcunt, & qui non agnoſcit, is inter Angelos non eſſe poteſt; eſt Sola Domini Miſericordia, quæ liberat eos, imo quæ extrahit eos & detinet ab inferno, ne illuc ex ſemet ruant; quod detineantur a Domino, ne ruant in infernum, manifeſte percipiunt Angeli, quodamodo etiam ſpiritus boni; ſpiritus autem mali, ſicut homines, hoc non credunt, ſed iis multoties oſtenſum eſt; de quibus ab experientia, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur in ſequentibus. Cum itaque ſtatus hominis talis eſt, quod nuſquam aliquod malum & falſum ita diſcuti poſſit, ut aboleatur, quia in malo & falſo conſiſtit ejus vita propria, Dominus, ex Divina Miſericordia, dum regenerat hominem, per Tentationes, mala ejus & falſa ita domat, ut quaſi mortua appareant, tametſi non mortua ſunt, ſolum domata ne repugnare poſſint ita bonis & veris, quæ a Domino; tum quoque Dominus, per tentationes, novam facultatem dat, recipiendi bona & vera, donando hominem ideis & affectionibus boni & veri, ad quæ mala & falſa poſſint flecti, & inſinuando communibus ejus, de quibus prius, particularia, & his ſingularia, quæ apud hominem recondita ſunt, & quæ homo prorſus neſcit, nam intra ejus captus & perceptionis ſphæram ſunt; quæ talia ſunt, ut pro receptaculis ſeu vaſis inſervire poſſint, ut iis a Domino inſinuari queat charitas, & huic innocentia; per quorum mirabilem temperaturam, apud hominem, ſpiritum

&

& angelum, iridis ſpecies repræſentari poteſt, quare Iris ſignum fœderis facta eſt, Cap: IX: 12, 13, 14, 15, 16, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, ibi; cum ita formatus eſt homo, tunc dicitur regeneratus, remanentibus uſque omnibus ejus malis & falſis, tum etiam conſervatis omnibus ejus bonis & veris; qui malus eſt, ejus omnia mala & falſa, prorſus ſicut fuit in illis in vita corporis, in altera vita redeunt, & vertuntur in phantaſias & pœnas infernales; qui autem bonus, omnes ejus ſtatus boni & veri, ut amicitiæ, charitatis, & innocentiæ, cum illorum jucundis & felicibus; immenſum auctis & multiplicatis, in altera vita revocantur: Hæc nunc ſunt, quæ ſignificantur per exſiccationem aquarum, quæ eſt diſſipatio apparens falſitatum.

869. Verſ: 8. *Et emiſit columbam a ſecum ad videndum, num diminutæ ſunt aquæ deſuper faciebus humi.* Per columbam ſignificantur vera & bona fidei apud regenerandum: quod emiſerit columbam a ſecum ad videndum, ſignificant ſtatum recipiendi vera & bona fidei: num diminutæ ſunt aquæ, ſignificant falſitates, quæ impediunt: facies humi ſunt illa, quæ apud hominem Eccleſiæ; humus dicitur, quia primus ſtatus, cum homo fit Eccleſia.

870. Quod per columbam ſignificentur vera & bona fidei apud regenerandum, conſtat a ſignificatione Columbæ in Verbo; imprimis a Columba, quæ venit ſuper Jeſum cum baptizaretur, de qua apud Matthæum, "Baptizatus "Jeſus aſcendit ſtatim ex aqua, & ecce aperti ſunt cœli, viditque ſpiritum Dei "deſcendentem, ſicut *Columbam*, & venientem ſuper Ipſum," III: 16, 17. & apud Joh: I: 32. Luc: III: 21, 22. Marc: I: 10, 11. ubi Columba non aliud ſignificavit, quam ſanctum fidei, ipſe Baptiſmus regenerationem: inde apud Eccleſiam novam, quæ exſurgeret, verum & bonum fidei, quod accipiunt per regenerationem a Domino. Similia repræſentabant & involvebant pulli columbarum aut turtures, quos in ſacrificium, & in holocauſtum offerebant in Eccleſia Judaica, de quibus Levit: I: 14, ad f. Cap: V: 7 ad 10. Cap: XII: 6. Cap: XIV: 21, 22. Cap: XV: 15, 29, 30. Num: VI: 10, 11, Luc: II: 22, 23, 34. quod conſtare poteſt a ſingulis illis locis; quod talia ſignificaverint, unuſquiſque comprehendere poteſt ſolummodo ex eo, quod non potuiſſent, quin aliquid repræſentarent, ſi nihil, foret inane quid, & nuſquam aliquid Divinum; externum Eccleſiæ eſt quoddam inanimatum, ſed vivit ab interno, & internum a Domino. Quod Columba in genere intellectualia fidei ſignificet, etiam conſtat apud Prophetas ut apud Hoſcheam, "Erit Ephraim ſicut *Columba* ſtolida, non cor, Ægyptum vocarunt, Aſſy-"riam abiverunt," VII: 11. apud Eundem, "Ephraim, pavebunt, ſicut *vo-"lucris* ex Ægypto, & *Columba* e terra Aſſyriæ," XI: 11. ubi Ephraim pro intelligente, Ægyptus pro ſciente, Aſſyria pro rationali, columba pro illis quæ ſunt intellectualium fidei, ubi etiam de regeneratione Eccleſiæ ſpiritualis agitur. Apud Davidem, "Jehovah, ne des feræ, animam *Turturis*," Pſalm: LXXV: 19. fera pro illis qui ſunt nullius chatitatis, anima turturis pro vita fidei. Videantur quæ prius n: 40, 776, de Avibus dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe ſignificent intellectualia, & quidem quod Aves mites, pulchræ,

 mundæ,

mundæ, & utiles, intellectualia vera & bona; at immites, deformes, immundæ & inutiles, oppoſita, nempe falſa, ut corvus, qui hic opponitur columbæ.

871. Quod emiſerit columbam a ſecum ad videndum, quod ſignificent ſtatum recipiendi vera & bona fidei, conſtare a ſerie rerum, tum a ſequentibus, poteſt, ubi de tribus ſtatibus regenerationis hujus hominis poſt tentationes, agitur, ſignificatis per quod ter emiſerit columbam: hic proxime involvunt verba explorationem ejus, nam dicitur, quod emiſerit columbam a ſecum ad videndum, nempe, ut ſequitur, num diminutæ ſint aquæ, hoc eſt, num falſitates adhuc tantæ eſſent, ut bona & vera fidei recipi poſſent; ſed exploratio nulla eſt apud Dominum, quia omnia & ſingula novit; quare in ſenſu interno non ſignificant explorationem, ſed ſtatum, & hic primum ſtatum, quando adhuc falſitates impedirent, quæ ſignificantur per verba, num diminutæ ſunt aquæ.

872. Quod facies humi ſint illa, quæ apud hominem Eccleſiæ, & quod humus dicatur, quia eſt primus ſtatus cum homo fit Eccleſia, conſtat a ſignificatione humi de qua prius, quod ſit homo Eccleſiæ, qui tunc humus appellatur, cum ei inſeminari poſſunt bona & vera fidei, prius vocatur terra; ſicut in Primo Capite Geneſeos, ubi antequam homo factus cœleſtis, de illo prædicatur terra, at cum factus cœleſtis, Capite ſecundo, de illo prædicatur humus & ager; ſimiliter in hoc Capite. Solum ex voce Terra & voce Humus, conſpici poteſt, quid ſignificatur in ſenſu interno, non ſolum hic, ſed etiam ubivis in Verbo: per Humum in ſenſu univerſali ſignificatur Eccleſia, & quia Eccleſia, etiam ſignificatur homo Eccleſiæ, nam, ut prius dictum, unuſquiſque homo eccleſiæ eſt Eccleſia.

873. Verſ: 9. *Et non invenit Columba quietem volæ pedis ſui, & reverſa eſt ad illum ad arcam, quia aquæ ſuper faciebus totius terræ, & emiſit manum ſuam, & accepit illam, & induxit illam ad ſe in arcam.* Quod non invenerit columba quietem volæ pedis ſui, ſignificat, quod nihil boni & veri fidei adhuc potuiſſet radicem figere: quod reverſa ad illum ad arcam, ſignificat bonum & verum apparens quaſi fidei apud eum: quia aquæ ſuper faciebus terræ, ſignificat falſitates, quod adhuc ſuperfluerent: emiſit manum ſuam, ſignificat potentiam ejus propriam: & accepit illam & adduxit illam ad ſe in arcam, ſignificat quod ex ſemet bonum faceret, & verum cogitaret.

874. Hic deſcribitur primus ſtatus regenerationis hominis hujus Eccleſiæ poſt tentationem, qui communis eſt omnibus, qui regenerantur, nempe, quod putent ex ſemet bonum facere, & verum cogitare, & quia adhuc in obſcuriſſimo ſunt, etiam Dominus relinquit iis ita opinari: ſed uſque omne bonum quod faciunt, & omne verum quod cogitant, cum in tali opinione ſunt, quæ falſa, non eſt bonum & verum fidei; nam quicquid homo ex ſemet producit, non poteſt eſſe bonum, quia a ſemet, qui eſt fons impurus & immundiſſimus, a fonte impuro & immundiſſimo nuſquam poteſt bonum exire, cogitat enim ſemper de merito & juſtitia ſui, quidam adhuc plus, contemnunt præ ſe alios, ſicut Dominus docet Luc: XVIII: 9 ad 14, alii aliter; propriæ cupiditates ſe admiſcent, ita ut appareat extus ſicut bonum, & uſque intus eſt ſpurcum; quare bonum, quod in hoc ſtatu facit homo, non eſt bonum

num fidei; ſimiliter ſe habet cum vero quod cogitat, tametſi veriſſimum foret quod cogitat, uſque quamdiu ex proprio, eſt in ſe quidem verum fidei, ſed ei bonum fidei non ineſt; omne verum, ut ſit verum fidei, ei bonum fidei a Domino ineſſe debet, tunc primum ſit bonum & verum.

875. Quod non invenit Columba quietem volæ pedis ſui, ſignificet, quod nihil boni & veri fidei adhuc potuiſſet radicem figere, conſtat a ſignificatione columbæ, quod ſit verum fidei, tum a ſignificatione quietis volæ pedis, quod ſit radicem figere; quod radicem non poſſit figere, cauſa in ſequentibus dicitur, nempe quod falſitates adhuc ſuperfluerent: ſed quoquomodo hoc ſe habet, non intelligi poteſt, niſi ſciatur quomodo ſit Regeneratio Hominis ſpiritualis; apud hunc hominem cognitiones fidei ex Verbo Domini, ſeu ex doctrinalibus inde, quæ Antiqua Eccleſia habuit ex revelatis Antiquiſſimæ Eccleſiæ, implantandæ memoriæ ejus, & inde mens ejus intellectualis inſtruenda, ſed quamdiu ibi falſitates ſuperfluunt, non poſſunt vera fidei, utcunque inſeminata, radicari, hærent ſolum ſuperficie tenus ſeu in memoria, nec ſit humus apta, antequam falſitates diſcuſſæ ſunt, ut non appareant, ut prius dictum eſt; ipſa humus apud hunc hominem præparatur in mente ejus intellectuali, quæ dum præparata eſt, tunc a Domino inſinuatur bonum charitatis, inde Conſcientia, ex qua dein agit, hoc eſt, per quam Dominus operatur bonum & verum fidei: ita diſtinguit Dominus intellectualia hujus hominis ab ejus voluntariis, ſic ut nuſquam uniantur, quæ ſi unirentur, non potuiſſet non in æternum perire; apud hominem Antiquiſſimæ Eccleſiæ unita fuerunt voluntaria intellectualibus, ut quoque ſunt apud Angelos cœleſtes; ſed apud hominem hujus Eccleſiæ non unita ſunt, nec apud hominem ſpiritualem uniuntur, apparet uſque ſicut bonum charitatis, quod facit, quaſi ſit ex ejus voluntate, ſed eſt ſolum apparentia & fallacia; omne bonum charitatis quod facit, eſt Solius Domini non per voluntatem, ſed per Conſcientiam; ſi Dominus vel tantillum remitteret, ut homo ex voluntate propria ageret, pro bono, faceret malum ex odio, vindicta & crudelitate; ſimiliter ſe habet cum Vero, quod homo ſpiritualis cogitat & loquitur, niſi ex Conſcientia, & ſic ex bono Domini, cogitaret & loqueretur, nuſquam aliter poſſet cogitare & loqui verum, quam diabolica turba, cum ſe lucis angelos fingunt: hæc clariſſime patent in altera vita. Ex his conſtat, quomodo ſit Regeneratio, & quid ſit Regeneratio ſpiritualis hominis, ſcilicet quod ſit ſeparatio partis ejus intellectualis a voluntaria, per Conſcientiam, quæ a Domino in intellectuali ejus parte formatur, ex qua quod ſit, apparet ſicut quod ab ejus voluntate, ſed eſt a Domino.

876. Quod reverſa ad illum ad arcam, ſignificet bonum & verum apparens quaſi fidei, ex illis quæ dicta ſunt, conſtat, tum ex illis quæ ſequuntur: reverti ad arcam in ſenſu interno non ſignificat liberationem, ſed emitti ab arca & non redire, ut conſtat ab illis quæ ſequuntur, ut verſ: 12, quod emiſerit columbam, & non addiderit redire ad illum amplius; tum a verſ: 15 & 16, quod juſſus exire ab arca, & a verſ: 18, quod exiverit; Arca ſignificat ſtatum ejus ante regenerationem, in qua cum fuit, in captivitate aut in carcere

cere fuit, obſeſſus undique a malis & falſis, ſeu ab aquis diluvii; quare quod reverſa ad illum ad arcam, ſignificat, quod bonum & verum per columbam intellectum rurſus ad illum rediret; quicquid boni homo ex ſemet facere putat, hoc ad illum redit, nam ſpectat ipſum, vel facit illud ut coram mundo appareat, vel ut coram angelis, vel ut mereatur cœlum, vel ut maximus ſit in cœlo, talia proprio, & unicuivis ejus ideæ, inſunt, tametſi appareat in externa forma ſicut bonum & verum fidei; bonum & verum fidei eſt intus bonum & verum, ab intimis, hoc eſt, per intima hominis a Domino influit omne bonum & verum fidei; at cum a proprio, ſeu ex merito, tunc interiora ſunt ſpurca, & exteriora apparent munda, prorſus ſicut putida meretrix quæ facie apparet venuſta; aut ſicut Æthiops vel potius Ægyptiorum mumia candida veſte circum induta.

877. Quod aquæ ſuper faciebus terræ, ſignificent falſitates quod adhuc ſuperfluerent, conſtat a ſignificatione aquarum diluvii, quod ſint falſitates, ut prius ſatis oſtenſum eſt, ita ex ipſis verbis.

878. Quod emiſerit manum ſuam ſignificet potentiam ejus propriam; & quod acceperit illam, & induxerit illam ad ſe in arcam, ſignificet quod ex ſemet bonum faceret, & verum cogitaret, conſtat a ſignificatione Manus, quod ſit potentia, ita hic quod ſit potentia propria ex qua; emittere enim manum, & accipere columbam, & inducere ad ſe, eſt ſibi applicare & tribuere verum per columbam intellectum. Quod per Manum ſignificetur Potentia, tum poteſtas, & inde confidentia, conſtat a multis in Verbo, ut apud Eſaiam, "Viſitabo ſuper fructum magnitudinis cordis regis Aſchuris, "quia dixit, in *potentia Manus meæ* feci, & in ſapientia mea, quia intelligens "ſum," X: 13. ubi manifeſte manus pro potentia propria, cui tribuerit, quare viſitatio ſuper eum. Apud Eundem, "Moabus expandet *Manus* in medio "ſui, quemadmodum expandit natans ad natandum, & humiliabit ſuper"biam ejus, cum cataractis *Manuum* ejus," XXV: 11. manus pro potentia propria, ex præeminentia ſui præ aliis, ita ex ſuperbia. Apud Eundem, "Habitatores eorum *breves Manu*, conſternati ſunt, & pudore affecti," XXXVII: 27. breves manu pro quod nullius potentiæ. Apud Eundem, "Num dicet lutum figulo ſuo, quid facis; & opus tuum, non *Manus* ei," XLV: 9, non manus ei, pro quod ei nulla potentia. Apud Ezechielem, "Rex lugebit, & princeps induetur ſtupore, & *Manus* populi terræ per"turbabuntur," VII: 27, manus pro potentiis. Apud Micham, "Væ cogi"tantibus iniquitatem, & operantibus malum ſuper cubilibus ſuis, quod in "luce mane faciunt id, & quoniam eſt pro deo *Manus* eorum," II: 1. manus pro potentia propria, cui ſicut ſuo deo confidunt. Apud Sachariam, "Væ paſtori nihili, deſerenti gregem, gladius ſuper *brachium* ejus, & ſuper "oculum *dextræ* ejus; *brachium* ejus areſcendo areſcet, & oculus *dextræ* "ejus caligando caligabit," XI: 17. Quia manus ſignificant potentias, ideo mala & falſa hominis in Verbo paſſim vocantur *Opera Manuum* eorum; mala ſunt ex proprio ejus voluntatis, falſa ex proprio ejus intellectus; quod mala & falſa inde, conſtare ſatis poteſt ex natura Proprii hominis, quod non

ſit

ſit niſi malum & falſum, de natura Proprii quod talis, videantur quæ prius, n: 39, 41, 141, 150, 154, 210, 215. Quia Manus ſignificant in genere potentiam, ideo Jehovæ ſeu Domino, in Verbo, multoties tribuuntur Manus, & ibi per Manus in ſenſu interno intelligitur Omnipotentia, ut apud Eſaiam, "Jehovah, exaltata eſt *Manus Tua*," XXVI: 11, pro Potentia Divina. Apud Eundem, "Jehovah extendit *Manum ſuam*, omnes conſumuntur," XXXI: 3. pro Potentia Divina. Apud Eundem, "Super opus *Manuum Mearum* præ-"cipite Mihi; *Manus Meæ* expanderunt Cœlos, & omni exercitui eorum "præcepi," XLV: 11, 12. pro Potentia Divina: regenerati vocantur ſæpe in Verbo opus manuum Jehovæ; apud Eundem, "*Manus Mea* fundavit ter-"ram, & *Dextra Mea* palmo menſa eſt cœlos," XLVIII: 13. manus & dextra pro Omnipotentia. Apud Eundem, "Num abbreviata eſt *Manus Mea*, "ut non ſit redemtio, & num non in Me *Potentia* ad eripiendum," L: 2. pro Potentia Divina. Apud Jeremiam, "Eduxiſti populum tuum Iſraelem "e terra Ægypti per ſigna & portenta, & per *Manum fortem*, & per *Bra-"chium extenſum*," XXXII: 17 21. pro Potentia Divina, ubi in verſ: 17. Potentia, in verſ: 21 Manus: quod per Manum fortem, & per Brachium extenſum educti ſint ex Ægypto, ſæpius dicitur. Apud Ezechielem, "Sic "dixit Dominus Jehovih, in die quo elegi Iſraelem, & *ſuſtuli Manum Meam* "ſemini domus Jacobi, & notus factus ſum iis in terra Ægypti: *Suſtuli Ma-"num Meam* illis, ad educendum eos e terra Ægypti," XX: 5, 6, 23. apud Moſen, "Vidit Iſrael *Manum magnam*, quam fecit Jehovah in Ægyptios," Exod: XIV: 31. Quod per Manum ſignificetur Potentia, ex his nunc manifeſte patet; imo in tantum Manus ſignificavit Potentiam, ut quoque repræſentativum factum, ut conſtat a miraculis, quæ facta ſunt in Ægypto, quod Moſi mandatum ut extenderet baculum aut manum, & ſic fierent; ut, Moſes "*extendit Manum*, & facta eſt grando ſuper Ægyptum," Exod: IX: 22. "Moſes *extendit Manum* & factæ tenebræ, Exod: X: 21, 22. Moſes *exten-"dit Manum* & baculum ſuper mare Suph, & exſiccabatur; & *extendit Ma-"num*, & reducebatur," Exod: XIV: 21, 27. nemo, cui aliqua mens vere cogitandi, poteſt credere, quod aliquid potentiæ fuerit in manu aut in baculo Moſis, ſed quia ſublatio & extenſio manus ſignificavit Potentiam Divinam, etiam Repræſentativum factum eſt in Eccleſia Judaica; ſimiliter cum Joſua extenderet lanceam, de qua ita, "Jehovah dixit, *extende lanceam, quæ in Manu "tua* ad Hajam, quia in *manum* tuam dabo illam; cum extendit Joſua *lan-"ceam, quæ in Manu*, venerunt in urbem, ceperunt eam, & Joſua non re-"duxit *Manum*, qua extendit lanceam, uſque dum devoverit omnes habita-"tores Ajæ," Joſ: VIII: 18, 26. exinde quoque conſtat, quomodo ſe habent Repræſentativa, quæ fuerunt externa Eccleſiæ Judaicæ; inde quoque, quale eſt Verbum, ut illa, quæ in externo ejus ſenſu ſunt, non appareant, ſicut forent repræſentativa Domini, & Regni Ipſius, ut hic quod extenderent manum, & ſimiliter omnia reliqua, quæ nuſquam patent quod talia ſint, dum mens tenetur ſolum in hiſtoricis literæ: patet inde quoque quantum Judæi a vero intellectu Verbi, & rituum Eccleſiæ, receſſerint, dum modo in externis

omnem

omnem cultum poſuerint, imo eouſque ut tribuerint baculo Moſis, & lanceæ Joſuæ potentiam, cum tamen in illis non plus potentiæ fuit, quam in ligno, ſed quia ſignificabant Omnipotentiam Domini, & hæc in Cœlo tunc intellecta, cum extenderent ex mandato manum aut baculum, inde ſigna & miracula; ſimiliter, quod, cum Moſes ſuper vertice collis, elevaret *Manus*, quod Joſua victor eſſet, & cum remitteret, quod victus, & quod ideo ſuſtentarent *Manus* ejus, Ex: XVII: 9 ad 13. Similiter quod imponerentur Manus cum conſecrabantur, ut a populo Levitis, Num: VIII: 9, 10, 12; Joſuæ a Moſe, cum loco ejus ſuſtitueretur, Num: XXVII: 18, 23. ut ſic daretur potentia; inde ritus hodie quoque inaugurandi & benedicendi, per impoſitionem manuum. In quantum Manus ſignificabat & repræſentabat potentiam, conſtare poteſt ex Uſa & Jeroboamo, de quibus hæc in Verbo, de Uſa, quod *emiſerit* in Arcam Dei (manum) & prehenderit illam, quare mortuus, II Sam: VI: 6, 7. Arca repræſentabat Dominum, ita omne ſanctum & cœleſte; quod Uſa *emiſerit*, in Arcam, repræſentabat potentiam propriam, ſeu proprium hominis, quod quia prophanum, non legitur manus, ſed uſque intelligitur, ex cauſa, ne perciperetur ab Angelis tale prophanum quod tetigiſſet ſanctum, & quia emiſit, mortuus eſt: de Jeroboamo, "Factum, cum audivit verbum Viri Dei, quod clamavit contra altare, & *emiſit* Jeroboam "*Manum ſuam* deſuper altari, dicendo prehendite illum, & arefacta eſt *Manus* ejus, quam *emiſit* contra illum, & non potuit reducere eam ad ſe, dixit "ad Virum Dei, precare quæſo facies Jehovæ Dei tui, ut revertatur *Manus* "mea ad me; & precatus eſt Vir Dei facies Jehovæ, & reverſa eſt *Manus* "ejus ad eum, & facta ſicut prius," I Reg: XIII: 4, 5, 6, hic ſimiliter per *emittere manum*, ſignificatur potentia propria, ſeu proprium, quod prophanum, quod violare vellet ſanctum per emiſſionem manus ad virum Dei, quare manus arefacta; ſed quia idololatra erat, nec prophanare potuit, ut prius dictum, reverſa eſt manus ejus. Quod Manus ſignificet & repræſentet potentiam, conſtare poteſt a repræſentativis in Mundo ſpirituum, ibi Brachium quoddam nudum quandoque in conſpectum venit, in quo tantum robur, ut confringere poſſit oſſa, & intimas medullas quaſi in nihilum contundere, & inde tantus terror, ut corde liquefiant; imo actualiter ei eſt tale robur.

879. Verſ: 10, 11. *Et exſpectavit adhuc ſeptem dies alios, & perrexit emittere Columbam de Arca. Et reverſa eſt ad illum Columba ad tempus veſperæ; & ecce folium olivæ decerptum in ore illius; & cognovit Noach quod diminutæ aquæ deſuper terra.* Quod exſpectavit adhuc ſeptem dies, ſignificat principium ſecundi ſtatus regenerationis; ſeptem dies ſignificant ſanctum, quia nunc de charitate: & perrexit emittere columbam de arca, ſignificat ſtatum recipiendi bona & vera fidei: & reverſa eſt ad illum columba ad tempus veſperæ, ſignificat quod pauxillum apparere inciperent; tempus veſperæ eſt ſicut in diluculo ante mane: & ecce folium olivæ decerptum in ore ejus, ſignificant aliquantulum veri fidei; folium eſt verum; oliva eſt bonum charitatis; decerptum, eſt quod verum fidei inde; in ore ejus, eſt, quod oſtenſum: & cognovit Noach, quod diminutæ aquæ deſuper terra, ſignificant, quod hæc ita, quia falſitates non tantæ, ut prius, quæ impedirent.

880. Quod exſpectavit adhuc ſeptem dies, ſignificet principium ſecundi ſtatus regenerationis, conſtare exinde poteſt, quod per hoc, tempus quod intercedit inter primum ſtatum, de quo in verſ: mox præc: 8 & 9, & hunc ſecundum, de quo hic in verſ: 10 & 11, deſcribatur; tempus illud, quod intercedit, ut hiſtorice connexa ſint, exprimitur per quod exſpectavit. Quomodo Secundus ſtatus regenerationis ſe habet, conſtare aliquantum poteſt ab illis, quæ dicta & oſtenſa ſunt de Primo ſtatu, qui fuit, quod nondum potuerint vera fidei radicem figere, ex eo quod falſitates impedirent; tunc primum vera fidei radicantur, quando homo incipit agnoſcere & credere, prius nondum radicata ſunt; quæ homo audit ex Verbo, & memoria tenet, non eſt niſi inſeminatio: ſed radicatio nuſquam incipit, niſi cum homo bonum Charitatis accipit & recipit; omne verum fidei radicatur a bono fidei, hoc eſt, a bono charitatis; ſe habet hoc ſicut ſemen, quod injicitur terræ, tempore quando adhuc hyems eſt, ſeu quando terra friget, tunc ibi quidem jacet, ſed non radicem agit, ut primum vero calor ſolis, quod fit tempore primi veris, terram calefacit, tunc incipit ſemen radicem in ſe primum agere, & dein emittere in terram; ſimiliter ſe habet cum ſemine ſpirituali, quod implantatur, hoc nuſquam radicatur, antequam bonum charitatis quaſi calefacit illud, tunc primum in ſe radicem agit, quam dein producit. Sunt tria apud hominem, quæ concurrunt, & ſe uniunt, nempe naturale, ſpirituale, & cœleſte; naturale ejus nuſquam aliquam vitam accipit, niſi a ſpirituali, & ſpirituale nuſquam niſi a cœleſti, & cœleſte a Solo Domino, qui eſt ipſa Vita: ſed ut adhuc plenior ejus idea capiatur, eſt Naturale, receptaculum quod recipit, ſeu vas cui infunditur Spirituale; & Spirituale eſt receptaculum quod recipit, ſeu vas cui infunditur Cœleſte; ita per cœleſtia vita a Domino; talis eſt influxus; Cœleſte eſt omne bonum fidei, apud hominem ſpiritualem eſt bonum charitatis; Spirituale eſt verum, quod nuſquam fit verum fidei, niſi in illo ſit bonum fidei, ſeu bonum charitatis, in quo eſt ipſa vita ex Domino: ut adhuc manifeſtius ſciatur quomodo ſe habet, Naturale hominis eſt, quod faciat *Opus charitatis*, hoc vel manu, vel ore, ſic per organa corporis, ſed hoc in ſe eſt mortuum, non vivit niſi a Spirituali quod in opere, & non vivit Spirituale niſi a Cœleſti, quod a Domino, inde dicitur opus bonum, nam nihil bonum niſi a Domino; quia ita ſe res habet, unicuique conſtare poteſt, quod in omni opere charitatis, ipſum opus ſit nihil niſi materiale quoddam, ſed quod ſit animatum, hoc habeat a vero fidei quod in opere; & porro quod verum fidei nec ſit aliquid niſi inanimatum quoddam, ſed quod ſit vivum, hoc habeat a bono fidei; & quod bonum fidei non ſit vivum niſi a Solo Domino, Qui eſt Ipſum Bonum & Ipſa Vita: inde patet, cur cœleſtes Angeli non audire velint de fide, minus de opere, videatur n: 202, quia tam fidem, quam opus derivant ex amore, & faciunt fidem ex amore, ipſumque opus fidei ex amore, ſic ut iis evaneſcat tam opus quam fides, & remaneat ſolum amor & bonum inde, quorum in amore eſt Dominus: Angeli illi quia tam cœleſtes ideas habent, diſtincti ſunt ab Angelis,

qui Spirituales vocantur; ipſaque eorum cogitatio & loquela inde eſt multo incomprehenſibilior cogitatione & loquela Angelorum ſpiritualium.

881. Quod ſeptem ſignificent ſanctum, quia nunc de charitate, conſtat a ſignificatione ſeptem, de qua prius n: 395 & 716: ſeptem hic quoque inſertum eſt, ut hiſtorice omnia cohæreant, nam ſeptem, & ſeptem dies, in ſenſu interno, nihil niſi quam ſanctitatem quandam adjiciunt, quam ſecundus hic ſtatus habet a cœleſti, hoc eſt, a charitate.

882. Et perrexit emittere columbam de arca, quod ſignificet ſtatum recipiendi bona & vera fidei, conſtat ab illis, quæ dicta ſunt ad verſ: 8, ubi ſimilia fere verba ſunt, ſed cum differentia, quod ibi dicatur, quod emiſerit columbam a ſecum, ex cauſa, de qua etiam ibi, quod tunc operatus ſit verum & bonum a ſemet, ſeu quod crediderit ex propria potentia, quod eſt, *a ſecum*.

883. Quod reverſa eſt ad illum columba ad tempus veſperæ, ſignificet quod pauxillum apparere inciperent, & quod tempus veſperæ ſit ſicut in diluculo ante mane, conſtare ſimiliter poteſt ab illis quæ dicta ſunt prius ad verſ: 8, tum ab eo, quod hic dicatur tempus veſperæ; de veſpera videantur quæ dicta ſunt in Cap: 1: Geneſ: ubi ſexies dicitur, quod fuit veſpera & fuit mane; eſt veſpera vox regenerationis, & quidem illius ejus ſtatus, cum adhuc in umbra eſt, ſeu cum adhuc modo pauxillum ex luce apud eum appareat; ipſum mane deſcribitur in verſ: ſeq: 13 per quod removit tectum arcæ, & vidit: Quia Veſpera ſignificabat diluculum ante mane, in Eccleſia Judaica toties mentio veſperæ fit; tum ideo inchoarunt ſabbatha & feſta ſua a Veſpera; ut & mandatum Aharoni, ut accenderet lucernam ſanctam veſpere, Exod: XXVII: 21.

884. Et ecce folium olivæ decerptum in ore ejus, quod ſignificent aliquantulum veri fidei; quod Folium ſit verum, Oliva ſit bonum charitatis; decerptum quod verum fidei inde; in ore ejus, quod oſtenſum; conſtat a ſignificatione olivæ, & ex ipſis verbis elucet; & quod pauxillum, ex eo, quod ſolum eſſet folium.

885. Quod Folium ſignificet verum, conſtat paſſim a Verbo, ubi homo comparatur arbori, ſeu appellatur arbor, ibi fructus ſignificant bonum charitatis, & folium verum inde; ſimiliter etiam ſe habent: ut apud Ezechielem, "Juxta fluvium "aſcendit ſuper ripa ejus hinc & illinc omnis arbor cibi, cujus non decidit *Folium*, "nec conſumitur *fructus*, in menſes ſuos renaſcitur; quia aquæ ejus e Sanctua-"rio ipſæ exeuntes; & erit *fructus* ejus in cibum, & *Folium* ejus in medicinam," XLVII: 12. Apoc: XXII: 2. ibi arbor pro homine Eccleſiæ in quo Regnum Domini, fructus pro bono amoris & charitatis, folium pro veris inde, quæ ad inſtructionem generis humani & ejus regenerationem inſerviunt, quare folium dicitur eſſe in medicinam. Apud Eundem, "Nonne radices ejus evellet, & *fructum* ejus ſuccidet, & exareſcet, omnia *Decerpta* (folia) germinis ejus, areſcet, XVII: 9. ibi de vite, ſeu de Eccleſia, vaſtata, cujus bonum quod eſt fructus, & decerptum germinis, quod eſt verum, ita areſcit. Apud Jeremiam, "Benedictus vir, qui confidit in Jehovah; erit ſicut Arbor plantata jux-"ta aquas; erit *Folium* ejus viride, in anno caritatis non erit ſollicitus; & "non recedet a faciendo *fructum*," XVII: 7, 8. folium viride pro vero fidei, ita pro ipſa fide quæ ex charitate; ſimiliter apud Davidem, Pſalm: 1: 3.

apud

apud Eundem Prophetam, "Non uvæ in vite, nec ficus in ficu, & *Folium* "decidit," VIII: 13, uvæ in vite pro bono ſpirituali, ficus in ficu pro bono naturali; folium pro vero, quod ita decidit; pariter Eſai: XXXIV: 4. Similia intellecta ſunt per Ficum, quam Jeſus vidit, & ubi nihil invenit præter *Folia*, quare arefacta, Matth: XXI: 20. Mar: XI: 13, 14, erat Eccleſia Judaica in ſpecie per ficum hic intellecta, apud quam nihil boni naturalis amplius; ſed doctrinale fidei ſeu verum quod apud eam conſervatum, eſt folium; Eccleſia vaſtata talis eſt, quod ſciat verum, ſed non vult intelligere; ſimiles ſunt, qui dicunt ſe ſcire verum ſeu quæ fidei ſunt, & nihil boni charitatis habent, ſunt modo folia ficus, & areſcunt.

886. Quod Oliva ſignificet Bonum charitatis, conſtat non ſolum a ſignificatione olivæ, ſed etiam a ſignificatione olei in Verbo: Oleum olivæ erat, præter Aromata, quo ungebantur Sacerdotes & Reges; & Oleum olivæ erat pro lucernis, de illo videatur, Exod: XXX: 24. de hoc Exod: XXVII: 20. cauſa quod Oleum olivæ adhiberetur ad unctiones & lucernas, erat, quod repræſentabat omne Cœleſte, proinde omne bonum amoris & charitatis; oleum enim eſt ipſum eſſentiale arboris, & quaſi anima ejus, ſicut cœleſte aut bonum amoris & charitatis eſt ipſum eſſentiale ſeu ipſa anima fidei; inde repræſentatio; quod oleum ſignificet cœleſte aut bonum amoris & charitatis, multis ex Verbo confirmari poteſt, ſed quia hic nominatur Oliva, ſolum aliqua loca confirmantia de Oliva, licet afferre: apud Jeremiam, "*Olivam* virentem, pulchram fructu forma, vocavit Jehovah nomen tuum," XI: 16; ubi ita appellatur Eccleſia Antiquiſſima ſeu Cœleſtis, quæ fundamentalis erat Eccleſiæ Judaicæ; quare omnia repræſentativa iſtius Eccleſiæ ſpectabant cœleſtia, & per cœleſtia Dominum. Apud Hoſcheam, "Ibunt rami ejus "& erit ſicut *Oliva* honor ejus, & odor illi ſicut Libani," XIV: 7. ubi de Eccleſia plantanda, cujus honor eſt oliva, ſeu bonum amoris & charitatis, & odor ſicut Libani eſt affectio veri fidei inde; Libanus pro cedris, quæ ſignificabant ſpiritualia ſeu vera fidei. Apud Sachariam, "Duæ *Olivæ* juxta Candelabrum, "una a dextra lechyti; & una juxta ſiniſtram illius: hi duo filii *Olei puri*, ſtantes juxta Dominum totius terræ," IV: 3, 11, 14. ubi duæ Olivæ pro Cœleſti & Spirituali, ita pro Amore, qui eſt Eccleſiæ cœleſtis, & pro charitate quæ eſt Eccleſiæ ſpiritualis; hæ ſunt ad dextram & ſiniſtram Domini; candelabrum ſignificat hic, ſicut repræſentabat in Eccleſia Judaica, Dominum; lucernæ cœleſtia, ex quibus ſpiritualia, ſicut a flamma radii lucis ſeu lux. Apud Davidem, "Uxor tua, ſicut vitis fructifera in lateribus Domus tuæ; "filii tui ſicut plantæ *Olivarum*," Pſalm: CXXVIII: 3. ubi uxor ſicut vitis pro Eccleſia ſpirituali; filii pro veris fidei, quæ vocantur plantæ olivarum, quia a bonis charitatis. Apud Eſaiam, "Relinquentur in eo racemationes "ſicut decuſſio *Olivæ*, duæ treſve baccæ in capite rami," XVII: 6. ubi de reliquiis apud hominem; olivæ pro reliquiis cœleſtibus. Apud Micham, "Calcabis *Olivam*, & non unges te *Oleo*; & muſtum, & non bibes vinum," VI: 15. & apud Moſen, "Vineas plantabis & coles, & vinum non bibes; "*Olivæ* erunt tibi in omni termino tuo, & *oleo* non unges te," Deut: XXVIII:

39, 40. ubi de abundantia doctrinalium de bonis & veris fidei, quæ quia tales, rejiciebant. Ex his locis conſtare poteſt, quod Folium ſignificet verum fidei, & Oliva bonum charitatis; & quod ſimilia ſignificentur per folium olivæ, quod columba ferebat in ore, hoc eſt, quod nunc appareret apud hominem Antiquæ Eccleſiæ aliquantulum veri fidei ex bono charitatis.

887. Quod diminutæ aquæ deſuper terra, ſignificent quod hæc ita, quia falſitates non tantæ, quæ impedirent, conſtat a ſignificatione eorundem verborum prius verſ: 8. Quod falſitates non tantæ, ut prius, quæ impedirent, in ſecundo ſtatu, de quo hic agitur, ita ſe habet, quod omnes falſitates, quas ſibi acquiſivit homo, remaneant, ſic ut non una aboleatur, ut prius dictum; ſed cum regeneratur homo, ſunt vera quæ inſeminantur, ad quæ falſa flectuntur a Domino, & ſic apparent quaſi diſcuſſæ; & quidem per bona, quibus donatur.

888. Verſ: 12: *Et exſpectavit adhuc ſeptem dies alios, & emiſit columbam, & non addidit ad illum redire amplius.* Exſpectavit adhuc ſeptem dies, ſignificant principium tertii ſtatus; ſeptem dies ſignificant ſanctum: & emiſit columbam, ſignificat ſtatum recipiendi bona & vera fidei: quod columba non rediret ad illum amplius, ſignificat ſtatum liberum.

889. Quod exſpectavit adhuc ſeptem dies ſignificet principium tertii ſtatus; & quod ſeptem ſignificent ſanctum, conſtat ex illis quæ de ſecundo ſtatu mox prius dicta ſunt, ubi ſimilia verba.

890. Et emiſit columbam, quod ſignificet ſtatum recipiendi bona & vera fidei, ſimiliter conſtat ab illis quæ dicta ſunt ad verſ: 10, nam eadem verba ſunt, & idem ſenſus, ſolum quod ibi de ſecundo ſtatu, hic de tertio agatur. Tertius ſtatus deſcribitur per quod columba non redierit, tum quod Noach removerit tectum arcæ; demum quod exiverit ex arca, quia arefactæ facies humi, & exſiccata terra.

891. Quod columba non rediret ad illum amplius, ſignificet ſtatum liberum, inde nunc ſequitur, & quidem ex eo, quod columba, ſeu verum fidei, ſicut cæteræ aves, ut & beſtiæ, ita Noachus, non amplius in arca teneretur pro aquis diluvii; quamdiu in arca erat, ſtatus ſervitutis, ſeu ſtatus captivitatis aut carceris erat, agitantibus eum aquis diluvii ſeu falſis, qui ſtatus, cum ſtatu tentationis, deſcribitur in Cap: præc: verſ: 17, quod aquæ creverint & ſuſtulerint arcam, & quod elevata arca deſuper terra; tum verſ: 18 quod corroboratæ aquæ, & iverit arca de ſuper faciebus aquarum; ſtatus ejus libertatis deſcribitur, quod non ſolum exiverit ex arca Noachus, ſed etiam omnia quæ cum cum illo fuerunt, in hoc Capite, verſ: ſeq: 15, 16, 17, 18; ita omnium primum columba, hoc eſt, verum fidei ex bono, nam omne liberum eſt ex bono fidei, hoc eſt, ex amore boni.

892. Quando homo regeneratus eſt, tunc primum in ſtatum libertatis venit, antea in ſtatu ſervitutis fuit; ſervitus eſt, cum imperant cupiditates & falſitates, libertas cum affectiones boni & veri; quod quomodo ſe habet, nuſquam homo percipit quamdiu in ſtatu ſervitutis eſt, ſed tunc primum quando in ſtatum libertatis venit: cum in ſtatu ſervitutis eſt, hoc eſt, cum cu-

piditates

piditates & falſitates imperant, putat homo, qui ab illis ſubjugatus eſt, quod in ſtatu libertatis ſit, ſed craſſa eſt falſitas, aufertur enim tunc a jucundo cupiditatum & voluptatum inde, ſeu a jucundo amorum ſuorum, & quia a jucundo, apparet ei ſicut liberum; quiſque dum a quodam amore ducitur, quocunque aufertur, dum ſequitur, liberum putat, ſed ſunt diabolici ſpiritus, in quorum conſortio & quaſi torrente eſt, qui auferunt eum, hoc putat homo liberrimum eſſe, & quidem in tantum, ut credat, ſi privaretur hoc ſtatu, quod in vitam miſerrimam veniret, imo quod non in aliquam; & hoc non ſolum ex eo, quod neſciat dari aliam vitam, ſed etiam ex eo, quod impreſſiones captaverit, quod nemo in cœlum venire poſſit, niſi per miſerias, paupertatem, & voluptatum privationes; ſed quod hoc falſum ſit, a pluri experientia mihi ſcire datum eſt, de qua experientia, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Homo nuſquam in ſtatum libertatis venit, antequam regeneratus eſt, & per amorem boni & veri ducitur a Domino, in quo ſtatu cum eſt, tunc primum ſcire & percipere poteſt, quid liberum, quia tunc quid vita, & quid vera vitæ jucunditas, & quid felicitas, prius ne quidem ſcit quid bonum, id quandoque ſummum bonum vocat quod ſummum malum: qui in ſtatu libertatis a Domino ſunt, cum vident, magis cum ſentiunt vitam cupiditatum & falſitatum, ita eam abhorrent, ſicut qui infernum ante oculos apertum vident: ſed quia ignotiſſimum pleriſque eſt, quid vita libertatis, licet his paucis dicere, quid ſit, nempe quod vita libertatis, ſeu libertas, ſolummodo ſit duci a Domino. Sed quia plura ſunt, quæ obveniunt, quin homo credere poſſit, quod illa vita ſit vita libertatis, tam quia tentationes ſubeunt, quæ fiunt ab cauſam, ut liberentur a dominio ſpirituum diabolicorum; quam quia non aliud jucundum & bonum norunt quam cupiditatum ex amore ſui & mundi; tum etiam quia falſam opinionem conceperunt de omnibus quæ ſunt vitæ cœleſtis, quare non poſſunt per deſcriptiones ita erudiri, quam per vivas experientias, ideo, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus illas licet adducere.

893. Verſ: 13. *Et factum in primo & ſexcenteſimo anno, in principio in primo menſis, aruerunt aquæ deſuper terra, & removit Noach tectum Arcæ, & vidit, & ecce arefactæ ſunt facies humi.* Quod factum in primo & ſexcenteſimo anno, ſignificant terminum ultimum: in principio in primo menſis, ſignificant terminum primum: aruerunt aquæ deſuper terra, ſignificant quod falſitates tunc non apparerent: & removit Noach tectum arcæ & vidit, ſignificant remotis falſis lucem veritatum fidei, quas agnovit, & quibus fidem habuit: & ecce arefactæ ſunt facies humi, ſignificant regenerationem.

Quod factum in primo & ſexcenteſimo anno ſignificent terminum ultimum, conſtat ex ſignificatione numeri ſexcenteni, de quo in Cap: præc: verſ: 6, n: 737, quod ſit principium, & quidem ibi, principium tentationis, finis ejus deſignatur per eundem numerum, tranſacto integro anno, ſic ut factum in fine anni, quare etiam adjicitur, quod in principio in primo menſis, quo ſignificatur terminus primus. Tota aliqua periodus in Verbo deſignatur vel per diem, vel per ſeptimanam, vel per menſem, vel per annum, imo ſi vel foret centum aut mille annorum, ſicut dies in Primo Capite Geneſeos

neſcos, per quem ſignificatæ ſunt periodi regenerationis hominis Antiquiſſimæ Eccleſiæ, nam Dies & Annus nihil aliud in ſenſu interno ſignificant, quam tempus, & quia tempus, ſignificant ſtatum, quare Annus pro tempore & ſtatu paſſim ſumitur in Verbo, ut apud Eſaiam, "Ad proclamandum *Annum* "beneplaciti Jehovæ, & *Diem* ultionis Deo noſtro, ad conſolandum omnes "lugentes," LXI : 2. ubi de Adventu Domini. Apud Eundem, "*Dies* ul-"tionis in corde meo, & *Annus* redemptorum meorum venerat," LXIII : 4. ubi quoque dies & annus pro tempore & ſtatu. Apud Habakuk, "Jeho-"vah opus tuum in medio *Annorum* vivifica illud; in medio *Annorum* no-"tum facias," III : 2, ubi anni pro tempore & ſtatu: apud Davidem, "Deus "Tu Ipſe, & *Anni* Tui non conſumuntur," Pſalm: CII. 28. anni pro temporibus, & quod Deo non tempus: ſimiliter hic annus, qui fuit diluvii, nuſquam ſignificat aliquem annum, ſed tempus non per certos annos determinatum, & ſimul ſtatum; videantur quæ prius de annis n: 482, 487, 488, 493.

894. In principio in primo menſis, quod ſignificent terminum primum, inde nunc conſtat. Quæ præterea hæc involvunt, ſunt arcaniora quam ut ita deſcribi poſſint, ſolum quod non determinatum ſit tempus, quo homo regeneratus eſt, ſic ut dicere queat quod nunc perfectus ſim; ſunt enim indefiniti ſtatus mali & falſi apud unumquemvis hominem, non ſolum ſtatus ſimplices ſed etiam multifariam compoſiti, qui diſcutiendi ſunt ita ut non appareant, ut dictum; in aliquibus ſtatibus poteſt homo perfectior dici, ſed in indefinitis aliis non ita; qui in vita corporis regenerati ſunt, & qui in fide in Dominum, inque charitate erga proximum, vixerunt, in altera vita jugiter perficiuntur.

895. Quod aruerunt aquæ deſuper terra, ſignificent quod falſitates tunc non apparerent, conſtat ab illis quæ dicta ſunt; in ſpecie ſignificant, quod falſitates ſeparatæ ſint a voluntariis hujus hominis Eccleſiæ, terra ſignificat hic hominis voluntatem, quæ non eſt niſi cupiditas, quare dicitur, quod aquæ aruerint deſuper terra; humus ejus eſt, ut prius dictum, in parte hominis intellectuali, cui inſeminantur vera; nuſquam in parte ejus voluntaria, quæ ab intellectuali in homine ſpirituali ſeparata eſt, quare in ſequentibus hujus Verſus dicitur, quod arefactæ ſint facies humi: apud Antiquiſſimæ Eccleſiæ hominem fuit humus in parte ejus voluntaria, cui inſeminavit Dominus bona, inde ex bonis noſſe & percipere potuit verum, ſeu ex amore habere fidem; ſi nunc idem fieret, non potuiſſet non homo in æternum perire, nam voluntas ejus prorſus corrupta eſt: quomodo inſeminatio in partem voluntariam & in partem intellectualem hominis ſe habeat, inde conſtare poteſt, quod Antiquiſſimæ Eccleſiæ homini quidem fuiſſent revelationes, per quas in perceptionem bonorum & verorum ab infantia initiaretur, ſed quia in voluntaria ejus parte inſeminabantur, percipiebat abſque nova inſtructione innumera, ſic ut ex uno Communi, a Domino noſſet particularia & ſingularia, quæ nunc diſcere & ſic ſcire debent, & vix tamen milleſimam eorum partem ſcire poſſunt; nam homo Eccleſiæ ſpiritualis nihil novit niſi quod diſcit, & quod ſic ſcit, retinet, & credit verum eſſe; imo ſi diſcit falſum, &

hoc

hoc imprimitur ei ſicut foret verum, etiam credit, quia non habet aliam perceptionem, quam quod ita ſit, quia ita perſuaſus; qui conſcientiam habent, ex conſcientia aliquod dictamen habent, ſed non aliud, quam quod verum ſit, quia ſic audiverunt & didicerunt, hoc conſcientiam eorum format, quod conſtare poteſt ab iis, qui conſcientiam falſi habent.

896. Quod removit Noach tectum arcæ, & vidit, ſignificent remotis falſis lucem veritatum fidei, quas agnovit, & quibus fidem habuit conſtare poteſt a ſignificatione removere tectum, quod ſit auferre illa quæ impediunt lucem; quia per arcam ſignificatur homo Antiquæ Eccleſiæ qui regenerandus, per tectum non aliud ſignificari poteſt, quam id quod impedit, ne videat cœlum, ſeu lucem; quod impedivit, fuit falſum, quare dicitur, quod vidit; videre in Verbo ſignificat intelligere, & fidem habere; hic quod veritates agnoverit, & illis fidem habuerit: prorſus aliud eſt veritates ſcire, & veritates agnoſcere, & veritatibus fidem habere; ſcire eſt primum regenerationis, agnoſcere eſt ſecundum, fidem habere eſt tertium; quæ differentia ſit inter ſcire, agnoſcere, & fidem habere, inde conſtare poteſt, quod peſſimi queant ſcire, & uſque non agnoſcere, ſicut Judæi & ii qui ratiociniis ſpecioſis deſtruere conantur doctrinalia; quod infideles poſſint quoque agnoſcere, & cum in certis ſtatibus ſunt ex zelo prædicare, confirmare & perſuadere; ſed fidem habere non poſſunt niſi fideles; qui fidem habent, ii ſciunt, agnoſcunt & credunt, ii charitatem habent, ii conſcientiam, quare nuſquam prædicari poteſt fides, ſeu de aliquo quod fidem habeat, niſi talis ſit; hoc nunc eſt, regeneratum eſſe: ſolum ſcire quid fidei, eſt memoriæ non conſentiente ejus rationali; agnoſcere quod fidei eſt rationale quoddam conſentiens inductum a certis cauſis & propter certos fines; ſed fidem habere eſt conſcientiæ, hoc eſt, Domini operantis per conſcientiam: hoc conſtare quam optime poteſt ab iis in altera vita; qui modo ſciunt, ſunt plures in inferno; qui agnoſcunt, ſunt etiam, quia agnoverunt in vita corporis, ſicut dictum, in certis ſtatibus; ſed cum percipiunt in altera vita quod verum ſit quod prædicarunt, informarunt & perſuaſerunt, multum mirantur, agnoſcunt ſolum, quando iis revocatur in memoriam, quod ita predicaverint: ſed qui fidem habuerunt, illi omnes ſunt in cœlo.

897. Hic quia agitur de Homine Antiquæ Eccleſiæ regenerato, ſignificatur per videre, agnoſcere & fidem habere; quod videre hæc ſignificent, conſtare poteſt ex Verbo, ut apud Eſaiam "Non *ſpectaſtis* ad Factorem illius, & Formatorem illius e longinquo non *vidiſtis*," XXII: II. de civitate Zionis; Formatorem e longinquo non videre, eſt non agnoſcere, " minus fidem habere. Apud Eundem, " Impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, ac oculos ejus obline, ne forte *videat oculis ſuis*, & auribus ſuis audiat, & cor ejus intelligat, & convertatur, & ſanetur ei" VI: 10: oculis videre pro agnoſcere & fidem habere: apud Eundem " Populus ambulantes in tenebris *viderunt lucem* magnam," IX: 2. de gentibus quæ fidem acceperunt; ſimiliter ac hic, removit tectum, & vidit. Apud Eundem, " Audient in die illo ſurdi verba Libri, & e caligine, & e tene-" bris.

"bris *oculi cæcorum videbunt*," XXIX: 18, de converſione gentium ad fidem; videre pro fidem accipere. Apud Eundem, "Surdi audite, & cæci *ſpectate* "*videndo*," XLII: 18, ſimiliter. Apud Ezechielem, "Quibus *oculi ad vi-* "*dendum, & non vident*, quibus aures ad audiendum & non audiunt, quia "domus rebellionis illi," XII: 2. pro, qui intelligere, agnoſcere, & fidem habere poſſunt, & non volunt. Quod Videre ſignificet fidem habere conſtat manifeſte ex repræſentatione Domini per ſerpentem æneum in deſerto, quod ſanarentur omnes qui viderent illum, de quo apud Moſen, "Pone ſerpentem "ſuper ſignum, & fiet, omnis morſus, & *viderit* illum, & vivet; factum eſt, ſi momordit ſerpens virum, & *vidit* ad ſerpentem æris, & vixit," Num: XXI: 8, 9. ex quo quiſque videre poteſt, quod Videre ſignificet fidem, nam quid ibi videre, niſi repræſentativum fidei in Dominum. Inde quoque conſtat, quod Primogenitus Jacobi, Ruben, a Videndo ita vocatus, ſignificet in ſenſu interno Fidem; videantur quæ prius dicta de Primogenitis Eccleſiæ, n: 352 & 367.

898. Et ecce arefactæ ſunt facies humi, quod ſignificent regenerationem, conſtat a ſignificatione Humi, de qua paſſim prius, quod ſit homo Eccleſiæ: arefactæ dicuntur facies humi, quando falſitates non amplius apparerent.

899. Verſ: 14. *Et in menſe ſecundo, in ſeptimo & vigeſimo die menſis, exſiccata eſt terra.* Menſis ſecundus ſignificat omnem ſtatum ante regenerationem: ſeptimus & vigeſimus dies, ſanctum: exſiccata terra, quod regeneratus. Sunt hæc clauſula præcedentium, & principium ſequentium.

900. Quod menſis ſecundus ſignificet omnem ſtatum ante regenerationem, conſtat a ſignificatione *Duo* in Verbo; duo ſignificant idem ac ſex, hoc eſt, pugnam & laborem, qui præcedit regenerationem, ita hic omnem ſtatum, qui præcedit, antequam regeneratus eſt. Tempora maxima & minima communiter in Verbo diſtinguuntur in tria aut in ſeptem, & vocantur vel Dies, vel Septimanæ, vel Menſes, vel Anni, vel Sæcula; tria & ſeptem ſunt ſancta, duo aut ſex, quæ præcedunt, non ſancta, ſed reſpective prophana, ut oſtenſum prius, n: 720. tria & ſeptem quoque ſunt ſacroſancta, utrumque ex cauſa, quia prædicantur de ultimo judicio, quod venturum Tertio vel Septimo die; Ultimum Judicium unicuique eſt, cum Dominus venit, tam in communi, quam in particulari; nempe ultimum judicium fuit cum Dominus venit in mundum; ultimum judicium cum venturus in gloriam; ultimum judicium cum ad hominem quemcunque in particulari; ultimum judicium quoque eſt unicuique cum moritur; ultimum hoc judicium eſt dies tertius & dies ſeptimus, qui ſanctus eſt iis qui bene vixerunt, at non ſanctus iis qui male vixerunt; quare tam de iis qui judicantur ad mortem prædicatur dies tertius & ſeptimus, quam de iis qui judicantur ad vitam, inde numeri illi ſignificant non ſanctum iis qui judicantur ad mortem, at ſanctum iis qui judicantur ad vitam: Duo aut Sex, quæ præcedunt, ſe habent reſpective, & ſignificant in genere omnem illum ſtatum qui præcedit; hæc ſignificatio eſt numerorum Duo & Sex, & ſe habent applicate ad quodcumque ſubjectum, & ad quamcunque rem quæ eſt ſubjectum, de qua prædicantur:

dicantur: quod manifeſtius conſtare poteſt ab his quæ nunc ſequuntur de numero viginti ſeptem.

901. Quod ſeptimus & vigeſimus dies ſignificet ſanctum, inde conſtat, quia compoſitus eſt ex tribus in ſe bis multiplicatis, tria in ſe multiplicata ſunt novem, & hæc novem iterum per tria multiplicata ſunt viginti ſeptem, quare in hoc numero regnant tria; ita Antiquiſſimi ſupputabant ſuos numeros, & per illos nihil niſi quam res intelligebant: quod tria idem ſignificent ac ſeptem, conſtare poteſt ab illis, quæ mox prius dicta ſunt: cauſa arcana eſt, quod Dominus reſurrexerit Die Tertio; ipſa Domini Reſurrectio involvit omne ſanctum, & omnium reſurrectionem, quare in Eccleſia Judaica numerus hic repræſentativus factus eſt, inque Verbo eſt ſanctus; ſimiliter ac in Cœlo, ubi numeri nulli, ſed loco Tria & Septem idea communis ſancta Reſurrectionis & Adventus Domini: quod Tria & Septem ſancta ſignificent, conſtat a ſequentibus locis in Verbo; apud Moſen, "Tangens mortuum immundus "*Septem diebus*, hic expiabit ſe illo in *Die Tertio*, & *Die Septimo* mundus "erit: & ſi non expiaverit ſe in *Die Tertio*, & in *Die Septimo* non mundus "erit. Qui tangit confoſſum gladio, aut mortuum, aut os hominis, aut "ſepulchrum, immundus erit *Septem Dies*; ſparget mundus ſuper immun"dum in *Die Tertio*, & in *Die Septimo*, & expiabit eum in *Die Septimo*; & "lavabit veſtes ſuas, & abluet ſe in aquis, & mundus erit in veſpera," Num: XIX. II: 12, 16, 19. quod hæc repræſentativa ſint, ſeu quod externa ſignificent interna, manifeſte conſtat, ut quod immundus eſſet qui tetigerit mortuum, confoſſum, os hominis, ſepulchrum, quæ omnia in ſenſu interno ſignificant hominis propria, quæ mortua & prophana: tum quoque quod lavaret ſe, in aquis, & quod in veſpera mundus; ita quoque dies tertius, & dies ſeptimus repræſentativi ſunt, ſignificantes ſanctum, quia in illis expiaretur, & ſic mundus eſſet. Similiter, qui redierunt a prælio contra Midianitas, de quibus, "Vos caſtrametamini foris extra caſtra *Septem Dies*, omnis "qui occidit animam, & omnis qui tetigit confoſſum; expiabitis vos in "*Die Tertio*, & in *Die Septimo*," Num: XXXI: 19. Si hoc ſolum rituale foret, & dies tertius & ſeptimus non repræſentativus & ſignificativus ſancti ſeu expiationis, foret mortuum quid, ſicut quod abſque cauſa, & cauſa abſque fine, ſeu ſicut ſeparatum a cauſa & hæc a ſuo fine, ita nequaquam Divinum. Quod Dies Tertius repræſentativus fuerit, & ita ſignificativus ſancti, conſtat manifeſte ab Adventu Domini ſuper montem Sinai, de quo ita præceptum, "Dixit Jehovah ad Moſen, abi ad populum, & *ſanctifica* eos, hodie & cras, "ut lavent veſtes ſuas, & ſint parati ad *Diem Tertium*, quia in *Die Tertio* de"ſcendet Jehovah in oculis omnis populi ſuper montem Sinai," Exod: XIX: 10, 11, 15, 16. Similiter quod Joſua tranſiret Jordanem die tertio, de quo ita, "Præcepit Joſua, tranſite per medium caſtrorum, & præcipite populo, "dicendo, parate vobis viaticum, quia a *Tribus Diebus* vos tranſeuntes Jorda"nem hunc, ad veniendum hæreditare terram," Joſ: I: 11. Cap: II: 2. tranſitus Jordanis repræſentabat introductionem filiorum Iſraelis, hoc eſt, regeneratorum, in Regnum Domini; Joſua, qui introduxit, Ipſum Dominum, & hoc

 die

die tertio. Quia dies tertius fuit ſanctus, ſicut ſeptimus, inſtitutum, quod annus Decimarum eſſet annus *Tertius*, & tunc ſe ſancte præberent per opera charitatis, Deut: xxvi: 12. ſeq: decimæ repræſentabant Reliquias, quæ quia Solius Domini, ſanctæ ſunt. Quod Jonas fuerit in viſceribus piſcis *Tres dies & Tres noctes*, Jon: II: I. manifeſte repræſentabat ſepulturam, & Reſurrectionem Domini Tertio die, Matth: XII: 40. quod Tria ſignificent illud ſanctum, conſtat etiam apud Prophetas, ut apud Hoſcheam, "Jehovah vivificabit nos a duobus diebus, in *Die Tertio* ſuſcitabit nos, ut vivamus coram "Ipſo," vi: 2. ubi dies tertius quoque manifeſte pro Adventu Domini, & Reſurrectione: apud Sachariam, "Fiet in omni terra, duæ partes in ea exſcindentur, exſpirabunt, & *Tertia* relinquetur in ea: & ducam *Tertiam partem* per ignem, & conflabo eos juxta conflare argentum, & probabo eos "juxta probare aurum," XIII: 8. ubi tertia pars, ſeu tria pro ſancto: ſimile involvit tertia pars ac tria, tum tertia pars tertiæ partis, ſicut hic, nam tria ſunt tertia pars tertiæ partis viginti ſeptem.

902. Quod exſiccata terra ſignificet quod regeneratus, conſtat ex illis quæ prius dicta de exſiccatione aquarum, & de arefactione terræ & facierum humi, ad verſ: præc: 7 & 13.

903. Verſ: 15, 16. *Et loquutus eſt Deus ad Noachum, dicendo. Exi de arca tu & uxor tua, & filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum.* Quod loquutus eſt Deus ad Noachum, ſignificat Domini præſentiam apud hominem hujus Eccleſiæ: exire de arca ſignificat libertatem: tu & uxor tua, Eccleſiam: filii & uxores filiorum tuorum tecum, vera & bona conjuncta veris apud illum.

904. Quod loquutus eſt Deus ad Noachum ſignificet Domini præſentiam apud hunc hominem Eccleſiæ, conſtare poteſt ab interno ſenſu Verbi: Dominus cum unoquovis homine loquitur, nam quicquid eſt bonum & verum quod vult & cogitat homo, eſt a Domino: ſunt apud unumquemvis hominem ad minimum bini ſpiritus mali, & bini Angeli, illi excitant mala ejus, hi autem inſpirant bona & vera; omne bonum & verum, quod Angeli inſpirant, eſt Domini, ita Dominus continuo loquitur cum homine, ſed prorſus aliter apud unum hominem quam apud alterum; cum illis qui ſe a ſpiritibus malis abduci patiuntur, loquitur Dominus ſicut abſens ſeu e longinquo, vix ut dici queat quod loquatur; at cum illis, qui a Domino ducuntur, loquitur Dominus præſentius; quod ſatis conſtare poteſt inde, quod nuſquam aliquis cogitare poſſit aliquid bonum & verum, niſi a Domino; præſentia Domini prædicatur ſecundum ſtatum amoris erga proximum, & fidei, in quo eſt homo, in amore erga proximum eſt Dominus præſens, quia in omni bono, non ita in fide, ut eam vocant, abſque amore; fides abſque amore & charitate, eſt ſeparatum quid, aut disjunctum; ubicunque conjunctio, erit medium conjungens, quod ſolum eſt amor & charitas; cuivis hoc conſtare poteſt ex eo, quod Dominus miſereatur cujuſvis, & unumquemvis amet, & unumquemvis felicem facere in æternum vult; qui ergo non eſt in tali amore ut aliorum miſereatur, alios amet, & illos felices facere velit, is non poteſt

poteſt eſſe conjunctus Domino, quia diſſimilitudo, & nihil minus quam imago; intueri Dominum per fidem, ut ajunt, & odi proximum, eſt non ſolum e longinquo ſtare, ſed etiam inter ſe & Dominum habere profundum infernale, in quod caderet ſi propius accedere vellet, nam eſt odium contra proximum, profundum illud infernale, quod eſt intermedium: præſentia Domini apud hominem tunc primum datur, cum amat proximum, in amore eſt Dominus; & quantum homo in amore, tantum eſt Dominus præſens; & quantum Dominus eſt præſens, tantum loquitur cum homine; homo neſcit aliter, quam quod cogitet ex ſe, ſed homo non unicam ideam cogitationis, & ne quidem minimum ideæ habet a ſe, ſed quod malum & falſum eſt habet per malos ſpiritus ab inferno, & quod bonum & verum eſt habet per Angelos a Domino; talis eſt influxus, inde vita ejus, & inde commercium ejus animæ cum corpore. Ex his conſtare poteſt, quid ſit, quod Deus loquutus ad Noachum; aliud ſignificat dicere ad aliquem, ut Gen: I: 29. Cap: II: 13, 14, 17. Cap: IV: 6, 9, 15. Cap: VI: 13. Cap: VII: 1. & aliud loqui ad aliquem; hic loqui ad Noachum, eſt præſens eſſe, quia nunc de regenerato homine agitur, qui donatus charitate.

905. Quod exire de arca ſignificet libertatem, conſtat ab illis quæ prius dicta ſunt, & ex ipſa ſerie contextus rerum: quamdiu Noachus fuit in arca, & circumfuſus aquis diluvii, ſignificatum, quod in captivitate fuit, hoc eſt, agitatus a malis & falſis, ſeu quod idem eſt, a malis ſpiritibus, a quibus pugna Tentationis; inde ſequitur quod exire de arca ſignificet libertatem: præſentia Domini libertatem involvit, unum ſequitur alterum, quantum præſentior eſt Dominus, tantum liberior eſt homo, hoc eſt, quantum in amore boni & veri, tantum libere agit; influxus Domini per Angelos talis eſt; at contra, influxus inferni per malos ſpiritus eſt cum vi & impetu dominandi, nihil aliud ſpirant quam ſubjugare hominem, in tantum ut nihil ſit, & illi omne, cum omne ſunt, tunc homo eſt unus eorum, & vix unus, ſed eſt ſicut nullus in oculis eorum; quare cum Dominus liberat hominem a dominio & jugo eorum, oritur pugna; & cum liberatus eſt, hoc eſt, regeneratus, tunc tam leniter ducitur per angelos a Domino, ut nihil minus ſit quam jugum & dominium, per jucunda & felicia ducitur, & amatur, & æſtimatur; quod Dominus docet apud Matthæum, "Jugum Meum blandum eſt, & onus meum "leve eſt," XI: 30. quod prorſus contrarium eſt apud malos ſpiritus, apud quos, ut dictum, pro nihilo reputatur homo, & ſi potuiſſent, cruciarent illum omni momento; quod a multa experientia ſcire datum, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

906. Quod tu & uxor tua ſignificet Eccleſiam, ſimiliter a ſerie rerum conſtare poteſt; tum quod filii & uxores filiorum tecum ſignificent vera & bona conjuncta veris apud illum: quod Tu ſignificet hominem Eccleſiæ, patet; & quod uxor ſignificet Eccleſiam, & quod filii vera, & uxores filiorum bona conjuncta veris, prius paſſim oſtenſum eſt, quare non illis immorandum.

 907.

907. Verſ: 17. *Omnis fera quæ tecum, de omni carne, quoad avem, & quoad beſtiam, & quoad omne reptile repens ſuper terra, educ tecum, & diffundant ſe in terram, & fructificent ſe, & multiplicentur ſuper terra.* Omnis fera quæ tecum de omni carne, ſignificat omne vivificatum apud hominem hujus Eccleſiæ: avis ſignificat hic, ut prius, ejus intellectualia; beſtia ejus voluntaria, quæ ambo ſunt interni hominis: omne reptile repens ſuper terra ſignificat ſimilia correſpondentia apud externum hominem: educ tecum ſignificat ſtatum eorum libertatis: & diffundant ſe in terra, ſignificat operationem interni hominis in externum: fructificent ſe, ſignificat incrementa boni; & multiplicentur, incrementa veri; ſuper terra, ſignificat apud externum hominem.

908. Quod omnis fera quæ tecum de omni carne ſignificet omne vivificatum apud hominem hujus Eccleſiæ, conſtat inde, quod fera prædicetur de Noacho ſeu de homine hujus Eccleſiæ nunc regenerato, & ſpectat manifeſte ſequentia, ut avem, beſtiam & reptile repens, nam dicitur, omnis fera quæ tecum de omni carne quoad avem & quoad beſtiam & quoad omne reptile repens ſuper terra: ipſa vox *Fera* in Lingua originali ſignificat proprie vitam ſeu vivum, ſed in Verbo non ſolum vivum, ſed etiam quaſi non vivum ſeu feram; quare niſi quis internum ſenſum Verbi novit, quandoque non ſcire poteſt, quid ſignificatur; cauſa quod utrumque ſignificet, eſt quod homo Antiquiſſimæ Eccleſiæ in humiliatione ſui coram Domino agnoverit ſe pro non vivo, ne quidem pro beſtia, ſed pro fera, noverunt enim quod talis eſt homo in ſe aut in ſuo proprio ſpectatus; inde eadem vox ſignificat vivum, & ſignificat feram: quod *Vivum*, conſtat apud Davidem, " *Fera* tua habitabunt in " ea (hæreditate Dei); confirmabis bono tuo miſerum Deus," Pſalm LXVIII: 11: ubi per feram, quia habitabit in hæreditate Dei, non aliud quam homo regeneratus, ita ſicut hic, vivum apud illum, intelligitur: apud Eundem, " Mihi omnis *Fera* ſylvæ, beſtiæ in montibus millium; novi omnem avem " montium, & *Fera agri mei* Mecum," Pſalm: L: 10, 11. ubi fera agri Mecum ſeu cum Deo, etiam pro regenerato, ita pro vivis apud eum: apud Ezechielem, " In ramis ejus nidificarunt omnis avis cœlorum, & ſub ramis " ejus genuerunt omnis *Fera agri*," XXXI: 6. ubi de Eccleſia ſpirituali plantata, ita pro vivis apud hominem Eccleſiæ: apud Hoſcheam, " Feriam fœ" dus in die illo cum *Fera agri*, & cum ave cœlorum," II: 18. ibi de regenerandis, cum quibus fœdus pangendum: imo in tantum fera ſignificat vivum, ut Cherubi ſeu Angeli viſi Ezechieli appellentur *quatuor Feræ*, Ezech: I: 5, 13, 14, 15, 19. Cap: X: 15. Quod Fera in contrario ſenſu pro non vivo ſeu pro immani fera in Verbo accipiatur, ex multis locis conſtat; ſolum hæc pro confirmatione ſint; apud Davidem, " Ne des *Feræ* animam turturis " tui," Pſalm: LXXIV: 19. apud Zephaniam, " Urbs facta eſt in deſolatio" nem, in cubile *Feræ*," II: 15. apud Ezechielem, " Non erunt amplius " præda gentibus, & *Fera* terræ non comedet eos," XXXIV: 28. apud Eundem, " Super ruina ejus habitabunt omnis avis cœlorum, & ad ramos ejus erunt

" erunt omnis *Fera agri,*" XXXI: 13. apud Hoſcheam, " Conſumam eos ibi, ſicut leo, *Fera agri* diffindet eos, XIII: 8. apud Ezechielem, " *Feræ* terræ, & avi cœlorum dari in cibum," XXIX: 5, quod ſæpius occurrit: & quia Judæi in ſenſu literæ ſolum manebant, & per feram intelligebant feram, & per avem, avem, nec interiora Verbi ſcire, minus agnoſcere volebant, & ſic inſtrui, etiam tam crudeles, & tales feræ erant, ut jucundum ſuum perceperint in eo, quod hoſtes prælio occiſos non ſepelirent, ſed exponerent avibus & feris devorandos; ex quibus etiam conſtare poteſt, qualis fera homo eſt.

909. Quod avis ſignificet ejus intellectualia, & beſtia ejus voluntaria, quæ ſunt interni hominis; & omne reptile repens ſuper terra ſignificet ſimilia correſpondentia apud externum ejus hominem, conſtare poteſt a ſignificatione *Avis* de qua prius, n: 40 & 776; & *Beſtiæ*, de qua n: 45. 46. 142. 143. 246. quod reptile repens ſuper terra ſignificet correſpondentia apud externum hominem, conſtat inde, reptile repens enim hic ſe tam ad avem ſeu intellectualia, quam ad beſtiam ſeu voluntaria, refert: antiquiſſimi ſenſualia & voluptates corporis vocabant reptilia repentia, quia non aliter ſe habent, ac reptilia repentia ſuper terra; aſſimilabant etiam corpus hominis terræ aut humo, imo illud vocabant terram aut humum, ut hic, ubi per terram nihil aliud ſignificatur quam externus homo.

911. Quod reptile repens ſignificet ſimilia correſpondentia apud externum ejus hominem, ita ſe habet; apud regeneratum hominem correſpondent externa internis, hoc eſt, obſequia præſtant; externa ad obſequium rediguntur, cum homo regeneratur, & tunc fit imago cœli; ſed antequam regeneratus eſt, externa dominantur ſuper interna, & tunc eſt imago inferni: ordo eſt, ut cœleſtia regant ſpiritualia, & per hæc naturalia, & demum per hæc corporea; at cum corporea & naturalia dominantur ſuper ſpiritualia & cœleſtia, eſt ordo deſtructus, cum ordo deſtructus eſt, eſt imago inferni, quare a Domino per regenerationem ordo reſtituitur, & cum reſtitutus eſt, fit imago cœli; ita homo a Domino extrahitur ab inferno; & ita attollitur ad cœlum; ut ſciatur quomodo tunc correſpondentia externi hominis ad internum ſe habeat, paucis licet exponere; unuſquiſque homo regeneratus eſt exiguum quoddam cœlum, ſeu effigies aut imago univerſi cœli, quare etiam in Verbo internus ejus homo vocatur cœlum; in Cœlo talis ordo eſt, quod Dominus per Cœleſtia regat ſpiritualia, & per hæc naturalia, & ſic univerſum Cœlum ſicut unum hominem, quare etiam Cœlum Maximus Homo vocatur; talis ordo quoque eſt apud unumquemvis, qui in cœlo eſt; cum talis etiam homo, tunc ſimiliter eſt exiguum cœlum, ſeu quod idem eſt, eſt regnum Domini, quia in eo eſt Regnum Domini; tunc apud eum correſpondent ſimiliter ac in cœlo externa internis, hoc eſt, obediunt; nam in Cœlis, qui tres ſunt, & unum hominem ſimul referunt, ſpiritus conſtituunt externum hominem, ſpiritus angelici interiorem, angeli internum, n: 459. Contrarium eſt apud eos, qui ſolam vitam in corporeis, hoc eſt, in cupiditatibus, voluptatibus, appetitibus & ſenſualibus, ponunt, hoc eſt, qui nihil jucundum percipiunt quam quod eſt amoris ſui & mundi, quod idem eſt ac quod eſt odiorum contra om-

nes

nes qui ſibi non favent & ſerviunt, apud hos quia corporea & naturalia dominantur ſuper ſpiritualia & cœleſtia, non ſolum nulla correſpondentia aut obedientia externorum eſt, ſed prorſus contrarium, & ita plane deſtructus ordo, & quia ita deſtructus ordo, non poſſunt aliter eſſe quam imagines inferni.

912. Quod educ tecum ſignificent ſtatum eorum libertatis, conſtat ab iis quæ in verſ: præc: 15. dicta ſunt de exire ex arca, quod ſignificet libertatem.

913. Quod diffundant ſe in terra, ſignificent operationem interni hominis in externum; & quod fructificent, ſignificent incrementa boni, & multiplicentur incrementa veri; & quod ſuper terra, ſignificet apud externum hominem, conſtat a ſerie rerum, tum ab iis quæ prius dicta & oſtenſa ſunt de ſignificatione fructificare quod in Verbo prædicetur de bonis, & de ſignificatione multiplicari quod prædicetur de veris: quod terra ſignificet externum hominem, ſimiliter prius oſtenſum eſt; quare non illis confirmandis immorandum. Hic agitur de interni hominis operatione in externum, poſtquam homo regeneratus eſt, quod nempe tunc primum fructificetur bonum, & multiplicetur verum, cum externus homo redactus eſt in correſpondentiam aut obedientiam; prius nuſquam poteſt, quia repugnant bonis corporea, & veris ſenſualia, illa amorem boni, hæc amorem veri exſtinguunt: fructificatio boni, & multiplicatio veri fit in externo homine; fructificatio boni in ejus affectionibus, multiplicatio veri in ejus memoria: Externus homo hic vocatur terra, in quem ſe diffundunt, & ſuper qua ſe fructificant & multiplicant.

914. Verſ: 18, 19. *Et exivit Noach & filii ejus, & uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum illo. Omnis fera, omne reptile; & omnis avis, omne repens ſuper terra; ſecundum familias ſuas exiverunt de arca.* Exivit ſignificat quod factus: per Noachum & filios ejus, ſignificatur homo Antiquæ Eccleſiæ: per uxorem ejus & uxores filiorum ejus cum illo, ſignificatur ipſa Eccleſia: omnis fera & omne reptile, ſignificant bona ejus; fera, bona interni hominis; reptile bona externi: & omnis avis, omne repens ſuper terra, ſignificant vera; avis vera interni hominis; repens ſuper terra, vera externi: ſecundum familias ſuas ſignificant paria: exiverunt de arca, ſignificant, ut prius, ita facta; & ſimul ſtatum libertatis.

915. Quod exivit ſignificet quod ita factus; quod per Noachum & filios ejus ſignificetur homo Antiquæ Eccleſiæ; & per uxorem ejus, & uxores filiorum ejus, ſignificetur ipſa Eccleſia, ex rerum ſerie conſtat, quæ talis, quod ſic facta ſit Eccleſia Antiqua, nam hæc ſunt ultima ſeu clauſula præcedentium: cum deſcribitur Eccleſia in Verbo, vel per Virum & Uxorem, vel per Hominem & Uxorem, deſcribitur; cum per Virum & Uxorem, ſignificatur per Virum intellectuale ſeu verum, & per uxorem voluntarium ſeu bonum; cum per Hominem & Uxorem, ſignificatur per hominem bonum amoris ſeu amor, & per uxorem verum fidei, ſeu fides; ita per hominem eſſentiale Eccleſiæ, per uxorem ipſa Eccleſia; ita paſſim in Verbo: hic quia huc uſque actum eſt de formatione Novæ Eccleſiæ, pereunte Antiquiſſima, per Noachum & filios ejus, ſignificatur Homo Antiquæ Eccleſiæ, & per uxorem ejus & uxores filiorum ejus cum illo, ipſa Eccleſia; quare hic alio ordine dicuntur, quam in

Verſ:

Verſ: præc: 16. ibi, *Exi tu & uxor tua, & filii tui & uxores filiorum tuorum, tecum*, ubi tu & uxor conjungitur, ac filii & uxores filiorum tuorum, & ſic per tu ac filios ſignificatur verum, & per uxorem & uxores filiorum, bonum; hic autem non tali ordine, ex cauſa, ut dictum, quia per *tu & filios* ſignificatur homo Eccleſiæ, ac per *uxorem ejus & uxores filiorum ejus*, ipſa Eccleſia; eſt enim clauſula præcedentium. Antiquam Eccleſiam non conſtituit Noachus, ſed filii ejus Schem, Cham & Japheth, ſicut prius dictum; nam tres quaſi Eccleſiæ fuerunt, quæ hanc Eccleſiam Antiquam formarunt, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; quæ Eccleſiæ prodierunt ſicut natæ ex una, quæ Noachus vocatur; inde hic dicitur, tu & filii tui, tum uxor & uxores filiorum.

916. Quod omnis fera, & omne reptile ſignificent bona ejus; fera, bona interni hominis, reptile bona externi; tum quod omnis avis & omne repens ſuper terra ſignificent vera, avis vera interni hominis, repens ſuper terra vera externi, conſtare poteſt ab illis, quæ in verſ: præc: de fera, de avi, & de reptili repente, dicta & oſtenſa ſunt: ibi reptile repens, quia utrumque tam bonum quam verum externi hominis ſignificabat: quia hæc clauſula ſunt præcedentium, adjunguntur hæc quæ ſunt Eccleſiæ, nempe bona & vera ejus; per quæ quoque indicatur, qualis Eccleſia, nempe quod ſpiritualis, & quod facta talis, nempe quod Charitas ſeu bonum eſſet principale, quare hic primum nominatur fera & reptile, & deinde avis & repens. Eccleſia Spiritualis vocatur, cum ex charitate, ſeu ex bono charitatis agit, nuſquam cum ſe dicit habere fidem abſque charitate, tunc ne quidem eſt Eccleſia; nam quid doctrina fidei, niſi doctrina Charitatis; & cur doctrina fidei, niſi ut fiat ſicut docet; ſcire & cogitare ſicut docet, non poteſt eſſe, ſed fieri ſicut docet, hoc ſolum eſt; quare Eccleſia ſpiritualis tunc primum eſt Eccleſia, quando ex charitate, quæ eſt ipſa fidei doctrina, agit; ſeu quod idem eſt, homo Eccleſiæ tunc primum eſt Eccleſia; ſicut quid eſt præceptum, non ut ſciat, ſed ut ſecundum præceptum vivat; tunc enim in ſe habet Regnum Domini, nam Regnum Domini ſolum in amore mutuo, & felicitate inde, conſiſtit; qui ſeparant fidem a charitate, & in fide abſque bonis charitatis ponunt ſalutem, ſunt Cainitæ, qui occidunt fratrem Habelem, hoc eſt, Charitatem; & ſunt ſicut aves quæ volitant circum cadaver, nam talis fides eſt avis, & cadaver eſt homo abſque charitate; ſic etiam comparant ſibi ſpuriam conſcientiam, quod vivere poſſint ſicut diaboli, odio habere & perſequi proximum, in adulteriis agere totam vitam, & uſque ſalvari, ſicut notiſſimum eſt in orbe Chriſtiano; quid dulcius poteſt eſſe homini, quam audire & perſuaderi, quod ſalvari poſſit, ſi vel vivat ut immanis fera; ipſi Gentiles percipiunt quod hoc falſum ſit, quorum multi quia vitam Chriſtianorum vident, doctrinam abhorrent; conſtat quoque inde, quod nuſquam alicubi deteſtabilior vita detur, quam in orbe Chriſtiano.

917. Quod ſecundum familias ſuas ſignificent paria, conſtat ex illis quæ prius dicta ſunt, nempe quod ſeptena & ſeptena ex mundis, & bina & bina ex immundis intraverint, Cap: præc: VII: verſ: 2, 3, 15. hic autem quod

quod ſecundum familias exiverint: quod non ſeptena & ſeptena, bina & bina dicantur, ſed familiæ, cauſa eſt quia omnia nunc in ordinem a Domino ita redacta ſunt, ut repræſentent familias; apud hominem regeneratum ſe ita habent bona & vera, ſeu illa quæ ſunt charitatis & inde fidei, quod ſe mutuo ſpectent ſicut conſanguinitates & affinitates, ita ſicut familiæ ex una ſtirpe ſeu parente, ſimiliter ac ſe habent in cœlo, n: 685. qui eſt ordo, qui bonis & veris inducitur a Domino: in ſpecie hic ſignificatur, quod omnia & ſingula bona ſpectent ſua vera, ſicut conjugio conjuncta; & ſicut in communi charitas fidem, ita in omni particulari bonum verum; nam commune niſi exiſtat a particulari, non eſt commune; a particularibus habet commune ſuam exiſtentiam, & ex illis vocatur commune; in unoquovis homine ita ſe res habet, qualis homo in communi eſt, talis eſt in ſingulariſſimis ſuæ affectionis & ſuæ ideæ, ex his componitur, aut ex his fit talis in communi: quare qui regenerati ſunt, tales fiunt in ſingulariſſimis, quales ſunt in communi.

918. Quod exire ex arca etiam ſtatum libertatis involvat, conſtat ex illis quæ mox ſupra ad verſ: 16. de exire ex arca dictum. Qualis libertas hominis ſpiritualis ſit, conſtare poteſt inde, quod is per conſcientiam regatur a Domino; qui per conſcientiam regitur, ſeu qui ſecundum conſcientiam agit, libere agit; nihil magis repugnat, quam agere contra conſcientiam; agere contra conſcientiam, ei eſt infernum, at agere ſecundum conſcientiam ei eſt cœlum; ex quo quiſque videre poteſt, quod hoc liberum ſit. Dominus hominem ſpiritualem regit per conſcientiam boni & veri, quæ, ut dictum, formata eſt in parte ejus intellectuali, & ſic ſeparata a voluntariis hominis; & quia prorſus ſeparata eſt a voluntariis hominis, conſtare poteſt manifeſte quod nuſquam homo ex ſe faciat aliquod bonum, & quia omne verum fidei ex bono fidei eſt, conſtat, quod nuſquam homo a ſe cogitet aliquod verum, ſed quod a Domino Solo ſit; quod videantur a ſe fieri, eſt ſolum apparentia; & quia ita ſe res habet, homo vere ſpiritualis etiam hoc agnoſcit & credit. Inde patet, quod Conſcientia homini ſpirituali a Domino donata, ſit quaſi nova voluntas, & ſic quod homo, qui e novo creatus eſt, præditus ſit nova voluntate, & inde novo intellectu.

919. Verſ: 20. *Et ædificavit Noach altare Jehovæ, & accepit de omni beſtia munda, & de omni ave munda, & obtulit holocauſta ſuper altari.* Ædificavit Noach altare Jehovæ, ſignificat repræſentativum Domini: accepit de omni beſtia munda, & de omni ave munda, ſignificat bona charitatis & fidei: & obtulit holocauſta ſuper altari, ſignificat omnem cultum inde.

920. In hoc verſu deſcribitur cultus Antiquæ Eccleſiæ in genere, & quidem per altare & holocauſtum, quæ fuerunt principalia omnis cultus repræſentativi: ſed hic primum dicendum, qualis fuit cultus Antiquiſſimæ Eccleſiæ, & inde quomodo ortus eſt cultus Domini per repræſentativa. Antiquiſſimæ Eccleſiæ homini non fuit alius cultus quam internus, qualis eſt in cœlo, nam communicabat apud eos cœlum cum homine, ut unum facerent; communicatio illa erat Perceptio, de qua prius ſæpe dictum; ita quia Angelici, interni homines erant, externa, quæ erant corporis & mundi, quidem ſentiebant,

ſentiebant, ſed non curabant; in objectis ſingulis ſenſuum aliquid Divinum & cœleſte percipiebant; ut pro exemplo, cum altum quendam montem viderent, non montis ideam percipiebant, ſed altitudinis, & ex altitudine cœlum, & Dominum, inde factum quod Dominus dictus habitare in altiſſimis, & Ipſe Altiſſimus & Excelſiſſimus appellatus, & poſtea cultus Domini ſuper montibus habitus; ſimiliter in cæteris; ut cum perciperent Mane, tunc non ipſum mane diei percipiebant, ſed cœleſte, quod eſt inſtar mane & auroræ in mentibus, inde Dominus appellatus Mane, Oriens & Aurora; ſimiliter cum arborem, & ejus fructum & folia, hæc nihil curabant, ſed in illis videbant quaſi repræſentatum hominem, in fructu amorem & charitatem, in foliis fidem; inde quoque non ſolum comparatus eſt homo Eccleſiæ Arbori, ut & Paradiſo, & quæ apud eum fructui & foliis, ſed etiam ita appellatus: tales ſunt, qui in cœleſti & angelica idea ſunt: notum cuique eſſe poteſt, quod idea communis regat omnia particularia, ita omnia objecta ſenſuum, tam illa quæ vident, quam quæ audiunt, & quidem ita, ut objecta nihil curent, niſi quatenus ea influunt in ejus ideam communem; ut qui animo lætus eſt, omnia quæ audit & videt, apparent ei ſicut læta & ridentia; qui autem animo triſtis eſt, ei apparent omnia quæ videt & audit, ſicut triſtia & dolorifica; ita in omnibus cæteris; nam affectio communis eſt in ſingulis, & facit, ut videat & audiat ſingula in affectione communi; cætera ne quidem apparent, ſed ſunt tanquam forent abſentia aut nihili: ita ſe habuit cum Antiquiſſimæ Eccleſiæ homine quicquid oculis vidit, hoc ei cœleſte fuit; ac ita apud illum omnia & ſingula quaſi vivebant: exinde conſtare poteſt, qualis ejus Cultus Divinus fuit, quod fuerit internus, & nullatenus externus. Cum vero declinabat Eccleſia, ut in poſteris, & perceptio illa, ſeu communicatio cum Cœlo perire inciperet, aliter ſe res habere cæpit; in objectis ſenſuum non amplius percipiebant Cœleſte, ut prius, ſed mundanum, & tantum magis, quantum minus perceptionis reſiduum haberent; & tandem in poſteritate ultima, quæ erat proxime ante diluvium, in objectis nihil aliud quam mundanum, corporeum, & terreſtre, capiebant: ita ſeparabatur Cœlum ab homine, nec communicabat niſi admodum remote; communicatio tunc homini facta cum inferno, & inde idea communis, e qua ideæ omnium particularium, ut dictum; tunc cum aliqua idea cœleſtis obveniebat, ea nihili apud eos erat, uſque tandem, ut ne quidem agnoſcere vellent, quod daretur aliquid ſpirituale & cœleſte; ita ſtatus hominis mutatus & inverſus factus eſt. Quia a Domino prævifum, quod talis fieret ſtatus hominis, etiam proviſum fuit, quod doctrinalia fidei haberent conſervata, ut inde ſcirent, quid cœleſte & quid ſpirituale; Doctrinalia illa ex Antiquiſſimæ Eccleſiæ homine collegerunt illi qui Cain dicti, & qui Chanoch, de quibus actum; quare de Caino dicitur, quod ſignum ei impoſitum, ne quis eum occideret; & de Chanoch, quod ſumtus a Deo, de quibus videantur, Cap: IV: ad verſ: 15, n: 393, 394. & Cap: V: ad verſ: 24. Doctrinalia hæc conſtabant ſolum in ſignificativis, & ſic quaſi in ænigmaticis, quid nempe ſignificarent illa quæ ſuper terra, ut quid montes, quod cœleſtia & Dominum; quid mane & oriens, quod quoque

 cœle-

cœleſtia & Dominum; quid diverſi generis arbores & earum fructus, quod hominem & ejus cœleſtia; & ſic quid cætera: in talibus conſtabant doctrinalia eorum, quæ collecta fuerunt a ſignificativis Antiquiſſimæ Eccleſiæ; exinde eorum ſcripta quoque talia fuerunt: & quia in talibus Divinum & cœleſte, quia etiam antiquum, admirabantur, & conſpicere ſibi videbantur, cultus eorum ex ſimilibus inceptus & permiſſus eſt, inde eorum cultus ſuper montibus, inque lucis, in medio arborum, inde eorum ſtatuæ ſubdiales; & tandem altaria & holocauſta, quæ principalia omnis cultus poſtea facta ſunt. Hic cultus inceptus eſt ab Antiqua Eccleſia, & inde emanabat ad poſteros, adque omnes gentes circumcirca, præter alia plura, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

921. Quod ædificavit Noach altare Jehovæ ſignificet repræſentativum Domini, conſtat ex illis quæ modo nunc dicta ſunt: Ritus omnes Eccleſiæ Antiquæ repræſentativi Domini erant, ſicut etiam ritus Eccleſiæ Judaicæ; ſed principale repræſentativum fuit poſtea Altare, tum holocauſtum, quod quia fiebat ex beſtiis mundis & avibus mundis, repræſentabat ſicut ſignificabat, beſtiæ mundæ bona charitatis, & aves mundæ vera fidei; quæ cum offerebantur, ſignificabant apud Antiquam Eccleſiam, quod offerrent Domino inde munera; Domino nihil aliud, quod gratum ei ſit, offerri poteſt: ſed poſteri, ut gentes, tum etiam Judæi, hæc pervertebant, ne quidem ſcientes quod talia ſignificarentur, cultum ſolum in externis ponentes. Quod Altare fuerit principale repræſentativum Domini, conſtare quoque inde poteſt, quod antequam cæteri ritus inſtituti, & antequam arca exſtructa, & antequam templum ædificatum, altaria fuerint, etiam inter gentes; de Abramo conſtat, quod cum venerit in Montem ab oriente Bethelis exſtruxerit *Altare*, & invocaverit Nomen Jehovæ, Gen: XII: 8. quod ei juſſum offerre Iſaacum in holocauſtum ſuper *Altari*, Gen: XXII: 2, 9. quod Jacobus ædificaverit *Altare* ad Lus ſeu Bethel, Gen: XXXV: 6, 7. quod Moſes ædificaverit *Altare* ſub Monte Sinai, & ſacrificaverit, Ex: XXIV: 4, 5, 6. quod fuit antequam ſacrificia inſtituta ſunt, & antequam arca exſtructa, ubi cultus dein peragebatur in deſerto. Similiter quod altaria fuerint apud gentes, conſtat ex Bileamo, qui ad Balakum dixit, quod ædificaret ſeptem *Altaria*, & pararet ſeptem boves, & ſeptem arietes, Num: XXIII: 1 ad 7, 15 ad 18, 29, 30. tum quod mandatum, quod gentium *Altaria* deſtruerentur, ut Deut: VII: 5. Jud: II: 2: quare Cultus Divinus per altaria & ſacrificia, non fuit novum quoddam inſtitutum apud Judæos. Imo altaria prius ædificata ſunt, quam noverunt ſuper iis mactare boves & pecudes, & quidem in memoriale. Quod Altaria ſignificent repræſentativum Domini, & Holocauſta cultum Ipſius inde, conſtat manifeſte apud Prophetas, ut apud Moſen de Levi, cui ſacerdotium, "Docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Iſraelem; ponent ſuffitum in "naribus Tuis, & *Totum* (holocauſtum) ſuper *Altari* Tuo," Deut: XXXIII: 10. ubi pro omni cultu; quod docerent judicia Jacobum, & legem Iſraelem, pro cultu interno; quod ponerent ſuffitum in naribus, & totum ſuper altari, pro cultu externo correſpondente; ita pro omni cultu. Apud Eſaiam, "In

"die

"die illo aſpiciet homo ad Factorem ſuum, & oculi ejus ad Sanctum Iſraelis "ſpectabunt; & non aſpiciet ad *Altaria*, opus manuum ejus," XVII: 7, 8. ubi aſpicere ad altaria, manifeſte ſignificat cultum repræſentativum in genere, qui aboleretur. Apud Eundem, "In die illo erit *Altare Jehovæ* in medio "terræ Ægypti, & ſtatua juxta terminum ejus, Jehovæ," XIX: 19. ibi etiam "altare pro cultu externo. Apud Jeremiam, "Deſeruit Dominus *Altare* "ſuum, deteſtatus eſt ſanctuarium ſuum," Thren: II: 6. altare pro cultu "repræſentativo, qui factus idololatricus:" apud Hoſcheam, "Multiplicavit "Ephraim *Altaria* ad peccandum; fuerunt ei *Altaria* ad peccandum," VIII: 11. altaria ibi pro omni repræſentativo ſeparato ab interno, ſic pro idololatrico. Apud Eundem, "Perdentur excelſa Aven, peccatum Iſraelis, ſpina "& carduus aſcendet ſuper *Altaria* eorum," X: 8. ibi etiam altaria pro cultu idololatrico. Apud Amos, "In die viſitare Me prævaricationes Iſraelis ſuper "eum, & viſitabo ſuper *Altaria* Bethelis, & ſuccidentur *cornua Altaris*," III: 14. ubi altaria quoque pro repræſentativo facto idololatrico. Apud Davidem, "Deducent me ad montem ſanctitatis tuæ, & ad habitacula Tua, & ingre- "diar ad *Altare Dei*, ad Deum, lætitiam exultationis meæ," Pſalm: XLIII: 3, 4. ubi altare manifeſte pro Domino; ita altaris conſtructio in Eccleſia Antiqua & Judaica, pro repræſentativo Domini: quia cultus Domini peragebatur principaliter per holocauſta & ſacrificia, & ſic illa principaliter ſignificabant cultum repræſentativum, conſtat, quod ipſum Altare ſignificet ipſum repræſentativum.

922. Accepit de omni beſtia munda, & de omni ave munda, quod ſignificet bona charitatis & vera fidei, prius oſtenſum eſt; quod Beſtia ſignificet bona charitatis, n: 45, 46, 142, 143, 246; quod Avis vera fidei, n: 40, 776. Holocauſta fiebant ex bobus, ex agnis & capris, & ex turturibus aut pullis columbarum, Lev: I: 3 ad 18. Num: XV: 2 ad 15. Cap: XXVIII: 1 ad f. beſtiæ erant mundæ, & quælibet earum aliquod ſpeciale cœleſte ſignificabat; & quia hæc ſignificabant in Eccleſia Antiqua, & in ſequentibus repræſentabant, conſtat quod nihil aliud eſſent holocauſta & ſacrificia, quam repræſentativa cultus interni; & quod, cum ſeparata eſſent a cultu interno, idololatrica fuiſſent; hoc quiſque, ſi modo ſanæ rationis ſit, videre poteſt; nam quid altare, niſi lapideum quid, & quid holocauſtum & ſacrificium quam mactatio beſtiæ; ſi Divinus cultus, repræſentabit cœleſte quod ſcient, & agnoſcent, & ex quo colent Illum, Quem repræſentant; quod repreſentativa Domini fuerint, nemo ignorare poteſt, niſi qui prorſus nihil de Domino intelligere vult; ſunt interna, nempe charitas & fides inde, per quæ ſpectandus, & agnoſcendus, & credendus, Qui repræſentatur, quod clare conſtat apud Prophetas, ut apud Jeremiam, "Dixit "Jehovah Zebaoth, Deus Iſraelis, holocauſta veſtra addite ſuper ſacrificia "veſtra, & comedite carnem; non loquutus ſum cum patribus veſtris, *&* "*non precæpi eis* in die, quo eduxi eos e terra Ægypti, *ſuper verbis holocau-* "*ſti & ſacrificii*; ſed verbum hoc præcepi iis, dicendo *obedite voci meæ*, & "ero vobis in Deum," VII: 21, 22, 23. audire ſeu obedire voci, eſt obedire legi, quæ omnis ſe refert ad unicum præceptum, ut ament Deum ſuper omnia,

nia, & proximum ut ſeipſum; nam in his lex & prophetæ, Matth: XXII: 35 ad 38. Cap: VII: 12. apud Davidem, "Jehovah, *ſacrificium & Munus* "*non voluiſti, holocauſtum & ſacrificium peccati non petiiſti*; facere voluntatem tuam, Deus mi, deſideravi; & *lex tua* in medio viſcerum meorum," Pſalm: XL: 7, 9. apud Samuelem, qui dixit ad Saulem, "Num *complacentia Jehovæ in holocauſtis & ſacrificiis, ac in obedire voci Jehovæ*; ecce *obedire præ ſacrificio bonum*, auſcultare præ adipe arietum," 1 Sam: XV: 22. quid obedire voci, apud Micham, "Num præveniam Jehovam *holocauſtis*, "vitulis filiis anni, num complacebit Jehovæ in *millibus arietum*, in myriadibus fluviorum olei; indicavit tibi, homo, quid bonum, & quid Jehovah "requirens a te, niſi *facere judicium, & amorem miſericordiæ*, & humiliare ſe "ambulando cum Deo ſuo," VI: 6, 7, 8. hæc ſunt quæ ſignificant holocauſta & ſacrificia ex beſtiis & avibus mundis; apud Amos, "Si obtuleritis "Mihi *holocauſta & munera veſtra, non acceptabo*, & pacificum pinguium "veſtrorum non aſpiciam, fluat, ſicut aquæ, *judicium*, & *juſtitia* ſicut flumen forte," V. 22, 24. judicium eſt verum, & juſtitia eſt bonum, utrumque ex charitate, quæ ſunt holocauſta & ſacrificia interni hominis: apud Hoſcheam, "*Miſericordiam volo & non ſacrificium*; & cognitionem Dei *præ* "*holocauſtis*," VI: 6. Ex his conſtat, qualia ſunt ſacrificia & holocauſta, ubi non charitas & fides: ex iiſdem quoque conſtat, quod beſtiæ mundæ, & aves mundæ repræſentaverint, quia ſignificarunt, bona charitatis & fidei.

923. Et obtulit holocauſta ſuper altari quod ſignificet omnem cultum inde, ex illis, quæ hactenus dicta ſunt, patet: holocauſta erant principalia cultus Eccleſiæ repræſentativæ, ita dein ſacrificia, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Quod Holocauſta in uno complexu ſignificent cultum repræſentativum, conſtat quoque apud Prophetas ut apud Davidem, "Jehovah mittet auxilium tuum e Sanctuario, & ex Zione fulciet "te; recordabitur omnium munerum tuorum, & *Holocauſtum* tuum pingue faciet," Pſalm: XX: 3, 4. & apud Eſaiam, "Quiſquis cuſtodit ſabbathum, a prophanando illud, introducam eos ad montem ſanctitatis Meæ, "*Holocauſta* eorum, & ſacrificia eorum, ad beneplacitum ſuper *Altari* Meo," LVI: 6, 7. ubi holocauſta & ſacrificia pro omni cultu; holocauſta pro cultu ex amore, ſacrificia pro cultu ex fide inde: interna hic deſcribuntur, ut communiter apud Prophetas, per externa.

924. Verſ: 21. *Et odoratus Jehovah odorem quietis, & dixit Jehovah, in corde ſuo, non addam maledicere amplius humo, propter hominem, quia figmentum cordis hominis malum a pueritia ejus; & non addam amplius percutere omne vivum ſicut feci.* Odoratus Jehovah odorem quietis, ſignificat quod gratus fuerit Domino cultus inde: Et dixit Jehovah in corde ſuo, ſignificat quod ita non amplius fieret: non addam maledicere amplius humo, ſignificat quod homo non amplius ita ſe avertet: propter hominem, ſignificat ſicut homo e poſteritate Antiquiſſimæ Eccleſiæ: quia figmentum cordis hominis malum

a

a pueritia ejus, ſignificat quod voluntarium hominis ſit prorſus malum: non addam amplius percutere omne vivum ſicut feci, ſignificat quod homo non amplius ita ſe perdere poterit.

925. Quod odoratus Jehovah odorem quietis, ſignificet quod gratus fuerit Domino cultus inde, nempe cultus ex charitate & fide charitatis, qui per holocauſtum ſignificatus, dictum eſt in verſ: proxime præcedente. Paſſim in Verbo dicitur, quod Jehovah odoratus eſt odorem quietis, & quidem præcipue ex holocauſtis, & ubivis ſignificat gratum ſeu acceptum, ſicut ex holocauſtis quod odoratus odorem quietis, Exod: xxix: 18, 25, 41. Lev: I: 9, 13, 17. Cap: xxIII: 12, 13, 18. Num: xxvIII: 6, 8, 13. Cap: xxIx: 2, 6, 8, 13, 36. tum ex aliis ſacrificiis, Lev: II: 2, 9. Cap: vI: 8, 14. Cap. vIII: 21, 28. Num: xv: 3, 7, 13. & vocantur Ignitum in odorem quietis Jehovæ, quo ſignificatur quod ex amore & charitate; ignis in Verbo, & ignitum, cum prædicatur de Domino, & de cultu Ipſius, ſignificat amorem: ſimiliter etiam Panis, quare etiam cultus repræſentativus per holocauſta & ſacrificia appellatur Panis igniti Jehovæ in odorem quietis, Levit: III: 11, 16. Quod odor ſignificet gratum & acceptum, & ſic quod odor quoque in Eccleſia Judaica fuerit repræſentativum grati, & tribuatur Jehovæ ſeu Domino, eſt cauſa, quod bonum charitatis & verum fidei ex charitate correſpondeat odoribus jucundis & ſuavibus; ipſa correſpondentia quod ſit, & qualis ſit, conſtare poteſt a ſphæris in cœlo ſpirituum & Angelorum; ſunt ibi ſphæræ amoris & fidei, quæ manifeſte percipiuntur; ſphæræ tales ſunt, ut cum ſpiritus bonus aut angelus, ſeu ſocietas ſpirituum bonorum aut angelorum adventat, tunc percipitur illico, quoties Domino beneplacet, qualis eſt ſpiritus, angelus, ſeu ſocietas, quoad amorem & fidem, & quidem e longinquo, & magis cum præſentior fit; quod incredibile, ſed uſque eſt veriſſimum; talis eſt communicatio in altera vita, & talis perceptio; quare, cum Domino beneplacet, non opus eſt multis explorare, qualis anima ſeu ſpiritus eſt, nam ad primum adventum poteſt cognoſci: his ſphæris correſpondent ſphæræ odorum in mundo; quod correſpondeant, inde conſtare poteſt, quod ſphæræ amoris & fidei, quando Domino beneplacet, manifeſte in ſphæras odorum jucundorum & ſuavium vertantur in mundo ſpirituum, & manifeſte percipiantur. Ex his nunc conſtat, unde & quare odor quietis ſignificat gratum, & quare odor repræſentativum factum in Eccleſia Judaica, & odor quietis Jehovæ ſeu Domino tribuatur. Odor quietis eſt pacis, ſeu gratum pacis; Pax in uno complexu comprehendit omnia & ſingula quæ ſunt Regni Domini, nam ſtatus Regni Domini eſt ſtatus Pacis, in ſtatu pacis exiſtunt omnes ſtatus felices ex amore & fide in Dominum. Ex his, quæ nunc dicta ſunt, patet non ſolum, quomodo repræſentativa ſe habent; ſed etiam quare in Eccleſia Judaica ſuffimenta, pro quibus Altare ante velum & propitiatorium; quare thuris oblationes in ſacrificiis; tum quare tot aromata, in ſuffimento, in thure, ut & in oleo unctionis adhibebantur; ita quid odor quietis, quid ſuffitus, & quid aromata ſignificant in Verbo, nempe quod cœleſtia amoris, & inde

ſpiri-

ſpiritualia fidei, in genere quicquid gratum inde; ut apud Ezechielem, "In "monte ſanctitatis meæ, in monte altitudinis Iſraelis, ibi ſervient Mihi omnis "domus Iſraelis tota in terra, ibi *acceptos habebo* illos; & ibi quæram ſubla- "tiones veſtras, & primitias munerum veſtrorum in omnibus ſanctificatio- "nibus veſtris, per *odorem quietis acceptos habebo* vos," xx: 40, 41. ubi odor quietis prædicatur de holocauſtis & muneribus, hoc eſt, de cultu ex charitate & ejus fide, qui per holocauſta & munera ſignificatur, & inde acceptus eſt, quod eſt odor: apud Amos, "Odi, reprobavi feſta veſtra, & non *odorabor* "ceſſationes veſtras, quia ſi obtuleritis Mihi holocauſta & munera veſtra, non "*accepta erunt*," v: 21, 22. ibi manifeſte quod ſignificet gratum aut acceptum. De Iſaco benedicente Jacobo pro Eſavo, legitur, "Cum accederet "Jacob, & Iſaacus oſculatus eum, & *odoraretur odorem* veſtium ejus, & be- "nedixit ei, & dixit, vide, *Odor* filii mei, ſicut *odor* agri, cui benedixit Je- "hovah," Gen: xxvii: 26, 27. odor veſtium ſignificat naturale bonum & verum, quod gratum ex concordantia cum cœleſti & ſpirituali bono & vero, cujus gratitudo deſcribitur per odorem agri.

926. Quod dixit Jehovah in corde ſuo, ſignificet quod ita non amplius fieret, ex ſequentibus conſtat: quando de Jehovah prædicatur, quod dicat, non aliud eſt, quam quod ita vel non ita ſit aut fiat, nam de Jehovah nihil aliud dici poteſt quam Eſt: quæ in Verbo paſſim prædicantur de Jehovah, pro iis ſunt, qui nihil capere poſſunt niſi ex talibus quæ apud hominem, quare ſenſus literæ talis eſt; ſimplices corde ex apparentiis apud hominem inſtrui poſſunt, nam ultra cognitiones ex ſenſualibus vix vadunt, quare ſecundum captum eorum loquutum eſt in Verbo; ita hic quod Jehovah dixit in corde ſuo.

927. Non addam maledicere amplius humo, propter hominem, quod ſignificet, quod homo non amplius ita ſe avertet, ſicut homo e poſteritate Eccleſiæ Antiquiſſimæ, conſtat ab illis, quæ prius de Antiquiſſimæ Eccleſiæ poſteritate dicta ſunt; quod maledicere ſignificet in ſenſu interno ſe avertere, videatur prius, n: 223, 245. Quomodo hæc & ſequentia ſe habent, quod nempe homo ſe amplius non ita avertet ſicut homo Antiquiſſimæ Eccleſiæ, & quod non amplius ſe perdere poterit, conſtare etiam poteſt ab illis, quæ de Antiquiſſimæ Eccleſiæ poſteris, qui perierunt, & de nova Eccleſia, quæ Noachus vocatur, prius dicta ſunt; nempe quod Antiquiſſimæ Eccleſiæ homo talis fuerit, quod voluntas & intellectus apud eum unam mentem conſtituerit, ſeu quod apud eum amor implantatus fuerit in parte ejus voluntaria, & ſic ſimul fides, quæ implebat alteram mentis ejus partem ſeu intellectualem; poſteri eorum ex hæreditario inde traxerunt, quod voluntas eorum & intellectus unum facerent; quare cum amor ſui, & inde veſanæ cupiditates occupare cæperunt partem eorum voluntariam, ubi prius amor in Dominum & charitas ergo proximum, tunc non ſolum pars voluntaria ſeu voluntas prorſus perverſa facta eſt, ſed etiam ſimul pars intellectualis ſeu intellectus, eoque magis cum ultima poſteritas immerſit cupiditatibus falſitates, & inde Nephilim

philim facti; inde tales facti ut non reſtitui poſſent, quia utraque pars mentis eorum, ſeu tota mens deſtructa fuit. Sed quia a Domino prævisum, etiam proviſum eſt, quod homo exſtrueretur, & quidem per id, quod homo reformari poſſet, & regenerari quoad alteram ejus mentis partem ſeu intellectualem, ac ei implantari nova voluntas, quæ eſt conſcientia, per quam Dominus bonum amoris ſeu charitatis, & verum fidei, operaretur: ita homo, ex Divina Domini Miſericordia, reſtitutus eſt: Hæc ſunt, quæ ſignificantur in hoc verſu, per quod non addam maledicere amplius humo, propter hominem, quia figmentum cordis hominis malum a pueritia, & quod non addam percutere omne vivum, ſicut feci.

928. Quod figmentum cordis hominis malum a pueritia ejus, ſignificet quod voluntarium hominis ſit prorſus malum, ex illis quæ nunc dicta ſunt, conſtat; figmentum cordis non aliud ſignificat. Homo putat ſe habere voluntatem boni, ſed prorſus fallitur; cum bonum facit, non eſt ex ejus voluntate, ſed eſt ex nova voluntate, quæ eſt Domini, ita ex Domino; proinde cum verum cogitat & loquitur eſt ex novo intellectu, qui eſt inde, & ſic quoque ex Domino; nam regeneratus eſt prorſus novus homo formatus a Domino, inde quoque dicitur e novo creatus.

929. Quod non addam percutere omne vivum ſicut feci, ſignificet quod homo non amplius ita ſe perdere poterit, inde nunc conſtat: ita enim ſe res habet, cum homo regeneratus eſt, tunc detinetur a malo & falſo quod apud eum, & tunc non percipit aliter quam quod bonum & verum a ſe faciat & cogitet, ſed eſt apparentia ſeu fallacia, eſt detentio a malo & falſo, & quidem valida; & quia detinetur a malo & falſo, non poteſt ſe perdere; ſi vel minimum remitteretur, aut relinqueretur ſibi, in omne malum & falſum rueret.

930. Verſ: 22. *Adhuc omnibus diebus terræ, ſementis & meſſis, & frigus & æſtus, & æſtas & hyems; & dies & nox, non ceſſabunt.* Adhuc omnibus diebus terræ ſignificant omne tempus: ſementis & meſſis ſignificant hominem regenerandum, & inde Eccleſiam: frigus & æſtus ſignificant ſtatum hominis, qui regeneratur, qui talis quoad recipiendum fidem & charitatem; frigus ſignificat nullam fidem & charitatem; æſtus autem fidem & charitatem: æſtas & hyems ſignificant ſtatum hominis regenerati quoad nova ejus voluntaria, quorum vices ſe habent ſicut æſtas & hyems: dies & nox ſignificant ſtatum ejuſdem, ſeu regenerati, quoad intellectualia, quorum vices ſe habent ſicut dies & nox: non ceſſabunt, eſt quod hoc omni tempore.

931. Quod adhuc omnibus diebus terræ ſignificent omne tempus, conſtat ex ſignificatione Diei, quod ſit tempus, videatur n: 23. 487. 488. 493. quare hic dies terræ eſt omne tempus quamdiu terra ſeu incola ſuper tellure; incola ſuper tellure tunc primum ceſſat eſſe, cum amplius nulla Eccleſia; nam cum nulla Eccleſia, non amplius datur communicatio hominis cum cœlo, qua communicatione ceſſante, omnis incola perit; Eccleſia ſe habet, ut prius dictum, ſicut cor & pulmo in homine, quamdiu cor integrum eſt & pulmo, tamdiu vivit homo, ita quoque quamdiu Eccle-

ſia

ſia reſpective ad Maximum hominem, qui eſt univerſum Cœlum; quare hic dicitur omnibus diebus terræ ſementis & meſſis, & frigus & æſtus, & æſtas & hyems, & dies & nox, non ceſſabunt; inde conſtare quoque poteſt, quod tellus in æternum non duratura, ſed quod quoque ſuum finem habitura, nam dicitur omnibus diebus terræ, hoc eſt, quamdiu terra. Quod autem credant, finem terræ idem fore ac ultimum judicium, de quo in Verbo, ubi de conſumatione ſæculi, de die viſitationis, & de ultimo judicio agitur, in eo falluntur; nam ultimum judicium eſt cujuſvis Eccleſiæ cum vaſtata eſt, ſeu cum in ea amplius nulla fides; ultimum judicium Antiquiſſimæ Eccleſiæ fuit, cum periit, ut in poſteritate ejus ultima proxime ante diluvium: ultimum judicium fuit Eccleſiæ Judaicæ, cum Dominus venit in mundum: Ultimum judicium quoque futurum, cum Dominus venturus in gloriam; non quod tunc peritura ſit terra & periturus mundus, ſed quod pereat Eccleſia; at tunc ſemper nova Eccleſia a Domino reſuſcitatur; ſicut tempore diluvii Eccleſia Antiqua; & tempore adventus Domini, Eccleſia primitiva gentium; ita quoque cum Dominus venturus in gloriam; quod quoque per Novum Cœlum, & Novam Terram, etiam intelligitur; ſimiliter ac apud unumquemvis regeneratum, qui fit homo Eccleſiæ, ſeu Eccleſia, qui dum e novo creatus eſt, internus ejus homo vocatur novum cœlum, & externus nova terra: præterea etiam ultimum judicium eſt cuivis homini, cum moritur, nam tunc ſecundum illa, quæ egit in corpore, judicatur vel ad mortem, vel ad vitam. Quod per conſumationem ſæculi, finem dierum, aut ultimum judicium, non intelligatur aliud, proinde non mundi interitus, conſtat clare a Domini verbis apud Lucam, "In illa *Nocte*, erunt duo in lecto uno, unus "aſſumetur, alter *relinquetur:* duæ erunt molentes ſimul, una aſſumetur, & altera "*relinquetur:* duo erunt in agro, unus aſſumetur & alter *relinquetur*," XVII: 34, 35, 36. ubi ultimum tempus vocatur Nox, quia nulla fides, hoc eſt, charitas; & quod relinquentur, quo clare indicatur, quod non periturus tunc mundus.

932. Quod ſementis & meſſis ſignificent hominem regenerandum, & inde Eccleſiam, non opus eſt confirmare ex Verbo, quia toties occurrit, tam quod homo comparetur & aſſimiletur agro, ita ſementi, quam quod Verbum Domini ſemini, & ipſe effectus proventui aut meſſi; quod quiſque ex familiari inde facto ſermone etiam comprehendit. In genere hic agitur de omni homine, quod nuſquam defiturum, quin ei inſeminaretur ſemen a Domino, ſive ſit intra Eccleſiam, ſive extra Eccleſiam, hoc eſt, ſive noverit Verbum Domini, ſive non noverit; abſque inſeminato ſemine a Domino, homo ne hilum boni poteſt facere; omne bonum charitatis, etiam apud gentes, eſt ſemen a Domino, apud quas tametſi non eſt bonum fidei, ſicut poteſt eſſe intra Eccleſiam, uſque bonum fidei poteſt fieri; gentes enim, qui in charitate vixerunt, ſicut ſolent in mundo, etiam in altera vita, cum ab angelis inſtruuntur, facilius multo quam Chriſtiani, veræ fidei doctrinam, & fidem charitatis amplectuntur & accipiunt, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. In ſpecie autem hic agitur de homine regenerando, quod nempe non defiturum, quin Eccleſia alicubi in terra exiſtat, quod hic ſignificatur per quod omnibus

nibus diebus terræ ſementis & meſſis. Quod ſemper ſementis & meſſis, ſeu Eccleſia, exſtitura ſit, ſpectat illa quæ in verſu præc: nempe quod homo non amplius ſe ita perdere poterit, ſicut poſteritas ultima Antiquiſſimæ Eccleſiæ.

933. Quod frigus & æſtus ſignificent ſtatum hominis, qui regeneratur, qui talis quoad recipiendum fidem & charitatem; quod frigus ſignificet nullam fidem & charitatem, æſtus autem charitatem, conſtat a ſignificatione frigoris & æſtus in Verbo, ubi prædicantur de regenerando vel regenerato, vel de Eccleſia; tum quoque conſtat a ſerie, nempe ab illis quæ præcedunt & quæ ſequuntur, nam de Eccleſia agitur; in verſu præcedente, quod homo non amplius ita ſe perdere poterit, in hoc verſu, quod ſemper aliqua Eccleſia exſtitura, quæ deſcribitur primum quomodo ſe habet cum fit, ſeu cum regeneratur homo ut fiat Eccleſia, & mox de regenerato, qualis; ita de omni ſtatu hominis Eccleſiæ. Quod talis ejus ſtatus ſit, cum regeneratur, nempe frigus & æſtus, ſeu nulla fides & charitas, tum fides & charitas, non ita conſtare alicui poteſt niſi ab experientia, & quidem per reflectionem ad experientiam; & quia pauci ſunt qui regenerantur, & inter eos qui regenerantur, pauci ſi ulli qui reflectunt, aut quibus reflectere datur ſuper ſtatum ſuæ regenerationis, his paucis licet dicere: homo, cum regeneratur, vitam accipit a Domino, nam prius non vixiſſe dici poteſt, vita mundi & corporis non eſt vita, ſed vita cœleſtis & ſpiritualis unice eſt vita; homo per regenerationem a Domino ipſam vitam accipit, & quia prius nullam vitam habuit, alternat nulla vita, & ipſa vita, hoc eſt, nulla fides & charitas & aliqua fides & charitas; nulla fides & charitas hic ſignificatur per frigus, aliqua fides & charitas per æſtum; quod ita ſe habet; quoties homo eſt in corporeis ſuis & mundanis tunc eſt nulla fides & charitas, hoc eſt, frigus, nam tunc operantur corporea & mundana, proinde quæ ſunt ejus propria, quamdiu homo eſt in iis tunc eſt abſens aut remotus a fide & charitate, ſic ut ne quidem cogitet de cœleſtibus & ſpiritualibus; cauſa eſt, quia nuſquam ſimul eſſe poſſunt apud hominem cœleſtia & corporea, nam voluntas hominis prorſus, deperdita eſt; at cum corporea hominis, & ejus voluntaria non operantur, ſed quieſcunt, tunc Dominus per internum ejus hominem operatur, & tunc eſt in fide & charitate, quod hic vocatur æſtus; cum iterum redit in corpus iterum eſt in frigore; & cum corpus ſeu quod corporis eſt, quieſcit, & quaſi nullum eſt, tunc eſt in æſtu; & ſic per vices; nam talis eſt conditio hominis, quod apud eum cœleſtia & ſpiritualia non poſſint ſimul eſſe cum ejus corporeis & mundanis, ſed vices ſunt: hæc ſunt, quæ unicuivis regerando fiunt, & quidem tamdiu, quamdiu eſt in ſtatu regenerationis, nam aliter homo non poteſt regenerari, hoc eſt, a mortuo fieri vivus, ex cauſa, ut dictum, quia voluntas ejus prorſus deperdita eſt, quæ ideo prorſus ſeparatur a nova voluntate, quam accipit a Domino, quæ eſt Domini, non hominis: exinde nunc conſtare poteſt, quid per frigus & æſtum hic ſignificatur. Quod ita ſe res habeat, quiſque regeneratus poteſt ab experientia ſcire, nempe, quod,

cum in corporeis & mundanis eſt, tunc abſens & remotus ſit ab internis, ut non ſolum de illis nihil cogitet, ſed apud ſe ſentiat tunc quaſi frigus; ſed cum quieſcunt corporea & mundana, quod tunc in fide & charitate ſit: tum quoque ab experientia ſcire poteſt, quod hæc alternent; quare etiam cum corporea & mundana ſuperfluere incipiunt & volunt dominari, tunc in anguſtias & tentationes venit, uſque dum in talem ſtatum redactus ſit, ut externus homo obſequia præſtet interno, qui obſequia nuſquam præſtare poteſt, niſi dum quieſcit & quaſi nullus eſt. Ultima poſteritas Antiquiſſimæ Eccleſiæ non potuit regenerari, quia ut dictum, intellectualia & voluntaria apud eos unam mentem conſtituerunt, quare intellectualia non potuerunt ſeparari ab eorum voluntariis, & ſic per vices eſſe in cœleſtibus & ſpiritualibus, & per vices in corporeis & mundanis; ſed iis erat continuum frigus in cœleſtibus, & continuus æſtus in cupiditatibus, ſic ut apud eos nulla alternatio dari potuerit.

934. Quod frigus ſignificet nullum amorem ſeu nullam charitatem & fidem, & quod æſtus ſeu ignis amorem aut charitatem & fidem, conſtare poteſt ab his locis in Verbo; apud Johannem ad Eccleſiam Laodicenſem, "Novi opera tua, quod neque *Frigidus* neque *Fervidus*; utinam *Frigidus* eſſes aut *Fervidus*, ſed quia tepidus, & neque *Frigidus*, neque *Fervidus*, expuiturus te ex ore meo," Apoc: III: 15, 16. ubi frigidus pro nulla charitate, & fervidus pro multa. Apud Eſaiam, "Sic dixit Jehovah, quieſcam & ſpectabo in loco meo, ſicut *Æſtus* ſerenus ſuper luce, ſicut nubes roris in *Æſtu meſſis*," XVIII: 4. ubi de nova Eccleſia plantanda, æſtus ſuper luce, & æſtus meſſis, pro amore & charitate. Apud Eundem, "Jehovæ *Ignis* in Zione, & furnus in Hieroſolyma," XXXI: 9. Ignis pro amore. De cherubis viſis Ezechieli, "Similitudo Animalium, aſpectus illorum ſicut *prunæ ignis ardentes* juxta aſpectum lampadum, is incedens inter animalia, & ſplendor *Ignis*, & de *Igne* exiens fulgur," Ezech: I: 13. & apud Eundem de Domino, "Super expanſum, quod ſuper capite Cheruborum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo throni; & ſuper ſimilitudine throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis ſuper illo ſuperius; & vidi quaſi ſpeciem *prunæ ignitæ*, juxta ſpeciem *Ignis*, ibi Illum circumcirca ab aſpectu lumborum Ipſius & ſurſum, & ab aſpectu lumborum Ipſius & deorſum, vidi quaſi aſpectum *Ignis*, cui ſplendor circumcirca," I: 26, 27. Cap: VIII: 2. ibi Ignis pro amore. Apud Danielem, "Antiquus dierum ſedit, thronus Ipſius *Flammæ Ignis*, rotæ illius *Ignis ardens*, fluvius *Ignis* emanans & exiens a coram Ipſo; mille millia miniſtrabant Ipſi, & myrias myriadum coram Ipſo ſtabant," VII: 9, 10. ignis pro amore Domini. Apud Sachariam, "Ero ei, dictum Jehovæ, murus *Ignis* circumcirca," II: 5, ubi de nova Hieroſolyma. Apud Davidem, "Jehovah facit Angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos *Ignem flammantem*," Pſalm: CIV: 4. ignis flammans pro cœleſti ſpirituali. Quia Ignis ſignificabat amorem, ignis quoque repræſentativum Domini factus, quod conſtat ex *Igne* ſuper altari holocauſti, qui nuſquam exſtingueretur, Lev: VI: 2, 5, 6. repræſentans Miſericordiam Domini: ideo ante-

antequam Aharon intraret ad Propitiatorium, ſuffire debebat, *Igne* ſumto ex altari holocauſti, Levit: XVI: 12, 13, 14. ideo quoque, ut ſignificaretur, quod cultus eſſet acceptus Domino, Ignis de cœlo demittebatur, & conſumſit holocauſta, ut Levit: IX; 24, & alibi. Per ignem quoque in Verbo ſignificatur Amor proprius & ejus cupiditas, cum quo Amor cœleſtis concordare nequit, quare etiam bini filii Aharonis conſumti ſunt igne, quod adolerent *Igne alieno*, Lev: X: 1, 2. ignis alienus eſt omnis amor ſui & mundi, & omnis amorum iſtorum cupiditas. Præterea etiam Amor cœleſtis impiis non aliter apparet ac Ignis ardens & conſumens, ac ideo in Verbo prædicatur de Domino ignis conſumens, ſicut Ignis ſuper Monte Sinai, qui repræſentabat Amorem ſeu Miſericordiam Domini, coram populo perceptus ſicut ignis conſumens, quare dixerunt ad Moſen, ne faceret eos audire vocem Jehovæ Dei, & videre *Ignem magnum*, ne morerentur, Deut: XVIII: 16. Amor ſeu Miſericordia Domini talis apparet iis qui in igne amorum ſui & mundi ſunt.

935. Et æſtas & hyems quod ſignificent ſtatum hominis regenerati quoad nova ejus voluntaria, quorum vices ſe habent ſicut æſtas & hyems, conſtare poteſt ab illis quæ de frigore & æſtu dicta ſunt; vices regenerandorum aſſimilantur frigori & æſtui, ſed vices regeneratorum æſtati & hyemi: quod de regenerando ibi actum, hic autem de regenerato, conſtat inde, quod ibi primo loco frigus nominetur, & ſecundo æſtus; hic autem primo loco æſtas, & ſecundo hyems; cauſa eſt, quia homo, qui regeneratur, incipit a frigore, hoc eſt, a nulla fide & charitate, at cum regeneratus eſt, tunc incipit a charitate. Quod vices Regenerato ſint, nempe quod apud eum nunc nulla charitas, & nunc aliqua charitas, conſtare manifeſte poteſt, ex cauſa, quod apud unumquemvis etiam regeneratum, non ſit niſi malum, & quod omne bonum ſit ſolius Domini: quia apud eum nihil niſi malum, non poteſt aliter quam vices ſubire, & nunc eſſe quaſi in æſtate, hoc eſt, in charitate, nunc autem in hyeme, hoc eſt, in nulla charitate: vices tales ſunt, ut homo magis & magis perficiatur, & ſic ut magis & magis felix reddatur. Vices tales non ſolum ſunt apud hominem regeneratum dum vivit in corpore, ſed etiam cum in alteram vitam venit, nam abſque vicibus quaſi æſtatis & hyemis quoad voluntaria, & quaſi diei & noctis quoad intellectualia, nuſquam perficitur, & felicior redditur; ſed vices eorum in altera vita ſe habent ſicut vices æſtatis & hyemis in zonis temperatis, & ſicut vices diei & noctis temporibus vernis. Status hi etiam apud Prophetas deſcribuntur per æſtatem & hyemem, & per diem & noctem, ut apud Sachariam, "Et erit, in die "illo exibunt aquæ vivæ de Hieroſolyma, pars illarum ad mare orientale, & "pars illarum ad mare poſterius, in *Æſtate* & in *Hyeme* erit," XIV: 8. ubi de Nova Hieroſolyma, ſeu de Regno Domini in cœlo & in terra, ſeu de ſtatu utrobique, qui etiam vocatur æſtas & hyems: apud Davidem, "Deus, Tibi "*Dies*, etiam Tibi *Nox*; Tu præparaſti lucem & ſolem; Tu ſtatuiſti omnes "terminos terræ; *Æſtatem* & *Hyemem* Tu formaſti," Pſalm: LXXIV: 16, 17. quæ ſimilia involvunt; ſimiliter apud Jeremiam, "Quod non irritum

" reddetur *fœdus Diei*, & *fœdus Noctis*, ut ſit *Dies* & *Nox* in tempore ſuo," XXXIII : 20.

936. Quod dies & nox ſignificent ſtatum ejuſdem ſeu regenerati quoad intellectualia, quorum vices ſe habent ſicut dies & nox, ex illis quæ nunc dicta ſunt, conſtat: æſtas & hyems prædicatur de voluntariis, ex calore & frigore, nam voluntaria ſe ita habent; dies autem & nox de intellectualibus ex luce & tenebris, nam intellectualia ſe ita habent: hæc quia ex ſe manifeſta ſunt, non opus eſt ſimilibus ex Verbo confirmare.

937. Ex his quoque conſtare poteſt, quale eſt Verbum Domini in ſenſu interno; in ſenſu literæ tam rude apparet, ut non aliud ſciatur, quam quod ſolum dicatur de ſementi & meſſe, de frigore & æſtu, de æſtate & hyeme, deque die & nocte, cum tamen involvant arcana Eccleſiæ Antiquæ ſeu ſpiritualis; ipſa verba in ſenſu literæ ſunt talia, ita communiſſima quaſi vaſa, in quorum ſingulis tot & tanta arcana cœleſtia continentur, ut nuſquam quoad partem unius myriadis exhauriri queant; nam Angeli, ex Domino, in verbis iſtis tam communiſſimis, deſumptis ex terreſtribus, videre poſſunt, cum indefinita varietate, totum proceſſum regenerationis, & ſtatum regenerandi ac regenerati, cum homo vix quicquam.

Continuatio de Infernis:

Hic de infernis avarorum; & de ſpurca Hieroſolyma, & latronibus in deſerto: tum de infernis excrementiis eorum, qui in meris voluptatibus vixerunt.

938. *AVari omnium ſordidiſſimi ſunt, & omnium minime de vita poſt mortem, de anima, & de interno homine, cogitant; ne quidem ſciunt quid Cœlum; quia omnium minime elevant ſuas cogitationes, ſed eas prorſus infundunt & immergunt corporeis & terreſtribus; quare cum in alteram vitam veniunt, diu non ſciunt, quod ſpiritus ſint, ſed putant ſe prorſus eſſe adhuc in corpore: ideæ eorum cogitationis, quæ ab avaritia factæ quaſi corporeæ & terreſtres, vertuntur in diras phantaſias; & quod incredibile, uſque verum, ſordide avari in altera vita videntur ſibi in cellis verſari, ubi eorum pecuniæ, & ibi infeſtari a muribus, ſed utcunque infeſtantur, non inde recedunt, uſque dum defatigantur, ſic tandem ſe evolvunt iis ſepulchris.*

939. *Ideæ cogitationis eorum, qui ſordide avari fuerunt, in phanta-*

ſias

ſias quam ſordidas vertantur, conſtat ab eorum Inferno, quod ſub pedibus profunde; vapor inde exhalat, ſicut vapor ex ſuibus excoriatis in canali, ibi ſunt avarorum domicilia; qui illuc veniunt, primum atri apparent, & ibi per pilorum deraſionem, ſicut ſolent ſues, candidi ſibi fieri videntur; ita quoque ſibi tunc apparent; ſed uſque manet inde nota, quod tales ſint, ubicunque veniunt. Quidam ſpiritus niger, qui nondum in infernum ſuum delatus, quia adhuc moraturus in mundo ſpirituum, illuc demiſſus, qui non ita avarus fuerat, ſed uſque dum vixit, malitioſe aliorum opibus inhiaverat, quo alluente avari ibi aufugiebant, dicentes quod latro, quia niger, & ſic eos necaret; avari enim fugiunt tales, quia maxime timent vitæ; tandem comperti, quod non talis latro, dicebant ei, ſi candidus vellet fieri, modo ei pili, ſicut ſuibus, qui in conſpectu viſi, detraherentur, ſic candeſceret; ſed hoc non voluit, inter ſpiritus ſublatus eſt.

940. *In hoc Inferno ſunt quoad multam partem Judæi, qui ſordide avari fuerunt, quorum præſentia quoque, cum ad alios ſpiritus veniunt, ex fœtore murium ſentitur. Quia de Judæis; quam miſerabilis eorum ſtatus poſt mortem ſit, nempe eorum, qui ſordide avari fuerunt, & contemſerunt alios præ ſe ex innata arrogantia, quod putaverint ſe ſolos eſſe, qui electi, de urbibus eorum, & latronibus in deſerto, licet referre: Ex phantaſia, quam in vita corporis conceperunt & apud ſe confirmarunt, quod venturi in Hieroſolymam, & ibi in terram ſanctam, quam poſſeſſuri, non volentes ſcire, quod per Novam Hieroſolymam intelligatur Regnum Domini in cœlis & in terris, quando in alteram vitam veniunt, apparet iis urbs a ſiniſtro Gehennæ, paulo antrorſum, in quam confertim alluunt, ſed urbs illa eſt cœnoſa & putida, quare ſpurca Hieroſolyma vocatur, ibi diſcurrunt per plateas, in luto & cœno ſupra talos, querentes & ejulantes. Urbes vident oculis, etiam plateas, eſt iis repræſentatio talium, ut in clara die: vidi etiam aliquoties urbes. Apparuit mihi quidam obſcurus, veniens e ſpurca hac Hieroſolyma, aperiebatur tanquam porta, circum eum errantes ſtellæ erant a ſiniſtra ejus imprimis, ſtellæ errantes circum ſpiritum ſignificant in mundo ſpirituum falſitates, aliter dum ſtellæ non errantes ſunt, acceſſit ad me, & adplicuit ſe ſiniſtræ meæ auri ſuperne, quam tangebat quaſi ore ut mecum loqueretur, ſed non loquutus eſt voce ſonora ut alii, verum intus in ſe, uſque tamen ut audirem & intelligerem, dicebat quod Rabbinus Judæus eſſet, & quod a longo tempore fuerit in urbe iſta cœnoſa, dicens, quod plateæ ibi nihil niſi lutum & cœnum eſſent, ubi eundum; & quod non alio cibo veſceretur quam cœno; quære-*

bam

bam cur ita, quia ſpiritus, quod cuperet edere; dixit quod edat, & cum cupit edere, nihil aliud ei offerri quam cœnum, quare valde lamentatus: quærebat ergo quid faciendum, dicens ſe non invenire Abrahamum, Iſacum & Jacobum, de quibus aliqua ei referebam, & quod fruſtra quærerentur, & dum inveniuntur, prorſus nihil opis ferre poſſint, præter alia quæ arcaniora ſunt; dicebam, quod nullus alius quærendus quam Solus Dominus, Qui eſt Meſſias, Quem in vita contemſerunt, & quod Ipſe regat univerſum Cælum & univerſam terram, & quod a nullo alio auxilium: quæſivit ſollicite & aliquoties ubi eſt, dixi quod inveniatur ubivis, & quod audiat & norit omnes: ſed tunc alii ſpiritus Judæi eum retrahebant.

941. *Eſt quoque alia urbs a dextro Gehennæ, ſeu inter Gehennam & Stagnum, ubi meliores ex Judæis, ſibi videntur habitare, ſed hæc urbs iis mutatur ſecundum phantaſias, nunc vertitur in pagos, nunc in ſtagnum, nunc iterum in urbem; timor illis ibi eſt pro latronibus; & quamdiu in urbe iſta ſunt, tuti ſunt. Inter binas urbes eſt quaſi triangulare ſpatium, tenebroſum, ibi latrones, qui ſunt Judæi, ſed eorum peſſimi, qui quoſcunque offendunt, miſerabiliter cruciant; hos latrones e timore Judæi vocant Dominum, & deſertum, ubi ſunt, vocant Terram: ut tuti pro latronibus in urbem hanc a dextro veniant, eſt in termino augulari ſpiritus bonus, qui excipit venientes, ad quem cum veniunt, incurvant ſe verſus terram, & ſub pedes ejus admittuntur, qui ritus eſt admiſſionis in hanc urbem. Quidam ſpiritus ad me ſubito venit, quærebam unde venit, dixit quod fugeret & timeret latrones, qui occidunt, mactant, cremant, coquunt homines, quærens ubi tutus eſſe poſſet; interrogabam undenam eſſet, & ex qua terra, nihil aliud auſus eſt reſpondere ex timore quam quod terra ſit Domini, deſertum enim vocant terram, & latrones dominum. Venerunt dein latrones, qui nigerrimi, loquuti ſono baſſo, ſicut gigantes, & mirum, cum adventant, terrorem & horrorem ſenſibilem incutiunt, quæſivi quinam eſſent, dicebant, quod quærant ſpolia, dixi, ubi congerere vellent ſua ſpolia, anne ſciant, quod ſpiritus ſint, & quod nec ſpolia auferre nec congerere poſſint, & quod talia ſint phantaſiæ malorum; reſpondebant ſe eſſe in deſerto, quærentes rapinas, & quod crucient quos offendunt: agnoverunt tandem, cum penes me, quod ſpiritus eſſent, ſed uſque non adduci potuerunt aliter credere, quam quod viverent in corpore: ſunt Judæi qui ita vagantur, ore ferentes occidere, mactare, cremare, coquere, & hoc contra quoſcunque, ſi vel Judæi, vel amici ſint; inde quoque innotuit, quali animo ſunt; tametſi in mundo non tale evulgare audent.*

942 *Non*

942. *Non procul a ſpurca Hieroſolyma, eſt quoque alia urbs, quæ vocatur Judicium Gehennæ; ibi ſunt, qui ex propria juſtitia vindicant ſibi cælum; & qui condemnant alios, qui non ſecundum phantaſias eorum vivunt: inter hanc urbem & Gehennam apparet ſicut pons, ſatis pulcher, coloris pallidi ſeu griſei; ubi niger ſpiritus, quem metuunt, inhibens ne tranſeant; nam ab altera parte pontis apparet gehenna.*

943. *Qui in vita corporis pro fine habuerunt meras voluptates, & ſolum amarunt indulgere genio, & vivere in lautitiis & opiparis, ſibi ſolis & mundo ſtudentes, Divina pro nihilo reputantes, abſque fide & charitate; poſt mortem in vitam ſimilem ei, quam habuerunt in mundo, primum introducuntur; eſt locus antrorſum ad ſiniſtrum, aliquantum profunde, ubi nihil niſi quam voluptates, ludi, ſaltationes, commeſſationes, confabulationes; illuc feruntur tales, & tunc non aliter ſciunt, quam quod in mundo ſint: ſed ſcena mutatur, poſt aliquam moram temporis deferuntur in Infernum ſub natibus, quod eſt mere excrementitium; nam talis voluptas, quæ mere corporea eſt, in excrementitium in altera vita vertitur; vidi ibi portantes ſtercora, & lamentantes.*

944. *Fœminæ, quæ ex ſordida & vili conditione divites factæ, & ex faſtu inde, ſe prorſus dediderunt voluptatibus ac vitæ delicatæ & otioſæ, accumbendo, ſicut reginæ, ſtratis, ſedendo ad tabulas & menſas, nihil aliud curantes; in altera vita, cum conveniunt, miſerabiliter inter ſe collidunt, contundunt, lacerant, capillis trahunt, & fiunt ſicut furiæ.*

945. *Aliter vero, quæ in voluptates aut jucunditates vitæ natæ ſunt, & quæ ab infantia in ſimilia educatæ, ſicut reginæ, ex nobili proſapia aliæ, ut & divites; quæ tametſi in voluptatibus & lautitiis, inque ſplendidis, dummodo in fide in Dominum, & in charitate erga proximum, ſimul vixerunt, in altera vita inter felices ſunt: nam ſe abdicare jucundis vitæ, potentia, & divitiis, & ſic per miſerias mereri cælum, hoc falſum eſt; ſed tam voluptates, quam potentiam, & divitias, pro nihilo æſtimare reſpective ad Dominum, & vitam mundi pro nihilo reſpective ad vitam cæleſtem, eſt quod in Verbo intelligitur.*

946. *Loquutus cum ſpiritibus de eo, quod forte pauci credituri ſint, tot & talia dari in altera vita, ex cauſa, quod homo non alium conceptum habeat de vita ſua poſt mortem, quam communiſſimum quendam obſcurum, qui eſt nullus, in quo ſe confirmarunt ex eo, quod animam aut ſpiritum non*

non oculis videant; & quod docti, tametſi ajunt quod anima aut ſpiritus ſit, uſque quia inhærent vocibus fictis & terminis, qui intellectum rerum magis obſcurant, imo exſtinguunt, & quia ſtudent ſibi & mundo, raro communi, & cælo, adhuc minus quam ſenſuales homines credant: ſpiritus, cum quibus loquutus, mirati ſunt, quod homo talis ſit, cum tamen ſciat, quod in ipſa natura, & in unoquovis ejus regno dentur tot mirabilia & varia, quæ ignorat, ut pro exemplo ſolum in Aure interna humana, de qua integer liber ſtupendis & inauditis impleri poſſet, quibus unuſquiſque fidem habet, at ſi de mundo ſpirituali, ex quo omnia & ſingula quæ ſunt in naturæ regnis exiſtunt, aliquid dicitur, vix aliquis credit, ex cauſa, ut dictum, præconceptæ & confirmatæ opinionis, quod nihil ſit, quia non videt.

GENESEOS,

CAPUT NONUM.

Continuatio de Infernis.

Hic de aliis Infernis, quæ a prioribus diſtincta ſunt.

947. *QUI doloſi ſunt, & omnia per doloſas machinationes ſe obtinere poſſe putant, & ſe confirmarunt in vita corporis ex eo, quod talia ſucceſſerint iis, ii habitare ſibi videntur in Tonna quadam ad ſiniſtrum, quæ vocatur Tonna infernalis, ſuper quam tegumentum, & extra orbiculus ſuper baſin pyramidalem, quem putant eſſe univerſum, quod ſpectent & gubernent; ita prorſus iis apparet: qui eorum, innocentes doloſe perſequuti ſunt, ibi ſunt per ſæcula; mihi dictum quod quidam ibi jam per 20 ſæcula manſerint: cum emittuntur, talem phantaſiam habent, quod putent Univerſum eſſe orbem quendam, quem circum ambulant, & pedibus calcant, ſe deos univerſi credentes: aliquoties mihi viſi, & cum iis de phantaſia eorum loquutus, ſed quia tales fuerunt in mundo, non potuerunt abduci. Percepi etiam aliquoties, quam ſubtili dolo pervertere poſſent cogitationes, & flectere momento aliorſum, & ſubſtituere alia, ſic ut vix potuiſſet cognoſci quod ab iis; & hoc tali natura ut incredibile ſit; qui, quia tales, nuſquam admittuntur ad homines, nam venena ita clandeſtine & latenter infundunt, ut non appercipi poſſit.*

948. *Eſt quoque ad ſiniſtrum alia Tonna, ſic iis apparet, in qua ſunt quidam, qui in vita corporis putarunt, cum malum fecerunt, feciſſe bonum, & viciſſim, ita quod in malo poſuerint bonum, ii ibi morantur ad tempus, ac tunc rationalitate orbantur, qua cum orbati, ſunt quaſi in ſomno, & quicquid tunc faciunt, iis non imputatur; ſed uſque videntur ſibi vigiles: reddita iis rationalitate ad ſe redeunt, & ſunt ſicut alii ſpiritus.*

949. *Ad ſiniſtrum antrorſum eſt quædam Camera, ubi nihil lucis, ſed meræ tenebræ, quare vocatur Camera obſcura; ibi ſunt qui aliorum bonis inhiarunt, in quibus continue eorum animus fuit, & quoque abſque conſcientia abſtulerunt, quoties titulo aliquo ſpecioſo potuerint;*

ſunt ibi qui in multa ſatis dignitate fuerunt, cum vixerunt in mundo, quique in inſidioſis poſuerunt honorem prudentiæ; in Camera illa conſultant inter ſe, ſicut dum vixerunt in corpore, quomodo fraudulenter alios decipiant; tenebras ibi vocant delitias: oſtenſa mihi effigies eorum, quam vidi ſicut clara die, quales tandem fiunt, qui ibi, & fraudulenter egerunt, nempe quod facies eorum pejor mortuo, coloris lividi, qualis cadaverum, cum lacunis horrendis; ſic degendo in cruciatu anxietatis.

950. *Erat phalanx ſpirituum exſurgens a latere Gehennæ in altum antrorſum, ex quorum ſphæra perceptum, (ſpiritus ad primum adventum poſſunt ex ſola ſphæra percipi quales ſunt) quod vilem haberent Dominum, & contemnerent omnem cultum Divinum; loquebantur undulatorie; unus ex iis ſcandaloſe contra Dominum loquutus, qui illico dejectus verſus unum latus Gehennæ: ferebantur ab anteriori ſupra caput, animo ut offenderent, cum quibus ſe conjungerent, ut ſubjugarent alios, ſed retardabantur in via, & iis dictum, quod deſiſterent, quia hoc verteretur iis in malum, ita ſubſiſtebant; tunc viſi ſunt, facie erant nigri, & circum caput habebant faſciam albam, quo ſignificatur, quod ſpectent cultum Divinum ſicut nigrum, ita quoque Verbum Domini, modo utile ut teneat vulgus in vinculo conſcientiæ: Domicilium eorum eſt prope Gehennam, ubi dracones volantes non venenati, unde vocatur hoc Domicilium draconum; ſed quia non doloſi, Infernum eorum non ita grave eſt. Tales quoque ſibi ſuæque prudentiæ adſcribunt omnia, & ſe nullum timere jactant, ſed oſtenſum iis quod modo ſibilus eos in terrorem & fugam ageret, audito ſibilo ex terrore putabant totum infernum aſcendere, ut eos auferret, & ex heroibus facti ſubito ſicut mulieres.*

951. *Qui ſe ſanctos putarunt in vita corporis, ſunt in terra inferiore ante pedem ſiniſtrum, ibi apparent ſibi quandoque facie lucentes, quod profluit ex ideis ſanctitatis eorum; ſed exitus eorum eſt, quod teneantur ibi in maxima cupidine aſcendendi in cælum, quod putant eſſe in alto; cupido eorum augetur, & vertitur magis & magis in anxietatem, quæ creſcit in immenſum, uſque dum agnoſcunt, quod non ſancti ſint: cum inde eximuntur, ſentire iis datur fætorem ſui, qui eſt graveolentus.*

952. *Quidam in mundo ſancte ſe vixiſſe putavit, ex cauſa ut ſanctus æſtimaretur ab hominibus, & ſic cælum mereretur; dicebat ſe piam vitam egiſſe, precibus vacaviſſe, putans ſatis eſſe, ut quiſque ſibi ſtudeat & conſulat; dicebat etiam quod peccator eſſet, & quod voluerit pati, uſque ut ab aliis calcaretur ſub pedibus, quod vocabat patientiam*

patientiam Chriſtianam, & quod minimus eſſe vellet, ut fieret maximus in cœlo; hic examinatus num alicui præſtiterit, aut voluerit præſtare aliquid boni, ſeu opera charitatis, dicebat ſe neſcire quid eſſent, modo quod ſancte vixerit; hic quia pro fine habuit præeminentiam ſui præ aliis, quos ita ſe viliores reputabat, primum quia putavit ſe ſanctum, viſus eſt in forma humana candida uſque ad lumbos, ſed converſus eſt primum in obſcurum cæruleum, & dein in nigrum, & quia dominari voluit ſuper alios & eos præ ſe contemneret, factus eſt aliis nigrior: de iis qui maximi volunt eſſe in cœlo, videatur prius n: 450, 452.

953. *Perductus ſum per quaſdam manſiones Cœli primi, inde ſpectare mihi datum procul mare quoddam grande tumultuans cum magnis fluctibus ad quendam limitem non viſum, & dicebatur, quod ii tales phantaſias habeant, & tale mare videant, cum timore ut immergantur, qui magni in orbe voluerint eſſe, nihil curantes num per fas aut nefas, modo ſibi gloriam comparare poſſint.*

954. *Phantaſiæ, quæ fuerunt in vita corporis, in altera vita vertuntur in alias, quæ tamen illis correſpondent; ſicut qui in terra violenti fuerunt & immiſericordes, eorum violentia & immiſericordia vertitur in crudelitatem incredibilem, & videntur ſibi ſocios, quoſcunque offendunt, occidere, & diverſis modis cruciare, quibus tantopere delectantur, ut ſint talia eorum ſummæ jucunditates. Qui ſanguinolenti fuerunt, ii delectantur cruciare ſpiritus, nam putant ſpiritus eſſe homines, non aliter ſciunt, uſque ad ſanguinem, quo viſo, nam talis eſt phantaſia eorum ut quaſi ſanguinem videant, maximopere delectantur. Ex avaritia erumpunt phantaſiæ, quod videantur infeſtari a muribus, & ſimilibus ſecundum ſpeciem avaritiæ. Qui delectati ſunt meris voluptatibus, quas pro ultimo fine, ſummo bono, & quaſi ſuo cœlo, habuerunt, delectantur maxime morari in latrinis, ibi jucundiſſimum percipientes; quidam in urinoſis & graveolentibus ſtagnis, quidam in luteis, & ſic porro.*

955. *Sunt præterea Pœnæ diverſæ, quibus in altera vita puniuntur graviſſime mali, in quas incurrunt, cum in fœdas ſuas cupiditates redeunt, ex quibus contrahunt pudores, terrores, & horrores pro talibus, uſque ut tandem deſiſtant: Pœnæ ſunt diverſæ, in genere ſunt pœnæ lacerationis, pœnæ diſcerptionis, pœnæ ſub velis, & plures.*

956. *Qui vindictæ tenaces ſunt, & qui omnibus aliis ſe majores putant, cæteros reputantes pro nihilo reſpective ad ſe, iis pœna lacerationis eſt, quæ talis; fœdantur corpore & facie, ut vix appa-*

 reat

reat aliquid humanum reſiduum, facies fit ſicut placenta rotunda, lata, brachia apparent ſicut panni, quibus extenſis rotatur in alto, jugiter verſus cælum, & clamatur coram omnibus quod talis ſit, uſque ut pudor perſtringat intima; ita ſupplex adigitur ad deprecandum, & dictatur ei; poſtea fertur in ſtagnum luteum, quod eſt prope Hieroſolymam ſpurcam, & ibi volvitur & immergitur, ut fiat inſtar cæni; & hoc fit aliquoties, uſque dum talis cupiditas auferatur. In Stagno hoc luteo, ſunt fœminæ malignæ e provincia Veſicæ urinatoriæ.

957. *Qui in vita corporis naturam ſibi contraxerunt aliud loquendi & aliud cogitandi, cumprimis qui ſub amicitiæ ſpecie aliorum opibus inhiarunt, ii vagantur circum, & ubicunque veniunt, interrogant, num cum iis eſſe poſſint, dicendo ſe pauperes, & cum recipiuntur, ex innata cupidine inhiant omnibus; cum detecti quod tales, expelluntur cum mulcta, & quandoque miſerabiliter diſcerpuntur, diverſimode ſecundum doloſæ ſimulationis naturam quam contraxerunt, quidam quoad totum corpus, quidam quoad pedes, quidam quoad lumbos, quidam quoad pectus, quidam quoad caput, & quidam ſolum quoad regionem oris; adiguntur in reciprocas reverberationes, quæ quales ſunt, non deſcribi poteſt; ſunt colliſiones partium violentæ, & ſic diſtractiones, ut ſe credant in minutas partes diſcerptos, inducitur etiam reniſus, ut augeatur dolor; tales diſcerptionis pœnæ ſunt cum multa varietate, & poſt intervalla toties repetuntur, uſque dum terror & horror incutiatur per falſiloquia fallendi; quævis punitio aliquid demit. Diſcerptores dicebant, quod ita delectentur punire, ut non deſiſtere vellent, ſi vel foret in æternum.*

958. *Sunt cohortes ſpirituum, qui circumvagantur, quos ſpiritus maximopere timent, applicant ſe parti tergali inferius, torquent per reciprocationes citas, quas nemo poteſt inhibere, & cum ſono, dirigentes motum conſtrictorium & reſtrictorium verſus ſuperiora in modum coni ſurſum acuminati, quicunque intra conum hunc mittitur, imprimis qui verſus apicem ejus, miſerabiliter diſcerpitur quoad ſingulas artuum particulas: ſunt ſimulatores doloſi, qui immittuntur & ſic puniuntur.*

959. *Expergefactus ſum nocte e ſomno, & audivi ſpiritus circum me, qui in ſomno vellent mihi inſidiari, at mox inſopitus ſomnium triſte habui; ſed expergefactus, ſubito aderant ſpiritus punitores, quod miratus, & miſerabiliter puniebant ſpiritus qui mihi in ſomno inſidiati ſunt, inducendo iis quaſi corpora, quæ viſa, & corporeos ſenſus,*

ſenſus, & ſic eos per violentas colliſiones partium cis & retro, cum inductis per reniſus doloribus, torquebant; animus erat punitoribus eos, ſi potuiſſent, necandi, inde violentia maxima. Erant plurima parte Sirenes, de quibus, n. 831. *punitio perſtabat diu, & pergebat circum me ad cohortes plures; & quod miratus, inveniebantur omnes, quæ inſidiatæ, tametſi ſe occultare vellent: quia ſirenes erant, multis artibus eludere tentabant pœnam, ſed non potuerunt, nunc ſe ſurripere volebant in naturam interiorem, nunc inducere quod alii eſſent, nunc derivare pœnam in alios per tranſlationes idearum, nunc mentitæ infantes quos cruciarent, nunc ſpiritus bonos, nunc angelos, præter plura alia, ſed uſque incaſſum. Quod tam graviter punirentur, miratus ſum, ſed perceptum, quod tale ſit inorme, ex neceſſitate, quod homo tuto dormire debeat, quod niſi fieret, humanum genus periret, inde ex neceſſitate tanta pœna: perceptum, quod etiam ſimile fiat circa alios homines, quos in ſomno inſidioſe invadere conantur, tametſi homo hoc neſcit; cui enim cum ſpiritibus loqui non datum eſt, & ſenſu interno cum illis eſſe, nihil tale audire, minus videre poteſt, cum tamen uſque ſimilia circa alios exiſtunt: Dominus quam maxime cuſtodit hominem cum dormit.*

960. *Sunt ſpiritus quidam doloſi, qui dum vixerunt in corpore dolos occulte egerunt, & quidam eorum, qui artibus pernicioſis ſimularunt quaſi angelos, decipiendi cauſa, in altera vita addiſcunt ſe ſubducere in ſubtiliorem naturam, ſeque eripere oculis aliorum, ita ſe ab omni pœna tutos putantes; ſed ii, ſicut alii, non ſolum diſcerptionis pœnas ſubeunt, ſecundum doli eorum naturam & malitiam, ſed etiam conglutinantur, quod cum fit, quo plus ſe diſſolvere cupiunt, ſeu ab invicem diſcindere, eo arctius ligantur; pœna eſt cum intenſiori cruciatu, quia reſpondet eorum dolis abſconditioribus.*

961. *Quidam ex uſu, quidam ex contemtu, in familiari ſermone pro formulis nugarum aut irriſionis, utuntur illis, quæ ſunt Sanctæ Scripturæ, ſic putantes quod nugentur aut irrideant eleganter, ſed talia cogitata & dicta ſe adjungunt ideis eorum corporeis & ſpurcis, & in altera vita iis multum damni inferunt, nam redeunt una cum prophanis; tales quoque diſcerptionis pœnas ſubeunt, uſque dum deſveſcant talibus.*

962. *Eſt etiam pœna diſcerptionis quoad cogitationes, ſic ut interiores cogitationes pugnent cum exterioribus, quod fit cum interiori cruciatu.*

963. *Inter punitiones frequens eſt ſuperinjectio Veli, hoc tale eſt, quod per*

per phantaſias ſibi impreſſas videantur ſibi ſub velo in multam diſtantiam extenſo, eſſe; eſt quaſi nubes cohærens, quæ denſatur ſecundum phantaſiam; ſub illo diſcurrunt huc illuc, accenſa cupidine inde erumpendi, velocitate diverſa, uſque dum defatigati ſunt; hoc perſtare ſolet per horæ ſpatium, magis aut minus, & fit cum cruciatu diverſo, ſecundum gradum cupiditatis ſe extricandi. Velum eſt pro illis, qui tametſi vident veritatem, uſque tamen non volunt agnoſcere, ex amore ſui, & indignantur continue quod ita ſit. Quidam ſub velo habent talem anxietatem & terrorem, ut deſperent num uſquam liberari poſſint, quod mihi dicebat quidam, qui liberatus inde.

964. *Eſt aliud quoque genus veli, quod involvantur quaſi panno, ſic ut ligati ſibi videantur manibus, pedibus, corpore, & inditur iis ardor ſe evolvendi; quia involutus eſt per unam vicem, putat ſe facile evolutum iri, ſed cum ſe evolvere incipit, pergit in longum, perſtante evolutione continue, uſque ut deſperet.*

965. *Hæc de Infernis & pœnis; infernales cruciatus non ſunt, ut quidam putant, conſcientiæ morſus, nam qui in inferno ſunt, non habuerunt conſcientiam, quare quoad conſcientiam cruciari nequeunt: qui conſcientiam habuerunt, inter felices ſunt.*

966. *Quod obſervandum, nullus in altera vita ſubit aliquam pœnam & cruciatum propter hæreditarium ſuum malum, ſed propter actualia mala, quæ ipſe patravit.*

967. *Cum puniuntur mali, ſemper adſunt angeli, qui moderantur pœnam, & dolores miſerabilium leniunt, ſed non auferre poſſunt; quia tale æquilibrium eſt omnium in altera vita, ut ipſum malum ſe puniat, quod niſi per punitiones auferretur, tales non poſſent non in inferno aliquo detineri in æternum, nam alioquin infeſtarent ſocietates bonorum, & ordini a Domino inſtituto, in quo ſalus univerſi, violentiam inferrent.*

968. *Quidam e mundo ſecum traxerunt illam ideam, quod cum diabolo non loquendum, ſed quod fugiendus; ſed inſtructi ſunt, quod ne hilum noceat eis, quos Dominus tutatur, ſi vel circumfunderentur toto inferno tam extus quam intus, quod a multa & prodigioſa experientia mihi datum noſſe, ſic ut demum nihil timerem, ne quidem peſſimos e turba infernali, quin cum illis loquerer; quod etiam conceſſum, ut ſcirem quales eſſent: Illis, qui mirati ſunt, quod loquerer cum iis, porro dicere datum, quod non ſolum hoc mihi nihil noceat, ſed etiam quod ii diaboli ſint in altera vita qui homines fuerunt, & qui cum vixerunt in*

mundo,

mundo, in odiis, vindictis & adulteriis vitam tranſegerunt, & quidam tunc præ aliis æſtimati; imo quod quidam inter eos ſint, quos cognovi in vita corporis; quodque diabolus nihil aliud ſignificet quam talem inferni turbam: & præterea, quod homines, dum vivunt in corpore; apud ſe habeant ad minimum binos ſpiritus ab inferno, præter quod etiam binos angelos e cælo, qui ſpiritus infernales apud malos regnant, ſed apud bonos ſubjugati ſunt & ſervire coguntur: ita quod falſum ſit, quod putent, aliquem diabolum ab initio creationis fuiſſe, alium, quam qui homines fuerunt tales. Cum hæc audiverunt, ſtupefacti ſunt, & faſſi, quod prorſus aliam opinionem de diabolo & turba diabolica habuerint.

969. *In tanto Regno, ubi omnes hominum animæ a prima creatione, confluunt, & ex hac Tellure pæne millies mille quavis ſeptimana, & omnes ſuum genium & ſuam naturam ab aliorum diverſam habent, & omnium cujuſvis idearum communicatio datur, & uſque omnia & ſingula in ordinem redigenda, & hoc continue, non aliter fieri poteſt, quam quod indefinita ibi exiſtant, quæ nuſquam in hominis ideam venerunt; & quia de Inferno, ſicut de Cælo, vix aliquis ullam, niſi unicam obſcuram ideam concepit, non poteſt aliter, quam quod hæc peregrina & mira obventura ſint, imprimis ex eo, quod putent ſpiritus non habere ullum ſenſum, cum tamen exquiſitiorem habent, quam homines; etiam a malis ſpiritibus, artificiis in mundo ignotis, ſuperinducitur iis ſenſus pæne ſicut corporeus, qui multo craſſior eſt.*

970. *In fine hujus Capitis ſequitur de Vaſtationibus.*

CAPUT IX.

1. ET benedixit DEUS Noacho, & filiis ejus, & dixit illis, fructificamini & multiplicamini, & implete terram.

2. Et timor veſtri, & terror veſtri, ſit ſuper omnem beſtiam terræ, & ſuper omnem avem cœli; ad omne, quod prorepere facit humus, & ad omnes piſces maris, in manus veſtras data ſunto.

3. Omne reptile, quod eſt vivum, vobis erit in cibum; ſicut olus herbæ dedi vobis id omne.

4 So-

4. Solummodo carnem in anima ejus, ſanguinem ejus, non commedetis.

5. Et profecto ſanguinem veſtrum animabus veſtris quæram, e manu omnis feræ quæram eum, & e manu hominis, e manu viri fratris ejus, quæram animam hominis.

6. Effundens ſanguinem hominis in homine, ſanguis ejus effundetur, quia in imaginem Dei fecit hominem.

7. Et vos fructificamini & multiplicamini; effundimini in terram, & multiplicamini in ea.

* * * *

8. Et dixit Deus ad Noachum, & ad filios ejus cum illo, dicendo.

9. Et Ego, ecce Ego, erigo fœdus meum cum vobis, & cum ſemine veſtro poſt vos.

10. Et cum omni anima viva, quæ cum vobis, ad avem, ad beſtiam, & ad omnem feram terræ vobiſcum, ab omnibus egredientibus arca, quoad omnem feram terræ.

11. Et erigo fœdus meum vobiſcum, & non excidetur omnis caro amplius ab aquis diluvii; & non erit amplius diluvium ad perdendum terram.

12. Dt dixit Deus, hoc ſignum fœderis, quod Ego do inter Me, & inter vos, & inter omnem animam vivam, quæ vobiſcum, in generationes ſæculi.

13. Arcum meum dedi in nube, & erit in ſignum fœderis inter Me & inter terram.

14. Et erit, in obnubilando Me nube ſuper terram, & videtur arcus in nube,

15. Et recordabor fœderis mei, quod inter Me & inter vos, & inter omnem animam vivam in omni carne; & non erit amplius aquæ in diluvium ad perdendum omnem carnem.

16. Et erit arcus in nube, & video eum, ad recordandum fœderis æterni inter Deum, & inter omnem animam vivam in omni carne, quæ ſuper terra.

17. Et dixit Deus ad Noachum, hoc ſignum fœderis, quod erigo inter Me, & inter omnem carnem, quæ ſuper terra.

* * * *

18. Et fuerunt filii Noachi, egreſſi ex arca, Schem & Cham & Japheth; & Cham is pater Canaanis.

19. Tres hi filii Noachi; & ab illis diſperſa eſt tota terra.

20. Et cæpit Noach vir humi, & plantavit vineam.

21. Et bibit de vino, & inebriatus eſt, & diſcoopertus eſt in medio tentorii ſui.

22. Et vidit Cham pater Canaanis nuditatem patris ſui, & indicavit duobus fratribus ſuis foris.

23. Et accepit Schem & Japheth veſtem, & poſuerunt ſuper humero ambo illi, & iverunt retrorſum, & texerunt nuditatem patris ſui; & facies eorum retrorſum, & nuditatem patris ſui non viderunt.

24. Et expergefactus Noach e vino ſuo, & reſcivit quod fecit ei filius ejus minor.

25. Et dixit, maledictus Canaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.

26. Et dixit, benedictus JEHOVAH DEUS Schemi, & erit Canaan ſervus illi.

27. Dilatet DEUS Japhetum, & habitabit in tentoriis Schemi & erit Canaan ſervus illi.

28. Et vixit Noach poſt diluvium, trecentis annis & quinquaginta annis.

29. Et fuerunt omnes dies Noachi, nongenti anni, & quinquaginta anni; & mortuus eſt.

CONTENTA.

971. SEquitur nunc de ſtatu hominis regenerati; primum de dominio interni hominis, & de obſequio externi.

972. Quod nempe omnia quæ ſunt externi hominis interno ſubjecta ſint, & ei inſervitura, verſ: 1 ad 3. ſed quod cumprimis cavere debeat, ne bona & vera fidei immergat cupiditatibus, ſeu per bona & vera, quæ ſunt interni hominis, confirmet mala & falſa, quod non poteſt non eum ad mortem condemnare, & punire, verſ: 4, 5. Et ſic deſtruere hominem ſpiritualem, ſeu imaginem Dei, apud

 eum,

eum, verſ: 6. Si hæc non fiunt, quod omnia bene ſuccedant, verſ: 7.

973. Dein agitur de ſtatu hominis poſt diluvium; quem Dominus ita formavit, ut per charitatem apud illum præſens eſſe poſſet, qui ſic non amplius periret, ſicut ultima poſteritas Eccleſiæ Antiquiſſimæ, verſ: 8, 9, 10, 11.

974. Poſtea ſtatus hominis poſt diluvium, qui recipere charitatem poteſt, deſcribitur per arcum in nube, cui ſimilis eſt, verſ: 12, 13, 14, 15, 16, 17. qui arcus ſpectat hominem Eccleſiæ ſeu regeneratum, verſ: 12, 13. ſpectat omnem hominem in genere, verſ: 14, 15, hominem, qui regenerari poteſt in ſpecie, verſ: 16, ita non ſolum hominem intra Eccleſiam, ſed etiam hominem extra Eccleſiam, verſ: 17.

975. Demum agitur de Antiqua Eccleſia in genere, & ibi per Schemum intelligitur cultus internus, per Japhetum cultus externus correſpondens, per Cham fides ſeparata a charitate, per Canaan cultus externus ſeparatus ab interno, a verſ: 19 ad fin: Quod Eccleſia illa, ex eo quod inveſtigare vellet vera fidei ex ſe, & per ratiocinia, in errores & perverſa primum lapſa ſit, verſ: 19, 20, 21. Quod ii, qui in cultu externo ſeparato ab interno ſunt, ex talibus ipſam doctrinam fidei irrideant, verſ: 22. at quod illi, qui in cultu interno & qui in externo inde, talia interpretentur in bonum, & excuſent, verſ: 23. Qui in cultu ſeparato externo ſunt, quod viliſſimi, verſ: 24, 25. & quod uſque vilia ſervitia præſtare queant in Eccleſia, verſ: 26, 27.

976. Ultimo deſcribitur Primæ Eccleſiæ Antiquæ duratio & ſtatus per annos ætatis Noachi, verſ: 28, 29.

SENSUS INTERNUS.

977. HIC quia agitur de homine regenerato, paucis dicendum, qualis eſt reſpective ad hominem non regeneratum; inde noſci poteſt, qualis unus & qualis alter. Apud hominem regeneratum eſt Conſcientia boni & veri, ex conſcientia facit bonum, & ex conſcientia cogitat verum, bonum quod facit eſt bonum charitatis, & verum quod cogitat eſt verum fidei; apud hominem non regeneratum, non eſt conſcientia, ſi aliqua, non eſt conſcientia faciendi bonum ex charitate, & cogitandi verum ex fide, ſed ex aliquo amore propter ſe aut propter mundum, quare eſt conſcientia ſpuria vel falſa. Apud hominem

hominem regeneratum eſt gaudium cum facit ſecundum conſcientiam, & eſt anxietas cum cogitur quid facere aut cogitare contra conſcientiam; ſed apud hominem non regeneratum, non ita, plerique non ſciunt quid conſcientia, minus facere aliquid ſecundum conſcientiam, aut contra conſcientiam, ſed ſecundum ea, quæ favent eorum amoribus, unde iis gaudium; dum contra ea, iis eſt anxietas. Apud hominem regeneratum eſt nova voluntas, & novus intellectus, nova illa voluntas & novus intellectus eſt ejus conſcientia, hoc eſt in ejus conſcientia, per quam Dominus operatur bonum charitatis & verum fidei; apud hominem non regeneratum, non eſt voluntas, ſed loco voluntatis eſt cupiditas, & inde pronitas in omne malum, & non eſt intellectus, ſed ratiocinium & inde lapſus ad omne falſum. Apud hominem regeneratum eſt vita cœleſtis & ſpiritualis; ſed apud hominem non regeneratum eſt ſolum vita corporea & mundana; quod cogitare poſſit & intelligere quid bonum & verum, eſt ex vita Domini per reliquias, de quibus prius, unde facultas ei reflectendi. Apud hominem regeneratum dominatur Internus homo, & obſequitur Externus; at apud hominem non regeneratum, dominatur Externus homo, & quieſcit Internus ſicut nullus foret. Homo regeneratus novit, ſeu noſſe poteſt, ſi reflectit, quid internus homo, & quid externus; ſed homo non regeneratus prorſus neſcit, nec ſcire poteſt etiamſi reflecteret, nam non ſcit quid bonum & verum fidei ex charitate. Ex his conſtat, qualis regeneratus, & qualis non regeneratus; & quod differentia ſit ſicut inter æſtatem & hyemem, & inter lucem & caliginem; quare regeneratus eſt homo vivus, ſed non regeneratus eſt homo mortuus.

978. Quid Internus homo & quid Externus, pauci, ſi ulli, hodie norunt, putant eſſe unum & eundem, & quidem imprimis ex cauſa, quia ex proprio ſe agere bonum & cogitare verum credunt; proprium hoc ſecum habet: ſed Internus homo ita diſtinctus eſt ab Externo, ſicut eſt cœlum a terra: tam eruditi, quam non eruditi, cum reflectunt, non alium conceptum habent de Interno homine quam quod ſit cogitatio, quia intus eſt; & de Externo homine, quod ſit corpus & ejus ſenſuale & voluptuoſum, quia extus; ſed Cogitatio, quam putant eſſe interni hominis, non eſt interni; apud internum hominem non ſunt niſi bona & vera, quæ ſunt Domini, & in interiori homine implantata eſt conſcientia a Domino, & uſque mali, imo peſſimi habent cogitationem, & qui abſque conſcientia ſunt, etiam habent cogitationem; inde conſtat quod cogitatio hominis non ſit interni hominis ſed externi: quod corpus & ejus ſenſuale & voluptuoſum, non ſit Externus homo conſtat ex eo, quod ſimiliter apud Spiritus, qui nullum corpus habent, quale dum vixerunt in mundo, æque ſit externus homo. Sed quid Internus homo, & quid Externus, nuſquam aliquis ſcire poteſt, niſi ſciat, quod apud unumquemvis hominem ſit Cœleſte & Spirituale, quod correſpondet Cœlo Angelico; & quod ſit Rationale, quod correſpondet Cœlo ſpirituum angelicorum; & quod ſit interius ſenſuale, quod correſpondet Cœlo ſpirituum: tres enim cœli ſunt, totidem apud hominem; qui cœli diſtinctiſſimi inter ſe ſunt; inde eſt, quod homo poſt mortem, cui conſcientia, primum ſit in Cœlo ſpirituum, poſtea a Domino elevetur in Cœlum ſpirituum Angelicorum, demum in Cœlum angelicum, quod nuſquam fieri poſſet, niſi apud eum

totidem cœli forent, quibus & quorum ſtatui correſpondere poſſit; inde mihi conſtare potuit, quid conſtituit internum, & quid externum hominem; Internum hominem formant cœleſtia & ſpiritualia; interiorem ſeu medium rationalia; externum ſenſualia non corporis ſed a corporeis; & ita non ſolum apud hominem, ſed etiam apud ſpiritum. Ut cum Eruditis loquar, hæc tria ſe habent ſicut Finis, Cauſa & Effectus; notum eſt, quod nuſquam dari queat aliquis Effectus, niſi ſit Cauſa, & nuſquam aliqua cauſa niſi ſit Finis; effectus, cauſa & finis, inter ſe ita diſtincta ſunt, ſicut exterius, interius, & intimum: proprie homo ſenſualis, hoc eſt, qui ex ſenſualibus cogitat, eſt Externus homo; & proprie homo ſpiritualis & cœleſtis eſt Internus homo; at homo rationalis, eſt medius inter utrumque, per hunc ſeu per rationale fit communicatio Interni hominis cum Externo. Scio, quod hæc pauci capiant, ex cauſa, quia in externis vivunt, & ab externis cogitant; inde eſt, quod quidam ſe brutis ſimiles faciant, & credant quod moriente corpore prorſus morituri ſint: ſed cum moriuntur, tunc primum incipiunt vivere; tunc qui boni ſunt, in altera vita primum vivunt vitam ſenſualem in mundo ſeu cœlo ſpirituum, dein vitam interiorem ſenſualem in cœlo ſpirituum angelicorum, demum vitam intime ſenſualem in cœlo angelico, hæc vita ſeu angelica eſt vita Interni hominis, de qua vita nihil fere dici poteſt, quod capi queat ab homine; regenerati modo ſcire poſſunt, quod ſit, ſi reflectunt, ex bono & vero, & ex pugna; eſt enim vita Domini apud hominem, nam Dominus per internum hominem operatur bonum charitatis & verum fidei in ejus externo homine; quod inde ad perceptionem venit in ejus cogitatione & affectione eſt commune quoddam, in quo innumerabilia, quæ ab interno homine veniunt, quæ homo nuſquam percipit, prius quam in cœlum angelicum venit; de hoc communi, quale ſit, videatur quod ab experientia n: 545. Sed hæc quæ dicta ſunt de interno homine, quia ſupra captum plurium, non neceſſaria ſunt ad ſalutem; modo ſciant, quod internus homo & externus ſit; & agnoſcant & credant, quod omne bonum & verum ſit a Domino.

979. Hæc de ſtatu hominis regenerati, & de influxu interni hominis in externum, præmiſſa ſunt, quia in hoc Capite agitur de homine regenerato, & de interni hominis dominio ſuper externum, deque hujus obſequio.

980. Verſ: 1. *Et benedixit Deus Noacho, & filiis ejus, & dixit illis, fructificamini & multiplicamini, & implete terram:* benedixit Deus, ſignificat præſentiam & gratiam Domini: per Noachum & filios ejus, ſignificatur Eccleſia Antiqua: per fructificari, ſignificantur bona charitatis; per multiplicari, vera fidei, quæ nunc incrementa caperent: per implere terram, ſignificatur apud externum hominem.

981. Quod benedixit Deus, ſignificet præſentiam & gratiam Domini, conſtat a ſignificatione benedicere: benedicere in Verbo, in ſenſu externo, ſignificat locupletari omni bono terreſtri & corporeo, ſicut etiam explicant Verbum omnes qui in ſenſu externo manent, ut Judæi olim & hodie, & quoque Chriſtiani imprimis hoc tempore, quare Benedictionem Divinam poſuerunt & ponunt in divitiis, abundantia omnium, & in gloria ſui: ſed bene-

dicere

dicere in ſenſu interno ſignificat locupletari omni bono ſpirituali & cœleſti, quæ Benedictio quia nuſquam datur aut dabilis eſt, niſi a Domino, quare benedicere ſignificat præſentiam & gratiam Domini; præſentia & gratia Domini hoc ſecum habet; præſentia dicitur, quia Dominus in charitate ſolum præſens eſt, & hic nunc agitur de homine regenerato ſpirituali, qui ex charitate agit; apud unumquemvis hominem eſt Dominus præſens, ſed quantum diſtat homo a charitate, tantum præſentia Domini, eſt, ut ita dicam, abſentior, ſeu Dominus remotior: quod gratia dicatur, non miſericordia, cauſa eſt, quæ ut autumem, hactenus ignota, quod homines cœleſtes non dicant gratiam, ſed miſericordiam, at homines ſpirituales non miſericordiam ſed gratiam; quod inde venit, quia cœleſtes agnoſcunt quod genus humanum non ſit niſi ſpurcum, & in ſe excrementitium, ac infernale, quare implorant Miſericordiam Domini, nam Miſericordia prædicatur, cum tales ſunt; at ſpirituales tale licet ſciunt, non tamen agnoſcunt, quia in proprio manent, & id amant, quare ægre poſſunt nominare Miſericordiam, ſed facile gratiam; ex humiliatione utriuſque id prodit: quanto plus aliquis ſe amat, & putat ſe bonum facere poſſe ex ſe, & ſic mereri ſalutem, eo minus poteſt implorare Miſericordiam Domini; quidam quod gratiam, eſt quia ſolennis formula facta, & tunc non niſi quam pauca Domini in gratia, & plura ſui, inſunt; hoc quiſque poteſt apud ſe explorare, dum gratiam Domini nominat.

982. Quod per Noachum & filios ejus, ſignificetur Eccleſia Antiqua, prius dictum & oſtenſum eſt, & a ſequentibus conſtat.

983. Quod per fructificari ſignificentur bona charitatis, per multiplicari vera fidei, quæ nunc incrementa caperent, conſtat a ſignificatione utriuſque vocis in Verbo, ubi fructificare, ſeu fructus facere, ubique prædicatur de charitate, & multiplicare de fide, videantur quæ de ſignificatione eorum prius dicta ſunt, n: 43 & 55; quæ ut adhuc magis confirmentur, ex Verbo licet ſequentia loca afferre; apud Jeremiam, "Revertimini filii averſi; dabo vobis "paſtores juxta cor meum, & paſcent vos *cognitione* & *intelligentia*; & erit, "quod *Multiplicabimini*, & *Fructificabimini* in *terra*, III: 14, 15, 16. ubi manifeſte multiplicari pro creſcere cognitione & intelligentia, hoc eſt, fide, & fructificari pro bonis charitatis; ibi enim de Eccleſia plantanda agitur, apud quam præcedit fides ſeu multiplicatio. Apud Eundem, "Ego congregabo reli-"quias gregis mei, ex omnibus terris, quo diſpuli eos, & reducam eos "ad caulas ſuas, & *Fructificabuntur* & *Multiplicabuntur*," XXIII: 3, ubi de Eccleſia plantata, ita fructificari quoad bona charitatis, & multiplicari quoad vera fidei. Apud Moſen, "Inſuper aſpiciam ad vos, & *Fructificari* faciam "vos, & *Multiplicari* faciam vos; & erigam fœdus Meum vobiſcum," "Lev: XXVI: 9. in ſenſu interno ibi de Eccleſia cœleſti, quare fructificari de "bonis amoris & charitatis, multiplicari de bonis & veris fidei, prædicatur. "Apud Sachariam, Redimam eos, & *Multiplicabuntur*, ſicut *multiplicati* fue-"runt," X: 8. quod ibi multiplicari prædicetur de veris fidei, patet inde quod redimendi. Apud Jeremiam, "Ædificabitur civitas ſuper cumulo "ſuo, & exibit ex illis confeſſio, & vox ludentium, & *Multiplicari* faciam

eos,

"eos, & non diminuentur; & erunt filii ejus ſicut olim," xxx: 18, 19, 20. ubi de affectionibus veri, & de veris fidei, affectiones veri per confeſſionem & vocem ludentium, incrementa veritatum fidei per multiplicari, exprimuntur; filii ibi etiam pro veris.

984. Quod per implere terram ſignificetur apud externum hominem, conſtat a ſignificatione terræ, quod ſit externus homo, de qua aliquoties prius. Bona charitatis & vera fidei apud regeneratum ſe ita habent, quod implantata ſint in ejus conſcientia; & quia implantata ſunt per fidem, ſeu per auditionem Verbi, primum inſunt ejus memoriæ, quæ eſt externi hominis; cum regeneratus eſt, & internus homo agit, tunc fructificatio & multiplicatio ſe ſimiliter habet; bona charitatis ſe exſerunt in affectionibus, quæ ſunt externi hominis, & vera fidei in memoria, & ibi & hic creſcunt & multiplicantur: qualis ſit multiplicatio, quiſque regeneratus ſcire poteſt, ſemper enim confirmantia accedunt, tam ex Verbo, quam ex rationali homine, ut & ex ſcientificis, ac ita magis & magis ſe confirmat; quod eſt charitatis effectus, operante Solo Domino per charitatem.

985. Verſ: 2. *Et timor veſtri & terror veſtri ſit ſuper omnem beſtiam terræ, & ſuper omnem avem cæli; ad omne quod prorepere facit humus, & ad omnes piſces maris, in manus veſtras data ſunto.* Timor veſtri & terror veſtri, ſignificat dominium interni hominis; timor ſpectat mala, & terror falſa: ſuper omnem beſtiam terræ, ſignificat ſuper cupiditates, quæ animi: ſuper omnem avem cœli, ſignificat ſuper falſitates, quæ ratiocinii: ad omne quod prorepere facit humus, ſignificat affectiones boni: ad omnes piſces maris, ſignificat ſcientifica: in manus veſtras data ſunto, ſignificant interni hominis poſſeſſionem apud externum.

986. Quod timor veſtri & terror veſtri ſignificet dominium interni hominis, & quod timor ſpectet mala, & terror falſa, conſtare poteſt a ſtatu hominis regenerati; ſtatus hominis, antequam regeneratus, eſt, quod cupiditates & falſitates, quæ ſunt externi hominis, continuo prædominentur, inde pugna; & cum regeneratus eſt, tunc internus homo dominatur ſuper externum, hoc eſt, ſuper ejus cupiditates & falſitates; cum dominatur internus homo, tunc eſt homini timor pro malis, & terror pro falſis, nam tam mala quam falſa ſunt contra conſcientiam, & agere contra conſcientiam ei eſt horror. Sed Internus homo non timet mala, & terretur pro falſis, ſed externus, quare hic dicitur, quod timor veſtri, & terror veſtri ſuper omnem beſtiam terræ, & omnem avem cœli, hoc eſt, ſuper omnes cupiditates, quæ per beſtiam ſignificantur, & ſuper falſitates, quæ per avem cœli: hic timor & hic terror apparet ſicut hominis; ſed ita ſe res habet, ſunt apud unumquemvis hominem, ut prius dictum, ad minimum duo angeli, per quos ei datur communicatio cum cœlo, & duo ſpiritus mali, per quos ei eſt communicatio cum inferno; cum Angeli dominantur, ut fit apud hominem regeneratum, tunc ſpiritus mali, qui adſunt, nihil quicquam hiſcunt agere contra bonum & verum, quia tunc in vinculis ſunt; cumque aliquid mali tentant agere, aut falſum loqui, hoc eſt, excitare, tunc illico in quodam timore & terrore infer-

nali

nali ſunt; hic timor & hic terror eſt qui percipitur apud hominem pro iis quæ ſunt contra conſcientiam; quare etiam ut primum aliquid contra conſcientiam agit & loquitur, in tentationem, & in morſum conſcientiæ venit, hoc eſt, in cruciatum quendam quaſi infernalem. Quod timor prædicetur de malis, & terror de falſis, ita ſe habet; ſpiritus apud hominem non ita timent mala agere, ac timent falſa loqui; homo enim per vera fidei renaſcitur, & conſcientiam accipit, quare non ſpiritibus licet falſa excitare: apud unumquemvis enim eorum non eſt niſi malum, ita ut in malo ſint, ipſa natura eorum & inde omnis conatus eorum, eſt malum; & quia in malo ſunt, & eorum vita propria conſiſtit in malo, ignoſcitur iis cum malum faciunt, quando in aliquo uſu ſunt; ſed falſum loqui non permittitur, cauſa eſt, ut diſcant quid verum, & ſic, quantum poſſint, emendentur, ut inſerviant alicui vili uſui; ſed de his, ex Divina Domini Miſericordia, plura in ſequentibus. Apud hominem regeneratum ſimiliter; nam formatur ejus conſcientia ex veris fidei, inde conſcientia ejus eſt conſcientia recti, ipſum malum vitæ ei eſt falſum, quia contra verum fidei: aliter apud hominem Antiquiſſimæ Eccleſiæ, qui perceptionem habuit, is malum vitæ percepit ut malum, & falſum fidei ut falſum.

987. Quod ſuper omnem beſtiam terræ ſignificet ſuper cupiditates quæ ſunt animi, conſtat a ſignificatione beſtiæ in Verbo, ubi per illas ſignificantur vel affectiones, vel cupiditates; affectiones boni per beſtias mites, utiles, mundas; affectiones mali ſeu cupiditates per beſtias immites, inutiles, immundas, de quibus videatur, n: 45, 46, 142, 143, 246, 776: hic quia ſignificant cupiditates, vocantur beſtiæ terræ, non beſtiæ agri. Quod dominium hominis regenerati ſuper cupiditates, attinet, ſciendum, quod in maximo errore ſint, & nuſquam regenerati, qui credunt, quod poſſint ex ſe dominari ſuper mala; homo enim non eſt niſi malum, eſt congeries malorum, omnis ejus voluntas eſt mere malum; quod eſt quod dictum, Cap: præc: "VIII: 21. "figmentum cordis hominis eſt malum a pueritia ejus": oſtenſum mihi eſt per vivam experientiam, quod homo & ſpiritus, imo angelus, in ſe ſpectatus, hoc eſt, omne ejus proprium, ſit viliſſimum excrementum; & quod ſibi relictus non ſpiret niſi odia, vindictas, crudelitates, & adulteria fœdiſſima; hæc ſunt ejus Propria, & hæc ſunt ejus Voluntas: quod etiam unicuivis ſi reflectit, conſtare poteſt, ſolum ex eo, quod homo, dum naſcitur, eſt viliſſimum vivum inter omnes feras & beſtias; & cum adoleſcit ac ſui juris fit, niſi vincula externa, quæ ſunt legis, & vincula quæ ſibi facit, ut maximus ſit & ditiſſimus, impedirent, rueret in omne nefas, nec quieſceret priuſquam omnes in univerſo ſubjugaverit, & omnium in univerſo opes corraſerit, nec parceret ulli, niſi qui ſe ut ſervos viles ſubmitteret; talis eſt unuſquiſque homo, tametſi ii non percipiunt, qui in impoſſibilitate & impotentia ſunt, & qui in vinculis illis, de quibus dictum, ſed data poſſibilitate & potentia, & relaxatis vinculis, tantum ruerent, quantum poſſent: feræ nuſquam ſunt tales, hæ naſcuntur in quendam naturæ ordinem; quæ immites & rapaces ſunt, inferunt aliis malum, ſed modo ſe tutandi cauſa; & quod devorent alias, eſt ut

ſedent

ſedent famem, qua ſedata, nulli nocent: ſed aliter prorſus homo: inde conſtat, quid proprium hominis, & quid ejus voluntas. Cum homo tale & tantum malum & excrementum eſt, conſtat, quod nuſquam ex ſe dominari poſſit ſuper malum; contradictorium prorſus eſt, quod malum dominari poſſit ſuper malum, nec ſolum ſuper malum ſed & ſuper infernum, nam unuſquiſque homo per malos ſpiritus communicat cum inferno, inde malum, quod apud eum, excitatur: ex his unuſquiſque ſcire, & qui ſanæ mentis eſt, concludere poteſt, quod Solus Dominus ſit, Qui dominatur ſuper malum apud hominem, & ſuper infernum quod apud hominem. Ut ſubjugari queat malum apud hominem, hoc eſt, infernum, quod unoquovis momento irruere in hominem conatur, & eum in æternum perdere, homo a Domino regeneratur, & nova voluntate, quæ eſt conſcientia, donatur, per quam Dominus Solus operatur omne bonum. Hæc ſunt fidei, nempe quod homo non ſit niſi malum; & quod omne bonum a Domino; quare homo illa non ſolum ſciet, ſed etiam agnoſcet & credet; ſi non in vita corporis agnoſcit & credit, in altera vita ei ad vivum oſtenditur.

988. Super omnem avem cœli, quod ſignificet ſuper falſitates quæ ſunt ratiocinii, conſtat a ſignificatione Avis: Aves in Verbo ſignificant intellectualia; mites, utiles & pulchræ ſignificant intellectualia vera; at immites, inutiles & deformes intellectualia falſa, ſeu falſitates quæ ſunt ratiocinii: quod ſignificent intellectualia, videatur, n: 40, 776, 870; inde quoque patet, quod aves ſignificent ratiocinia, & eorum falſa; quod ne alicui dubium ſit, præter quæ de corvo dicta ſunt, n: 867. confirmationi inſervient ſequentia hæc loca: apud Jeremiam, "Viſitabo ſuper eos quatuor generibus; gladio ad occidendum; & canibus ad trahendum; & *Avi cœli*, & *Beſtiæ terræ*, ad devorandum & perdendum," xv: 3. apud Ezechielem. "Super ruina ejus habitabunt omnis *Avis cœli*; & ad ramos ejus erunt omnis fera agri," xxxi: 13. apud Danielem, "Tandem ſuper *Avem* abominationum, deſolatio," ix: 27. apud Johannem, "Babylon cuſtodia omnis *Avis* immundæ & exoſæ," Apoc: xviii: 2. pluries apud Prophetas, quod daretur cadaver in cibum *Avi cœli*, & *Beſtiæ terræ*, Jer: vii: 33. Cap: xix: 7. Cap: xxxiv: 20. Ezech: xxix: 5. Cap: xxxix: 4. Pſalm: lxxix: 2. Eſai: xviii: 9, per quæ ſignificabatur, quod perderentur a falſis, quæ ſunt aves cœli, & a malis ſeu cupiditatibus, quæ ſunt beſtiæ terræ.

989. Quod dominium ſuper falſa attinet, ſimiliter ſe habet ac dominium ſuper mala, quod nempe homo ne minimum ex ſe dominari queat ſuper falſum: hic quia agitur de dominio hominis regenerati ſuper cupiditates, ſeu beſtiam terræ, & ſuper falſitates ſeu avem cœli, ſciendum, quod nuſquam aliquis dicere poſſit, quod regeneratus ſit, niſi agnoſcat & credat, quod charitas ſit primarium ejus fidei; & niſi afficiatur amore erga proximum, & miſereatur ejus; ex charitate formatur ejus nova voluntas; per charitatem operatur Dominus bonum & inde verum, non autem per fidem abſque charitate.

Sunt

Sunt qui ex ſola obedientia excercent charitatis opera, hoc eſt, quia ita mandatum eſt a Domino, & uſque non regenerati ſunt; hi, ſi non in operibus ponunt juſtitiam, in altera vita regenerantur.

990. Ad omne, quod prorepere facit humus, quod ſignificet affectiones boni, conſtat tam ab illis quæ præcedunt, quam a ſignificatione humi e qua producuntur ſeu prorepunt; ab illis quæ præcedunt, quod ibi de malis & falſis actum, ſuper quæ dominaretur homo regeneratus, hic ideo de affectionibus boni, quæ ei in manus dantur; a ſignificatione humi, e qua producuntur ſeu prorepunt, humus eſt in genere homo Eccleſiæ & quicquid eſt Eccleſiæ, proinde hic quicquid a Domino per internum hominem producitur in externo; ipſa humus eſt in externo homine, in ejus affectionibus & in ejus memoria: quia apparet ſicut homo produceret bona, ideo dicitur, omne quod humus prorepere facit; ſed eſt apparentia, eſt per internum hominum a Domino, nam, ut dictum, nihil boni & veri, niſi a Domino.

991. Ad omnes piſces maris quod ſignificet ſcientifica, conſtat a ſignificatione Piſcis: Piſces in Verbo ſignificant ſcientifica, quæ oriuntur ex ſenſualibus; ſunt enim triplicis generis ſcientifica, intellectualia, rationalia, & ſenſualia, omnia inſeminantur memoriæ, ſeu potius, memoriis, & in regenerato inde a Domino per internum hominem evocantur; hæc ſcientifica quæ a ſenſualibus, ad ſenſationem ſeu perceptionem hominis, cum vivit in corpore, veniunt, nam ab illis cogitat; cætera, quæ interiora ſunt, non ita, priuſquam exutus corpore in alteram vitam venit. Quod Piſces ſeu reptilia quæ aquæ producunt, ſignificent ſcientifica, videatur prius, n: 40: & quod cetus ſeu balæna communia ſcientificorum, n: 42: & præterea conſtare poteſt ab his in Verbo locis: apud Zephaniam, "Deficere faciam hominem & beſtiam; "deficere faciam *Avem cœlorum*, & *Piſces maris*," I: 3. ubi avis cœlorum pro rationalibus, piſces maris pro rationalibus inferioribus, ſeu pro cogitatione hominis ex ſcientificis ſenſualibus: apud Habakuk, "Facies hominem "ſicut *Piſces maris*, ſicut *reptile*, cui non dominans," I: 14. facere hominem ſicut piſces maris, pro prorſus ſenſualem: apud Hoſeam, "Lugebit "terra, & languebit omnis habitans in ea, quoad feram agri, & quoad "*avem cœlorum*, & etiam *Piſces maris* colligentur," IV: 3. hic piſces maris pro ſcientificis ex ſenſualibus: apud Davidem, "Omnia poſuiſti ſub pedes "Ipſius, beſtias agrorum, *Volucrem cœlorum*, & *Piſces maris*, tranſeuntem "tramites *Marium*," Pſalm: VIII: 7, 8, 9. ubi de dominio Domini apud hominem; piſces maris pro ſcientificis; quod maria ſignificent congregationem ſcientificorum ſeu cognitionum, videatur prius, n: 28. apud Eſaiam, "Mærebunt *Piſcatores*, & lugebunt omnes projicientes in flumen hamum, "& expandentes rete ſuper facies aquarum langueſcent," XIX: 8, 9. piſcatores pro iis, qui ſenſualibus ſolum fidunt, & ex iis falſa excludunt; agitur ibi de Ægypto ſeu ſcientifico.

992. In manus veſtras data ſunto, quod ſignificent interni hominis poſſeſſionem apud externum, conſtat ex illis quæ dicta ſunt; & ex ſignificatione

manus, de qua prius, n: 878: in manus veſtras data ſunto, dicitur, quia talis eſt apparentia.

993. Verſ: 3. *Omne reptile, quod eſt vivum, vobis erit in cibum, ſicut olus herbæ dedi vobis id omne.* Omne reptile, quod eſt vivum, ſignificat omnes voluptates, in quibus bonum, quod eſt vivum: vobis erit in cibum, ſignificat jucundum earum, quo fruerentur: olus herbæ ſignificat vilia jucunditatum: dari vobis id omne, ſignificat fruitionem ob uſum.

994. Omne reptile quod eſt vivum, quod ſignificet omnes voluptates, in quibus bonum, quod eſt vivum, conſtat a ſignificatione reptilis, de qua prius: quod Reptilia hic ſignificent omnes beſtias & aves mundas, conſtat unicuivis, nam dicitur, quod data ſint in cibum; reptilia in proprio ſenſu ſunt quæ omnium viliſſima fuerunt, quæ nominantur, Levit: XI: 23, 29, 30. & fuerunt immunda; at in lato ſenſu, ut hic, ſunt animalia quæ in cibum data ſunt; ſed hic vocantur reptilia, quia ſignificant voluptates; affectiones hominis ſignificantur in Verbo per beſtias mundas, ut dictum, ſed quia non percipiuntur quam in ejus voluptatibus, adeo ut homo nominet eas voluptates, ideo reptilia hic vocantur. Duplicis generis voluptates ſunt, nempe voluntariorum, & intellectualium; in genere ſunt Voluptates poſſeſſionum terræ, & opum; voluptates honorum, & officiorum in Republica; voluptates amoris conjugialis, & amoris erga infantes & liberos; voluptates amicitiæ, & converſationis cum ſociis; voluptates legendi, ſcribendi, ſciendi, ſapiendi, & plures aliæ; ſunt etiam voluptates ſenſuum; ut auditus, in genere voluptas ſuavitatis cantus & muſicæ; viſus, in genere eſt voluptas pulchritudinum diverſarum, quæ multiplices ſunt; olfactus, eſt ſuavitatum odoris; guſtus, eſt dulcedinum, & utilitatum ex cibis & potulentis; tactus, ſunt amœnitatum plurium: hæc genera voluptatum, quia ſentiuntur in corpore, vocantur corporis; ſed nuſquam aliqua voluptas in corpore exiſtit, niſi exiſtat & ſubſiſtat ex quadam affectione interiore; & nuſquam aliqua affectio interior, niſi ab affectione adhuc interiore, in qua eſt uſus, & finis; hæc quæ ordine interiora ſunt uſque ab intimis, homo dum in corpore vivit, non ſentit, & plerique vix norunt quod ſint, minus quod voluptates ſint inde; cum tamen in externis nuſquam aliquid exiſtere poteſt niſi ab interioribus ordine, ſunt voluptates modo effectus ultimi; interiora non patent, quamdiu vivunt in corpore, niſi eis qui reflectunt; in altera vita ſe primum manifeſtant, & quidem ordine, quo verſus cœlum a Domino, elevantur; affectiones interiores cum ſuis jucundis ſe manifeſtant in mundo ſpirituum; adhuc interiores cum ſuis amænis in cœlo ſpirituum angelicorum; & adhuc interiores cum ſuis felicibus in cœlo angelorum; nam tres cœli ſunt, unum interius, perfectius & felicius altero, videatur, n: 459, & 684: hæc ita ſe ordine evolvunt & ſe ſiſtunt percipienda in altera vita, ſed quamdiu homo in corpore vivit, quia continue in idea & cogitatione corporeorum eſt, interiora illa quaſi ſopita ſunt, quia immerſa corporeis; ſed uſque reflectenti conſtare poteſt, quod voluptates omnes tales ſint, quales affectiones ordine interiores, & quod ab iis omnem ſuam eſſentiam & quali-

tatem

tatem accipiant. Quia affectiones ordine interiores ſentiuntur in extremis ſeu in corpore, ut Voluptates, ideo vocantur reptilia, ſed ſunt modo corporea, quæ afficiuntur ab internis, ſicut unicuivis conſtare poteſt ſolum ex Viſu, & ejus voluptatibus, niſi interior viſus ſit, nuſquam poteſt oculus videre; viſus oculi exiſtit a viſu interiori, quare etiam homo poſt vitam corporis, æque videt, & melius multo quam cum vixit in corpore, verum non mundana & corporea, ſed illa quæ in altera vita; qui cæci fuerunt in vita corporis, æque ac qui lyncei fuerunt, in altera vita vident; quare etiam cum dormit homo, in ſomniis ſuis æque videt, ſicut dum vigil; viſu interno datum eſt mihi videre illa quæ in altera vita, clarius quam video ea quæ in mundo: ex quibus conſtat, quod viſus externus exiſtat a viſu interiori, & hic a viſu adhuc interiori, & ſic porro: ſimiliter ſe habet cum omni alio ſenſu, & cum omni voluptate. Voluptates ſimiliter alibi in Verbo vocantur Reptilia, & ibi diſtinguitur quoque inter Reptilia munda & immunda, hoc eſt, inter voluptates, quarum jucunda ſunt viva ſeu cœleſtia, & inter voluptates quarum jucunda ſunt mortua ſeu infernalia; ut apud Hoſeam, "Pangam illis fœdus in "die illo, cum fera agri, & cum avi cœlorum, & *Reptili* humi," II: 18. ubi, quod fera agri, avis cœlorum, & reptilia ſignificent talia, quæ dicta, apud hominem, conſtare poteſt, quia de Eccleſia nova agitur: apud Davidem, "Laudent Jehovam cœli & terra, maria, & omne *Repens* in iis," Pſalm: LXIX: 35. maria & repentia in iis non laudare poſſunt Jehovam, ſed quæ per illa ſignificantur apud hominem, quæ viva ſunt, ita ex vivis quæ in illis: apud Eundem, "Laudate Jehovam fera & omnis beſtia, *Reptile* & avis "alæ," Pſalm: CXLVIII: 10. ſimiliter: quod per reptilia hic non alia intelligantur, quam bonæ affectiones a quibus voluptates, conſtat quoque inde, quia reptilia apud eos erant immunda, ut a ſequentibus patebit: apud Eundem, 'Jehovah plena eſt terra poſſeſſionibus tuis; hoc mare magnum, "& latum ſpatiis; ibi *Reptile* & non numerus; omnia Te ſpectant, ut *des* "*cibum* eorum in tempore ſuo; das illis, colligunt; aperis manum tuam, "ſaturantur bono," Pſalm: CIV: 24, 25, 27, 28. ubi in ſenſu interno per maria ſignificantur ſpiritualia; per reptilia, omnia quæ inde vivunt; fruitio deſcribitur per dare iis cibum in tempore ſuo, & ſaturari bono: apud Ezechielem, "Et erit, omnis anima *viva*, quæ *Reptat*, ad omne quo venit, flu- "vii, *vivet*, & erit piſcis multus valde, quia veniunt eo aquæ hæ, & ſanan- "tur, & *vivet* omne, quo venit fluvius," XLVII: 9. ubi de aquis ex nova Hieroſolyma; aquæ pro ſpiritualibus ex origine cœleſti; anima viva quæ reptat, pro affectionibus boni & voluptatibus inde, tam corporis quam ſenſualium; quæ quod vivant ex aquis, ſeu ſpiritualibus ab origine cœleſti, manifeſte conſtat. Quod etiam voluptates ſpurcæ, quæ originem trahunt a proprio, ita a fœdis ejus cupiditatibus, quoque Reptilia dicantur, conſtat apud Ezechielem, "Et ingreſſus, & vidi, & ecce omnis forma *Reptilis* & beſtiæ, "abominatio; & omnia idola domus Iſraelis, depictum ſuper pariete circum "circa," VIII: 10. ubi forma reptilis ſignificat ſpurcas voluptates, quarum interiora ſunt cupiditates, & harum, odia, vindictæ, crudelitates & adulte-

 ria,

ria, talia ſunt reptilia, ſeu jucunda voluptatum, ex amore ſui & mundi, ſeu proprio, quæ ſunt idola eorum, quia ea jucunda putant, amant, pro diis habent, & ſic adorant: quæ reptilia, quia ſignificabant talia fœda, in Eccleſia repræſentativa, etiam ita immunda fuerunt, ut ne quidem ea tangere liceret, & qui ſolum tetigit, erat immundus, ut conſtat, Levit: v: 2. Cap: xi: 31, 32, 33. Cap: xxii: 5, 6.

995. Vobis erit cibum, quod ſignificet jucundum ejus quo fruerentur, conſtare poteſt ex eo, quod unaquavis voluptas, non ſolum afficiat hominem, ſed etiam ſuſtentet, ſicut cibus. Voluptas abſque jucundo non eſt voluptas, ſed eſt inanimatum quoddam, ex jucundo trahit, quod ſit & audiat voluptas; at quale jucundum, talis voluptas; corporea & ſenſualia ſunt in ſe non niſi quam materialia, inanimata & mortua, ſed a jucundis, quæ veniunt ab interioribus ordine, vivunt; exinde conſtat quod qualis vita interiorum, talis jucunditas voluptatum, nam in jucundo eſt vita; jucundum, in quo bonum a Domino, hoc ſolum eſt vivum, nam tunc ab ipſa vita boni; quare hic dicitur, omne reptile, quod eſt *vivum*, vobis erit in cibum, hoc eſt, in fruitionem. Quidam opinantur, quod nuſquam aliquis vivere debeat in voluptatibus corporis & ſenſualium, qui in altera vita velit felix eſſe, ſed quod ſe omnibus iis abdicare debeat, dicentes quod illa corporea & mundana ſint, quæ abſtrahunt & detinent hominem a ſpirituali & cœleſti vita; ſed qui ita putant, & ideo ſe in miſerias, cum vivunt in mundo, ſponte detrudunt, non informati ſunt, quomodo ſe res habet; nuſquam alicui prohibitum eſt frui voluptatibus corporis & ſenſualium, nempe voluptatibus poſſeſſionum terræ & opum; voluptatibus honorum & officiorum in republica; voluptatibus amoris conjugialis, & amoris erga infantes & liberos; voluptatibus amicitiæ, & converſationis cum ſociis; voluptatibus auditus, ſeu ſuavitatum cantus & muſicæ; voluptatibus viſus, ſeu pulchritudinum, quæ multiplices ſunt, ut decori amictus, ornata habitacula cum utenſilibus, pulchri horti, & ſimilia quæ ex harmoniis jucunda ſunt; voluptatibus olfactus ſeu ſuavitatum odoris; voluptatibus guſtus, ſeu dulcedinum, & utilitatum ex cibis & potulentis; voluptatibus tactus; ſunt enim affectiones extremæ ſeu corporeæ oriundæ ex affectionibus interioribus, ut dictum; interiores affectiones, quæ vivæ ſunt, omnes trahunt ſuum jucundum ex bono & vero, ac bonum & verum ſuum jucundum a charitate & fide, tunc a Domino, ita ab ipſa vita, quare affectiones & voluptates, quæ inde, ſunt vivæ; & quia voluptates genuinæ inde trahunt originem, nuſquam alicui negatæ ſunt; imo cum inde originem trahunt, tunc jucundum earum indefinite excedit jucundum quod non inde, hoc reſpective eſt ſpurcum; ſicut pro exemplo voluptas amoris conjugialis, cum a vero amore conjugiali trahit originem, excedit indefinite voluptatem quæ non inde, imo in tantum, ut qui in vero amore conjugiali ſunt, in jucunditate & felicitate quadam cœleſti ſint, nam a Cœlo deſcendit; quod etiam, qui ab Antiquiſſima Eccleſia fuerunt, faſſi ſunt; jucundum ex adulteriis, quod adulteri ſentiunt, fuit illis tam abominabile, ut cum modo cogitaverint de eo, horruerint; inde conſtare poteſt, quale jucundum eſt, quod

non

non a vero fonte vitæ ſeu a Domino deſcendit. Quod voluptates ſupra memoratæ nuſquam homini negatæ ſint, imo in tantum non negatæ, ut tunc primum voluptates ſint, quando a vera ſua origine, etiam inde conſtare poteſt, quod perplures, qui in potentia, dignitate & opulentia vixerunt in mundo, & quibus omnes voluptates in abundantia, tam corporis quam ſenſualium, inter beatos & felices in cœlo ſint, & apud eos nunc interiora jucunda & felicia vivant, quia hæc originem duxerunt a bonis charitatis & veris fidei in Dominum; & quia a charitate & fide in Dominum, ſpectarunt omnes ſuas voluptates ab uſu, qui finis eorum fuit; ipſe uſus iis jucundiſſimus fuit, inde voluptatum eorum jucundum: videatur quod ab experientia, n: 945.

996. Quod olus ſignificet vilia jucunditatum, conſtare poteſt ab illis quæ dicta ſunt: olus herbæ vocantur, quia ſunt modo mundana & corporea, ſeu externa; nam, ut dictum, voluptates, quæ in corporeis ſeu extremis ſunt, originem trahunt a jucundis ordine interioribus; jucunda, quæ percipiuntur in extremis ſeu corporeis, reſpective vilia ſunt; omne enim jucundum tale eſt, ut vilius ſit, quo magis ad externa vadit, & felicius quo magis ad interna; quare, ut dictum, ſicut ordine evolvuntur ſeu exfaſciantur externa, eo amæniora & feliciora fiunt jucunda, quod ſatis conſtare poteſt inde, quod jucundum voluptatum hominis, dum in corpore vivit, vile ſit reſpective ad jucundum ejus poſt vitam corporis cum venit in mundum ſpirituum, imo tam vile, ut ſpiritus boni prorſus ſpernant jucunditates corporis, nec redire velint in eas ſi vel darentur iis omnes quæ in univerſo mundo: jucundum horum ſpirituum ſimiliter vile fit cum elevantur a Domino in cœlum ſpirituum angelicorum, tunc enim exuunt interiores eas jucunditates, & induunt adhuc interiores: ſimiliter ſpiritibus angelicis vile fit jucundum, quod habuerunt in ſuo cœlo, cum a Domino in cœlum angelicum, ſeu tertium, attolluntur; in quo cœlo quia interna vivunt, & non niſi quam amor mutuus, felicitas ibi eſt ineffabilis: de interiori jucundo ſeu felici videatur quod ab experientia, n: 545. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificat, quod ſicut olus herbæ dedi vobis id omne. Quia Reptilia ſignificant tam voluptates corporis, quam voluptates ſenſualium, de quibus prædicatur olus herbæ, in lingua originali eſt vox, quæ ſignificat tam olus quam viride, olus reſpective ad voluptates voluntariorum ſeu affectionum cœleſtium, viride reſpective ad voluptates intellectualium ſeu affectionum ſpiritualium. Quod olus herbæ, ac viride herbæ ſignificet vilia, conſtat in Verbo, ut apud Eſaiam, "Aquæ Nimrim deſolationes erunt, quia exaruit gramen, conſumta eſt herba, *Viride* non eſt," xv: 6. Apud Eundem, "Habitatores earum breves manu, conſternati ſunt, & pudore affecti; facti ſunt herba agri, & *Olus* graminis, fœnum tectorum," xxxvii: 27. olus graminis pro viliſſimo. Apud Moſen, "Terra in quam tu venis, ad poſſidendum eam, non ſicut terra Ægypti ea, e qua exiviſti, qua ſeras ſemen tuum, & irriges pede tuo, ſicut *hortum Oleris*," Deut. xi: 10. ubi hortus oleris pro vili. Apud Davidem, "Mali ſicut gramen, ſubito exſcinduntur, & ſicut *Olus herbæ* conſumentur," Pſalm: xxxvii: 2. ubi gramen & olus herbæ pro viliſſimo.

997. Quod dari vobis id omne, ſignificet fruitionem ob uſum, quod eſt in cibum, nam quicquid in cibum datur, eſt in uſum; quod uſum attinet ita ſe habet, quod illi qui in charitate, hoc eſt, in amore erga proximum ſunt, a quo amore jucundum voluptatum quod vivum eſt, non ſpectent fruitionem voluptatum, quam propter uſum; nam charitas nulla eſt, niſi ſint opera charitatis, in exercitio ſeu uſu conſiſtit charitas; qui amat proximum ut ſe, nuſquam jucundum charitatis percipit, niſi in excercitio ſeu in uſu, quare vita charitatis eſt vita uſuum; talis vita eſt totius cœli, nam Regnum Domini, quia eſt Regnum amoris mutui, eſt Regnum uſuum; ideo omnis voluptas, quæ ex charitate, ex uſu habet ſuum jucundum; quo inſignior uſus, eo majus jucundum; inde eſt, quod ſecundum eſſentiam & qualitatem uſus, angeli habeant felicitatem a Domino. Ita ſe habet cum omni voluptate, quo inſignior uſus ejus eſt, eo jucundum ejus eſt majus; ut ſolum pro exemplo jucundum amoris conjugialis, quia inde ſeminarium ſocietatis humanæ, & ex hoc Regnum Domini in cœlis, qui uſus omnium maximus eſt, ideo tantum jucunditatis ei ineſt, ut dictum, quod ſit felicitas cœleſtis: cum cæteris voluptatibus ſe ſimiliter habet, ſed cum differentia ſecundum præſtantiam uſuum; qui uſus tam multiplices ſunt, ut vix in genera & ſpecies poſſint diſpeſci; quorum unus proximius & directius, alter remotius & obliquius ſpectat Regnum Domini, ſeu Dominum. Ex his quoque conſtat, quod omnes voluptates homini conceſſæ ſint, ſed propter uſum, quæ ſic ex uſu, in quo ſunt, cum differentia, ex felicitate cœleſti, participant & vivunt.

998. Verſ: 4. *Solummodo carnem in anima ejus, ſanguinem ejus, non comedetis.* Caro ſignificat voluntarium hominis: anima ſignificat vitam novam: ſanguis charitatem: non comedere, ſignificat non commiſcere: quare carnem in anima ejus, ſanguinem, non comedere, eſt non prophana ſanctis commiſcere.

999. Quod caro ſignificet voluntarium hominis, conſtat a ſignificatione carnis in proprio ſenſu reſpective ad hominem corruptum: caro in genere ſignificat omnem hominem, in ſpecie corporeum, quod prius oſtenſum videatur, n: 574; & quia ſignificat omnem hominem, & in ſpecie corporeum, ſignificat quod proprium eſt hominis, proinde voluntarium ejus: voluntarium ejus ſeu voluntas non eſt niſi quam malum, quare caro prædicate ad hominem, quia talis, ſignificat omnem cupiditatem, aut omnem concupiſcentiam, nam voluntas ejus non eſt niſi cupiditas, ut prius aliquoties oſtenſum; & quia caro id ſignificabat, etiam tale repræſentatum fuit per carnem, quam populus concupivit in deſerto, de qua hæc apud Moſen, "Promiſcua turba, quæ in medio "ejus, concupiverunt *concupiſcentiam*; inde iterarunt & fleverunt, & dixe-"runt, quis cibabit nos *Carne*," Num: XI: 4. ubi manifeſte caro vocatur concupiſcentia, nam dicitur concupiverunt concupiſcentiam, quis cibabit nos carne: conſtat ſimiliter ab iis quæ ſequuntur, "*Caro* adhuc ea inter dentes "eorum, antequam conciſa eſſet, & ira Jehovæ exarſit in populum, & per-"cuſſit Jehovah in populo plagam magnam valde, & vocavit nomen loci iſtius "*ſepulchra Concupiſcentiæ*, quia ibi ſepeliverunt populum *concupiſcentes*," ibid:

verſ:

verſ: 33, 34. Cuivis conſtare poteſt, quod nuſquam talis plaga in populo facta fuiſſet, propterea quod concupiſcerent carnem, ita non propter concupiſcentiam carnis, nam hoc naturale eſt, cum ab eſu ejus per multum temporis homo detinetur, ut tunc populus in deſerto; ſed cauſa altius latuit, quæ eſt ſpiritualis, quod nempe populus talis eſſet, ut prorſus faſtidiret quod ſignificatum & repræſentatum erat per Mannam, ut conſtat ibi quoque verſ: 6: & quod cuperent ſolum talia, quæ ſignificata & repræſentata ſunt per Carnem, nempe propria voluntaria, quæ ſunt cupiditatum, in ſe excrementitia & prophana; Eccleſia illa quia repræſentativa fuit, ex repræſentatione talium, populus tam magna plaga affectus eſt; nam quæ facta in populo, repræſentabantur ſpiritualiter in cœlo, Manna repræſentabat in Cœlo cœleſte, & caro quam concupiverunt, fœdum voluntarium; inde, quia tales erant, punitio. Ex his & aliis locis in Verbo, conſtare poteſt, quod per carnem ſignificetur voluntarium, & hic voluntarium hominis, quod quam ſpurcum ſit, videatur ad verſ: 2 hujus Capitis, ubi de beſtia terræ agitur.

1000. Quod anima ſignificet vitam, ex ſignificatione animæ in Verbo, multis locis conſtare poteſt; Anima in Verbo in genere ſignificat omnem vitam, tam internam ſeu interni hominis, quam externam ſeu externi hominis; & quia omnem vitam, ſignificat talem vitam, qualis eſt hominis de quo prædicatur; hic prædicatur de Vita hominis regenerati, quæ ſeparata eſt a voluntario hominis; nam, ut prius dictum, vita nova, quam accipit homo regeneratus ſpiritualis a Domino, prorſus ſeparata eſt a voluntario ſeu proprio hominis, ſeu a propria hominis vita, quæ non vita eſt, tametſi ita vocatur, ſed eſt mors, quia vita infernalis; quare hic caro in anima ejus, quam non comederent, ſignificat carnem una cum anima ejus, hoc eſt, quod non commiſcerent vitam hanc novam, quæ eſt Domini, cum vita mala ſeu excrementitia, quæ eſt hominis, hoc eſt, cum voluntario ſeu proprio ejus.

1001. Quod ſanguis ſignificet charitatem, a multis conſtare poteſt; ita novum voluntarium, quod homo regeneratus ſpiritualis accipit a Domino, hoc novum voluntarium idem eſt ac charitas, nam ex charitate formatur nova voluntas; charitas enim ſeu amor eſt ipſum eſſentiale ſeu vita voluntatis, nam nuſquam aliquis dicere poteſt, quod velit, niſi ex eo quod diligat aut amet illud; quod dicant ſe cogitare illud, non eſt velle, niſi velle cogitationi inſit: hæc nova voluntas, quæ eſt charitatis, eſt hic ſanguis; quæ voluntas non eſt hominis, ſed Domini apud hominem; quæ quia Domini, nuſquam commiſcenda eſt, cum illis, quæ ſunt voluntatis hominis quæ tam fœda, ut dictum; ideo in Eccleſia repræſentativa mandatum, ut non comederent carnem in anima ejus, ſeu ſanguinem, hoc eſt, quod non commiſcerent. Sanguis, quia ſignificabat charitatem, ſignificabat ſanctum; & caro quia ſignificabat voluntarium hominis, ſignificabat prophanum, quæ quia ſeparata ſunt, nam contraria, vetitum ne ſanguinem commederent; nam per eſum carnis cum ſanguine, repræſentabatur tunc in Cœlo prophanatio, ſeu commixtio ſancti & prophani, quæ repræſentatio in cœlo, non potuit aliter tunc quam horrorem angelis incutere; nam tunc temporis omnia quæ exiſtebant apud hominem Eccleſiæ,

vertebantur

vertebantur ſecundum ſignificationem rerum in ſenſu interno, in repræſentationes ſpirituales correſpondentes apud angelos. Quia omnia ſe habent reſpective ad hominem, de quo prædicantur, ita quoque ſignificatio ſanguinis; Sanguis reſpective ad hominem regeneratum ſpiritualem ſignificat charitatem, ſeu amorem erga proximum; reſpective ad hominem regeneratum cœleſtem ſignificat amorem in Dominum; at reſpective ad Dominum, ſignificat omnem Humanam Ipſius Eſſentiam, proinde Ipſum Amorem, hoc eſt, Ipſius Miſericordiam erga genus humanum; inde Sanguis, in genere, quia Amorem & quæ amoris, ſignificat cœleſtia, quæ Solius Domini ſunt, ita reſpective ad hominem cœleſtia, quæ homo accipit a Domino; cœleſtia, quæ homo regeneratus ſpiritualis accipit a Domino, ſunt cœleſtia ſpiritualia, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, alibi. Quod Sanguis ſignificet cœleſtia, & in ſupremo ſenſu ſignificaverit Humanam Domini Eſſentiam, ita Ipſum Amorem, ſeu Ipſius Miſericordiam erga genus humanum, conſtare poteſt a ſanctitate, qua mandatum ut haberetur ſanguis in Eccleſia repræſentativa Judaica; ideo Sanguis appellatus ſanguis fœderis; & ſparſus ſuper populum; tum ſuper Aharonem & filios ejus una cum oleo unctionis; & omnis holocauſti & ſacrificii ſuper altare & circum altare, de quibus, Exod: XII: 7, 13, 22, 23. Cap: XXIV: 6, 8. Levit: I: 5, 11, 15. Cap: IV: 6, 7, 17, 18, 25, 30, 34. Cap: V: 9. Cap: XVII: 12, 13, 14, 15, 18, 19. Num: XVIII: 18. Deut: XII: 27. Et quia Sanguis tam ſanctus habitus, & voluntarium hominis tam prophanum eſt, ideo ob repræſentationem prophanationis ſancti, tam ſevere prohibitum fuit, ne ſanguis comederetur, ut apud Moſen, "Statutum æternitatis in generationes veſtras, in omnibus habitationibus veſtris, ullum *adipem*, & ullum *Sanguinem non comedetis*," Lev: III: 16. Adeps pro vita cœleſti, & ſanguis ibi pro cœleſti ſpiritual: cœleſte ſpirituale eſt ſpirituale quod a cœleſti; ſicut apud Antiquiſſimam Eccleſiam, Amor in Dominum cœleſte eorum fuit quia voluntati eorum implantatum, cœleſte ſpirituale eorum erat fides inde, de qua n: 30, ad 38, 337, 393, 398. at apud hominem ſpiritualem non datur cœleſte, quia charitas implantata eſt in parte ejus intellectuali, ſed cœleſte ſpirituale: apud Eundem, "Quiſquis e "domo Iſraelis, aut e peregrino peregrinante in medio eorum, qui *come-* "*derit ullum Sanguinem*, & dabo facies meas contra animam *comedentem San-* "*guinem*, & exſcindam eam e medio populi ejus, quia *anima carnis in San-* "*guine* illa; & Ego dedi illum vobis ſuper altare, ad expiandum ſuper ani- "mas veſtras, quia *Sanguis* ipſe pro anima expiabit. Anima omnis *carnis* "*Sanguis* ejus ipſe, omnis *comedens* illum, exſcindetur," Lev: XVII: 10, 11, 14. ibi manifeſte, quod anima carnis in ſanguine, & quod anima carnis ſanguis, ſeu cœleſte, hoc eſt, ſanctum, quod Domini: apud Eundem, "Confirma te, ut non *comedas Sanguinem*, quia *Sanguis* ipſe anima, & non "*comedes* animam cum carne," Deut: XII: 23, 24, 25. ex his ſimiliter conſtat, quod ſanguis dicatur anima, hoc eſt, vita cœleſtis, ſeu cœleſte, quod per holocauſta & ſacrificia ipſius Eccleſiæ repræſentabatur; ne quoque cœleſte,

quod Domini Proprium, quod ſolum cœleſte & ſanctum eſt, commiſceretur cum proprio hominis, quod prophanum, repræſentatum quoque fuit per id, quod non ſuper fermentato ſacrificarent ſeu mactarent *Sanguinem* ſacrificii, Exod: XXIII: 18. Cap: XXXIV: 25. fermentatum ſignificabat corruptum & ſpurcum. Quod ſanguis dicatur anima & ſignificet ſanctum charitatis, & quod ſanctum amoris repræſentatum in Eccleſia Judaica per ſanguinem, inde eſt, quia vita corporis conſiſtit in ſanguine; & quia vita corporis conſiſtit in ſanguine, eſt ejus ultima anima, ita ut ſanguis dici queat anima corporea, ſeu in quo vita corporea hominis; & quia in Eccleſiis repræſentativis interna per externa repræſentata fuerunt, ideo anima ſeu vita cœleſtis per ſanguinem.

1002. Non comedere, quod ſignificet non commiſcere, inde nunc ſequitur: comedere carnes animalium in ſe ſpectatum, eſt prophanum quid, nam antiquiſſimo tempore nuſquam comederunt alicujus beſtiæ aut avis carnem, ſed ſolum ſemina, cumprimis panes ex tritico, tum fructus arborum, olera, lactes, & quæ ex lactibus, ut butyra; mactare animalia, & comedere carnes eorum, iis nefas fuit, & ſimile ferarum, ſolum ex iis ſervitia & uſus captarunt, ut quoque conſtat ex Geneſ: I: 29, 30. ſed ſucceſſu temporis, cum homo incepit ſimiliter ferox eſſe ac fera, imo ferocior, tunc primum cæperunt mactare animalia & carnes eorum comedere; & quia homo talis, etiam permiſſum erat, & hodie quoque permittitur; & quantum id facit ex conſcientia, tantum eſt licitum, nam conſcientia ejus formatur ex omnibus illis quæ vera putat, ita quæ licita; quare etiam hodie nuſquam aliquis condemnatur ex eo, quod carnem comedat.

1003. Quod carnem in anima ejus, ſanguinem, non comedere, ſit non prophana ſanctis commiſcere, inde nunc conſtat; prophana ſanctis nuſquam commiſcentur per id, quod quis ſanguinem cum carne comedat; ut quoque clare docet Dominus: apud Matthæum, "Non quod intrat in os, immun-"dum reddit hominem, ſed quod egreditur ex ore, hoc immundum reddit "hominem; quæ enim egrediuntur ex ore, ex corde egrediuntur," XV: 11, 17, 18, 19, 20. ſed in Eccleſia Judaica fuit vetitum, quia, ut dictum, per eſum ſanguinis cum carne tunc repræſentata fuit prophanatio in cœlo; omnia, quæ fiebant in Eccleſia iſta, vertebantur in cœlo in repræſentativa correſpondentia, & quidem Sanguis in Sanctum cœleſte; & caro, extra ſacrificia, quia ſignificabat cupiditates, ut oſtenſum, in prophanum; ipſeque eſus utriuſque in commixtionem ſancti & prophani; ideo tunc tam ſevere interdictum fuit: ſed poſt adventum Domini, cum externi ritus aboliti ſunt, & ſic repræſentativa ceſſarunt, tunc non talia in cœlo amplius vertebantur in repræſentativa correſpondentia; nam cum homo internus ſit, & de internis inſtructus, tunc ei externa nihili ſunt, novit tunc quid ſanctum, nempe quod charitas & fides inde, ex his tunc externa ejus ſpectantur, nempe quantum charitatis & fidei in Dominum in externis eſt; quare poſt adventum Domini, non conſideratur homo in cœlo ab externis ſed ab internis; qui ab externis, eſt inde, quod ei ſimplicitas, & in ſimplicitate innocentia & charitas, quæ in externis, ſeu in externo ejus cultu, homine neſciente, a Domino inſunt.

1004. Verſ: 5. *Et profecto ſanguinem veſtrum animabus veſtris quæram, e manu omnis feræ quæram eum, & e manu hominis, e manu viri fratris ejus, quæram animam hominis.* Sanguinem veſtrum animabus veſtris quærere, ſignificat quod violentia illata charitati ſe punitura; ſanguis veſter hic eſt violentia; animæ ſunt, qui violentiam inferunt: e manu omnis feræ ſignificat ab omni quod apud hominem violentum: e manu hominis eſt ab omni ejus voluntario: e manu viri fratris, eſt ab omni ejus intellectuali: quærere animam hominis, eſt vindicare prophanationem.

1005. Quod ſanguinem veſtrum animabus veſtris quærere, ſignificet, quod violentia illata charitati ſe punitura; & quod ſanguis ſit violentia, & animæ ſint, quæ violentiam inferunt, conſtat a præcedentibus & a ſequentibus, tum a ſignificatione ſanguinis in ſenſu contrario; & a ſignificatione animæ etiam in ſenſu contrario: ab iis quæ præcedunt, agitur in verſu præcedente de eſu ſanguinis, quo ſignificata prophanatio, ut oſtenſum: a ſequentibus, agitur in verſu mox ſequente de effuſione ſanguinis; quare hic de ſtatu & punitione ejus qui commiſcet ſancta prophanis: a ſignificatione ſanguinis in ſenſu contrario, ſanguis in genuino ſenſu ſignificat cœleſte, & reſpective ad hominem regeneratum ſpiritualem ſignificat charitatem, quæ ejus cœleſte eſt, at in contrario ſenſu ſignificat ſanguis violentiam illatam charitati, proinde quod contrarium charitati eſt, ita omne odium, omnem vindictam, omnem crudelitatem, imprimis prophanationem, ut conſtare poteſt ab illis in Verbo locis, quæ allata ſunt n: 374, & 376: a ſignificatione animæ in ſenſu contrario, anima in Verbo ſignificat in genere vitam, ita omnem hominem, qui vivit, ſed qualis homo talis vita, ita quoque eum hominem qui violentiam infert, quod multis confirmari a Verbo poteſt, ſolum nunc per hoc quod apud Moſen, "Qui comederit ſanguinem, dabo facies meas contra *Animam* comedentem ſanguinem, & exſcindam *eam* e medio populi ejus, quia *Anima* carnis in ſanguine illa, & Ego dedi illum ſuper altare, ad expiandum ſuper *Animas* veſtras, quia ſanguis ipſe pro *Anima* expiabit," Levit: XVII: 10, 11, 14. ubi anima pro vita in triplici ſenſu, præter multoties alibi. Quod violentia illata charitati ſemet punitura, conſtabit ab iis quæ ſequuntur.

1006. E manu omnis feræ, quod ſignificet ab omni, quod apud hominem violentum, conſtat a ſignificatione Feræ; fera in Verbo ſignificat vivum, ut oſtenſum n: 908. at in contrario ſenſu fera ſignificat quod inſtar feræ eſt, ita quicquid ferinum apud hominem, quod etiam prius oſtenſum eſt, quare ſignificat hominem talis vitæ, nempe violentum, ſeu qui violentiam infert charitati; nam is inſtar feræ eſt: homo eſt homo ab amore & charitate, at eſt fera ab odio, vindicta, & crudelitate.

1007. E manu hominis, quod ſit ab omni ejus voluntario, & e manu viri fratris, quod ſit ab omni ejus intellectuali, conſtat a ſignificatione hominis, nam eſſentiale & vita hominis eſt ejus voluntas, ſed qualis voluntas talis homo; & a ſignificatione viri fratris, intellectuale apud hominem vocatur vir frater, quod oſtenſum prius n: 367. ſive intellectuale verum ſit, ſive intellectuale ſpurium, ſive intellectuale falſum, uſque vocatur vir frater, intellectus

tellectus enim vocatur vir, n: 158, 265. & frater voluntatis, n: 367. Homo & vir frater hic dicitur, ac ita vocatur ſpurcum voluntarium, & ſpurcum intellectuale, ex cauſa quia hic de prophanatione agitur, cujus mentio & inde repræſentatio non toleratur in cœlo, ſed illico reſpuitur, ideo hic tam mites voces, tum quoque verborum hujus verſus ambiguus quaſi ſenſus, ut ne vel ſciatur in cœlo, quod talia hic contineantur.

1008. Quærere animam hominis, quod ſit vindicare prophanationem, conſtat ab illis quæ in verſu præcedente, & ab iis quæ in hoc verſu dicta ſunt; agitur enim de eſu ſanguinis, quo ſignificata eſt prophanatio. Quid Prophanatio, pauci norunt, & minus quæ ejus pœna ſit in altera vita: prophanatio eſt multiplex; qui prorſus negat veritates fidei, non prophanat, ſicut gentes quæ extra Eccleſiam, & extra cognitiones, vivunt; ſed is prophanat, qui vera fidei novit, & adhuc magis qui agnoſcit, ore fert, prædicat, & perſuadet aliis, & tamen in odiis, vindictis, crudelitate, rapinis, & adulteriis, vivit, & apud ſe confirmat talia pluribus, quæ ex Verbo corradit, pervertendo illa, & ſic immergendo fœdis iſtis; is eſt qui prophanat; hæc ſunt, quæ imprimis mortem homini inferunt; quod mortem inferant, conſtare poteſt inde, quod in altera vita, prophana & ſancta prorſus ſeparata ſint, prophana in inferno, & ſancta in cœlo; cum talis in alteram vitam venit, in unaquavis ejus cogitationis idea, ſimiliter ac in corporis vita, prophanis ſancta adhærent, ubi tunc nec unam ideam ſancti producere poteſt, quin prophanum adhærens, prorſus ſicut in clara die, conſpiciatur; nam talis perceptio idearum alterius in altera vita datur; ita in ſingulis, quæ cogitat, exſtat prophanatio, & quia cœlum horret prophanationem, non poteſt aliter, quam ut is in infernum detrudatur. Quomodo ſe ideæ habent, vix aliquis novit, putant eſſe ſimplex quid; ſed in unaquavis idea cogitationis innumerabilia ſunt diverſimode conjuncta, ut ſit quædam forma, & inde picta imago hominis, quæ tota percipitur, ut & conſpicitur in altera vita; ut ſolum pro exemplis, cum idea loci obvenit, ſive regio ſit, ſive urbs, ſive domus, tunc idea & imago omnium, quæ uſquam ibi patravit, ſimul prodit, quæ omnia ſpiritus & angeli vident: aut ſi idea perſonæ, contra quem odium habuit, tunc idea omnium, quæ contra eum cogitavit, loquutus eſt, & egit, ſimul prodit; ſimiliter ſe habet cum ideis omnium rerum, quæ cum prodeunt, omnia & ſingula, quæ de aliqua re, concepit, & ſibi impreſſit, patent; ut quando idea conjugii, tunc, ſi adulter fuit, omnia ſpurca & obſcæna adulterii, etiam cogitationis, prodeunt; ſimiliter omnia, quibus adulteria confirmavit ſive ex ſenſualibus, ſive ex rationalibus, ſive ex Verbo, & quomodo vera Verbi adulteravit & pervertit; & præterea, idea unius rei influit in ideam alterius, & eam inficit, quaſi dum puſillum nigri in aquam mittitur, unde aquæ volumen obſcuratur: quare cognoſcitur ſpiritus a ſuis ideis, & quod mirum, in unaquavis idea ejus, eſt imago ſeu effigies ejus, quæ dum ſiſtitur ſpectanda, tam deformis eſt, ut horror ſit intueri: inde conſtare poteſt, qualis ſtatus eorum, qui prophanant ſancta, & qualis imago eorum in altera vita. Sed de illis nuſquam dici poteſt, quod prophanent ſancta, qui ſimpliciter crediderunt quæ in Verbo,

 etiamſi

etiamſi crediderunt quæ non vera ſunt, nam in Verbo loquutum eſt ſecundum apparentias, de quibus videatur, n: 589.

1009. Verſ: 6. *Effundens ſanguinem in homine, ſanguis ejus effundetur; quia in imaginem Dei fecit hominem.* Effundere ſanguinem hominis in homine, ſignificat exſtinguere charitatem; in homine eſt apud hominem: ſanguis ejus effundetur, ſignificat condemnationem ejus: quia in imaginem Dei fecit hominem, ſignificat charitatem, quæ eſt imago Dei.

1010. Effundere ſanguinem hominis in homine, quod ſignificet exſtinguere charitatem, & in homine ſit apud hominem, conſtat ex ſignificatione ſanguinis, de qua prius, quod ſit ſanctum charitatis, & ex eo quod dicatur ſanguis hominis in homine, hoc eſt, interna ejus vita, quæ non eſt in eo, ſed apud eum, nam vita domini eſt charitas, quæ non eſt in homine, quia homo eſt ſpurcus & prophanus, ſed apud hominem: quod effundere ſanguinem, ſit violentiam Charitati inferre, conſtat a locis Verbi, & illis quæ prius n: 374 & 376. allata ſunt, ubi oſtenſum, quod violentia illata charitati dicatur ſanguis. Effundere ſanguinem in ſenſu literæ eſt occidere, ſed in ſenſu interno eſt odium habere contra proximum, ut Dominus docet, apud Matthæum, "Audiviſtis "quod veteribus dictum ſit, non *Occides*, quiſquis occiderit, obnoxius erit "judicio: Ego vero dico vobis, quod quiſquis *iraſcitur* fratri ſuo temere, "obnoxius erit judicio," v: 21, 22. iraſci hic ſignificat recedere a charitate, de quo videatur prius n: 357, proinde eſt odium; qui in odio eſt, non ſolum nullam charitatem habet, ſed etiam violentiam infert charitati, hoc eſt, effundit ſanguinem; in odio eſt ipſa occiſio hominis, quod ex eo manifeſte conſtat, quod, qui in odio eſt, nihil plus optet, quam ut alter occidatur; & niſi vincula externa impedirent, occideret; quare occiſio fratris & effuſio ſanguinis ejus eſt odium, & cum odium, eſt tale in unaquavis idea ejus, contra eum. Similiter ſe res habet cum prophanatione, qui prophanat verbum, ut dictum, is veritatem non ſolum odio habet, ſed etiam exſtinguit ſeu necat; quod manifeſte conſtat ab iis, qui prophanarunt, in altera vita, utcunque externa forma apparuerunt honeſti, ſapientes, devoti, cum vixerunt in corpore, in altera vita internecino odio habent Dominum, & omnia bona amoris & vera fidei, ex cauſa, quia contraria ſunt eorum inteſtinis odiis, rapinis & adulteriis, quæ obvelarunt ſpecie ſancti, & in ſui favorem adulteraverunt: quod prophanatio ſit ſanguis, præter ab illis locis, quæ prius n 374 adducta ſunt, etiam ab hoc apud Moſen conſtat, "Quiſquis e domo Iſraelis, qui mactaverit bovem, aut "agnum, aut capram, in caſtris, aut qui mactaverit extra caſtra, & ad oſti-"um Tentorii conventus non adduxerit illud ad offerendum munus Jehovæ "coram Habitaculo Jehovæ, *Sanguis* reputabitur viro iſti, *Sanguinem effudit*, "& exſcindetur vir iſte e medio populi ſui," Lev: XVII: 3, 4. ſanctificare alibi quam ſuper altari, quod juxta tentorium, repræſentabat prophanationem; nam ſacrificare erat ſanctum, at in caſtris & extra caſtra prophanum.

1011. Sanguis ejus effundetur, quod ſignificet condemnationem ejus, conſtat ex iis quæ dicta ſunt: ex ſenſu literæ eſt, quod effuſor ſanguinis ſeu occiſor morte puniendus; in ſenſu autem interno, qui odium habet contra proximum

proximum, quod eum condemnet ad mortem, hoc eſt, ad infernum; quod etiam Dominus docet, apud Matthæum, "Quicunque dixerit fratri ſuo, fatue, obnoxius erit gehennæ ignis," v: 22. exſtincta enim charitate, homo ſibi ſuoque proprio relinquitur, & non amplius per vincula interna, quæ ſunt conſcientiæ, ſed per vincula externa, quæ ſunt legis, & quæ ipſe ſibi facit ut potens & dives ſit, regitur a Domino; quibus vinculis relaxatis, ut fit quoque in altera vita, ruit in crudeliſſima & obſcæniſſima, ita in condemnationem ſui. Quod ſanguis ejus effundetur, qui effuderit ſanguinem, eſt jus talionis antiquis notiſſimum, ſecundum quod judicarunt malitias & ſcelera; ut conſtat a pluribus locis Verbi; hoc jus trahit originem ſuam ex lege univerſali, quod proximo non aliud faciendum; quam quod velit, ut alii faciant ſibi; Matth: VII: 12. tum ex eo, quod ordo omnium in altera vita ſit, ut ipſum malum ſe puniat, ſimiliter falſum, ſic ut in ipſo malo & falſo ſit pœna ejus; & quia talis ordo eſt, quod malum ſe puniat, ſeu quod idem, malus incurrat in pœnam malo reſpondentem, ex illo duxerunt etiam antiqui talionis eorum jus; quod hic quoque ſignificatur per id, quod qui effudit ſanguinem, ejus ſanguis effundetur, hoc eſt, quod in condemnationem irruet.

1012. Senſus literalis verborum, "qui effundit ſanguinem hominis in homine, ejus ſanguis effundetur" eſt, quod qui alterius ſanguinem, ſed in ſenſu interno non eſt alterius, ſed eſt charitatem apud ſe, quare etiam dicitur, "ſanguinem hominis in homine:" quandoque cum in ſenſu literali agitur de duobus, in ſenſu interno intelligitur de uno; internus homo eſt homo in homine, quare quiſquis exſtinguit charitatem, quæ eſt interni hominis, ſeu ipſe internus homo, ejus ſanguis effundetur, hoc eſt, ſe condemnat.

1013. Quia in imaginem Dei fecit hominem, quod ſignificet charitatem, quæ eſt imago Dei, eſt conſequens; in mox præcedente actum eſt de charitate, quæ ſignificata eſt per ſanguinem, & quod non exſtingueretur, ſignificatum eſt per quod non effunderent ſanguinem, hic nunc ſequitur, quod in imaginem Dei fecit hominem, ex quibus conſtat, quod charitas ſit imago Dei. Quid Imago Dei, hodie vix aliquis novit, dicunt imaginem Dei deperditam eſſe in primo homine, quem vocant Adamum, & dicunt in illo fuiſſe imaginem Dei, quam ajunt fuiſſe integritatem quandam, quam ignorant; integritas quoque fuit, nam per Adamum ſeu Hominem intelligitur Antiquiſſima Eccleſia, quæ fuit cœleſtis homo, & perceptionem habuit, qualem nulla Eccleſia poſt illam, quare etiam fuit ſimilitudo Domini; ſimilitudo Domini ſignificat amorem in Ipſum: poſtquam hæc Eccleſia temporis ſucceſſu periit, tunc Dominus creavit novam, quæ non Eccleſia cœleſtis fuit, ſed Eccleſia ſpiritualis; hæc fuit non ſimilitudo, ſed imago Domini, imago ſignificat amorem ſpiritualem, hoc eſt, amorem erga proximum ſeu charitatem, quod quoque prius oſtenſum eſt, n. [illegible] quod hæc Eccleſia ex amore ſpirituali ſeu ex charitate fuerit imago Domini conſtat ex hoc verſu; & quod ipſa charitas ſit imago Domini, ex eo quod dicatur, "quia in imaginem Dei *fecit* hominem," nempe quod ipſa charitas *fecit*. Quod Charitas ſit imago Dei, clariſſime conſtat ex [illegible]

ris ſeu charitatis; ſimilitudinem alicujus facere, & imaginem alicujus, nihil poteſt niſi amor & charitas; eſſentia amoris & charitatis eſt, ut ex duobus quaſi unum faciat; quando unus amat alterum ſicut ſe, & plus quam ſe, tunc videt unus alterum in ſe, & ſe in altero, quod cuivis poteſt notum eſſe, ſi modo attendat ad amorem, aut ad eos, qui mutuo ſe amant, unius voluntas eſt alterius, interius quaſi conjuncti ſunt, ſolum corpore ab invicem diſtincti. Amor in Dominum facit hominem unum cum Domino, hoc eſt, ſimilitudinem; charitas quoque ſeu amor erga proximum, ſed imaginem; imago non eſt ſimilitudo, ſed eſt ad ſimilitudinem: Hoc Unum ex amore oriundum deſcribit Ipſe Dominus, apud Johannem, "Oro ut omnes *Unum* ſint, ſicut Tu Pater " in Me, & Ego in Te, ut etiam *illi in Nobis Unum* ſint. Ego gloriam, quam " dediſti Mihi, dedi illis, ut ſint *Unum*, ſicut Nos *Unum* ſumus, *Ego in* " *illis* & Tu in Me," XVII: 21, 22, 23. hoc unum eſt unio illa myſtica, de qua aliqui cogitant, quæ unio eſt per ſolum amorem. Apud Eundem, " Ego vivo & vos vivetis, in illa die cognoſcetis, quod Ego in Patre Meo, " & *vos in Me*, & *Ego in vobis:* qui habet præcepta Mea, & facit illa, ille " eſt qui amat Me. Si quis *amaverit Me*, verbum Meum ſervabit, & Pater " Meus amabit illum, & ad illum veniemus, & *manſionem apud illum facie-* " *mus*," XIV: 19, 20, 21. ex quibus conſtat, quod amor ſit, qui conjungit, & quod Dominus apud illum manſionem habeat, qui amat Ipſum, tum qui amat proximum, nam hoc Domini amor eſt. Hæc unio, quæ facit ſimilitudinem & imaginem, non ita in genere humano poteſt conſpici, ſed in Cœlo, ubi omnes Angeli ex amore mutuo, quaſi Unum ſunt; unaquævis ſocietas, quæ a pluribus conſiſtit, unum quaſi hominem conſtituit; & omnes ſocietatates ſimul, ſeu univerſum cœlum, unum hominem, qui quoque Maximus Homo appellatur, videatur n: 457 & 549; univerſum Cœlum eſt ſimilitudo Domini, nam Dominus eſt omne in omnibus eorum; unaquavis ſocietas eſt quoque ſimilitudo; ita unuſquiſque Angelus; Angeli cœleſtes ſunt ſimilitudines, angeli ſpirituales ſunt imagines; ex tot ſimilitudinibus Domini, quot ſunt angeli, conſiſtit cœlum, & hoc ſolum per amorem mutuum, quod unus alterum plus quam ſemet amet, videatur n: 548 & 553. nam ita ſe res habet, ut commune, ſeu univerſum cœlum, ſit ſimilitudo, debent partes ſeu ſinguli angeli eſſe ſimilitudines, ſeu imagines quæ ad ſimilitudines, niſi commune ex ſimilibus ſui quaſi partibus conſiſtit, non eſt commune quod unum facit. Et his, ut ab idea, conſpici poteſt, quid ſimilitudinem & imaginem Dei facit, nempe quod amor in Dominum, & amor erga proximum; conſequenter, quod omnis homo regeneratus ſpiritualis, ex amore ſeu charitate, quæ a Domino Solo, imago Ipſius ſit; & qui in charitate a Domino, in integritate eſt, de qua integritate, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

1014. Verſ: 7. *Et vos fructificamini & multiplicamini; effundimini in terram, & multiplicamini in ea.* Fructificamini & multiplicamini, ſignificant hic, ut prius, incrementa boni & veri, in interiori homine; fructificari prædicatur de bonis, & multiplicari de veris: effundimini in terram, & multiplicamini in

in ea, ſignificant incrementa boni & veri in externo homine, qui eſt terra; effundi prædicatur de bonis, multiplicari de veris.

1015. Quod fructificamini & multiplicamini ſignificent incrementa boni & veri, in interiori homine, & quod fructificari prædicetur de bonis, & multiplicari de veris, conſtat ab illis quæ oſtenſa ſunt prius ad verſ: 1. hujus Capitis, ubi eadem verba: quod hæc apud interiorem hominem, conſtare poteſt ab illis quæ ſequuntur, ubi iterum dicitur, *multiplicamini*, quæ repetitio ſupervacanea foret quia ſuperflua, ſi non aliquid peculiare diſtinctum a priore ſignificaretur; ex quibus, & ab illis, quæ hactenus dicta ſunt, conſtat, quod hic fructificatio & multiplicatio prædicetur de bonis & veris apud interiorem hominem: Interior homo dicitur, quia, ut ſupra oſtenſum, homo quoad cœleſtia & ſpiritualia, quæ ſolius Domini ſunt, eſt Internus homo; at quoad rationalia eſt Interior ſeu medius inter internum & externum; & quoad affectiones boni, & quoad ſcientifica memoriæ, eſt Externus; quod talis homo ſit, oſtenſum eſt in præmiſſis hujus Capitis, n: 978, ſed quod hoc neſciat, cum in corpore vivit, eſt quia in corporeis eſt, inde ne quidem novit, quod interiora ſint, minus quod ita ordine diſtincta ſint; at ſi velit reflectere, ſatis ei conſtare poteſt, cum in cogitatione abſtracta eſt a corpore, & quaſi in ſpiritu ſuo cogitat. Quod fructificatio & multiplicatio predicetur de interiori homine ſeu de rationali, cauſa eſt, quia operatio Interni hominis non ſentitur niſi communiſſime, in interiori; nam indefinita ſingularia ſunt, quæ ſiſtunt unum quoddam commune, & quidem communiſſimum in ejus interiori homine; quæ ſingularia quam indefinita ſunt, & quomodo ſe habent, & ſiſtunt communiſſimum quoddam obſcurum, conſtare poteſt ab illis quæ oſtenſa prius, n: 545.

1016. Effundimini in terram & multiplicamini in ea, quod ſignificent incrementa boni & veri in externo homine, qui eſt terra, & quod effundi prædicetur de bonis, & multiplicari de veris, ex illis, quæ mox dicta ſunt, conſtat, tum ex ſignificatione terræ, quod ſit externus homo, de quibus videantur quæ dicta & oſtenſa ſunt ad verſ: 1. hujus Capitis, n: 983. Quod effundi in terram, & ſic multiplicari in ea dicatur, ita ſe res habet, apud regeneratum hominem nihil multiplicatur in externo ejus homine, hoc eſt, nihil boni & veri incrementa capit, niſi per charitatis effectum; charitas eſt quaſi calor tempore veris ſeu æſtatis, qui facit ut gramina, herbæ & arbores creſcant; abſque charitate ſeu calore ſpirituali nihil creſcit, quare hic primum dicitur, effundimini in terram, quod prædicatur de bonis, quæ ſunt charitatis, per quæ multiplicatio boni & veri; quiſque capere poteſt, quomodo hoc ſe habet, nihil apud hominem creſcit & multiplicatur niſi ſit aliqua affectio, affectionis jucundum facit, ut non ſolum radicem agat, ſed etiam creſcat; ſecundum affectionis aſpirationem omnia fiunt; quod amat homo, hoc libenter arripit, retinet & cuſtodit; ita omnia quæ favent alicui affectioni; quæ non favent, ea homo nihil curat, reſpicit ſicut nihil, imo rejicit; ſed qualis affectio, talis multiplicatio; apud regeneratum eſt affectio boni & veri ex charitate a Domino donata, quare quicquid favet affectioni charitatis, hoc arripit, retinet & cuſtodit,

& ita

& ita confirmat ſe in bonis & veris; quæ ſignificantur per, effundimini in terram, & multiplicamini.

1017. Quod talis multiplicatio ſit, qualis affectio, inſerviat pro exemplo, qui capit principium, quod ſola fides ſalvet ſi vel nullum opus charitatis facit, hoc eſt, ſi vel nullam charitatem habeat, & ſic fidem ſeparat a charitate, ex cauſa non ſolum principii capti ab infantia, ſed etiam quia putat, ſi quis diceret opera charitatis ſeu charitatem eſſe eſſentiale fidei, & ſic viveret pius, quod non poſſit aliter quam meritum ponere in operibus, quod tamen eſt falſum, ita rejicit charitatem, & nihili facit charitatis opera, & ſolum manet in idea fidei, quæ eſt nulla abſque ſuo eſſentiali, quod eſt charitas; is dum confirmat apud ſe principium hoc, nuſquam facit ex affectione boni, ſed ex affectione jucundi, quod vivere in licentia cupiditatum poſſit; & qui inter eos confirmat id multis, is non facit ex affectione veri, ſed ex gloria ſui, ut inde aliis major, doctior & ſublimior videatur, & ſic inter honoratos & divites elevetur, ita ex jucundo affectionis; quod jucundum facit ut multiplicentur confirmantia, nam ut dictum, qualis affectio, talis multiplicatio. In genere cum principium eſt falſum, ex eo nuſquam niſi falſa conſequi poſſunt, omnia enim conformant ſe principio; imo, quod ſcio ab experientia, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, alibi, ii qui ſe confirmant in talibus principiis de fide ſola, & in nulla charitate ſunt, nihil curant, & quaſi non vident, omnia illa, quæ Dominus de amore & charitate, toties loquutus eſt; ut Matth: III: 8, 9. Cap: V: 7, 43 ad 48. Cap: VI: 12, 15. VII: 1 ad 20. Cap: IX: 13. Cap: XII: 33. Cap: XIII: 8, 23. Cap: XVIII: 21, 22, 23 ad f. Cap: XIX: 19. Cap: XXII: 34 ad 39. Cap: XXIV: 12, 13. Cap: XXI: 34, 40, 41, 43. Marc: IV: 18, 19, 20. Cap: XI: 13, 14, 20. Cap: XII: 28 ad 35. Luc: III: 8, 9. IV: 43 ad 49. Cap: VI: 27 ad 39. 43 ad f. Cap: VII: 47. Cap: VIII: 8, 14, 15. Cap: X: 25 ad 28. Cap: XII: 58, 59. Cap: XIII: 6 ad 10. Joh: III: 19, 21. Cap: V: 42. Cap: XIII: 34, 35. Cap: XIV: 14, 15, 20, 21, 23. Cap: XV: 1 ad 8, 9 ad 19. Cap: XXI: 15, 16, 17.

1018. Quod hic iterum dicatur fructificamini & multiplicamini, ſimiliter in Verſu primo hujus Capitis, cauſa eſt, quia hic eſt clauſula; & quod omnia bene ſucceſſura, ac ſe fructificatura & multiplicatura, ſi non faciant ea, quæ ſignificantur per eſum ſanguinis, & per effuſionem ſanguinis; nempe ſi non charitatem exſtinguant per odia & per prophanationes.

1019. Verſ: 8. *Et dixit Deus ad Noachum, & ad filios ejus cum illo, dicendo.* Quod dixerit Deus ad Noachum & filios ejus cum illo, dicendo, ſignificant veritatem illarum rerum quæ ſequuntur de Eccleſia ſpirituali, quæ intelligitur per Noachum & filios ejus cum illo.

1020. Quod hæc ſignificentur, conſtare poteſt ex eo, quod omnia, quæ a Primo Capite Geneſeos uſque ad Eberum Cap: XI: hiſtorice concinnata ſunt, ſignificent alia, quam qualia in litera exſtant, & quod hiſtorica ibi non ſint niſi facta hiſtorica, ſecundum morem Antiquiſſimorum; qui cum veritatem rei teſtatam facerent, dicebant, quod Jehovah dixit, hic autem quod Deus,

Deus, quia de Eccleſia ſpirituali agitur: ſimiliter cum aliquid verum fieret, aut verum factum ſit.

1021. Quod per Noachum & filios ejus cum eo, ſignificetur Eccleſia Antiqua, prius oſtenſum eſt, & in ſequentibus hujus Capitis conſtabit, quare illis confirmandis immorari non opus eſt.

1022. Verſ: 9, 10. *Et Ego, ecce Ego, erigo foedus meum cum vobis, & cum ſemine veſtro poſt vos. Et cum omni anima viva, quæ cum vobis, ad avem, ad beſtiam, & ad omnem feram terræ vobiſcum; ab omnibus egredientibus arca, quoad omnem feram terræ.* Et Ego, ecce Ego erigo foedus meum, ſignificat Domini præſentiam in charitate: cum vobis, ſignificat hominem regeneratum ſpiritualem: & cum ſemine veſtro poſt vos, ſignificat illos qui e novo creantur: cum omni anima viva quæ cum vobis, ſignificat in genere omnia quæ apud hominem regenerata ſunt: ad avem, ſignificat in ſpecie ejus intellectualia: ad beſtiam, in ſpecie ejus nova voluntaria: ad omnem feram terræ, ejus inferiora intellectualia & voluntaria quæ inde: vobiſcum, ſignificat, hic ut prius, quæ apud hominem regeneratum ſpiritualem: ab omnibus egredientibus ex arca, ſignificat homines Eccleſiæ: quoad omnem feram terræ, ſignificat homines extra Eccleſiam.

1023. Et Ego, ecce Ego erigo foedus meum, quod ſignificet Domini præſentiam in charitate, conſtare poteſt a ſignificatione fœderis, de qua n: 666. ubi oſtenſum, quod fœdus ſignificet regenerationem, & quidem conjunctionem Domini cum homine regenerato per amorem; & quod Conjugium cœleſte ſit ipſiſſimum fœdus; proinde conjugium cœleſte apud unumquemvis hominem regeneratum: quomodo hoc conjugium ſeu fœdus ſe habet, prius quoque oſtenſum eſt; Conjugium cœleſte apud hominem Antiquiſſimæ Eccleſiæ fuit in ejus proprio voluntario; at Conjugium cœleſte apud hominem Antiquæ Eccleſiæ factum eſt in ejus proprio intellectuali; quando enim voluntarium hominis prorſus corruptum factum eſt, tunc Dominus miraculoſe ſeparavit proprium ejus intellectuale a proprio iſto corrupto voluntario, & in proprio ejus intellectuali formavit novam voluntatem, quæ eſt conſcientia, & conſcientiæ inſinuavit charitatem, & charitati innocentiam, ac ita conjunxit ſe, ſeu quod idem eſt, iniit fœdus, cum homine. Quantum proprium voluntarium hominis ſeparari poteſt a proprio hoc intellectuali, tantum Dominus præſens apud eum eſſe, ſeu ſe conjungere aut fœdus inire cum eo, poteſt: tentationes, & ſimilia media regenerationis efficiunt, ut proprium voluntarium hominis quieſcat, ſicut nullum fiat, & quaſi moriatur, quantum hoc, tantum Dominus per conſcientiam proprio intellectuali hominis implantatam in charitate operari poteſt; hoc nunc eſt quod hic vocatur fœdus.

1024. Quod cum vobis, ſignificet hominem regeneratum ſpiritualem, conſtat ex illis, quæ prius paſſim dicta ſunt, quod nempe Noachus & filii ejus ſignificent Eccleſiam ſpiritualem, quæ ſucceſſit Antiquiſſimæ Cœleſti, & quia Eccleſiam, ſignificat unumquemvis hominem Eccleſiæ, ita hominem regeneratum ſpiritualem.

1025. Cum ſemine veſtro poſt vos, quod ſignificet illos, qui e novo creantur, conſtat a ſignificatione ſeminis, tum a ſequentibus; a ſignificatione ſeminis, ſemen in ſenſu literali ſignificat poſteritatem, ſed in ſenſu interno fidem; & quia, ut ſæpius dictum, nulla fides eſt, niſi ubi charitas, ita eſt ipſa charitas, quæ per ſemen in ſenſu interno intelligitur: a ſequentibus, conſtat, quod non ſolum agatur de homine qui intra Eccleſiam, ſed etiam de homine qui extra Eccleſiam, ita de univerſo genere humano; ubicunque eſt charitas, etiam apud gentes remotiſſimas ab Eccleſia, ibi eſt ſemen, nam ſemen cœleſte eſt charitas; nemo enim hominum aliquid boni poteſt facere a ſe, ſed omne bonum a Domino, bonum quod faciunt gentes, etiam eſt a Domino, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; quod ſemen Dei ſit fides, oſtenſum eſt prius, n: 255; per fidem intelligitur ibi & alibi charitas ex qua fides, nam non alia fides, quæ fides, datur, quam fides charitatis; ſimiliter etiam alibi in Verbo, ubi ſemen nominatur, ut ubi ſemen Abrahami, vel Iſaci, vel Jacobi, ſignificatur amor ſeu charitas; Abrahamus enim repræſentavit Amorem Cœleſtem, Iſacus amorem ſpiritualem, quæ ſunt interni hominis, Jacobus eadem, ſed quæ Externi hominis; ita, non ſolum in propheticis, ſed etiam in hiſtoricis; hiſtorica Verbi in Cœlo non percipiuntur, ſed quæ per hiſtorica ſignificantur; Verbum non ſolum ſcriptum eſt pro homine, ſed etiam pro angelis; homo cum legit Verbum, & ſenſum inde non alium quam literalem capit, tunc angeli non ſenſum literalem ſed internum; ideæ materiales, mundanæ & corporeæ, quas homo habet cum legit Verbum, apud angelos fiunt ideæ ſpirituales & cœleſtes; ſicut dum homo legit de Abrahamo, Iſaco & Jacobo, tunc angeli nuſquam cogitant de Abrahamo, Iſaco & Jacobo, ſed de illis rebus quæ per eos repræſentantur, & ſic ſignificantur: ſimiliter cum de Noacho, Schemo, Chamo & Japheto, has perſonas ignorant angeli, nec aliud percipiunt quam Eccleſiam Antiquam, & angeli interiores ne quidem Eccleſiam, ſed iſtius Eccleſiæ fidem, & ſecundum ſeriem, ſtatum rerum de quibus agitur: ita quoque cum in Verbo dicitur ſemen, ut hic de Noacho, quod fœdus erigeretur cum illis, & cum ſemine illorum poſt illos, non poſteritatem eorum percipiunt, nam Noachus nullus fuit, ita enim appellata Eccleſia Antiqua, ſed per ſemen intelligunt charitatem, quæ eſſentiale fidei fuit iſtius Eccleſiæ; ſimiliter ubi in hiſtoricis de Abrahamo, Iſaco & Jacobo, dicitur ſemen eorum, tunc nuſquam intelligunt angeli poſteritatem eorum propriam, ſed omnes in univerſo, tam qui intra Eccleſiam, quam qui extra, apud quos ſemen cœleſte ſeu charitas eſt, imo angeli interiores percipiunt ipſum amorem qui ſemen cœleſte eſt, abſtracte: quod per ſemen ſignificetur amor, tum omnis cui eſt amor, conſtat ab his locis: ubi de Abramo, "Jehovah dixit, *Semini* tuo dabo terram "hanc," Gen: XII: 7. tum, "Omnem terram, quam tu vides, tibi dabo "illam, & *Semini* tuo uſque in æternum, & ponam *Semen* tuum, ſicut pul-"verem terræ, Gen: XIII: 15, 16. qui in ſenſu literæ ſunt, non aliud capiunt, quam quod per ſemen intelligatur poſteritas Abrami, & quod per terram,

terram, terra Canaan, eoque magis, quia poſteritati ejus data eſt ea terra; ſed
qui in ſenſu interno ſunt, ut totum cœlum, per ſemen Abrami non aliud per-
cipiunt quam amorem, per terram Canaan nihil aliud quam Regnum Domini
in cœlis & in terris; & quod data iis terra, nihil aliud quam repræſentativum; de
quo, ex Divina Domini Miſericordia, alibi. Similiter alibi ubi de Abramo,
" Jehovah eduxit eum foras, & dixit, ſuſpice nunc verſus Cœlum, & numera
" ſtellas, ſi potes numerare illas, & dixit ei, ſic erit *Semen* tuum," Gen: XV: 5.
hic ſimiliter, Abramus quia repræſentabat amorem ſeu fidem ſalvificam, per ſe-
men ejus non alia poſteritas in ſenſu interno intelligitur, quam omnes in univer-
ſo, qui in amore ſunt. Similiter, " *Erigam fœdus* meum inter Me & inter te,
" & inter *Semen* tuum poſt te, & dabo tibi & *Semini* tuo poſt te terram pere-
" grinationum tuarum, omnem terram Canaan, in poſſeſſionem æternam, ero-
" que illis in Deum: hoc *fœdus Meum*, quod cuſtodies inter me & inter vos,
" & inter *Semen* tuum poſt te, circumcidi vobis omnem maſculum, Gen. XVII:
7, 8, 10. ubi fœdus erigere ſimiliter ſignificat conjunctionem Domini, cum
hominibus in univerſo, per amorem, qui amor repræſentatus fuit per Abra-
mum; inde conſtat quid per ſemen ejus ſignificatur, nempe omnes in uni-
verſo qui in amore ſunt: fœdus erat circumciſio de qua hic agitur, per quam
nuſquam Cœlum intelligit circumciſionem carnis, ſed circumciſionem cordis,
quæ eſt eorum qui in amore ſunt; circumciſio erat repræſentativum regnera-
tionis per amorem, quod apud Moſen clare explicatur, " *Circumcidet* Jehovah
" Deus, cor tuum, & cor ſeminis tui, ad *amandum Jehovam Deum tuum*,
toto corde tuo, & tota anima tua, propterea ut *vivas*," Deut: XXX: 6. ex
quibus conſtat, quid circumciſio in ſenſu interno; quare ubicunque dicitur
circumciſio, non aliud intelligitur, quam amor & charitas, & inde vita. Quod
per ſemen Abrahami omnes in univerſo ſignificentur, quibus amor, conſtat quo-
que a Domini verbis ad Abrahamum & ad Iſacum; ad Abrahamum, poſtquam,
ſicut mandatum, ſacrificare voluit Iſacum, " Benedicendo benedicam tibi,
" & multiplicando multiplicabo *Semen* tuum, ſicut ſtellas cœlorum, & ſicut
" arenam quæ ſuper litore maris, & hæreditabit *Semen* tuum portam hoſtium
" tuorum, & benedicentur in Semine tuo omnes *Gentes* terræ," Gen. XXII:
17, 18. ibi quod per ſemen intelligantur omnes in univerſo, quibus amor, con-
ſtat manifeſte. Sicut Abrahamus, ut dictum, repræſentavit amorem cœle-
ſtem, ita Iſacus amorem ſpiritualem, quare per ſemen Iſaci non aliud ſignifi-
catur quam omnis homo, apud quem amor ſpiritualis ſeu charitas; de quo
hæc, " Peregrinare in terra hac, & ero tecum, & benedicam tibi, quia tibi
" & *Semini* tuo dabo omnes terras has, & confirmabo juramentum, quod ju-
" ravi Abrahamo patri tuo, & multiplicari faciam *Semen* tuum ſicut ſtellas
" cœlorum; & dabo *Semini* tuo omnes terras has, & benedicentur in ſemine
" tuo *omnes Gentes terræ*," Gen: XXVI: 3, 4, 24. ubi manifeſte, quod om-
nes gentes intelligantur qui in charitate: Amor celeſtis per Abrahamum re-
præſentatus eſt ſicut pater amoris ſpiritualis per Iſacum repræſentati, nam a cœ-
leſti naſcitur ſpirituale, ut prius oſtenſum: Jacobus, quia repræſentabat Ec-
cleſiæ Externa, quæ ab Internis exiſtunt, ita omnia quæ in externo homine ab

amore & charitate oriunda, quare per ſemen ejus ſignificantur omnes in univerſo, quibus cultus externus in quo internus, & quibus opera charitatis in quibus charitas a Domino; de quo ſemine ad Jacobum, poſtquam in ſomnio viderat ſcalam, "Ego Jehovah, Deus Abrahami patris tui, & Deus "Iſaci, terram ſuper qua tu cubas, tibi dabo eam & *Semini* tuo, & erit *Se*"*men* tuum ſicut pulvis terræ; & benedicentur in te *omnes familiæ humi*, "& in *Semine* tuo," Gen: XXVIII: 13, 14. Cap: XXXII: 13. Cap: XLVIII: 4. Quod ſemen non aliud ſignificet, præter a locis Verbi prius n: 255 adductis, etiam ab his conſtare poteſt; apud Eſaiam, "Tu Iſrael ſervus meus, Jacobus quem elegi, *Semen* Abrahami amici mei," XLI: 8. ibi agitur de regeneratione hominis; ubi Iſrael & Jacobus, ut multoties, diſtinguuntur, & per Iſraelem ſignificatur Eccleſia ſpiritualis interna, per Jacobum ejuſdem externa, utraque vocatur ſemen Abrahami, hoc eſt, Eccleſiæ cœleſtis, quia cœleſte, ſpirituale & naturale ſibi ſuccedunt. Apud Jeremiam "Ego plantaveram te "vitem præſtantem totam, *Semen veritatis*, quomodo converſa es Mihi in "degeneres vitis alienæ," II: 21. ubi de Eccleſia ſpirituali, quæ vitis præſtans, cujus charitas ſeu fides charitatis appellatur ſemen veritatis. Apud Eundem, "Sicut non numeratur exercitus cœlorum, & non menſuratur arena "maris, ita multiplicabo *Semen Davidis* ſervi mei, & Levitas miniſtrantes Mihi," XXXIII: 22. ubi manifeſte ſemen pro ſemine cœleſti, nam per Davidem ſignificatur Dominus; quod ſemen Davidis non fuit ſicut excercitus cœlorum qui non numeratur, nec ſicut arena maris quæ non menſuratur, unicuivis notum eſt. Apud Eundem, "Ecce dies venientes, dictum Jehovæ, & "ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & regnabit rex, intelligenter aget, & fa"ciet judicium & juſtitiam in terra: in diebus Ipſius ſalvabitur Jehuda, & "Iſrael habitabit confidenter; & hoc nomen illius quod vocabunt illum, Je"hovah juſtitia noſtra: quare ecce dies venientes, dictum Jehovæ, & non "dicent amplius, vivens Jehovah, Qui aſcendere fecit filios Iſraelis e terra "Ægypti; ſed vivens Jehovah, Qui aſcendere fecit, & Qui deduxit *Semen do*"*mus Iſraelis* e terra ſeptentrionis," XXIII: 6, 7, 8. ibi prorſus alia ſignificantur, quam quæ apparent in litera, non per Davidem David, non per Jehudam Judas, nec per Iſraelem Iſrael, ſed per Davidem Dominus, per Jehudam cœleſte, per Iſraelem ſpirituale; quare per ſemen Iſraelis illi quibus eſt charitas, ſeu fides charitatis. Apud Davidem, "Timentes Jehovam, laudate Ipſum, omne *Semen* "*Jacobi* glorificate Ipſum, metuite ab ipſo omne *Semen Iſraelis*," Pſalm: XXII: 24, 25. ibi per ſemen Iſraelis nec aliud ſemen intelligitur, quam Eccleſia ſpiritualis. Apud Eſaiam, "Stirps ejus erit *Semen ſanctitatis*," VI: 13. pro reliquiis, quæ ſancta, quia Domini: apud Eundem, "Educam de Jacobo *Semen*, & "ex Jehuda poſſeſſorem montium meorum, & poſſidebunt illam electi mei, & "ſervi mei habitabunt ibi," LXV: 9. ubi de Eccleſia cœleſti externa & interna. Apud Eundem, "Non *generabunt* in perturbationem, *Semen* benedictorum Je"hovæ illi, & nati illorum cum illis," LXV: 23. ubi de novis cœlis, & nova terra, ſeu de Regno Domini, qui ibi, ex amore generati ſeu regenerati, appellantur ſemen benedictorum Jehovæ.

1026.

1026. Cum omni anima viva quæ cum vobis, quod ſignificent in genere omnia quæ apud hominem regenerata ſunt, conſtare poteſt ab illis quæ præcedunt, & ab illis quæ ſequuntur, tum a ſignificatione *Vivi*; vivum dicitur omne quod vitam accepit a Domino; anima viva, omne quod apud hominem regeneratum inde vivit; nam ſecundum vitam, quam accipit regeneratus, ſingula apud eum vivunt, tam ejus rationalia, quam ejus affectiones; quæ vita in ſingulis ejus cogitationis & loquelæ apparet coram angelis, non ita coram homine.

1027. Ad avem, quod ſignificet in ſpecie ejus intellectualia, conſtat ab illis quæ aliquoties prius de avibus dicta & oſtenſa ſunt, ut quæ n: 40. 776.

1028. Ad beſtiam, quod ſignificet in ſpecie ejus nova voluntaria, conſtat etiam ab illis, quæ prius de beſtiis, & earum ſignificatione, dicta & oſtenſa ſunt, ut quæ n: 45, 46, 142, 143, 246, 776.

1029. Ad omnem feram terræ, quod ſignificet ejus inferiora intellectualia & voluntaria quæ inde, conſtat quoque ab illis quæ prius de ſignificatione feræ oſtenſa ſunt: ſunt enim apud unumquemvis hominem interiora & exteriora; interiora ſunt rationalia, quæ hic ſignificata ſunt per avem, & ſunt affectiones, quæ ſignificatæ per beſtiam; exteriora ſunt ſcientifica & voluptates, quæ hic per feras terræ ſignificantur. Quod per avem, beſtiam & feram non ſignificetur aliqua avis, beſtia aut fera, ſed quod vivum eſt apud hominem regeneratum, unuſquiſque poteſt ſcire & concludere ex eo, quod fœdus iniri a Deo nequeat cum brutis animalibus, nam dicitur, erigo fœdus cum omni anima viva quæ cum vobis ad avem, ad beſtiam, & ad feram terræ vobiſcum, ſed cum homine, qui quoad ejus interiora & exteriora ita per eas deſcribitur.

1030. Ab omnibus egredientibus ex arca, quod ſignificet homines Eccleſiæ, & quoad omnem feram terræ, quod ſignificet hominem extra Eccleſiam, conſtare poteſt a ſerie rerum in ſenſu interno, nam prius nominata ſunt omnia quæ egreſſa ſunt ex arca, ut omnis anima viva quoad avem, beſtiam, & feram terræ, hic iterum dicitur, ab omnibus egredientibus ex arca quoad feram terræ, ita fera terræ altera vice nominatur, quæ repetitio non foret, niſi aliud quid hic intelligebatur; tum etiam ſequitur, *& erigo fœdus meum vobiſcum*, quod prius etiam dictum; inde conſtat, quod per egredientes ex arca ſignificentur regenerati, ſeu homines Eccleſiæ, & per feram terræ omnes in univerſo qui extra Eccleſiam: fera terræ in Verbo ſignificat, quando per illam viva non intelliguntur, illa quæ viliora ſunt & plus aut minus ex ferina natura trahunt, & hoc prædicate ad ea, de quibus agitur; cum de iis quæ in homine, tunc fera terræ ſignificat inferiora, quæ externi hominis & quæ corporis ſunt, ut mox prius in hoc verſu, ita viliora; cum de integra ſocietate, quæ homo compoſitus ſeu perſona compoſita vocatur, tunc fera terræ ſignificat eos qui non Eccleſiæ ſunt, quia viliores; & ſic porro prædicate ad id quod eſt ſubjectum: ut apud Hoſeam, " Feriam illis *fœdus* in die illo cum *Fera* agri, & " cum ave cœlorum, & reptili terræ," ii: 18. apud Eſaiam, " Honorabit

" Me

"Me *Fera* agri, quia dedi in deſerto aquas," XLIII: 20. apud Ezechielem, "In ramis illius nidificarunt omnis avis cœlorum, & ſub ramis illius genuerunt omnis *Fera* agri, ac in umbra illius habitaverunt *omnes gentes magnæ*," XXXI: 6.

1031. Verſ: 11. *Et erigo fœdus meum vobiſcum; & non excidetur omnis caro amplius ab aquis diluvii; & non erit amplius diluvium ad perdendum terram.* Et erigo fœdus meum vobiſcum, ſignificat præſentiam Domini apud quoſcunque, quibus charitas, ſeque refert ad egredientes ex arca, & ad omnem feram terræ, hoc eſt, ad homines intra Eccleſiam, & ad homines extra Eccleſiam: & non excidetur omnis caro amplius ab aquis diluvii, ſignificat quod non perituri ſicut ultima poſteritas Antiquiſſimæ Eccleſiæ: & non erit amplius diluvium ad perdendum terram, ſignificat quod talis perſuaſio lethifera & ſuffocativa non exiſtet.

1032. Et erigo fœdus meum vobiſcum, quod ſignificet præſentiam Domini apud quoſcunque, quibus charitas, ſeque referat ad egredientes ex arca, & ad omnem feram terræ, hoc eſt, ad homines intra Eccleſiam, & ad homines extra Eccleſiam, conſtat ex illis quæ mox prius dicta ſunt. Quod etiam Dominus fœdus ineat, ſeu per charitatem ſe conjungat cum illis qui extra Eccleſiam ſunt, & vocantur gentes, ita ſe res habet; homo Eccleſiæ putat, quod omnes qui extra Eccleſiam, qui gentes vocantur, non ſalvari poſſint, ex cauſa quod nullas cognitiones fidei habeant, & ideo ignorent prorſus Dominum, dicentes quod abſque fide, & abſque cognitione Domini, nulla ſalus; ita omnes qui ſunt extra Eccleſiam, damnant; imo multi tales ſunt, qui in aliqua doctrina ſunt, etiam qui in hæreſi, quod omnes qui extra ſunt, ſeu omnes qui non ſentiunt ſicut ii, putent non ſalvari; cum tamen prorſus aliter ſe res habet: Dominus Miſericordiam habet erga omne genus humanum, & omnes qui in univerſo ſunt ſalvare vult & ad ſe trahere; Miſericordia Domini eſt infinita, nec ſe finiri patitur intra paucos illos qui intra Eccleſiam ſunt, ſed extendit ſe ad omnes in univerſo terrarum orbe; quod extra Eccleſiam nati ſint, & ſic in ignorantia fidei, non eorum culpa eſt, & propterea quod non habent fidem in Dominum, quia ignorant Ipſum, nuſquam aliquis damnatur: quis uſquam dicturus ſit, qui bene cogitat, quod maxima pars generis humani æterna morte peritura, quia non nati intra Europam, ubi reſpective pauci ſunt; & quis dicturus qui bene cogitat, quod Dominus pateretur tantam multitudinem hominum naſci, ut periret morte æterna, hoc foret contra Divinum, & contra Miſericordiam; & præterea illi qui extra Eccleſiam ſunt, qui gentes vocantur, multo moratiorem vitam vivunt, quam qui intra Eccleſiam, & facilius multo amplectuntur veræ fidei doctrinam; quod adhuc manifeſtius conſtare poteſt ab Animabus in altera vita; ex orbe ita vocato Chriſtiano veniunt omnium peſſimi, internecino odio habentes proximum, & internecino Dominum; præ omnibus in univerſo terrarum orbe adulteri; non autem ita ex cæteris orbis partibus; nam permulti ex his qui idola coluerunt, tali animo ſunt, ut odia & adulteria horreant, & timeant Chriſtianos, quia tales, & quod unumquemvis cruciare velint: imo

Gentes

Gentes tales ſunt, ut cum informantur ab Angelis, de veris fidei, & quod Dominus regat univerſum, facile audiant, & facile imbuantur fide, & ſic idola ſua rejiciant; quare Gentes, qui moratam vitam vixerunt, & in charitate mutua, inque innocentia, ii in altera vita regenerantur: cum vivunt in mundo, apud eos Dominus præſens eſt in charitate & innocentia, nam nihil charitatis & innocentiæ eſt niſi a Domino: Dominus quoque iis conſcientiam recti & boni ſecundum religioſum eorum donat, & conſcientiæ illi inſinuat innocentiam & charitatem, cumque innocentia & charitas in conſcientia, tunc facile ſe patiuntur imbui vero fidei ex bono: Ipſe Dominus hoc ita dixit, apud Lucam, "Dixit ad Jeſum aliquis, Domine, num pauci ſunt, qui ſalvantur; Ipſe dixit ad eos, videbitis Abrahamum, Iſacum & Jacobum, & omnes prophetas in Regno Dei, vos vero ejectos foras: contra venient ab ortibus & occaſibus, & a ſeptentrione, & a meridie, accumbentes in Regno Dei; & ecce ſunt extremi qui erunt primi, & ſunt primi, qui erunt ultimi," XIII: 23, 28, 29, 30. per Abrahamum, Iſacum & Jacobum, intelliguntur hic omnes qui in amore ſunt, ut prius oſtenſum eſt.

1033. Dictum quod gentes quoque Conſcientia recti & boni ſecundum religioſum eorum donentur, quod ita ſe habet: Conſcientia in genere, eſt Vera, Spuria, & Falſa; *Conſcientia vera* eſt, quæ formatur a Domino ex veris fidei, qua cum donatus eſt homo, timet agere contra vera fidei, quia ſic contra conſcientiam; hanc conſcientiam nemo accipere poteſt, qui non in veris fidei eſt, quare etiam non ita multi in orbe Chriſtiano, quiſque enim verum fidei ſtatuit ſuum dogma; ſed uſque, qui regenerantur, accipiunt conſcientiam cum charitatem, nam fundamentale conſcientiæ eſt charitas. *Conſcientia ſpuria* eſt, quæ formatur apud gentes ex cultu eorum religioſo, in quem nati & educati ſunt, contra quem agere iis eſt contra conſcientiam; quorum conſcientia cum fundata eſt in charitate, & miſericordia, & in obedientia, tunc tales ſunt, ut veram conſcientiam in altera vita recipere poſſint, quam etiam accipiunt; nihil enim prius & potius amant, quam verum fidei. *Conſcientia falſa* eſt, quæ formatur non ab internis ſed ab externis, hoc eſt, non a charitate, ſed ab amore ſui & mundi; ſunt enim qui ſibi videntur contra conſcientiam agere, cum contra proximum, & quoque tunc videntur ſibi intrinſecus angi, ſed eſt ex cauſa, quia ſic cogitatione percipiunt ſuam vitam, ſuum honorem, ſuam famam, ſuas opes, aut ſuum lucrum, periclitari, & ſic ipſum ſe lædi; aliqui ex hæreditario trahunt quandam talem mollitiem cordis, quidam ſibi acquirunt, ſed eſt conſcientia falſa.

1034. Quod non excidetur omnis caro amplius ab aquis diluvii, ſignificet quod non perituri ſint, ſicut ultima poſteritas Antiquiſſimæ Eccleſiæ, conſtat ab illis, quæ prius de antediluvianis, qui perierunt, dicta ſunt, qui ſunt qui exciſi ab aquis diluvii; oſtenſum prius eſt n: 310. quomodo ſe res habuit, nempe quod Antiquiſſimæ Eccleſiæ poſteritas ultima talis fuerit, ut, cum voluntarium eorum etiam ſimul intellectuale eorum fuiſſet corruptum, ſic ut apud eos non potuiſſet intellectuale ſeparari ab eorum voluntario,

& in

& in intellectuali formari nova voluntas, nam ita utraque mentis eorum pars cohærebat: quod quia prævisum, etiam proviſum a Domino fuit, ut apud hominem ſeparari poſſet intellectuale ejus a voluntario, & ſic renovari: & ſic, quia proviſum, quod talis homo poſtea non exiſteret, qualis gens iſta antediluviana, ideo hic dicitur, quod non exſcindetur amplius ulla caro ab aquis diluvii.

1035. Et non erit amplius diluvium ad perdendum terram, quod ſignificet, quod talis perſuaſio lethifera & ſuffocativa non amplius exiſtet, conſtare poteſt ex ſignificatione diluvii reſpective ad antediluvianos qui perierunt, de qua prius; tum ex perſuaſionibus eorum diris, de quibus n: 310, 563, 570, 581, 586. ut & ex illis, quæ de ſuccedente Eccleſia, Noachus appellata; & porro ex ſequentibus de arcu iridis.

1036. Verſ: 12, 13. *Et dixit Deus, hoc ſignum fœderis, quod Ego do inter Me & inter vos, & inter omnem animam vivam, quæ vobiſcum, in generationes ſæculi. Arcum meum dedi in nube, & erit in ſignum fœderis inter Me & inter terram.* Et dixit Jehovah, ſignificat quod ita eſſet: hoc ſignum fœderis, ſignificat indicium præſentiæ Domini in charitate: Quod Ego do inter Me & inter vos, ſignificat conjunctionem Domini cum homine per charitatem: & inter omnem animam vivam quæ vobiſcum, ſignificat, ut prius, omnia quæ apud hominem regenerata ſunt: in generationes ſæculi, ſignificat perpetuo omnes qui e novo creantur: arcum dedi in nube, ſignificat ſtatum hominis regenerati ſpiritualis, qui inſtar arcus iridis eſt: nubes ſignificat obſcuram lucem, in qua eſt ſpiritualis homo reſpective ad cœleſtem: & erit in ſignum fœderis inter Me & inter terram, ſignificat, ut prius, indicium præſentiæ Domini in charitate; terra hic eſt proprium hominis. Hæc omnia ſpectant hominem regeneratum ſpiritualem, ſeu Eccleſiam ſpiritualem.

1037. Et dixit Deus, quod ſignificet, ita eſſe, prius dictum & oſtenſum eſt, nam dicere, aut dictum Dei ſeu Jehovæ, ſignificat ita eſſe: Antiquiſſimi, quia hiſtorice concinnabant res Eccleſiæ, cum affirmare vellent, quod ita eſſet, dicebant, dixit Deus, vel dixit Jehovah, & erat illis formula aſſeverationis & confirmationis.

1038. Hoc ſignum fœderis, quod ſignificet indicium præſentiæ Domini in charitate, conſtat a ſignificatione fœderis & ſigni fœderis; quod fœdus ſignificet præſentiam Domini in charitate, oſtenſum eſt prius Cap: VI. verſ: 18. & ſupra in hoc Capite ad verſ: 9. Quod fœdus ſit præſentia Domini in amore & charitate, conſtat a natura fœderis; omne fœdus eſt conjunctionis cauſa, ut nempe mutuo vivant in amicitia, aut in amore; conjugium inde quoque appellatur fœdus: conjunctio Domini cum homine non datur niſi in amore & charitate, nam Dominus eſt Ipſe amor, & Miſericordia, unumquemvis ſalvare vult, & vi forti ad cœlum, hoc eſt, ad ſe attrahere; inde quiſque ſcire & concludere poteſt, quod nuſquam aliquis conjungi poſſit cum Domino, niſi per illud quod Ipſe eſt, hoc eſt, niſi ſimile faciat, aut unum faciat cum Ipſo, hoc eſt, ut reamet Dominum, & amet proximum ſicut ſe; per hæc ſolum fit conjunctio; hæc eſt ipſiſſima eſſentia fœderis; quando con-

junctio

junctio inde, tunc ſequitur manifeſte, quod Dominus præſens ſit: ipſa præſentia Domini eſt quidem apud omnem hominem, ſed eſt propior & remotior, prorſus ſecundum gradus ad amorem, & diſtantiam ab amore: Quia fœdus eſt conjunctio Domini cum homine per amorem, ſeu quod idem eſt, eſt præſentia Domini apud hominem in amore & charitate, ipſum fœdus appellatur in Verbo fœdus pacis, nam Pax ſignificat Regnum Domini, & Regnum Domini conſiſtit in amore mutuo, in quo ſolo eſt Pax: ut apud Eſaiam, " Montes recedent & colles dimovebuntur, & *Miſericordia* mea " a tecum non recedet, & *Fœdus pacis* meæ non dimovebitur, dixit *Miſerator* tuus Jehovah," Eſ: LIV: 10. ubi Miſericordia, quæ eſt amoris, dicitur fœdus pacis: apud Ezechielem, " Suſcitabo ſuper illos Paſtorem unum, & " paſcet illos, ſervum Meum Davidem; Hic paſcet eos, & Hic erit illis in " paſtorem, & excidam illis *Fœdus pacis*," XXXIV: 23, 25. ubi per Davidem manifeſte intelligitur Dominus; Ipſius præſentia apud hominem regeneratum deſcribitur per, quod paſcet eos: apud Eundem, " Servus meus David, Rex " ſuper illos, & Paſtor unus erit omnibus illis; & *pangam illis Fœdus pacis*, " *Fœdus æternitatis* erit cum illis, & dabo illos, & multiplicari faciam illos, & " ponam Sanctuarium meum in medio illorum in æternum; & ero illis in " Deum, & illi erunt Mihi in populum," XXXVII: 24, 26, 27. ubi ſimiliter Dominus per Davidem intelligitur; amor per ſanctuarium in medio illorum, præſentia & conjunctio Domini in amore, per quod erit illis in Deum, & illi erunt Ipſi in populum, quæ appellatur fœdus pacis, & fœdus æternitatis: apud Malachiam, " Cognoſcetis quod miſerim ad vos præceptum hoc, ut ſit " *Fœdus meum* cum Levi, dixit Jehovah Zebaoth, *Fœdus meum* fuit cum illo, " *vitarum & pacis*, & dedi illa illi timore, & timebit Me," II: 4, 5. Levi in ſupremo ſenſu eſt Dominus, & inde homo cui amor & charitas, quare fœdus vitarum & pacis cum Levi eſt in amore & charitate. Apud Moſen, ubi de Pinchaſo, " Ecce Ego dans illi *Fœdus Meum Pacis*, & erit illi & ſemini illius poſt illum *Fœdus ſacerdotii æterni*," Num: XXV: 12, 13. ubi per Pinchaſum non intelligitur Pinchaſus, ſed ſacerdotium quod per eum repræſentabatur, quod ſignificat amorem & quæ amoris ſunt, ſicut omne ſacerdotium iſtius Eccleſiæ; quiſque novit quod Pinchaſo non fuit ſacerdotium æternum: apud Eundem, " Jehovah Deus tuus, Ipſe Deus, Deus fidelis, cuſtodiens " *Fœdus* & *Miſericordiam amantibus Ipſum*, & cuſtodientibus præcepta Ipſius, milleſimæ generationi," Deut: VII: 9, 12. ubi manifeſte, quod præſentia Domini apud hominem in amore ſit fœdus, nam dicitur quod ſit amantibus Ipſum, & cuſtodientibus præcepta. Quia Fœdus eſt conjunctio Domini cum homine per amorem, ſequitur quod quoque ſit per omnia quæ ſunt amoris, quæ ſunt vera fidei, & appellantur Præcepta; omnia enim præcepta, imo Lex & Prophetæ, fundantur in unica Lege, ut ament Dominum ſupra omnia, & proximum ſicut ſemet, ut conſtat a Domini verbis, Matth: XXII: 34 ad 39. Marc: XII: 28 ad 35. quare etiam Tabulæ, ſuper quibus decem Præcepta ſcripta ſunt, appellantur Tabulæ fœderis: quia fœdus aut con-

junctio eſt per amoris leges ſeu præcepta, etiam fuit per leges ſocietatis in Eccleſia Judaica latas a Domino, quæ vocantur Teſtimonia; tum quoque per Ritus Eccleſiæ a Domino mandatos, qui vocantur Statuta; omnia hæc vocantur fœderis, quia ſpectant amorem & charitatem: ſicut legitur de Joſchia Rege, "Stetit Rex ſuper columna, & *pepigit Fœdus* coram Jehovah, ad eundum poſt Jehovam, & ad cuſtodiendum *Præcepta* Ipſius, & *Teſtimonia* Ipſius, & *Statuta* Ipſius ex toto corde, & ex tota anima, ad ſtabiliendum "*verba fœderis*," II Reg: xxiii: 3. Ex his nunc conſtat quid eſt fœdus, & quod fœdus ſit internum, nam conjunctio Domini cum homine fit per interna, nuſquam per externa ſeparata ab internis; externa ſunt modo typi & repræſentativa internorum, ſicut actio hominis eſt typus repræſentativus ejus cogitationis & voluntatis, & ſicut opus charitatis eſt typus repræſentativus charitatis quæ intus in animo & mente; ita omnes ritus Eccleſiæ Judaicæ erant typi repræſentativi Domini, proinde amoris & charitatis, & omnium quæ inde; quare per interna hominis fit fœdus & conjunctio, externa ſunt modo *Signa fœderis*, ſicut etiam appellantur; quod per interna fiat fœdus aut conjunctio, conſtat manifeſte; ut apud Jeremiam, "Ecce dies venientes, dictum "Jehovæ, & *pangam* cum domo Iſraelis, & cum domo Jehudæ, *Fœdus* "*novum*, non ſicut *Fœdus* quod pepigi cum patribus eorum, quia ii irritum "reddiderunt *Fœdus meum*; ſed hoc *Fœdus* quod pangam cum domo Iſraelis poſt dies hos, dabo *Legem meam in medio eorum, & ſuper cor eorum* "*ſcribam illam*," xxxi: 31, 32, 33. ubi de nova Eccleſia; clare dicitur, quod ipſiſſimum fœdus ſit per interna, & quidem in conſcientia, cui inſcribitur Lex, quæ omnis eſt amoris, ut dictum. Quod Externa non ſint fœdus, niſi iis interna adjuncta ſint, & ſic unam eandemque cauſam per unionem agant, ſed quod ſint Signa fœderis, ut per illa, ſicut per typos repræſentativos recordarentur Domini, conſtat ex eo, quod Sabbathum & Circumciſio vocentur ſigna fœderis; quod Sabbathum, apud Moſen, "Cuſto-"dient filii Iſraelis *Sabbathum*, ad faciendum *Sabbathum*, in generationes "ſuas, *Fœdus æternum*; inter Me & inter filios Iſraelis *Signum* hoc in æter-"num," Exod: xxxi: 16, 17. & quod Circumciſio, apud Eundem, "Hoc "*Fœdus* Meum, quod cuſtodietis inter Me & inter vos, & inter ſemen tuum "poſt te; *Circumcidi* vobis omnem maſculum: & *Circumcidetis* carnem præ-"putii veſtri, & erit in *Signum fœderis* inter Me & inter vos," Gen: xvii: 10, 11. Sanguis inde quoque appellatur ſanguis fœderis, Exod: xxiv: 7, 8. Externi Ritus cumprimis inde dicti ſunt ſigna fœderis, ut ex illis recordarentur interiorum, hoc eſt, illarum rerum quas ſignificabant; omnes ritus Eccleſiæ Judaicæ non aliud erant; quare etiam illa appellabantur Signa, quæ ſuppeditarent illis recordationem interiorum, ſicut quod primarium Præceptum alligarent ſuper manu, & ad frontalia, ut apud Moſen, "Amabis Jehovam "Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus vi-"ribus tuis: & alligabis hæc verba in *Signum* ſuper manu tua, & erunt in "frontalia inter oculos tuos," Deut: vi: 5, 8. Cap: xi: 13, 18. ubi

manus

manus ſignificat voluntatem quia potentiam, nam potentia eſt voluntatis, frontalia inter oculos ſignificat intellectum, ita Signum recordationem primarii præcepti, ſeu Legis in ſumma, ut continue ſit in voluntate & continue in cogitatione, hoc eſt, ut ſit præſentia Domini, & amoris in omni voluntate, & in omni cogitatione; talis eſt præſentia Domini, & ab Ipſo amoris mutui apud angelos, de qua continua præſentia, qualis ſit, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus dicetur. Similiter hic, quod dicatur, *hoc ſignum fæderis, quod ego do inter Me & inter vos, arcum meum dedi in nube, & erit in ſignum fæderis inter Me & inter terram*, ſignificat Signum non aliud quam indicium præſentiæ Domini in charitate, ita recordationem apud hominem: ſed quomodo inde, ſeu ex arcu in nube, indicium & recordatio, in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur.

1039. Quod Ego do inter Me & inter vos, quod ſignificet conjunctionem Domini cum homine per charitatem, conſtat ab illis quæ nunc de fœdere & ſigno fœderis dicta ſunt: fœdus enim eſt præſentia Domini in charitate, inter Me & inter vos eſt conjunctio inde, dare eſt facere ut ſit.

1040. Et inter omnem animam vivam quæ vobiſcum, quod ſignificet omnia quæ apud hominem regenerata ſunt, conſtat ex ſignificatione animæ vivæ, de qua ſupra ad verſ: 10: Anima enim in Verbo ſignificat, ut dictum, omnem vitam, tam hominis internam quam externam, etiam animalium ex eo quod ſignificent illa quæ in homine; ſed proprie anima viva eſt, quod vitam accipit a Domino, hoc eſt, quod regeneratum eſt, quia hoc ſolum vivit; & quia anima ſignificat vitam tam internam quam externam apud hominem, anima viva ſignificat in uno complexu omnia quæ apud hominem regenerata ſunt: apud hominem ſunt voluntaria & ſunt intellectualia, inter ſe diſtinctiſſima, omnia & ſingula quæ inde, apud hominem vivum, viva ſunt: ita enim ſe res habet, qualis eſt homo, talia ſunt omnia & ſingula apud eum, ipſa vita communis eſt in ſingulis, nam a ſingulis, ut a ſuis particularibus, eſt commune, aliter nuſquam aliquod commune exiſtit, nam commune dicitur quia a particularibus exiſtit; quare qualis eſt hominis vita in communi, talis eſt ejus vita in ſingularibus imo in ſingulariſſimis ejus conatus & intentionis ſeu voluntatis, & in ſingulariſſimis ejus cogitationis, ſic ut non dari queat minimum ideæ in quo non ſimilis vita eſt; ut qui faſtuoſus eſt, in ejus ſingulis conaminibus voluntatis, & in ejus ſingulis ideis cogitationis, eſt faſtuoſum; qui avarus eſt, eſt avarum ſimiliter; qui odio habet proximum ſimiliter; ſicut qui ſtupidus, in ſingulis ejus voluntatis & in ſingulis ejus cogitationis, eſt ſtupidum; & qui inſanus, eſt inſanum; quia talis eſt homo, ideo in altera vita ex ſolum unica idea cogitationis ejus noſcitur qualis eſt; cum homo regeneratus eſt, tunc omnia & ſingula apud hominem regenerata ſunt, hoc eſt vitam habent, & quidem tantum vitæ, quantum ſeparari potuit ejus proprium voluntarium, quod ſpurcum & mortuum eſt, a novo voluntario & intellectuali quod accepit a Domino; quare hic quia de regenerato agitur, anima viva ſignificat omnia quæ apud hominem regenerata ſunt; quæ in communi ſunt ejus intellectualia & voluntaria, tam interiora quam exteriora, quæ ſupra verſ: 10. expreſſa ſunt per avem, & be-

 ſtiam,

ſtiam, & per feram terræ, nam dicitur, "erigo fœdus meum cum omni *Anima viva*, ad avem, ad beſtiam, & ad feram terræ."

1041. In generationes ſæculi, quod ſignificet perpetuo omnes qui e novo creantur, conſtat a ſignificatione generationum ſæculi; generationes ſunt poſteritates, quæ a prioribus, ut a ſuis parentibus, ſunt; ſæculum eſt perpetuum; hic agitur de illis quæ regenerata ſunt, quare per regenerationes ſæculi intelliguntur illi, qui inde perpetuo regenerantur, hoc eſt, qui e novo creantur; omnia in ſenſu interno ſe habent prædicate ad illa, de quibus agitur.

1042. Arcum dedi in nube, quod ſignificet ſtatum hominis regenerati ſpiritualis, qui inſtar arcus iridis eſt: quiſque mirari poteſt, quod arcus in nube ſeu iris, in Verbo accipiatur pro ſigno fœderis, cum Iris non aliud ſit, quam quoddam exſurgens ex modificatione radiorum lucis a ſole tunc in guttis aquæ pluviæ, nec aliud quam naturale quoddam, nec ſicut alia ſigna fœderis in Eccleſia, de quibus mox prius: ſed quod arcus in nube repræſentet regenerationem, & ſignificet ſtatum hominis regenerati ſpiritualis, non alicui notum eſſe poteſt, niſi cui datum videre, & inde ſcire, quomodo ſe res habet: Angeli ſpirituales, qui omnes fuerunt homines Eccleſiæ ſpiritualis regenerati, in altera vita, cum ſiſtuntur conſpiciendi ita, apparet circum caput, ſicut arcus iridis; ſed irides, quæ apparent, ſe habent prorſus ſecundum ſtatum eorum, inde etiam cognoſcuntur in cœlo & in mundo ſpirituum, quales ſunt: quod inſtar iridis appareat, cauſa eſt, quod naturalia eorum correſpondentia ſpiritualibus talem ſpeciem ſiſtant, eſt modificatio lucis ſpiritualis a Domino, in eorum naturalibus; hi Angeli ſunt, qui dicuntur regenerati aqua & ſpiritu, Angeli vero cœleſtes regenerati igne. In naturalibus ita ſe habet; ut color exiſtat, debet eſſe quoddam obſcurum & niveum, ſeu nigrum & album, in quæ cum radii lucis ex Sole incidunt, ſecundum variam temperaturam obſcuri & nivei, ſeu nigri & albi, ex modificatione radiorum lucis influentium, exiſtunt colores, quorum quidam magis aut minus trahunt ex obſcuro & nigro, quidam magis aut minus ex niveo ſeu albo, inde diverſitas eorum; comparative ſe habet res in ſpiritualibus, ibi Obſcurum eſt proprium intellectuale ſeu falſum, & Nigrum eſt proprium voluntarium hominis ſeu malum, quod abſorbet & exſtinguit radios lucis; at Niveum & Album eſt verum & bonum quod homo putat facere ex ſemet, quod reflectit & rejicit a ſe radios lucis; radii lucis, qui in illa incidunt, & illa quaſi modificant, ſunt a Domino, ut a Sole ſapientiæ & intelligentiæ, nam radii lucis ſpiritualis non alii ſunt, nec aliunde: quia naturalia correſpondent ſpiritualibus, inde eſt, cum circa hominem regeneratum ſpiritualem, in altera vita, ſiſtatur ita videndum, quod appareat ſimile arcui in nube, qui arcus eſt repræſentatio ſpiritualium in ejus naturalibus: apud hominem regeneratum ſpiritualem eſt proprium intellectuale, cui Dominus inſinuat innocentiam, charitatem & miſericordiam; ſecundum receptionem horum donorum ab homine, apparet ejus iris, cum ſiſtitur videnda, eo pulchrior, quo magis proprium voluntarium hominis remotum, ſubactum, & in obſequium redactum eſt.

eſt. Prophetis, cum in viſione Dei, fuerunt, apparuit quoque arcus ſicut qui in nube, ut Ezechieli, " Supra expanſum, quod ſuper capite Cheruborum, " quaſi aſpectus lapidis Sapphiri, ſimilitudo throni, ſimilitudo tanquam a- " ſpectus Hominis ſuper illo ſuperius: & vidi ſicut ſpeciem prunæ co- " ruſcantis ſecundum aſpectum ignis, intra illam circumcirca ab aſpectu " lumborum Ipſius & ſupra; & ab aſpectu lumborum Ipſius & infra, vidi " tanquam aſpectum ignis cui ſplendor circumcirca, ſicut aſpectus *Arcus cum* " *ſit in nube in die pluviæ*, ſic aſpectus ſplendoris circumcirca; hic aſpectus " ſimilitudinis Gloriæ Jehovæ," i: 26, 27, 28. Cuivis conſtare poteſt quod Dominus ita viſus, & tunc per Ipſum repræſentatum Cœlum, nam Ipſe eſt Cœlum, hoc eſt, omne in omnibus Cœli; Ipſe eſt Homo de quo ibi, Thronus eſt Cœlum, pruna coruſcans ſecundum aſpectum ignis a lumbis ſupra eſt Cœleſte amoris, ignis ſplendor circumcirca a lumbis infra ſicut arcus in nube eſt cœleſte ſpirituale; ita Cœlum cœleſte ſeu cœleſtium Angelorum repræſentatum a lumbis ſupra, & Cœlum ſpirituale ſeu ſpiritualium Angelorum a lumbis infra; quæ enim infra ſunt a lumbis uſque per pedes ad plantas, in Maximo homine ſignificant naturalia: inde quoque conſtat, quod naturalia hominis ita illuſtrata per lucem ſpiritualem a Domino, inſtar arcus in nube appareant. Apparuit etiam Johanni, de quibus in Apoc: iv: 2, 3. Cap: x: 1.

1043. Quod nubes ſignificet obſcuram lucem, in qua eſt ſpiritualis homo reſpective ad cœleſtem, conſtare poteſt ex illis quæ de arcu nunc dicta ſunt; arcus enim ſeu color arcus nuſquam exiſtit niſi in nube, ipſum obſcurum, ut dictum, per quod fulgurant radii ſolis, eſt quod vertitur in colores, ita quale obſcurum, quod a fulgure radiorum perſtringitur, talis color: ſimiliter ſe habet apud hominem ſpiritualem, obſcurum apud eum, quod hic vocatur nubes, eſt falſum, quod idem eſt, ac proprium ejus intellectuale, cui proprio cum inſinuatur innocentia, charitas & miſericordia a Domino, tunc non amplius apparet hæc nubes ut falſum, ſed ut apparens veri, una cum vero ex Domino, inde inſtar arcus colorati; eſt modificatio quædam ſpiritualis quæ nuſquam deſcribi poteſt, quæ niſi percipiatur ab homine per colores, & eorum nativitates, non ſcio an queat ad captum exponi. Qualis hæc nubes eſt apud hominem regeneratum, conſtare poteſt a ſtatu ejus ante regenerationem; homo regeneratur per illa quæ putat eſſe vera fidei, quiſque putat ſuum dogma eſſe verum, inde conſcientiam accipit, quare poſtquam accepit conſcientiam, contra illa agere, quæ ei impreſſa ſunt quod ſint vera fidei, ei eſt contra conſcientiam; talis eſt unuſquiſque regeneratus, nam regenerantur a Domino multi quocunque dogmate, & cum regenerati ſunt, non tunc aliquam revelationem immediatam accipiunt, niſi quæ illis inſinuantur per Verbum & prædicationem Verbi; ſed quia charitatem accipiunt, Dominus per charitatem operatur in eorum nubem, inde exſurgit lux, ſicut dum ſol perſtringit nubem, quæ inde lucidior fit, & variegatur coloribus; ita quoque in nube exiſtit ſimilitudo arcus; quo itaque nubes tenuior eſt, hoc eſt, quo a pluribus veris fidei intermixtis conſiſtit, eo pul-

pulchrior eſt arcus; at quo nubes hæc denſior eſt, hoc eſt, a paucioribus veris fidei conſiſtit, eo impulchrior arcus; innocentia multum pulchritudinis adjicit, eſt quaſi inde ſplendor vivus in coloribus. Omnes apparentiæ veri ſunt nubes, in quibus homo eſt, cum in ſenſu literæ Verbi, nam in Verbo ſecundum apparentias loquutum eſt, at cum ſimpliciter credit Verbo, tametſi in apparentiis manet, & charitatem habet, hæc nubes reſpective tenuis eſt; in hac nube formatur a Domino Conſcientia apud hominem intra Eccleſiam. Omnes ignorantiæ veri etiam ſunt nubes, in quibus homo eſt, cum non ſcit quid verum fidei, in genere cum non ſcit quid Verbum, & adhuc magis cum non audivit de Domino, in hac nube formatur a Domino conſcientia apud hominem extra Eccleſiam; nam in ipſa ignorantia poteſt eſſe innocentia, & ſic charitas. Omnes falſitates etiam ſunt nubes, ſed hæ nubes ſunt tenebræ, quæ apud eos, qui vel habent conſcientiam falſam, de qua prius, vel apud eos qui habent nullam. Hæ ſunt in genere qualitates nubium; quod quantitatem attinet, tantæ nubes apud hominem ſunt, & tam denſæ, ut ſi noſſet, miraretur, quod uſquam poſſent per eam tranſparere radii lucis a Domino, & quod poſſet homo regenerari; qui minimum nubis ſe habere putat, quandoque perplurimam habet, & qui perplurimum nubis credit ſe habere, is minus habet. Tales nubes ſunt apud hominem ſpiritualem, ſed apud hominem cœleſtem non tantæ ſunt, quia ei amor in Dominum eſt, qui ejus parti voluntariæ implantatus, & ideo quoque non conſcientiam ſicut homo ſpiritualis, ſed perceptionem boni & inde veri a Domino accipit; cum voluntarium hominis tale eſt, ut recipere poſſit radios flammæ cœleſtis, tunc inde intellectuale ejus illuſtratur, & ex amore novit & percipit omnia quæ ſunt vera fidei; voluntarium ejus tunc eſt inſtar exigui ſolis, e quo radii in partem ejus intellectualem; talis fuit homo Antiquiſſimæ Eccleſiæ. Aſt cum voluntarium hominis prorſus corruptum eſt & infernale, & ideo nova voluntas, quæ eſt conſcientia, formatur in parte ejus intellectuali, ut factum apud hominem Antiquæ Eccleſiæ, & fit apud omnem hominem regeneratum Eccleſiæ ſpiritualis, tunc denſa nubes eſt, nam diſcere debet quid verum & bonum eſt, nec percipere poteſt num ſit; & tunc quoque continue influit falſum, quod eſt obſcurum nubis, a parte ejus nigra voluntaria, ſeu per eam ab inferno; quæ cauſa eſt, quod pars intellectualis nuſquam illuſtrari poſſit apud hominem ſpiritualem, ſicut apud hominem cœleſtem; inde eſt, quod nubes hic ſignificet obſcuram lucem in qua eſt ſpiritualis homo reſpective ad cœleſtem.

1044. Et erit in ſignum fœderis inter Me & inter terram, quod ſignificet, indicium præſentiæ Domini in charitate, & quod terra hic ſit proprium hominis, conſtat ab illis quæ prius dicta ſunt; & quod terra ſignificet proprium hominis, conſtat ex ſenſu interno, ipſaque ſerie rerum; prius enim dictum, "hoc ſignum fœderis inter Me & inter vos, & inter omnem animam vivam, quæ vobiſcum," quibus ſignificatum quicquid regeneratum eſt; hic autem aliter, "Erit in ſignum fœderis inter Me & inter terram," inde, ut & ex repetitione ſigni fœderis, patet quod hic ſignificetur aliud, & quidem quod terra id quod non regeneratum eſt, & quod non regenerari po-

teſt,

teſt, quod eſt proprium voluntarium hominis. Homo enim regeneratus quoad partem intellectualem eſt Domini, ſed quoad partem voluntariam ſuam eſt ſui, quæ binæ partes in homine ſpirituali ſunt oppoſitæ; ſed pars voluntaria hominis tametſi oppoſita eſt, uſque tamen non poteſt non adeſſe; omne enim obſcurum in parte ejus intellectuali, ſeu omnis denſitas ejus nubis, eſt inde, continue inde influit, & quantum influit, tantum denſatur nubes in parte intellectuali, at quantum removetur, tantum attenuatur nubes, inde eſt quod per terram hic ſignificetur proprium hominis; quod per terram ſignificetur corporeum hominis præter multa alia, prius oſtenſum eſt: ſe habet hoc, ſicut bini, qui prius amicitiæ fœdere conjuncti ſunt, ut fuit voluntas & intellectus apud hominem Antiquiſſimæ Eccleſiæ, cum amicitia rupta, & inimicitia orta, ut factum cum homo corrupit prorſus voluntarium ſuum, cum iterum fœdus initur, tunc ſiſtitur pars inimica coram, ſicut cum ea fœdus, ſed non eſt fœdus cum ea, quia prorſus oppoſita & contraria, ſed cum illo quod inde influit, ut dictum, hoc eſt, cum proprio intellectuali; ſignum ſeu indicium fœderis hoc eſt, ut quantum præſentiæ Domini in proprio intellectuali, tantum removebitur proprium voluntarium; ſe habent hæc prorſus ſicut cœlum & infernum; hominis regenerati pars intellectualis, ex charitate, in qua Dominus eſt præſens, eſt cœlum, ejus pars voluntaria eſt infernum, quantum Dominus eſt præſens in cœlo, tantum removetur infernum; ex ſe enim homo eſt in inferno, ex Domino eſt in cœlo, & continue homo elevatur ab inferno in cœlum, & quantum elevatur, tantum removetur ejus infernum: ſignum ergo, ſeu indicium, quod Dominus ſit præſens, eſt quod voluntarium hominis removeatur, quod ut removeri poſſit, ſit per tentationes, & per plura alia media regenerationis.

1045. Hæc quæ nunc allata ſunt, ſpectant hominem regeneratum ſpiritualem ſeu Eccleſiam ſpiritualem; quæ nunc ſequuntur, ſpectant omnem hominem in genere; dein hominem, qui regenerari poteſt in ſpecie.

1046. Verſ: 14, 15. *Et erit in obnubilando me nube ſuper terram, & videtur arcus in nube. Et recordabor fœderis mei, quod inter Me & inter vos, & inter omnem animam vivam in omni carne, & non erit amplius aquæ in diluvium ad perdendum omnem carnem.* Et erit in obnubilando Me nube ſuper terram, ſignificat quando propter proprium voluntarium hominis non apparet fides charitatis: & videtur arcus in nube, ſignificat quando uſque homo talis eſt, ut regenerari queat: & recordabor fœderis mei quod inter Me & inter vos, ſignificat Miſericordiam Domini in ſpecie erga regeneratos, & qui regenerari poſſunt: & inter omnem animam vivam in omni carne, ſignificat univerſum genus humanum: & non erit amplius aquæ in diluvium ad perdendum omnem carnem, ſignificat quod intellectuale ejus non amplius talem perſuaſionem imbuere poterit, ut pereat ſicut poſteritas Eccleſiæ Antiquiſſimæ. Hæc ſpectant omnem hominem in genere.

1047. Et erit in obnubilando Me nube ſuper terram, quod ſignificet, quando propter proprium voluntarium hominis non apparet fides charitatis,

conſtat

conſtat ex illis quæ mox ſupra dicta ſunt de terra ſeu proprio voluntario hominis, quod nempe tale ſit, ut continue infundat in partem intellectualem hominis obſcurum ſeu falſum, quod eſt obnubilatio, omnis falſitas eſt inde; quod ſatis manifeſte conſtare poteſt ex eo, quod amores ſui & mundi, qui ſunt voluntatis hominis, non ſint niſi odia, nam quantum quis ſemet amat, tantum odit proximum; qui amores quia ita contrarii ſunt amori cœleſti, non poteſt quin continuo inde influant talia quæ contraria ſunt amori mutuo, quæ omnia in parte intellectuali ſunt falſitates, inde ejus omne obſcurum & tenebroſum; falſum obnubilat verum, prorſus ſicut obſcura nubes lucem ſolis; & quia falſum & verum non poſſunt ſimul eſſe, ſicut non tenebræ & lux; inde manifeſte ſequitur, quod unum diſcedat, veniente altero; & quia hoc per vices fit, ideo hic dicitur, in obnubilando nube terram, hoc eſt, quando per proprium voluntarium non apparet fides charitatis, ſeu verum & inde bonum, minus bonum & inde verum.

1048. Et videtur arcus in nube, quod ſignificet, quando uſque homo talis eſt, ut regenerari queat, conſtat a ſignificatione arcus in nube, qui eſt ſignum ſeu indicium regenerationis, ut prius eſt dictum: cum arcu in nube ita porro ſe habet, homo, ſeu anima poſt mortem corporis, qualis eſt, illico noſcitur, a Domino ab æterno, & qualis futura in æternum; ab angelis percipitur illico ad primum adventum qualis eſt, eſt ſphæra quædam, quæ quaſi exhalat ab indole ejus ſeu a ſingulis quæ apud eum, quæ ſphæra, quod mirabile, talis eſt, ut inde percipiatur qua fide ſit, qua charitate; hæc ſphæra eſt, quæ, cum Domino ita beneplacet, fit viſualis per arcum; de qua ſphæra, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: inde conſtare poteſt, quid ſignificatur hic per arcum cum videtur in nube, quod nempe, cum homo talis eſt, ut regenerari queat.

1049. Et recordabor fœderis mei quod inter Me & inter vos, quod ſignificet Miſericordiam Domini, in ſpecie erga regeneratos & qui regenerari poſſunt, etiam inde ſequitur, nam recordari apud Dominum eſt miſereri; recordari non prædicari poteſt de Domino, quia ab æterno omnia & ſingula novit, ſed miſereri, quia novit quod homo talis ſit, nempe, ut dictum, quod proprium ejus ſit infernale, & quod ſit ipſum ejus infernum, nam per proprium ſuum voluntarium communicat cum inferno, quod inde & ex ſe tale eſt, ut nihil plus & potius cupiat, quam in infernum ſe præcipitare, nec contentus eſt eo, ſed cupit omnes in univerſo; homo quia ex ſe talis diabolus eſt, & Dominus hoc novit, ſequitur, quod recordari fœderis non aliud ſit quam miſereri, & per Divina media regenerare, & ad cœlum vi forti, quantum talis eſt homo, ut poſſit, attrahere.

1050. Et inter omnem animam vivam in omni carne, quod ſignificet univerſum genus humanum, conſtat a ſignificatione animæ vivæ in omni carne: omnis homo anima viva dicitur ex vivo quod apud eum; nuſquam aliquis homo vivere poteſt, minus ut homo, ſi non vivum quid apud ſe habeat, hoc eſt, niſi habeat aliquid innocentiæ, charitatis & miſericordiæ, aut inde aliquid

ſimile vel æmulum; hoc innocentiæ, charitatis & miſericordiæ accipit homo a Domino, cum infans eſt, & cum in ætate puerili, ut conſtare poteſt a ſtatu infantum, tum quoque a ſtatu pueritiæ; quod homo tunc accipit, conſervatur apud hominem; quæ conſervantur, vocantur in Verbo Reliquiæ, quæ Solius Domini ſunt apud hominem; hæc quæ conſervantur, ſunt quæ faciunt, ut homo, dum ad adultam ætatem venit, poſſit eſſe homo; de quibus Reliquiis videantur, quæ n: 468, 530, 560, 561, 562, 563, 576. Quod ſtatus innocentiæ, charitatis & miſericordiæ, quos homo habuit in infantia, & in annis pueritiæ, faciant, quod homo poſſit eſſe homo, conſtat manifeſte ex eo, quod homo in nullum exercitium vitæ, ſicut bruta animalia, naſcatur, ſed quod omnia & ſingula addiſcat, & quæ addiſcit, quod ea ex exercitio tunc trahant habitum, & ſicut naturam, ne quidem ambulare poteſt homo niſi addiſcat, nec loqui, ita in reliquis omnibus, hæc per uſum fiunt ei quaſi naturalia; ita ſe habet cum ſtatu innocentiæ, charitatis & miſericordiæ, quibus ſimiliter imbuitur ab infantia, qui ſtatus niſi adſint apud hominem, foret multo vilius bruto; ſed hi ſtatus ſunt, quos homo non addiſcit, ſed dono accipit a Domino, & quos apud eum Dominus conſervat; ſuntque illi, & una cum veris fidei, qui appellantur reliquiæ, & ſunt Solius Domini; quantum homo in adulta ætate hos ſtatus exſtinguit, tantum mortuus fit: cum regeneratur homo, ſunt hi ſtatus principia regenerationis, & in hos inducitur, nam Dominus per Reliquias, ut prius dictum, operatur. Hæ Reliquiæ apud unumquemvis hominem ſunt quæ vocantur hic Anima viva in omni carne: quod omnis caro ſignificet unumquemvis hominem, ac ita univerſum genus humanum, conſtare poteſt a ſignificatione carnis paſſim in Verbo, videantur quæ oſtenſa n: 574. ut apud Matthæum, "Niſi abbreviarentur dies iſti, non con-"ſervaretur ulla *Caro*," XXIV: 22. Marc: XIII: 20. apud Johannem, "Je-"ſus dixit, Pater glorifica Filium Tuum, ſicut dediſti Ipſi poteſtatem *omnis* "*Carnis*," XVII: 2. apud Eſaiam, "Revelabitur gloria Jehovæ, & vide-"bunt *omnis Caro*," XL: 5. apud Eundem, "Cognoſcent *omnis Caro*, quod "Ego Jehovah Salvator tuus," XLIX: 26.

1051. Quod non erit amplius aquæ in diluvium ad perdendum omnem carnem, ſignificet, quod intellectuale ejus non amplius talem perſuaſionem imbuere poterit, ut pereat ſicut poſteritas ultima Eccleſiæ Antiquiſſimæ, conſtare poteſt ab illis quæ ſæpius prius de aquis diluvii dicta & oſtenſa ſunt, tum quæ de antediluvianis qui perierunt, quod nempe apud eos non ſolum voluntarium fuerit deperditum & infernale factum, ſed etiam intellectuale, ſic ut non potuerint regenerari, hoc eſt, nova aliqua voluntas in parte eorum intellectuali formari.

1052. Verſ: 16. *Erit arcus in nube, & video eum, ad recordandum fœderis æterni, inter omnem animam vivam in omni carne, quæ ſuper terra.* Et erit arcus in nube, ſignificat ſtatum ejus: & video eum, ſignificat quod talis ſit, ut regenerari poſſit: ad recordandum fœderis æterni, ſignificat ut Dominus præſens poſſit apud eum eſſe in charitate: inter Deum, & inter omnem animam

vivam in omni carne, quæ ſuper terra, ſignificat unumquemvis hominem, apud quem hoc dari poteſt. Hæc ſpectant hominem qui regenerari poteſt in ſpecie.

1053. Et erit arcus in nube, quod ſignificet ſtatum ejus, conſtat ex illis quæ prius de arcu in nube dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe homo aut anima in altera vita cognoſcatur ex ſphæra ejus apud Angelos, & quod ſphæra, quoties Domino beneplacet, repræſentetur per colores, quales ſunt arcus, diverſimode ſecundum cujuſvis ſtatum, reſpective ad fidem in Dominum, ita reſpective ad bona & vera fidei: in altera vita ſiſtuntur videndi colores, qui ex nitore & ſplendore immenſum ſuperant pulchritudinem colorum qui oculis in terra videntur; unuſquiſque color aliquid cœleſte & ſpirituale repræſentat; colores illi ſunt ex luce quæ in Cœlo, & variegatione lucis ſpiritualis, ut dictum ſupra; vivunt enim angeli in tanta luce, ut lux Mundi reſpective nihili ſit; lux cœli, in qua vivunt Angeli, ad lucem mundi, ſe habet reſpective ſicut lumen ſolis meridiani ad lumen candelæ, quod exſtinguitur & nullum fit, oriente ſole: eſt in cœlo Lux cœleſtis & eſt Lux ſpiritualis, Lux Cœleſtis, ut comparative loquar, eſt ſicut lux ſolis, at Lux ſpiritualis eſt ſicut lux lunæ, ſed cum omni differentia ſecundum ſtatum Angeli recipientis lucem; ſimiliter ſe habent colores, quia ex luce inde. Ipſe Dominus eſt cœlo angelorum cœleſtium, Sol, & cœlo angelorum ſpiritualium, Luna: hæc incredibilia ſunt iis qui nullum conceptum de vita, quam Animæ vivunt poſt mortem, habent, ſed uſque veriſſima.

1054. Quod video eum, ſignificet quod talis ſit ut regenerari poſſit, conſtat ex eo, quod videre aliquem, cum prædicatur de Domino, ſit noſſe qualis eſt; Dominus enim omnes ab æterno novit, nec opus habet videre qualis eſt; cum talis ut regenerari poſſit, tunc prædicatur de Domino, quod videat aliquem, ſicut etiam quod faciem attollat ſuper aliquem: cum autem non regenerari poteſt, tunc non prædicatur quod Dominus videat, ſicut quod nec attollat faciem, ſed prædicatur, quod avertat oculos ſeu faciem, tametſi Dominus non eſt Qui avertit, ſed homo: inde eſt, ubi prius actum eſt de univerſo genere humano, in quo plures ſunt qui non regenerari poſſunt, quod non dictum ſit, cum video arcum in nube, ſed cum videtur arcus in nube, verſ: 14. videre ſe ſimiliter habet ac recordari, apud Dominum, quod ſignificat in ſenſu interno miſereri, de quo ſupra n: 840. 1049. videantur quæ prius n: 626.

1055. Ad recordandum fœderis æterni, quod ſignificet ut Dominus præſens poſſit apud eum eſſe in charitate, conſtat ex illis quæ de ſignificatione fœderis ſupra dicta & oſtenſa ſunt, quod nempe nullum aliud fœdus æternum ſit, quam amor in Dominum, & amor erga proximum, hoc æternum eſt, quia ab æterno in æternum; univerſum cœlum fundatum eſt in amore, imo univerſa natura, nam in natura nihil quicquam datur, ubi aliqua unio & conjunctio, quod non originem trahat ab amore, ſive animatum ſit, ſive non animatum, omne enim naturale exiſtit a ſpirituali, & ſpirituale a cœleſti, ut ſupra dictum, inde omnibus & ſingulis amor implantatus eſt, aut inſtar amoris, ſolum

ſolum apud hominem non eſt amor, ſed contrarium, quia homo ordinem naturæ in ſe deſtruxit; at cum regenerari poteſt, ſeu iterum reſtitui ordini, & accipere amorem mutuum, tunc eſt fœdus ſeu conjunctio per charitatem, de qua hic agitur.

1056. Inter Deum & inter omnem animam vivam in omni carne, quæ ſuper terra, quod ſignificet apud unumquemvis hominem, apud quem hoc dari poteſt, conſtat ex illis quæ dicta ſunt, quod nempe de illis agatur qui regenerari poſſunt, quare anima viva in omni carne non alios ſignificat.

1057. Verſ: 17. *Et dixit Deus ad Noach; hoc ſignum fœderis quod erigo inter Me & inter omnem carnem, quæ ſuper terra.* Dixit Deus ad Noachum ſignificat, quod hoc ſciret Eccleſia: hoc ſignum fœderis quod erigo inter Me & inter omnem carnem, quæ ſuper terra, ſignificat quod indicium præſentiæ Domini in charitate non ſolum eſſet apud hominem Eccleſiæ, ſed etiam apud hominem extra Eccleſiam.

1058. Quod dixit Deus ad Noachum, ſignificet quod hoc ſciret Eccleſia, conſtat ex ſerie rerum, quæ non patet niſi a ſenſu interno; in quo hæc ita cohærent; primum actum eſt de homine regenerato ſpirituali intra Eccleſiam; ſecundo, de omni homine in univerſo; tertio de omni homine qui regenerari poteſt; hic eſt clauſula, quod nempe hoc ſciret Eccleſia; quod Noachus ſit Eccleſia, prius oſtenſum eſt, & quidem hic, quod ſit Eccleſia ſpiritualis in genere, quia ſolus Noachus nominatur; quid ſciret nunc ſequitur.

1059. Quod hoc ſignum fœderis, quod Ego erigo inter Me & inter omnem carnem, quæ ſuper terra, ſignificet quod indicium præſentiæ Domini in charitate, non ſolum eſſet apud hominem Eccleſiæ, ſed etiam apud hominem extra Eccleſiam, conſtat a ſignificatione omnis carnis, quod ſit omnis homo, proinde univerſum genus humanum; quod ſit univerſum genus humanum, tam quod intra Eccleſiam, quam quod extra Eccleſiam, conſtat non ſolum ex eo quod dicatur omnis caro, ſed etiam quod non dicatur, ut prius, anima viva in omni carne; manifeſtius etiam redditur per illud, quod adjiciatur, quæ ſuper terra. Quod Dominus apud illos qui extra Eccleſiam, & Gentes vocantur, æque in charitate præſens ſit, ac apud illos qui intra Eccleſiam, ſupra dictum videas n: 932. 1032, imo præſentior; cauſa eſt, quod tanta nubes in parte eorum intellectuali non ſit, quanta in communi apud ita vocatos Chriſtianos; gentes enim ignorant Verbum, nec ſciunt quid Dominus, proinde non ſciunt quid verum fidei, quare non poſſunt eſſe contra Dominum, & contra verum fidei, inde nubes eorum non eſt contra Dominum & contra verum fidei, talis nubes facile poteſt diſcuti cum illuſtrantur: at Chriſtianorum nubes datur contra Dominum, & contra vera fidei, quæ nubes ita obſcura eſt, ut ſint tenebræ; & cum odium eſt loco charitatis, tunc eſt caliginoſum; adhuc magis apud eos qui prophanant vera fidei, quod gentes facere non poſſunt, quia in ignorantia veri fidei vivunt; nemo prophanare poteſt quod ignorat quale eſt, & quod ſit: hæc cauſa eſt, quod plures ex Gentibus ſalventur, quam ex Chriſtianis; quod etiam Dominus dixit apud Lu-

 cam:

cam: XIII: 23, 28, 29, 30. præter quod infantes eorum omnes ſint Regni Domini, Matth. XVIII: 10, 14. Cap: XIX: 14. Luc: XVIII: 16.

1060. Verſ: 18. *Et fuerunt filii Noachi, egreſſi ex arca, Schem, & Cham, & Japheth; & Cham is pater Canaanis.* Fuerunt filii Noachi egreſſi ex arca, ſignificant illos qui conſtituerunt Eccleſiam Antiquam; egreſſi ex arca, ſignificant qui regenerati: Schem ſignificat Eccleſiam internam: Cham ſignificat Eccleſiam corruptam: Japheth ſignificat Eccleſiam externam: Cham is pater Canaanis, ſignificat quod ex Eccleſia corrupta ortus ſit cultus in externis abſque internis, qui ſignificatur per Canaan.

1061. Et fuerunt filii Noachi egreſſi ex arca, quod ſignificent illos, qui conſtituerunt Eccleſiam Antiquam; & quod egreſſi ex arca ſint qui regenerati, conſtat ex omnibus illis quæ ſequuntur; ex quibus patebit, quomodo ſe res habet.

1062. Quod Schem ſignificet Eccleſiam internam, Cham Eccleſiam corruptam, Japheth Eccleſiam externam, etiam a ſequentibus conſtat, nam deſcribuntur quales ſunt. Sicut in omni Eccleſia, ita fuit in Antiqua, nempe quod fuerint, qui interni homines; qui corrupti interni; & qui externi: qui Interni, ſunt qui principale fidei faciunt charitatem; qui corrupti interni, ſunt qui principale fidei faciunt fidem abſque charitate; & qui Externi, ſunt qui de interno homine parum cogitant, ſed uſque opera charitatis præſtant, & ritus Eccleſiæ ſancte obſervant: præter hæc tria genera hominum non dantur alii, qui dicendi homines Eccleſiæ ſpiritualis; & quia homines Eccleſiæ fuerunt omnes, dicuntur egreſſi arca. Qui Interni homines fuerunt in Eccleſia Antiqua, hoc eſt, qui principale fidei fecerunt charitatem, dicti fuerunt Schem; at qui corrupti interni fuerunt, qui nempe principale fidei fecerunt fidem abſque charitate, in Eccleſia Antiqua, vocati ſunt Cham; at qui Externi fuerunt, & de interno homine parum cogitarunt, ſed uſque opera charitatis præſtiterunt, & ritus Eccleſiæ ſancte obſervarunt, in Eccleſia Antiqua, appellati ſunt Japheth: de ſingulis, quales fuerunt, agitur in ſequentibus.

1063. Quod Cham is pater Canaanis, ſignificet quod ex Eccleſia corrupta ortus ſit cultus in externis abſque internis, qui ſignificatur per Canaan, ſimiliter a ſequentibus conſtat, nam quæ in hoc verſu continentur ſunt præmiſſa ſequentium. Quod Cham ſignificet Eccleſiam corruptam, hoc eſt, eos, qui principale religionis faciunt fidem ſeparatam a charitate, conſtat apud Davidem, "Percuſſit omnem *Primogenitum* in Ægypto, *principium roborum*, in tentoriis *Chami*," Pſalm: LXXVIII: 51: per Primogenitum Ægypti repræſentata fuit fides abſque charitate; quod fides vocetur primogenitus Eccleſiæ videatur prius n: 352, 367. & quod fides inde appelletur principium roboris, ut hic apud Davidem, videatur Geneſ: XLIX: 3. ubi de Rubene, qui quia primogenitus Jacobi, repræſentabat fidem, & appellatur principium roboris; tentoria Chami ſunt cultus inde; quod tentoria ſignificent cultum, videantur quæ prius n: 414. Ægyptus inde vocatur terra Chami Pſalm: CV: 23, 27. Pſalm: CVI: 22. Tales, qui in Eccleſia Antiqua Cham vocati, quia vitam omnium cupiditatum vixerunt, ſolum garrientes quod ſalvari poſſent, utcun-

que

que viverent, per fidem, antiquis viſi ſunt nigri ex æſtu cupiditatum, unde vocati Cham. Quod Cham pater Canaanis dicatur, inde eſt, quia tales nihil curant, quomodo homo vivit, modo frequentet ſacra, nam aliquem cultum uſque volunt, cultus externus iis unicus eſt, internum, qui ſolius eſt charitatis, rejiciunt, inde dicitur Cham pater Canaanis.

1064. Verſ: 19. *Tres hi filii Noachi; & ab illis diſperſa eſt tota terra.* Tres hi filii Noachi ſignificant tria hæc doctrinarum genera, quæ ſunt Eccleſiarum in genere: & ab illis diſperſa eſt tota terra, ſignificat quod inde derivatæ ſint omnes doctrinæ, tam veræ quam falſæ.

1065. Quod tres hi filii Noachi ſignificent tria hæc doctrinarum genera, quæ ſunt Eccleſiarum in genere, mox ſupra dictum: ſunt quidem innumera genera minus univerſalia doctrinarum, ſed non dantur plura genera univerſalia; qui non agnoſcunt charitatem & non fidem, & non externum cultum, ii non ſunt alicujus Eccleſiæ; quare de iis, quia hic de Eccleſia, non agitur.

1066. Quod ab illis diſperſa eſt tota terra, ſignificet quod inde derivatæ ſint omnes doctrinæ, tam veræ quam falſæ, conſtat a ſignificatione Terræ: Terra in Verbo accipitur varie, in ſenſu univerſali pro loco ſeu tractu ubi eſt Eccleſia, vel ubi fuit Eccleſia, ſicut Terra Canaan, Terra Jehudæ, Terra Iſraelis, ita univerſaliter pro omni Eccleſiæ, nam Terra prædicatur ex homine qui ibi, ut notum quoque eſt in communi ſermone; quare antiquitus, cum dicebant totam terram, non intellexerunt totum terrarum orbem, ſed modo terram ubi Eccleſia, & ſic ipſam Eccleſiam; ſicut conſtare poteſt a ſequentibus in Verbo locis; apud Eſaiam, "Jehovah evacuans *Terram:* evacuando evacuabitur "*Terra*; lugebit, confundetur *Terra:* & *Terra* contaminabitur ſub habita-"toribus ſuis; propterea maledictio comedet *Terram:* ideo exurentur habita-"tores *Terræ*, & relictus erit homo puſillum. Cataractæ ab alto apertæ ſunt, "& commota ſunt *fundamenta Terræ*; confringendo confracta eſt *Terra*; diſ-"rumpendo diſrupta eſt *Terra*; nutando emota eſt *Terra*; titubundo titubat "*Terra ſicut* ebrius; & hinc inde vacillat ſicut tugurium; & gravis erit "ſuper eam prævaricatio ejus, & cadet, & non addet ſurgere", XXIV: 1, 3, 4, 5, 6, 18, 19, 20, 21. terra pro populo qui ibi, & quidem pro populo Eccleſiæ, ita pro Eccleſia, & pro vaſtatis illis quæ Eccleſiæ, de quibus, cum vaſtantur, prædicatur evacuari, commoveri, titubare ſicut ebrius, vacillare, cadere non ſurgere. Quod per Terram ſignificetur homo, conſequenter Eccleſia, quæ hominis, apud Malachiam, "Prædicabunt vos beatos om-"nes gentes, quia *eritis vos Terra beneplaciti*", III: 12. Quod terra pro Eccleſia, apud Eſaiam, "Annon intelligitis fundamenta *Terræ*," XL: 21. ubi fundamenta terræ pro fundamentis Eccleſiæ: apud Eundem, "Ecce Ego "creans Cœlos novos, & *Terram* novam", LXV: 17. Cap. LXVI: 22. Apoc: XXI: 1. cœli novi & terra nova pro Regno Domini & Eccleſia: apud Sachariam, "Jehovah extendens cœlos & *fundans Terram*, & formans "ſpiritum hominis in medio ejus", XII: 1. pro Eccleſia; ſicut etiam prius, "In principio creavit Deus cœlum & *Terram*", Gen: I: 1. abſoluti ſunt cœli & *Terra*, Gen: II: 1. "Hæ nativitates cœli & *Terræ*, ib: verſ: 4.

"ubivis

" ubivis pro Eccleſia, quæ creata, formata, facta; apud Joelem, " Coram Ipſo " commota eſt *Terra*, contremuerunt Cœli; ſol & luna atrati ſunt", II: 10. pro Eccleſia, & pro illis quæ ſunt Eccleſiæ; quæ cum vaſtantur, dicitur cœlum & terra commoveri, ſol & luna nigreſcere, hoc eſt, amor & fides. Apud Jeremiam, " Vidi *Terram*, cum ecce vacuum & inane, & ad cœlos, & non lux illorum," IV: 23. manifeſte hic terra pro homine, in quo non aliquid Eccleſiæ. Apud Eundem, " Deſolata erit *tota Terra*, & conſumationem non " faciam, propter hoc lugebit *Terra*, & atrati erunt cœli," IV: 27, 28, ſimiliter pro Eccleſia, cujus exteriora ſunt terra, & interiora cœli, de quibus prædicatur, quod atrati ſint, & illis nulla lux, cum non amplius ſapientia boni & intelligentia veri; tunc quoque terra eſt vacua & inanis; ſimiliter homo Eccleſiæ qui foret Eccleſia: quod per *totam terram* etiam alibi intelligatur ſolum Eccleſia, apud Danielem, " Beſtia quarta, regnum quartum erit in " *Terra*, quod diverſum erit ab omnibus regnis, & comedet *totam Terram*, " & conculcabit illam, & conteret illam", VII: 23. tota terra pro Eccleſia, & pro illis quæ ſunt Eccleſiæ; nam in Verbo non agitur de Poteſtatibus monarchicis, quod prophanorum ſcriptorum eſt, ſed de ſanctis & de ſtatibus Eccleſiæ, qui per Regna terræ ſignificantur. Apud Jeremiam, " Procella magna " ſuſcitabitur a *lateribus Terræ*, & erunt confoſſi Jehovæ in die illo, *a fine* " *Terræ uſque ad finem Terræ*", XXV: 32, 33. ibi a fine terræ ad finem terræ pro Eccleſia, & pro omni quod Eccleſiæ. Apud Eſaiam, " Quieſcit & quieta eſt " *tota Terra*, inſonuerunt jubilo", XIV. 7. ibi tota terra pro Eccleſia. Apud Eze" chielem, Sicut lætatur *tota Terra*", XXXV: 14. ubi etiam tota terra pro Eccleſia. Apud Eſaiam", " Juravi non tranſituras aquas Noachi amplius ſuper *Terram*", LIV. 9. ubi terra pro Eccleſia, nam ibi agitur de Eccleſia. Terra, quia in Verbo ſignificat Eccleſiam, etiam ſignificat non Eccleſiam, nam cuique tali voci ſunt ſenſus contrarii ſeu oppoſiti, ſicut terræ diverſæ gentium, in genere omnes terræ extra terram Canaanem: ideo quoque terra accipitur pro populo, & pro homine extra Eccleſiam, inde pro homine externo, pro ejus voluntate, pro ejus proprio, & ſic porro; raro in Verbo pro univerſo terrarum orbe, niſi ſignificetur tunc univerſum genus humanum quoad ſtatum eorum Eccleſiæ vel non Eccleſiæ. Et quia terra eſt continens humi, quæ etiam eſt Eccleſia, & humus continens agri, ideo eſt vox ſignificans, quia involvit, plura, ſed quid ſignificat, patet a re, ut a ſuo ſubjecto, de qua agitur, & prædicatur. Exinde nunc conſtare poteſt, quod hic per totam terram, quæ a filiis Noachi diſperſa, non ſignificetur univerſus terrarum orbis, ſeu univerſum genus humanum, ſed omnes doctrinæ tam veræ quam falſæ, quæ Eccleſiarum fuerunt.

1067. Verſ: 20. *Et cæpit Noach vir humi, & plantavit vineam.* Cæpit Noach vir humi, ſignificat in genere hominem ex doctrinalibus fidei inſtructum: & plantavit vineam, ſignificat inde Eccleſiam; vinea eſt Eccleſia ſpiritualis.

1068. Cæpit Noach vir humi, quod ſignificet in genere hominem ex doctrinalibus fidei inſtructum, conſtat ex ſignificatione humi, de qua prius n: 268. 566, quod nempe ſit homo Eccleſiæ, ſeu quod idem eſt, Eccleſia, ut enim ſit Eccleſia, homo debet eſſe Eccleſia: Humus dicitur Eccleſia ex eo, quod

re-

recipiat ſemina, quæ ſunt fidei, ſeu vera & bona fidei: humus diſtinguitur a terra, quæ, ut oſtenſum, etiam ſignificat Eccleſiam, ut fides a charitate; ſicut charitas eſt continens fidei, ita terra eſt continens humi; inde cum in genere agitur de Eccleſia, appellatur illa Terra, cum in ſpecie, appellatur humus, ut hic, nam genus eſt complexus eorum quæ inde. Doctrinalia, quæ habuit homo Antiquæ Eccleſiæ, fuerunt, ut prius dictum, ex Antiquiſſimæ Eccleſiæ revelationibus & perceptionibus, conſervatis, quibus fidem habuerunt, ſicut nos hodie Verbo; illa doctrinalia fuerunt illorum Verbum; quare, quod Noachus cæperit vir humi, ſignificat hominem doctrinalibus fidei inſtructum.

1069. Quod plantavit vineam, ſignificet inde Eccleſiam, quodque vinea ſit Eccleſia ſpiritualis, conſtat ex ſignificatione Vineæ: in Verbo Eccleſiæ paſſim deſcribuntur per hortos, tum etiam per arbores horti, & quoque nominantur ita, & hoc ex fructibus, qui ſignificant illa quæ ſunt amoris ſeu charitatis, quare dicitur quod homo cognoſcatur ex fructu: comparationes Eccleſiarum cum hortis, arboribus & fructibus, ex repræſentationibus in cœlo oriuntur, ubi quoque horti pulchritudine inexpreſſibili quandoque ſiſtuntur, ſecundum ſphæras fidei; inde quoque Eccleſia cœleſtis deſcripta fuit per Hortum Paradiſiacum, in quo omnis generis arbores; & per arbores horti ſignificatæ ſunt perceptiones illius Eccleſiæ; perque fructus omnis generis bona, quæ amoris: Eccleſia vero Antiqua, quæ quia ſpiritualis, deſcribitur per Vineam, ex fructibus qui ſunt Uvæ, quæ opera charitatis repræſentant & ſignificant; quod manifeſte ex pluribus locis Verbi conſtat: ut apud Eſaiam, "Cantabo Dilecto meo "canticum dilecti mei, *Vineæ* illius: *Vinea* fuit dilecto meo in cornu filii "olei; & circumſepſit illam, & lapidibus circumdedit illam, & *plantavit* "illam *Vite nobili*, & ædificavit turrim in medio illius, & etiam torcular "excidit in illa, & exſpectavit ut faceret *Uvas*, & fecit labruſcas: & jam "habitator Hieroſolymæ, & vir Jehudæ, judicate quæſo inter Me & inter "*Vineam* meam: *Vinea* Jehovæ Zebaoth eſt domus Iſraelis," v: 1, 2, 3, 7. ibi Vinea ſignificat Antiquam Eccleſiam, ita ſpiritualem, & manifeſte dicitur quod ſit domus Iſraelis, nam per Iſraelem in Verbo ſignificatur Eccleſia Spiritualis, per Jehudam autem Eccleſia Cœleſtis. Apud Jeremiam, "Adhuc "ædificabo te, & ædificaberis, Virgo Iſrael, adhuc adornabis tympana tua, "& exibis in chorum ludentium; adhuc *plantabis Vineas* in montibus Samariæ," XXXI: 4, 5. ubi vinea pro Eccleſia ſpirituali; & agitur de Iſraele, per quem ſignificatur, ut dictum, Eccleſia ſpiritualis. Apud Ezechielem, "Cum con"gregavero domum Iſraelis ex populis, habitabunt ſuper terra in confiden"tia, & ædificabunt domos, & *plantabunt Vineas*:" XXVIII: 25, 26. ibi Vinea pro Eccleſia ſpirituali ſeu Iſraele; plantare vineas pro inſtrui in veris & bonis fidei. Apud Amos, "Percuſſi vos uredine & rubigine, plurimos hortos "veſtros, & *Vineas* veſtras, & ficus veſtras, & oliveta veſtra, comedet eruca; "ſic faciam tibi Iſrael," IV: 9, 12. horti pro illis quæ ſunt Eccleſiæ; Vineæ pro ſpiritualibus Eccleſiæ, ficus pro naturalibus, oliveta pro cœleſtibus, ita pro illis quæ ſunt Eccleſiæ ſpiritualis ſeu Iſraelis. Apud Eundem, "Redu-

"ducam captivitatem populi mei Iſraelis, & ædificabunt urbes deſolatas, & "inhabitabunt,& *plantabunt Vineas*,& bibent vinum illarum, & facient hortos, "& comedent fructum illorum," IX. 14. plantare vineas pro plantatione Eccleſiæ ſpiritualis, ita vinea pro Eccleſia ſpirituali ſeu Iſraele. Sicut Vinea ſignificat Eccleſiam ſpiritualem, ita etiam Vitis, nam vitis eſt vineæ, quod ſe habet ſicut Eccleſia & homo Eccleſiæ, quare idem eſt; apud Jeremiam, "Num "ſervus Iſrael, num natus domi ille, quare factus eſt in prædam: Ego *plantave-* "*ram te Vitem nobilem* totam, ſemen veritatis, & quomodo converſa es Mihi "in palmites averſos *Vitis* alienæ," II. 14, 21. vitis pro Eccleſia ſpirituali ſeu Iſraele. Apud Ezechielem, "Tolle lamentum ſuper principibus Iſraelis; mater "tua ſicut *Vitis* in ſimilitudine tui, juxta aquas *plantata*, frugifera, & fron- "deſcens ab aquis multis," XIX. 1. 10. vitis pro Eccleſia ſpirituali Antiqua, quæ mater, ita pro Iſraele, quare etiam dicitur in ſimilitudine tui. Apud Hoſeam, "*Vitis* vacua Iſrael, fructum facit ſimilem ſibi," X. 1. vitis pro Eccleſia ſpirituali ſeu Iſraele, hic pro deſolata. Apud Eundem, "Revertere Iſrael ad Jeho- "vam Deum tuum, ero ſicut ros Iſraeli, revertentur habitantes in umbra illius, "vivificabunt frumentum, et efflorebunt ſicut *Vitis*, memoria illius ſicut vinum "Libani," XIV. 2, 6, 8. ibi vitis pro Eccleſia ſpirituali ſeu Iſraele: apud Moſen, "Uſque dum veniat Schiloh, ligans ad *Vitem* pullum ſuum, et ad *Vi-* "*tem nobilem* filium aſinæ ſuæ," XLIX. 10. 11. ibi de Domino prophetia; vitis & vitis nobilis pro Eccleſiis ſpiritualibus: Parabolæ Domini de operariis in Vineis ſimiliter Eccleſias ſpirituales ſignificabant, Matth: XX. 1 ad 17. Marc: XII. 1 ad 13. Luc: XX. 9 ad 17. Matth: XXI. 33 ad 44. Quia Vitis ſignificat Eccleſiam ſpiritualem, & Eccleſiæ ſpiritualis primarium eſt Charitas, in qua Dominus præſens eſt, & per quam Se conjungit homini, & per quam Ipſe Solus operatur omne bonum, quare Dominus ſe comparat Viti, & hominem Eccleſiæ ſeu Eccleſiam ſpiritualem deſcribit his verbis, apud Johannem. "Ego "ſum *Vitis* vera, & Pater Meus *Vinitor*, omnem palmitem in Me *non ferentem* "*fructum*, tollit eum; omnem autem *fructum ferentem* putabit illum, ut *plus* "*fructus ferat. Manete in Me, etiam Ego in vobis; quemadmodum palmes non* "*poteſt fructum ferre a ſeipſo, niſi manſerit in Vite, ita neque vos, niſi in Me* "*manſeritis. Ego ſum Vitis, vos palmites, qui manet in Me, & Ego in illo,* "*hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam. Hoc Man-* "*datum Meum, ut ametis vos mutuo, ſicut amavi vos,*" XV. 1, 2, 3, 4, 5, 12, inde conſtat, quid Eccleſia ſpiritualis.

1070. Verſ: 21. *Et bibit de vino, & inebriatus eſt, & diſcoopertus fuit in medio tentorii ſui.* Et bibit vinum, ſignificat quod illa quæ ſunt fidei vellet inveſtigare: & inebriatus eſt, ſignificat quod inde in errores lapſus: & diſcoopertus fuit in medio tentorii ſui, ſignificat perverſa inde; medium tentorii eſt quod principale fidei.

1071. Quod bibit vinum, ſignificet quod illa quæ ſunt fidei vellet inveſtigare, conſtat ex ſignificatione Vini; Vinea aut Vitis, ut oſtenſum, eſt Eccleſia ſpiritualis, ſeu Homo Eccleſiæ ſpiritualis; uva, racemi, botri ſunt fructus ejus, & ſignificant charitatem & quæ ſunt charitatis; Vinum autem ſignificat fidem inde,

inde, & omnia quæ ſunt fidei; ita Uva eſt Eccleſiæ iſtius cœleſte, vinum eſt Eccleſiæ iſtius ſpirituale; illud ſeu cœleſte, ut ſæpe prius dictum, eſt voluntatis, hoc ſeu ſpirituale eſt intellectus: quod biberit de vino, ſignificet, quod inveſtigare voluerit illa quæ ſunt fidei, & quidem per ratiocinia, conſtat inde, quia inebriatus eſt, hoc eſt, in errores lapſus: homo enim hujus Eccleſiæ nullam perceptionem habuit, ſicut homo Eccleſiæ Antiquiſſimæ, ſed, quid bonum & verum eſſet, addiſcere debuit ex doctrinalibus fidei a perceptione Antiquiſſimæ Eccleſiæ collectis, & conſervatis, quæ doctrinalia erant illius Eccleſiæ Verbum; doctrinalia fidei, ſicut Verbum, abſque perceptione, in multis talia fuerunt, ut non credi poſſent, ſpiritualia enim & cœleſtia infinite tranſcendunt captum humanum, inde ratiocinatio; ſed qui non credere vult prius quam illa capiat, nuſquam credere poteſt, ut prius ſæpe oſtenſum, videantur quæ n: 128, 129, 130, 195, 196, 215, 232, 233. Quod Uvæ in Verbo ſignificent charitatem & quæ charitatis ſunt, & quod Vinum ſignificet fidem inde & quæ fidei ſunt, ex ſequentibus his locis conſtare poteſt; apud Eſajam, " *Vinea* " fuit dilecto meo, in cornu filii olei, exſpectavit ut faceret *Uvas*, & fecit labruſcas," v: 1, 2, 4, ubi uvæ pro charitate & ejus fructibus: apud Jeremiam, " Colligendo colligam eos, dictum Jehovæ, non *Uvæ* in *Vite*, & non ficus in ficu," VIII. 13, vitis pro Eccleſia ſpirituali, uvæ pro charitate. Apud Hoſeam, " Sicut *Uvas* in deſerto inveni Iſraelem, ſicut primitivum in ficu, in initio ejus, " vidi patres veſtros," IX. 10. Iſrael pro Antiqua Eccleſia, uva pro quod charitate prædıti; in oppoſito ſenſu cum Iſrael pro filiis Jacobi. Apud Micham, " Non *Botrus* ad comedendum, primitivam deſideravit anima mea; periit " ſanctus e terra, & rectus inter hominem non," VII. 1. botrus pro charitate ſeu ſancto, primitivum pro fide ſeu recto. Apud Eſajam, " Sic dixit Jehovah, " quemadmodum invenitur *Muſtum* in *Botro*, & dicit, ne corrumpe illud, " quia benedictio in illo," LXV. 8. botrus pro charitate, muſtum pro charitatis bonis & inde veris. Apud Moſen, " Lavit in *Vino* indumentum, & in ſan- " guine *Uvarum* velamen ſuum," Gen: XLIX. 11. de Domino Prophetia; vinum pro ſpirituali ex cœleſti, ſanguis uvarum pro cœleſti reſpective ad Eccleſias ſpirituales; ita uvæ pro ipſa charitate, vinum pro ipſa fide. Apud Johannem, " Angelus dixit, mitte falcem acutam, & vindemia *Botros* terræ, quia " maturuerunt *Uvæ* ejus," Apoc: XIV. 18. ibi de ultimis temporibus quando nulla fides, hoc eſt, quando nulla charitas; nam fides non alia eſt quam charitatis, eſtque eſſentialiter ipſa charitas, quare cum dicitur quod amplius nulla fides, ut ultimis temporibus, intelligitur quod nulla charitas. Sicut Uvæ ſignificant charitatem, ita vinum ſignificat fidem inde, nam vinum eſt ex uvis; quod præter a locis nunc & prius, ubi de vinea & vite, etiam a ſequentibus conſtare poteſt: apud Eſaiam, " Ablata eſt lætitia & exultatio de Carmel, & in vineis non canta- " tur, non jubilatur, *Vinum in torcularibus* non calcat calcans, hedad ceſſare feci," XVI. 10. pro quod vaſtata eſt Eccleſia ſpiritualis, quæ eſt Carmel, vinum in torcularibus non calcans, pro quod non amplius ſint qui in fide. Apud Eundem, " Exurentur habitatores terræ, & relictus erit homo puſillum; lugebit *Muſtum*, " langueſcet *Vitis*, in cantu non *bibent Vinum*; amara erit *ſicera* bibentibus illam,

" clamor ſuper *Vino* in plateis," xxiv. 6, 7, 9, 11. de vaſtata Eccleſia ſpirituali, ibi vinum pro veris fidei, quæ nauci. Apud Jeremiam, " Matribus " ſuis dicent, ubi frumentum & *Vinum*, cum deficiunt ſicut confoſſus in pla- " teis urbis," Thren: 11. 12. ubi frumentum & vinum, ſignificat ubi amor & fides; plateæ urbis ſignificant hic ut alibi in Verbo, veritates; ibi confoſſi quod non ſciant quid vera fidei. Apud Amos, " Reducam captivitatem populi " mei Iſraelis, & ædificabunt urbes deſolatas, & inhabitabunt, & plantabunt " *Vineas*, & *bibent Vinum* earum," ix. 14. de Eccleſia ſpirituali ſeu Iſraele, de qua prædicatur plantare vineas & bibere vinum, cum talis ſit, ut ex charitate habeat fidem. Apud Zephaniam, " Ædificabunt domos, ſed non inhabitabunt, & plantabunt *Vineas*, ſed non *bibent Vinum* earum," i. 13. Amos v: 11. pro contrario, cum Eccleſia ſpiritualis vaſtata. Apud Sachariam, " Erunt " ſicut potens Ephraim, & lætabitur cor eorum, ſicut a *Vino*, & filii eorum " videbunt & lætabuntur," x. 7. ibi de domo Jehudæ, quod ita ex fidei bonis & veris. Apud Johannem, " Quod oleo & *Vino* non damnum inferent," Apoc: vi. 6. pro quod non cœleſti & ſpirituali, ſeu illis quæ ſunt amoris & fidei. Quia Vinum ſignificabat fidem in Dominum, etiam fides in Eccleſia Judaica repræſentabatur in ſacrificiis per *Libamen Vini*, de quo Num. xv. 2 ad 15. Cap: xxviii: 11 ad 15. 18 ad f. Cap: xxix: 7 ad f. Lev: xxiii: 12, 13. Exod: xxix: 40. quare ita apud Hoſeam, " Area & *torcular* non paſcet eos, & " *Muſtum* mentietur in ea, non habitabunt in terra Jehovæ, & revertetur Ephraim " Ægyptum, & in Aſſyria immundum comedent, non *libabunt* Jehovæ *Vi-* " *num*, non grata erunt Ipſi," ix: 2, 3, 4. ubi de Iſraele ſeu Eccleſia ſpirituali, deque illis ibi, qui pervertunt & contaminant ſancta & vera fidei per id quod inveſtigare velint illa per ſcientias & ratiocinia; Ægyptus eſt ſcientia, Aſſyria eſt ratiocinatio, Ephraim qui ratiocinatur.

1072. Quod inebriatus eſt, ſignificet quod inde in errores lapſus, conſtat a ſignificatione Ebrii in Verbo; Ebrii vocantur, qui nihil credunt, niſi quod capiunt, & ideo inquirunt in myſteria fidei, quod quia fit per ſenſualia, aut ſcientifica, aut philoſophica, qualis homo eſt, non poteſt aliter, quam ut inde in errores labatur; cogitatio hominis non eſt niſi terreſtris, corporea & materialis, quia eſt ex terreſtribus, corporeis & materialibus, quæ jugiter adhærent, & in quibus ideæ cogitationis ejus fundantur & terminantur, quare ex illis de Divinis cogitare & ratiocinari, eſt ſe in errores & perverſa ferre, & tam impoſſibile eſt inde fidem ſibi comparare, ſicut eſt Camelo tranſire per foramen acus: error & inſania, quæ inde, in Verbo appellatur Ebrietas: imo etiam Animæ ſeu ſpiritus, in altera vita, qui ratiocinantur de veris fidei, & contra illa, fiunt ſicut ebrii, ſeque ſimiliter gerunt, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; dignoſcuntur manifeſte Spiritus, num in fide charitatis ſunt, vel non; qui in fide charitatis ſunt, illi de veris fidei non ratiocinantur, ſed dicunt ita eſſe, & quoque confirmant per ſenſualia, ſcientifica, & analytica rationis, quantum poſſunt, ſed ut primum obſcurum quid intervenit, quod non percipiunt, hoc rejiciunt, nec uſquam admittunt, ut tale eos in dubitationem ferat, dicentes pauciſſima eſſe quæ capere poſſint, & ideo cogitare non verum

eſſe,

eſſe, quia non capiunt, veſanum eſſe ; hi ſunt qui in charitate ſunt: contra autem illi, qui non in fide charitatis ſunt, ii non niſi quam ratiocinari volunt num ita ſit, & ſcire quomodo ſe habet, dicentes, niſi ſcire poſſint quomodo ſe habet, quod non credere poſſint, quod ita ſit; illico ex hoc ſolum noſcuntur, quod in nulla fide ſint, & indicium eſt, quod non ſolum dubitent de omnibus, ſed & quod corde ſuo negent; dumque inſtruuntur quomodo ſe habet, uſque inhærent, & movent contra illa omnes ſcrupulos, & nuſquam quieſcunt, ſi vel foret in æternum; & qui ita inhærent, cumulant errores ſuper errores; hi ſunt, ſeu tales, qui vocantur ebrii a vino aut ſicera, in Verbo; ut apud Eſajam, "Hi per *vinum errant*, & per *ſiceram aberrant*; ſacerdos & propheta "*errant per ſiceram*; *abſorbti ſunt a vino*, *errant a ſicera*, errant in viſione, "omnes menſæ ſunt plenæ vomitu egeſtionis; quemnam docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditionem, ablactatos a lacte, evulſos ab uberibus," XXVIII: 7, 8, 9. hic quod tales intelligantur, conſtat. Apud Eundem, "Quo-"modo dicitis ad Pharaonem, filius ſapientum ego, filius regum antiquitatis, "ubi nunc ſapientes tui, & indicent quæſo, Jehovah miſcuit in medio ejus "ſpiritum perverſitatum, & errare fecerunt Ægyptum in omni opera ejus, "quemadmodum *errat Ebrius* in vomitu ſuo," XIX: 11, 12, 14. ebrius pro illis qui ex ſcientificis volunt inveſtigare ſpiritualia & cœleſtia; Ægyptus ſignificat ſcientifica, quare etiam ſe vocat filium ſapientum. Apud Jeremiam, "*Bi-*"*bite & inebriamini*, & vomite, & cadite, & non reſurgatis," XXV: 27. pro falſis. Apud Davidem, "Circumaguntur & motitantur, ſicut *Ebrius*, & omnis ſapientia eorum abſorbetur," Pſalm: CVII: 27. Apud Eſaiam, "Venite, "ſumam *Vinum*, & *inebriabimur ſicera*, & erit ſicut hoc die cras, magna abun-"dantia," LVI: 12. prædicatur de iis, quæ ſunt contra vera fidei. Apud Jeremiam, "Omnis uter implebitur *Vino*; omnes habitatores Hieroſolymæ *Ebrie-*"*tate*," XIII: 12, 13. vinum pro fide, ebrietas pro erroribus. Apud Joelem, "Expergiſcimini *Ebrii* & flete, & ejulate omnes *bibentes vinum*, ſuper *muſtum*, "quia exciſum eſt ex ore veſtro; quia gens aſcendit ſuper terram meam, ponit "*Vitem* meam in deſolationem," I: 5, 6, 7. de vaſtata Eccleſia quoad vera fidei. Apud Johannem, "Babylon ex *Vino* iræ ſcortationis potavit omnes gen-"tes; *Inebriati* ſunt *vino* ſcortationis inhabitantes terram," Apoc: XIV: 8, 10. Cap: XVI: 19. Cap: XVII: 2. Cap: XVIII: 3. Cap: XIX: 15. vinum ſcortationis pro adulteratis veris fidei, de quibus ebrietas prædicatur: ſimiliter apud Jeremiam, "*Calix* auri Babel in manu Jehovæ, *Inebrians* omnem terram, "de *vino ejus biberunt* gentes, ideo inſaniunt gentes," LI: 7. quia Ebrietas ſignificabat inſanias circa vera fidei, etiam repræſentativa facta, & prohibitum Aharoni ita, "Aharon & filii ejus non *Vinum* & *potum inebriantem* bibent, "cum intrarent tentorium, ne morerentur, ad diſcernendum inter ſanctum & "prophanum, immundum & mundum," Lev: X: 8, 9. Qui nihil credunt, niſi quæ capiunt per ſenſualia & ſcientifica, vocati quoque ſunt heroes ad bibendum, apud Eſaiam, "Væ ſapientibus in oculis ſuis, & coram faciebus "ſuis intelligentibus; væ *heroibus ad bibendum vinum*, & viris roboris ad *mi-*"*ſcendum ſiceram*," V: 21, 22. vocantur ſapientes in oculis ſuis, et coram faciebus

ciebus ſuis intelligentes, quia qui contra vera fidei ratiocinantur, ii plus aliis ſapere ſe putant. Qui autem nihil curant Verbum, & vera fidei, & ſic nihil ſcire volunt de fide, negantes ſic principia, vocantur ebrii ſine vino, apud Eſaiam, "*Inebriati ſunt & non vino, titubant & non ſicera*, nam effudit ſuper "vos Jehovah ſpiritum ſoporis, & obſtruxit oculos veſtros," xxix: 9, 10. quod tales ſint, conſtat a præcedentibus & ſequentibus aqud Prophetam; tales ebrii putant ſe plus vigiles eſſe aliis, ſed ſunt in alto ſopore. Quod Eccleſia Antiqua in principio fuerit, qualis deſcribitur in hoc verſu, imprimis ii, qui ab Antiquiſſimæ Eccleſiæ proſapia fuerunt, conſtare poteſt ab illis, quæ prius n: 788 dicta ſunt.

1073. Diſcoopertus fuit in medio tentorii ſui, quod ſignificet perverſa inde, conſtat ex ſignificatione diſcooperti ſeu nudi; is enim diſcoopertus & nudus ab ebrietate ex vino vocatur, apud quem non vera fidei, & magis apud quem perverſa; ipſa vera fidei comparantur veſtibus, quæ tegunt bona charitatis ſeu charitatem, nam charitas eſt ipſum corpus, vera ideo ſunt veſtes; vel quod perinde eſt, charitas eſt ipſa anima, vera fidei ſunt ſicut corpus, quod eſt amictus animæ; etiam vera fidei in verbo appellantur veſtes, & integumentum, quare in verſ: ſeq: 23. dicitur, quod Schem & Japheth acceperint *veſtem*, & texerint nuditatem patris ſui; ſpiritualia ſe habent reſpective ad cœleſtia ſicut corpus quod amicit animam, aut ſicut veſtes quæ corpus, in cœlo quoque repræſentantur per veſtes; hic, quia diſcoopertus jacuiſſe dicitur, ſignificatur, quod ſe deprivaverit veris fidei, per id quod inveſtigare voluerit illa per ſenſualia, & inde ratiocinia: ſimilia in Verbo ſignificantur per jacere nudatus ex ebrietate vini, ut apud Jeremiam, "Gaude "& lætare filia Edomi, habitans in terra Uz, etiam ſuper te tranſibit calix, "*Inebriaberis* & *Nudaberis*," Thren: IV: 21. & apud Habakuk, "Væ fa-"cienti *bibere* ſocium ſuum, & etiam *Inebriando*, propterea ad *aſpiciendum* "*ſuper nuditates eorum*," II: 14, 15.

1074. Quod medium tentorii ſit principale fidei, conſtat ex ſignificatione Medii, & ex ſignificatione Tentorii; Medium in Verbo ſignificat intimum, & Tentorium charitatem ſeu cultum ex charitate; charitas eſt intimum, hoc eſt, principale fidei & cultus, & ſic medium tentorii: quod medium ſignificet intimum, oſtenſum eſt prius, & quod tentorium ſit ſanctum amoris, ſeu charitas, videatur prius; n: 414.

1075. Verſ: 22: *Et vidit Cham, pater Canaanis, nuditatem patris ſui, & indicavit duobus fratribus ſuis foris.* Cham & Canaan ſignificat hic ut prius; Cham Eccleſiam corruptam; Canaan cultum in externis abſque interno: vidit nuditatem patris ſui, ſignificat quod obſervaverit errores, & perverſa illa, de quibus prius: & indicavit duobus fratribus ſuis foris, ſignificat quod irriſerit; fratres ejus dicuntur, quia fidem profeſſus.

1076. Cham quod ſignificet Eccleſiam corruptam, conſtat ex illis quæ prius de Cham dicta ſunt; Eccleſia corrupta dicitur, quæ Verbum agnoſcit, & cultum quendam veræ Eccleſiæ ſimilem habet, ſed uſque ſeparat fidem a charitate, ita a ſuo eſſentiali, & a ſua vita, inde fides fit quædam res mortua, inde

non

non poteſt aliter eſſe, quam Eccleſia corrupta : quales fiunt, inde conſtare poteſt, quod nuſquam aliquam conſcientiam habere poſſint ; conſcientia enim, quæ conſcientia, nuſquam datur niſi ex charitate, charitas eſt quæ facit conſcientiam, hoc eſt, Dominus per charitatem ; quid conſcientia ? quam non alicui malum facere quocunque modo, ſeu omnibus bene facere quocunque modo, ita conſcientia eſt charitatis, nuſquam fidei ſeparatæ a charitate ; ſi aliqua iis conſcientia, eſt conſcientia falſa, de qua videatur prius ; & quia abſque conſcientia, in omne nefas ruunt, quantum vincula externa iis remittuntur : imo nec ſciunt quid charitas, ſolum quod ſit vox ſignificans aliquid ; & quia abſque charitate ſunt, nec ſciunt quid fides ; cum interrogantur, non poſſunt aliter reſpondere, quam quod ſit cogitatio quædam, quidam quod ſit confidentia, alii quod ſint cognitiones fidei, pauci quod ſit vita ſecundum cognitiones, & vix ulli quod ſit vita charitatis ſeu amoris mutui ; ſique hoc iis dicitur, & datur iis copia reflectendi, non aliter reſpondent, quam quod omnis amor incipiat a ſe, & quod pejor ethnico ſit qui ſibi & ſuis non conſulit, quare nihil niſi quam ſibi ſtudent ac mundo ; inde fit, quod in proprio vivant ; quod quale eſt, prius aliquoties deſcriptum eſt ; hi ſunt qui vocantur Cham.

1077. Quia illi, qui Cham & Canaan hic vocantur, hoc eſt, qui fidem ſeparant a charitate, & inde in externis ſolum ponunt cultum, non ſcire poſſunt, quid & unde conſcientia, paucis dicendum : Conſcientia formatur per vera fidei, nam quod homo audivit, agnovit & credidit, hoc conſcientiam apud eum facit, dein agere contra illa, ei eſt agere contra conſcientiam, quod ſatis manifeſte conſtare unicuivis poteſt ; inde eſt, niſi vera fidei ſint, quæ audiat, agnoſcat & credat, quod nuſquam ei poſſit eſſe conſcientia vera ; nam per vera fidei, operante Domino in charitate, regeneratur homo, ita per illa accipit conſcientiam, eſtque conſcientia ipſe novus homo : inde conſtat, quod vera fidei ſint media, ut fiat, hoc eſt, ut vivat homo ſecundum illa quæ fides docet, cujus principale eſt amare Dominum ſupra omnia, & proximum ut ſemet ; ſi non vivat ſecundum illa, quid fides, niſi inane quid, & vox ſonans, aut ſeparatum quid a vita cœleſti, in quo ſeparato nuſquam aliqua ſalus ; nam credere utcunque homo vivit, quod uſque ſalvari poſſit, modo habeat fidem, eſt dicere, ſi vel nullam charitatem habeat, & ſi vel nullam conſcientiam, quod ſalvetur, hoc eſt, ſi vel in odiis, in vindictis, in rapinis, in adulteriis, verbo in omnibus contrariis charitati & conſcientiæ, degat, modo fidem habeat, etiamſi foret in ultima mortis hora, quod ſalvari poſſit ; expendant nunc, cum in principio tam falſo ſunt, quodnam verum fidei ſit, quod formare eorum conſcientiam poſſit, annon, quod falſum ; ſi quid conſcientiæ ſe habere putant, ſunt modo vincula externa, nempe timor legis, honoris, lucri, famæ ob illa, quæ faciunt apud eos id quod vocant conſcientiam, ne ſcilicet lædant proximum, utque ei bene faciant ; ſed quoniam non eſt conſcientia, quia non charitas, ideo tales, vinculis illis remiſſis ſeu ſolutis, in ſceleſtiſſima & obſcœniſſima ruunt. Sed aliter prorſus ſe habet cum illis, qui tametſi dixerunt, quod ſola fides ſalvet, & uſque vixerunt vitam charitatis ; nam in illorum fide charitas fuit a Domino.

1078.

1078. Quod pater Canaanis ſignificet cultum in externis abſque interno, prius dictum eſt; ex fide ſeparata a charitate non alius cultus poteſt exiſtere; internus enim homo eſt charitas, nuſquam fides abſque charitate, quare qui charitate deſtitutus nuſquam alium cultum poteſt habere, quam externum abſque interno; & quia ex fide ſeparata a charitate, talis exiſtit cultus, Cham vocatus pater Canaanis, & in ſequentibus non de Chamo ſed de Canaane agitur.

1079. Quod vidit nuditatem patris ſui, ſignificet, quod obſervaverit errores & perverſa, conſtare poteſt a ſignificatione Nuditatis, de qua mox ſupra, tum prius n: 213, 214. quod ſit malum & perverſum. Hic deſcribuntur ii qui in fide ſeparata a charitate ſunt, per Cham, quod nuditatem patris ſui obſervaverit, hoc eſt, quod errores & perverſa ejus; qui tales ſunt, nihil aliud apud hominem vident; at qui in fide charitatis aliter, ii obſervant bona, & ſi quæ mala & falſa vident, ea excuſant, & ſi poſſunt, apud eum emendare ſtudent, ſicut hic dicitur de Schemo & Japheto. Ubi nulla charitas, ibi eſt amor ſui, proinde odium contra omnes qui non ſibi favent, inde eſt, quod non videant apud proximum quam ejus malum, & ſi quid bonum, id vel percipiunt ſicut nullum, vel interpretantur in malum: prorſus aliter qui in charitate ſunt: dignoſcuntur bina hæc hominum genera inde; imprimis quando in alteram vitam veniunt, apud eos qui in nulla charitate ſunt, animus odii tunc ex ſingulis elucet, unumquemvis volunt examinare, imo judicare, nec quicquam plus cupiunt quam invenire malum, continue gerentes animo condemnare, punire & cruciare: at qui in charitate ſunt, hi vix malum alterius vident, ſed omnia ejus bona & vera obſervant, & quæ mala & falſa ſunt, in bonum interpretantur; tales ſunt omnes Angeli, quod habent a Domino, Qui omne malum in bonum flectit.

1080. Quod indicavit duobus fratribus ſuis ſignificet quod irriſerit, inde nunc ſequitur; nam apud eos qui in nulla charitate ſunt, eſt continuus contemtus aliorum, ſeu continua irriſio aliorum, & quoties datur occaſio eſt propalatio errorum; quod non aperte faciant, ſunt modo vincula externa, quæ inhibent, nempe timor legis, timor vitæ, jacturæ honoris, lucri, & famæ propter ea, inde eſt, quod intus foveant talia, extus vero amicitias ſimulent; inde comparant ſibi binas ſphæras, quæ manifeſte in altera vita percipiuntur; unam, quæ eſt interior, plenam odiis; alteram, quæ eſt exterior, ſimalativam boni; quæ ſphæræ, quia prorſus diſcordant, non poſſunt aliter ac inter ſe pugnare, quare etiam quando iis aufertur ſphæra exterior ut non poſſint ſimulate agere, tunc ruunt in omne nefas; cum non aufertur, tunc in unaquavis eorum voce latet odium, quod percipitur; inde eorum punitiones & cruciatus.

1081. Quod fratres ejus dicantur, quia fidem profeſſus, conſtat ex illis, quæ n: 367. oſtenſa ſunt, nempe quod charitas ſit frater fidei.

1082. Verſ: 23. *Et accepit Schem & Japheth veſtem, & poſuerunt ſuper humero ambo illi, & iverunt retrorſum, & texerunt nuditatem patris ſui, & facies eorum retrorſum, & nuditatem patris ſui non viderunt.* Per Schem ſignificatur, ut dictum, Eccleſia interna: per Japheth Eccleſia ei correſpondens externa: quod

quod acceperint veſtem, ſignificat quod in bonum interpretati ſint: & poſuerunt ſuper humero ambo, ſignificat quod illud omni potentia: & iverunt retrorſum, ſignificat quod non attenderent ad errores & perverſa: & texerunt nuditatem patris ſui, ſignificat quod ſic ea excuſaverint: & facies eorum retrorſum, & nuditatem patris ſui non viderunt, ſignificat quod ita faciendum, & quod non attendendum ad talia, quæ errores & lapſus ſunt ex ratiociniis.

1083. Quod per Schem ſignificetur Eccleſia interna, per Japheth ei correſpondens externa, prius dictum eſt: ubi Eccleſia, ibi neceſſario erit internum & externum; homo enim, qui eſt Eccleſia, eſt internus & externus; antequam ſit Eccleſia, hoc eſt, antequam regeneratus eſt, in externis eſt, & cum regeneratur, ab externis imo per externa ducitur ad interna, ut dictum & oſtenſum eſt prius, & dein cum regeneratus eſt, tunc omnia quæ ſunt interni hominis terminantur in externis, ita neceſſario omnis Eccleſia erit interna & externa: ſicut Eccleſia Antiqua, & Eccleſia hodie Chriſtiana; Interna Eccleſiæ Antiquæ fuerunt omnia quæ ſunt charitatis & fidei inde, omnis humiliatio, omnis adoratio Domini ex charitate, omnis affectio bona erga proximum, & ſimilia alia; Externa illius Eccleſiæ fuerunt ſacrificia, libamina, & plura, quæ omnia per repræſentationem ſe referebant ad Dominum, & ſpectabant ipſum; inde interna erant in externis, & unam Eccleſiam faciebant: Interna Eccleſiæ Chriſtianæ ſimilia prorſus ſunt internis Eccleſiæ Antiquæ, ſed alia externa ſucceſſerunt, nempe loco ſacrificiorum & talium, Symbolica, ex quibus ſimiliter Dominus ſpectatur; ita quoque interna & externa unum faciunt; Antiqua Eccleſia ne hilum differebat a Chriſtiana Eccleſia quoad interna, ſed ſolum quoad externa; cultus Domini ex charitate nuſquam differre poteſt, utcunque externa variantur: & quia, ut dictum, Eccleſia non dari poteſt, niſi ſit internum & externum, internum abſque externo foret interminatum quoddam, niſi terminaretur in aliquo externo; homo enim talis eſt, & quidem perplurima pars, ut neſciat quid internus homo, & quid interni hominis, quare niſi externus cultus foret, nihil quicquam ſciret quid ſanctum; hi dum charitatem habent & inde conſcientiam, internum cultum apud ſe habent in externo, nam Dominus apud eos operatur in charitate, & in conſcientia, & facit ut omnis eorum cultus participet ab interno: aliter qui non charitatem & inde conſcientiam habent, hi cultum in externis poſſunt habere, ſed ſeparatum ab interno, ſicut fidem ſeparatam a charitate, talis cultus vocatur Canaan, & talis fides vocatur Cham; & quia ex fide ſeparata talis cultus exiſtit, Cham vocatur pater Canaanis.

1084. Quod acceperint veſtem, ſignificet quod in bonum interpretati ſint, conſtat ex illis quæ prius dicta ſunt; accipere veſtem & tegere nuditatem alicujus, non aliud poteſt ſignificare, cum diſcoopertus & nuditas ſignificant errores & perverſa.

1085. Quod poſuerunt ſuper humero, ſignificet quod illud omni potentia, nempe in bonum interpretati & excuſaverint, conſtat a ſignificatione humeri, quod ſit omnis potentia; manus in Verbo ſignificat potentiam, quod prius oſtenſum; brachium potentiam adhuc majorem; humerus autem omnem potentiam,

tentiam, quod etiam conſtare poteſt ab his in Verbo locis; apud Ezechielem "Latere & *Humero* impellitis, et cornibus veſtris feritis omnes oves infirmatas, donec diſperſeritis illas foras," XXIV: 21. latere & humero hic pro omni anima & omni potentia, & cornibus ferire pro omnibus viribus. Apud Eundem, "Ut cognoſcant omnes habitatores Ægypti, quod Ego Jehovah, propterea quod illi fuerunt baculus arundinis domui Iſraelis, in prehendendo eos in te in vola confringeris, & findes eis omnem *Humerum*," XXIX: 6, 7. de illis qui ex ſcientificis volunt explorare veritates ſpirituales, baculus arundinis pro potentia tali, prehendere vola pro confidere, findere omnem humerum pro privari omni potentia, ut nihil ſciant. Apud Zephaniam, "Ut invocent omnes Nomen Jehovæ, ut ſerviat Ipſi *Humero uno*," III: 9. pro quod una anima, ita una potentia. Apud Sachariam, "Renuerunt auſcultare, & dederunt *Humerum* refractarium," VII: 11. pro quod omni potentia contranisi ſint. Apud Eſajam, "Conducunt conflatorem, qui facit aurum & argentum in Deum, adorant, etiam ſe incurvant, portant illud ſuper *Humero*, geſtant illud:" XLVI: 6, 7. pro quod omni potentia adorent idolum, quod eſt portare humero. Apud Eundem, "Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, & erit Principatus ſuper *Humero* Ipſius, & vocabitur Nomen Ipſius Mirabilis, Conſiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis," IX: 5. de Domino, & ibi de Ipſius Potentia & Poteſtate, quare dicitur ſuper cujus humero. Apud Eundem, "Dabo clavem domus Davidis ſuper *Humerum* Ipſius, & aperiet & non claudens, & claudet & non apariens." XXII: 22; ibi ſimiliter de Domino, & ſuper humerum dare clavem domus Davidis pro Potentia & Poteſtate.

1086. Quod iverunt retrorſum, ſignificet quod non attenderent ad errores & perverſa, conſtare poteſt ex ſignificatione ire retrorſum, quod ſit avertere oculos & non videre, ſicut etiam ex ſequentibus patet, ubi dicitur, quod nuditatem patris ſui non viderint; non videre in ſenſu interno eſt non attendere.

1087. Quod texerunt nuditatem patris ſui, ſignificet quod ſic ea excuſaverint, conſtat pariter ex ſerie, tum a ſignificatione nuditatis, quod ſint perverſa.

1088. Quod facies eorum retrorſum, & nuditatem patris ſui non viderunt, ſignificent quod ita faciendum, & non attendendum ad talia, quæ errores & lapſus ſunt ex ratiociniis, conſtat a repetitione, nam fere eadem dicuntur hic quæ mox prius, quare hæc ſimul faciunt quoque concluſum; nam talis erat Eccleſia hæc parens, ſeu homo hujus Eccleſiæ, quod non ex malitia, ſed ex ſimplicitate hoc fecerit, ut conſtare poteſt ex mox ſequentibus, ubi dicitur, quod expergefactus Noach e vino ſuo, hoc eſt, quod melius inſtructus. Quod rem attinet, qui in nulla charitate ſunt, nihil niſi quam male cogitant de proximo, nec niſi quam male loquuntur, ſi bonum, eſt ſui gratia, vel illius cui adblandiuntur ſub amicitiæ ſpecie; at qui in charitate ſunt, nihil niſi quam bene cogitant de proximo, & nihil niſi quam bene loquuntur, & hoc non ſui & alius gratia, cui adblandiantur, ſed ita Domino in charitate operante: priores illi ſunt ſimiles malis ſpiritibus, hi angelis, qui apud hominem; mali ſpiritus nuſquam niſi mala & falſa hominis excitant, & eum condemnant; angeli vero nihil

nihil niſi bona & vera, & quæ mala & falſa ſunt, excuſant; ex quibus conſtat, quod apud eos, qui in nulla charitate ſunt, dominentur mali ſpiritus, per quos communicat homo cum inferno; & quod apud eos qui in charitate, dominentur angeli, per quos communicat cum cœlo.

1089. Verſ: 24. *Et expergefactus Noach e vino ſuo, & reſcivit quod fecit ei filius ejus minor.* Expergefactus Noach e vino ſuo, ſignificat dum melius inſtructus: & reſcivit quod fecit ei filius ejus minor, ſignificat quod talis ſit cultus externus ſeparatus ab interno, ut irrideat.

1090. Quod expergefactus Noach e vino ſuo, ſignificet dum melius inſtructus, conſtat a ſignificatione expergiſci poſt ebrietatem, cum inebriatus, verſ: 21. ſignificavit, quod in errores lapſus, quare expergiſci non aliud eſt quam ab erroribus.

1091. Quod fecit ei filius ejus minor, ſignificet quod talis ſit cultus externus ſeparatus ab interno ut irrideat; ex ſenſu literæ ſeu hiſtorico apparet ſicut per filium minorem intelligatur Cham, ſed ex ſequenti verſu conſtat quod intelligatur Canaan, nam dicitur, maledictus Canaan; etiam in verſu ſubſequente 26 & 27, quod Canaan erit ſervus; & quod nihil de Chamo memoretur, cauſa in ſequente verſu videatur. Hic modo memorandum, cur ordo talis ſit, quod primo loco nominetur Schem, ſecundo Cham, tertio Japheth, & quarto Canaan: charitas eſt primum Eccleſiæ ſeu Schem; fides eſt ſecundum ſeu Cham; cultus ex charitate eſt tertium ſeu Japheth; cultus in externis abſque fide & charitate eſt quartum ſeu Canaan: charitas eſt frater fidei, inde quoque cultus ex charitate, ſed cultus in externis abſque charitate eſt ſervus ſervorum.

1092. Verſ: 25. *Et dixit, maledictus Canaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Maledictus Canaan, ſignificat quod cultus externus ſeparatus ab interno ſe avertat a Domino: ſervus ſervorum erit fratribus ſuis, ſignificat viliſſimum in Eccleſia.

1093. Quod maledictus Canaan, ſignificet quod cultus externus ſeparatus ab interno ſe avertat a Domino, conſtat a ſignificatione Canaanis, & a ſignificatione maledici; quod Canaan ſit cultus externus ſeparatus ab interno, conſtat ex illis quæ prius de Canaane dicta, tum exinde quod maledictus dicatur; & a ſequentibus quod ſit ſervus ſervorum; & utrique tam Schemo quam Japheto ſervus, quod non aliud poteſt eſſe quam ſeparatum quid ab ipſa Eccleſia, quale eſt cultus ſolus in externis. A ſignificatione maledici, quod ſit ſe avertere, nam Dominus nuſquam alicui maledicit, ne quidem iraſcitur, ſed homo eſt, qui ſibi maledicit per id quod ſe avertat a Domino, de quibus videantur quæ prius dicta & oſtenſa ſunt, n: 223, 245, 592. tantum abeſt ut Dominus alicui maledicat & iraſcatur, quantum cœlum a terra; quis credere poteſt, quod Dominus, Qui omniſcius & omnipotens, & regit ſapientia univerſum, & ſic infinite ſupra omnes infirmitates, iraſcatur pulveri tam miſerabili, hoc eſt, hominibus, qui vix quicquam ſciunt quid faciunt, & nihil poſſunt ex ſe niſi malum, quare apud Dominum nuſquam eſt iraſci, ſed miſereri. Quod hic arcana contineantur, ſolum ex illo videri poteſt, quod non Cham maledicatur,

cum tamen is fuerit qui nuditatem patris ſui vidit, & indicavit fratribus, ſed Canaan filius ejus, qui non fuit unicus ejus nec primogenitus, ſed ordine quartus, ut conſtat a Cap: ſeq. x, ubi filii Chami nominantur, Kuſch, Miſraim, Put, & Canaan, verſ: 6. tum quod ex Lege Divina fuerit, quod filius non portaret iniquitatem patris, ut conſtat apud Ezechielem, "Anima, quæ peccavit, illa morietur; *filius non portabit iniquitatem patris*, nec pater portabit iniquitatem filii," XVIII: 20. Deut: XXIV: 16. II Reg: XIV: 6. ut & ex eo, quod iniquitas hæc tam levis videatur, quod nempe ſolum viderit nuditatem patris & indicaverit fratribus, ut nuſquam ideo integra poſteritas maledici potuiſſet; ex quibus conſtat quod arcana hic contineantur; quod Cham hic non nominetur, ſed Canaan, cauſa eſt, quia Cham ſignificat fidem ſeparatam a charitate in Eccleſia ſpirituali, quæ non maledici poteſt, quoniam fidei, in illa Eccleſia, ſanctitas ineſt, quia veritas, quæ tametſi non fides eſt cum non charitas, uſque quia per fidei cognitiones regeneratur homo, adjungi poteſt charitati & ſic quadam ratione eſt frater, aut fieri poteſt frater, ideo non Cham, ſed Canaan maledicebatur: præterea etiam incolæ terræ Canaanis, quoad multam partem, tales fuerunt, ut omnem cultum in externis poſuerint, æque Judæi ibi ac gentes; hæc arcana ſunt quæ continentur, quæ niſi forent, nuſquam Canaan loco Chami ſubſtitutus fuiſſet. Quod cultus externus ſeparatus ab interno ſe avertat, & ſic ſibi maledicat, conſtat ſatis ex eo, quod qui in cultu externo ſunt, nihil aliud ſpectent quam mundana, corporea & terreſtria, ſic deorſum, & iis animum & vitam immergant; de quibus in mox ſequentibus.

1094. Servus ſervorum erit fratribus, quod ſignificet viliſſimum in Eccleſia, conſtat ex natura cultus externi ſeparati ab interno: quod cultus externus in ſe ſpectatus nihil ſit, niſi internus ſit, qui eum ſanctum faciat, unicuivis conſtare poteſt; quid adoratio externa, abſque adoratione cordis, niſi geſtus; quid oratio oris, ſi non ei ineſt mens, niſi blateratio; & quid opus quoddam, ſi non intentio in illo, niſi quoddam nihil; quare externum omne in ſe eſt inanimatum quoddam, at unice vivit ab interno; qualis ſit cultus externus ſeparatus ab interno, conſtare mihi potuit a multis in altera vita; magæ & præſtigiatrices ibi, dum vixerunt in mundo, æque frequentarunt Eccleſiam & ſacramenta ac alii; ſimiliter doloſi, & quidem hi præ aliis; tum quoque qui rapinis delectati fuerunt; ut & avari; & tamen infernales ſunt, & maximo odio habent Dominum & proximum; Cultus eorum internus in externo fuerat, vel ut viderentur mundo; vel ut obtinerent mundana, terreſtria & corporea quæ cupiverunt; vel ut ſub ſpecie ſanctitatis fallerent; vel ex habitu quodam inducto: quod tales proniſſimi ſint ad adorandum quemcunque Deum aut quodcunque idolum, quod ſibi ſuiſque cupiditatibus favet, conſtat manifeſte, imprimis a Judæis, qui, quia nihil niſi in externis poſuerunt cultum, toties in idololatrias lapſi ſunt; cauſa eſt, quia talis cultus in ſe non eſt niſi idololatricus, nam colitur ab iis externum: Gentes quoque in terra Canaane, quæ coluerunt Bales & alios deos, pæne ſimilem cultum externum ha-

habuerunt, nam non ſolum templa, & altaria, ſed etiam ſacrificia habebant, ſic ut parum differret eorum cultus externus a cultu Judæorum, ſolum quod illi nominarent Baalem, Aſtaroth, aliumve pro ſuo deo, & Judæi Jehovam, ſicut etiam hodie, putantes quod ſola nominatio Jehovæ faceret eos ſanctos & electos, cum tamen hoc potius eos præ aliis damnaverit, ſic enim prophanare potuerunt ſanctum, quod gentes non poſſent; talis cultus eſt qui vocatur Canaan, qui ſervus ſervorum dicitur: quod ſervus ſervorum ſit viliſſimum in Eccleſia, videatur verſu ſequente.

1095. Verſ: 26. *Et dixit, benedictus Jehovah Deus Schemi, & erit Canaan ſervus illi.* Benedictus Jehovah Schemi, ſignificat omne bonum illis, qui ab internis colunt Dominum; Schemus eſt Eccleſia interna: & erit Canaan ſervus illi, ſignificat quod tales qui in externis ſolum cultum ponunt, ſint inter eos, qui vilia ſervitia præſtare poſſint hominibus Eccleſiæ.

1096. Quod benedictus Jehovah Schemi, ſignificet omne bonum illis qui ab internis colunt Dominum, conſtare poteſt a ſignificatione Benedictus: Benedictio involvit omne Bonum cœleſte & ſpirituale, tum quoque naturale, quæ ſignificantur per Benedictionem in ſenſu interno; & in ſenſu externo per Benedictionem ſignificatur omne bonum mundanum, corporeum & terreſtre, ſed hæc, ſi benedictio ſint, neceſſario erunt a Benedictione interna, nam hæc ſolum eſt Benedictio, quia eſt æterna & cum omni felicitate conjuncta, eſtque ipſum Eſſe benedictionum, nam quid Eſt niſi æternum, omne aliud eſſe deſinit eſſe: antiquis ſolemne fuit dicere, Benedictus Jehovah, quo intelligebant, quod ab Ipſo omnis Benedictio, hoc eſt, omne bonum, ac erat quoque formula gratiarum actionis quod Dominus benedicat & quod benedixerit, ut apud Davidem, Pſalm: XXVIII: 6. Pſalm: XXXI: 22. Pſalm: XLI: 14. Pſalm LXVI: 20. Pſalm: LXVIII: 20, 36. Pſalm: LXXII: 18, 19. Pſalm: LXXXIX: 53. Pſalm: CXIX: 12. Pſalm: CXXIV: 6. Pſalm: CXXXV: 21: Pſalm CXLIV: 1. præter apud alios. Benedictus JEHOVAH DEUS hic dicitur, quia de Schemo ſeu Interna Eccleſia; quæ Eccleſia dicitur interna ex charitate; in charitate eſt Dominus præſens, Qui hic ideo Jehovah Deus appellatur; at vero in Eccleſia Externa non ita, in qua tametſi Dominus eſt præſens, uſque tamen non ſicut in homine Eccleſiæ Internæ; nam homo Eccleſiæ Externæ uſque credit, quod bona charitatis faciat ex ſemet, quare cum agitur de homine Eccleſiæ Externæ, tunc Dominus appellatur DEUS, ut in ſequente verſu de Japheto, "dilatet Deus Japhetum." Quod omne bonum illis qui ab internis colunt Dominum, conſtare poteſt etiam ab ordine rerum; hic enim ordo eſt, a Domino eſt omne cœleſte, a cœleſti eſt omne ſpirituale, a ſpirituali eſt omne naturale, hic eſt ordo exiſtentiæ omnium, inde eſt ordo influxus; cœleſte eſt amor in Dominum, & erga proximum, ubi nullus amor, ibi copula eſt rupta & Dominus non præſens, Qui unice influit per cœleſte, hoc eſt, per amorem; cum non cœleſte, tunc nec dari poteſt ſpirituale, quia omne ſpirituale eſt per cœleſte a Domino, ſpirituale eſt fides, quare nulla fides niſi per charitatem ſeu amorem a Domino, ſimiliter ſe habet cum naturali; ſecundum eundem ordinem influunt omnia bona; inde ſequitur,

 quitur,

quitur, quod illis omne bonum, qui ab internis, hoc eſt, a charitate colunt Dominum; at qui non a charitate, quod iis non bonum, ſolum tale quod mentitur bonum, & in ſe eſt malum, ſicut jucundum odiorum & adulteriorum, quod in ſe ſpectatum nuſquam eſt niſi jucundum excrementitium, in quod etiam in altera vita vertitur.

1097. Quod erit Canaan ſervus illi, ſignificet quod tales qui in externis ſolum cultum ponunt, ſint inter eos qui vilia ſervitia præſtare poſſint hominibus Eccleſiæ, conſtare imprimis poteſt a repræſentativis in Eccleſia Judaica: in Eccleſia Judaica repreſentabatur Interna Eccleſia per Jehudam & Iſraelem, per Jehudam Eccleſia Cœleſtis, per Iſraelem Eccleſia Spiritualis, per Jacobum Eccleſia Externa; qui autem in externis ſolum ponebant cultum, repræſentabantur per gentes, quas vocabant alienigenas, qui ſervi eorum, eſſent, & vilia ſervitia in Eccleſia præſtarent, ut apud Eſaiam, "Stabunt *Alieni* & paſcent gregem veſtrum, & filii *Alienigenæ* agricolæ veſtri, & vinitores veſtri; & vos ſacerdotes Jehovæ vocabimini, miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis, opes *gentium* comedetis, & in gloria eorum gloriabimini," LXI: 5. ubi Cœleſtes homines appellantur ſacerdotes Jehovæ, Spirituales miniſtri Dei; qui in externis ſolum ponunt cultum, filii alienigenæ, qui ſervirent in agris & in vineis. Apud Eundem, "Ædificabunt *filii alienigenæ* muros, & reges eorum *miniſtrabunt* tibi," LX: 10, ubi ſimiliter ſervitia eorum memorantur. De Gibeonitis apud Joſuam, "*Maledicti* vos, & non exſcindetur ex vobis *Servus*, & cædentes ligna, & haurientes aquas domui Dei mei: dedit eos Joſua in die hoc cæſores lignorum, & hauſtores aquarum congregationi, imprimis altari Jehovæ," IX: 23, 27. quos autem Gibeonitæ repræſentabant, quia cum iis fœdus factum, alibi videatur; uſque inter eos qui ſervirent in Eccleſia. De Alienigenis lex lata, ſi reciperent pacem & aperirent portas, quod eſſent in *tributum ſervientis*," Deut. XX: 11. 1 Reg: IX: 21, 22. Omnia & ſingula quæ in Verbo ſcripta ſunt de Eccleſia Judaica, repræſentativa fuerunt Regni Domini; Regnum Domini eſt tale, ut omnis quicunque & qualiſcunque ſit, uſum præſtare debeat; nihil eſt niſi uſus qui a Domino ſpectatur in Ipſius Regno; etiam infernales debent uſum præſtare, ſed uſus, quos præſtant, ſunt viliſſimi; inter eos, qui viles uſus præſtant, ſunt ii in altera vita, quibus ſolum externus cultus, ſeparatus ab interno fuit. Cæterum Repræſentativa in Eccleſia Judaica fuerunt talia, ut nihil reflecteretur ſuper perſonam, quæ repreſentabat, ſed ſuper rem quæ repræſentabatur; ſicut Judæi, qui nihil minus fuerunt quam Cœleſtes homines, & uſque repræſentabant illos; ita Iſrael nihil minus quam ſpiritualis homo, uſque repræſentabat illum, ſimiliter Jacob, & cæteri; tum reges & ſacerdotes, ſed uſque per eos repræſentabatur Regium & Sanctum Domini; quod manifeſtius conſtare poteſt ex eo, quod res mortuæ quoque repræſentarent, ſicut veſtes Aharonis, ipſum Altare, menſæ ubi panes, & lucernæ, panis & vinum, præter boves, juvencos, hircos, oves, capras, agnos, columbas, turtures: & quia filii Jehudæ & Iſraelis ſolum repræſentabant cultum internum & externum Eccleſiæ Domini, & uſque præ cæteris modo in externis ponebant omnem

nem cultum, ideo præ cæteris ſunt ii, qui Canaan, ſecundum ſignificationem ejus hic, poſſunt dici.

1098. Ut ſciatur quid Schem, & quid Japheth, hoc eſt, quis homo Internæ Eccleſiæ, & quis homo Externæ, & inde quid Canaan, ex his conſtare poteſt. Homo Internæ Eccleſiæ Domino tribuit omne bonum quod facit, & verum quod cogitat; homo autem Externæ Eccleſiæ hoc ignorat, & uſque facit bonum. Homo Internæ Eccleſiæ eſſentialem facit cultum Domini ex charitate, & quidem internum, cultum externum non ita eſſentialem; homo Eccleſiæ Externæ cultum externum eſſentialem facit, quid internus cultus ignorat, tametſi hunc habet: quare homo Internæ Eccleſiæ credit contra conſcientiam agere ſi non ab interno colat Dominum, homo autem Externæ Eccleſiæ credit ſe contra conſcientiam agere, ſi non externos ritus ſancte obſervat. Conſcientiæ hominis Internæ Eccleſiæ plura inſunt, quia plura novit de ſenſu Verbi interno; Conſcientiæ autem hominis Externæ Eccleſiæ pauciora inſunt, quia pauca novit de ſenſu Verbi interno. Ille ſeu homo Internæ Eccleſiæ eſt qui appellatur Schem; hic autem ſeu homo Externæ Eccleſiæ eſt qui appellatur Japheth: at qui ſolum in externis ponit cultum, & nullam charitatem habet, proinde nullam conſcientiam, is vocatur Canaan.

1099. Verſ: 27. *Dilatet Deus Japhetum; & habitabit in tentoriis Schemi; & erit Canaan ſervus illi.* Per Japhetum ſignificatur, ut prius, Eccleſia externa correſpondens: dilatet Deus Japhetum, ſignificat illuſtrationem ejus: & habitabit in tentoriis Schemi, ſignificat ut interna cultus ſint in externis: & erit Canaan ſervus illi, ſignificat, hic ut prius, qui ſolum in externis ponunt cultum quod vilia ſervitia poſſint præſtare.

1100. Quod per Japhetum ſignificetur Eccleſia Externa correſpondens, prius dictum, tum quid per Eccleſiam Externam intelligatur, nempe quod cultus externus, ita illi, qui neſciunt quid internus homo, & quæ ſunt interni hominis, & uſque vivunt in charitate; apud hos Dominus æque præſens eſt; nam Dominus per charitatem operatur, ubicunque charitas eſt; ſe habet hoc ſicut cum infantibus, qui tametſi neſciunt quid charitas, & minus adhuc quid fides, uſque tamen apud eos Dominus multo præſentior eſt, quam apud adultos; cumprimis quando infantes mutuo vivunt in charitate; ita apud ſimplices, quibus eſt innocentia, charitas & miſericordia; nihil facit, quod homo multo ſciat ſi non vivat ſecundum illa quæ ſcit, nam ſcire non alium finem habet, quam ut inde fiat, nempe bonus; cum factus eſt bonus, multo plus habet, quam qui innumera ſcit, & adhuc non bonus eſt, nam quod hic per multa ſcire quærit, ille habet; aliter vero, qui multa vera & bona novit, & ſimul charitatem & conſcientiam habet, & eſt Internæ Eccleſiæ homo ſeu Schem: qui parum ſciunt, & conſcientiam habent, ii in altera vita illuſtrantur, uſque adeo, ut fiant angeli, quorum tunc ſapientia & intelligentia eſt inexpreſſibilis; hi per Japhetum ſignificantur.

1101. Dilatet Deus Japhetum quod ſignificet illuſtrationem ejus; in ſenſu literali dilatare, ſignificat amplificare terminos, ſed in ſenſu interno illuſtrari;

illu-

illuſtratio enim eſt amplificatio quaſi terminorum ſapientiæ & intelligentiæ, ut apud Eſaiam, "*Dilata* locum *tentorii* tui, & cortinas habitaculorum tuorum "extendant," LIV: 2. pro illuſtratione in ſpiritualibus. Dilatatur homo Eccleſiæ Externæ, cum inſtruitur in veris & bonis fidei; & quia in charitate eſt, inde magis & magis confirmatur; quoque magis inſtruitur, eo magis diſcutitur nubes partis ejus intellectualis, in qua charitas & conſcientia.

1102. Habitabit in tentoriis Schemi, quod ſignificet ut interna cultus ſint in externis, conſtare poteſt ab omnibus illis, quæ prius de Schemo dicta ſunt, nempe quod Schemus ſit Eccleſia Interna, ſeu cultus internus, & quod externus cultus nihil aliud ſit quam inanimatuum quid, aut ſpurcum, niſi internus ſit, qui illum vivificat & ſanctificat: quod Tentoria non aliud ſignificent quam ſanctum amoris, & cultum inde, conſtare poteſt a ſignificatione tentoriorum, de qua prius, n: 414, ſolennis formula apud Antiquos fuit, peregrinari & habitare in tentoriis, quibus ſignificabatur in ſenſu interno cultus ſanctus, ex cauſa, quia Antiquiſſimi non ſolum peregrinati ſunt cum tentoriis, ſed etiam habitabant in tentoriis, & ibi cultum ſanctum peragebant; inde quoque peregrinari & habitare in ſenſu interno ſignificabat *vivere*: quod Tentoria ſignificent ſanctum cultum, præter loca, quæ prius n: 414. allata, etiam hæc ſint confirmationi; apud Davidem, "Deus deſeruit habitaculum Schilo, "*Tentorium* ubi *habitavit* in homine," Pſalm: LXXVIII: 60. ubi tentorium ſimile ſignificat ac templum, in quo Deus habitare dicitur cum præſens apud hominem in amore; inde homo, qui in cultu ſancto vixit, antiquis appellatus tentorium, at poſtea templum. Apud Eſaiam, "Dilata locum *Tentorii* tui, "& cortinas habitaculorum tuorum extendant," LIV: 2. pro illuſtratione in illis quæ ſunt veri cultus. Apud Jeremiam, "Devaſtata eſt tota terra; ſubito devaſtata ſunt *Tentoria* mea, momento cortinæ meæ," IV: 20, ubi quod non tentoria intelligantur, manifeſte patet, ſed quod cultus ſanctus. Apud Sachariam, "*Habitabit* Hieroſolyma adhuc ſub ſe in Hieroſolyma: ſalvabit Jehovah *Tentoria* Jehudæ," XII: 7. ubi tentoria Jehudæ pro cultu Domini ex ſancto amoris. Ex his nunc conſtare poteſt, quid ſit habitare in tentoriis Schemi, nempe ut internus cultus ſit in externo. Sed quia homo Japhetus, ſeu homo Externæ Eccleſiæ non novit ita, quid interna ſunt, quare paucis dicetur; quando homo apud ſe ſentit aut percipit, quod cogitet bene de Domino, & quod cogitet bene de proximo, eique officia præſtare velit, non propter lucrum aliquod, aut propter honorem ſui; & quando ſentit, quod miſereatur ejus qui in calamitate eſt, & magis qui in errore eſt quoad doctrinam fidei, tunc ſcire poteſt, quod habitet in tentoriis Schemi, hoc eſt, quod interna apud ſe habeat, per quæ Dominus operatur.

1103. Erit Canaan ſervus illi, quod ſignificet, qui ſolum in externis ponunt cultum quod vilia officia præſtare poſſint, conſtat ex illis quæ dicta ſunt ſupra ad verſ: præc: 25, 26, de Canaane, quod ſit ſervus: tales quidem non ſunt ſervi in Eccleſia Domini in terris, plures enim eorum ſunt, qui primas tenent, & qui reliquis præſunt, qui nihil ex charitate & conſcientia faciunt, & tamen admodum ſtricte obſervant externa Eccleſiæ, imo etiam damnant eos,

eos, qui non obſervant; ſed tales, quia nulla charitate & nulla conſcientia ſunt, & in externis abſque internis ſolum cultum ponunt, ſunt ſervi in Regno Domini, hoc eſt, in altera vita, nam inter infelices ſunt; ſervitia, quæ ibi præſtant ſunt vilia, quæ quia plura ſunt, non ita exponi poſſunt, ſed de iis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; omnis enim, quicunque eſt, debet in altera vita præſtare uſum, nam homo nuſquam propter alium finem naſcitur, quam ut uſum præſtet, ſocietati in qua eſt, & proximo, dum vivit in mundo; in altera vita uſum, ſecundum beneplacitum Domini: ſe habent hæc, ſicut in corpore humano, quicquid ibi eſt, uſum præſtare debet, etiam quæ in ſe nauci ſunt, ſicut humores qui in ſe excrementitii, ut ſunt plures ſalivales, tum biles, & ſimilia, quæ non ſolum cibis inſervire debent, ſed etiam ſeparare excrementitia, & expurgare inteſtina; aut ſicut in agris & vineis, fimi & ſtercora; & ſic porro.

1104. Verſ: 28, 29. *Et vixit Noach poſt diluvium, trecentis annis & quinquaginta annis. Et fuerunt omnes dies Noachi nongenti anni, & quinquaginta anni; & mortuus eſt.* Significant durationem primæ Eccleſiæ Antiquæ, & ſimul ſtatum ejus.

1105. Quod hæc ſignificentur, conſtat ſatis ab illis, quæ de numeris & annis prius dicta ſunt, quæ videantur n: 482, 487, 488, 493, 575, 647, 648.

De Vaſtationibus.

1106. *SUNT plures, qui dum fuerunt in mundo, ex ſimplicitate & ignorantia, falſa quoad fidem imbuerunt, & quandam ſpeciem conſcientiæ ſecundum fidei eorum principia habuerunt; & non, ut alii, in odiis, vindictis & adulteriis, vixerunt; illi in altera vita, quamdiu in falſo ſunt, non poſſunt intromitti in ſocietates cæleſtes, ſic enim illas contuminarent, quare in terra inferiore per aliquantum temporis tenentur, ut ibi exuant principia falſi; tempora, quibus ibi manent, ſunt longiora & breviora, ſecundum naturam falſi, & inde contractam vitam, & ſecundum confirmata apud ſe principia; quidam ibi ſatis dura patiuntur, quidam non dura: hæc ſunt, quæ appellantur Vaſtationes, quarum plurima mentio fit in Verbo: peracto tempore vaſtationis, auferuntur in cælum, & ſicut novitii inſtruuntur in veris fidei, & hoc per angelos, a quibus recipiuntur.*

1107. *Sunt quidam, qui libenter volunt vaſtari, & ſic exuere principia falſa, quæ ſecum e mundo traxerunt; (principia falſa nuſquam aliquis*

quis poteſt exuere in altera vita, niſi per moram temporis, perque media a Domino proviſa), illi dum in terra inferiore manent, a Domino in ſpe liberationis tenentur, & in cogitatione finis, quod ſic emendentur, & ad felicitatem cœleſtem recipiendam præparentur.

1108. *Quidam in ſtatu medio tenentur inter vigiliam & ſomnum, & perparum cogitant, modo per vices quaſi expergiſcuntur, & reminiſcuntur eorum, quæ in vita corporis cogitarunt & fecerunt; & iterum in ſtatum medium inter vigiliam & ſomnum relabuntur; & ſic vaſtantur: ſunt ſub pede ſiniſtro paulo antrorſum.*

1109. *Qui ſe prorſus confirmarunt in principiis falſis, rediguntur in ignorantiam plenariam, & tunc iis eſt obſcurum & confuſum, adeo, ut cum modo cogitant de iis, in quibus ſe confirmarunt, intus iis dolor ſit: at poſt exactum tempus, e novo quaſi creantur, & imbuuntur veris fidei.*

1110. *Qui in bonis operibus juſtitiam & meritum poſuerunt, ac ita ſibi tribuerunt efficaciam ſalvationis, non Domino ac Ipſius Juſtitiæ & Merito, ſeque in eo confirmarunt cogitatione & vita, eorum principia falſi vertuntur in altera vita in phantaſias, quod videantur ſibi ſcindere ligna, ita prorſus iis apparet; cum iis loquutus ſum: cum in labore ſuo ſunt, & interrogantur annon defatigentur, reſpondent, quod nondum tantum laboris egerint, ut poſſint mereri cælum. Apparet, cum ligna ſcindunt, quaſi quid Domini ſub lignis, ſic ut lignum ſit meritum; quo plus Domini in lignis, eo diutius tales manent; at cum hoc incipit diſparari, tunc tendit ad finem vaſtationis: tandem fiunt tales, ut quoque admitti in ſocietates bonas poſſint, ſed uſque fluctuant diu inter verum & falſum: illorum, quia piam egerunt vitam, curam multam Dominus habet; & ad eos ſubinde mittit angelos. Hi ſunt qui in Eccleſia Judaica repræſentati ſunt per ſectores lignorum,* Joſ: IX: 23, 27.

1111. *Qui vitam civilem & moralem bonam vixerunt, ſed ſibi perſuaſerunt per opera mereri cælum, & crediderunt, quod ſatis ſit, ſi agnoſcant unicum Deum univerſi creatorem; eorum principia falſi vertuntur in altera vita in tales phantaſias, quod videantur ſibi ſecare gramen, & vocantur graminis ſerratores; ſunt frigidi, & per ſerrationem iſtam ſe calefacere ſtudent; quandoque circumeunt, & quærunt apud eos, quos inveniunt, num quid caloris iis dare velint, quod etiam ſpiritus poſſunt facere, ſed calor, quem accipiunt, nihil apud eos efficit, quia externus eſt, volentes habere calorem internum, quare redeunt ad ſerrationes ſuas, & ſic ſibi calorem labore acquirunt; frigus eorum ſenſi: ſperant ſemper quod in cælum auferendi; quandoque conſultant, quomodo ſemet ſua potentia*

tentia queant illuc immittere. Hi, quia bona opera præſtiterunt, inter eos ſunt, qui vaſtantur; & tandem peracto tempore intromittuntur in ſocietates bonas, & inſtruuntur.

1112. *Qui autem in bonis & veris fidei fuerunt, & inde conſcientiam & vitam charitatis nacti ſunt, ſtatim poſt mortem, in cœlum a Domino elevantur.*

1113. *Sunt puellæ, quæ in ſcortationes inductæ ſunt, ac ita perſuaſæ quod nihil mali iis inſit, indole alioquin probæ; illæ, quia nondum ad eam ætatem pervenerunt, ut ſcire & judicare de tali vita potuerint, habent quendam inſtructorem apud ſe, admodum ſeverum, qui eas caſtigat, quoties cogitatione in tales petulantias erumpunt, hunc maximopere timent; & ſic vaſtantur. At fœminæ adultæ, quæ ſcorta fuerunt & pellexerunt alias; non vaſtationem ſubeunt, ſed, in inferno ſunt.*

GENESEOS,

CAPUT DECIMUM.

De Eccleſia Antiquiſſima; quæ appellata Homo ſeu Adam.

1114. *ANgeli & Spiritus, ſeu homines poſt mortem, omnes, quos cognoverunt in mundo, & de quibus audiverunt, quoſcunque deſiderant, poſſunt offendere, eos ut præſentes videre, & cum iis loqui, cum Dominus id concedit; & quod mirum, momento adſunt, & præſentiſſime; ita loqui licet non ſolum cum amicis, qui utplurimum ſe inveniunt, ſed etiam cum aliis, quos æſtimarunt & coluerunt. Ex Divina Domini Miſericordia, conceſſum fuit mihi, loqui non ſolum cum illis, quos notos habui cum in corpore vixerunt, ſed etiam cum illis qui in Verbo præ aliis famigerati ſunt; ita quoque cum illis, qui fuerunt ab Antiquiſſima Eccleſia, quæ fuit illa, quæ appellatur Homo ſeu Adam, etiam cum quibuſdam, qui fuerunt ab Eccleſiis poſt illam, ex cauſa, ut ſcirem quod per Nomina in primis Capitibus Geneſeos modo Eccleſiæ intellectæ ſint, tum ut ſcirem quales homines Eccleſiarum illius temporis fuerunt: quæ itaque ſcire datum de Antiquiſſimis Eccleſiis, ſunt hæc quæ ſequuntur.*

1115. *Qui ab Antiquiſſima Eccleſia, quæ Homo ſeu Adam appellata fuit, & cæleſtes homines fuerunt, ſunt ſupra caput altiſſime, & ibi ſimul habitant, in ſumma felicitate; dicebant quod raro alii ad eos veniant, niſi aliquoties quidam aliunde, dicentes, ex univerſo: & quod ita alte ſupra caput, non eſſet ideo, quod elato animo ſint, ſed ut gubernent eos qui ibi.*

1116. *Oſtenſa mihi fuerunt Habitacula illorum, qui a poſteritate altera & tertia Antiquiſſimæ hujus Eccleſiæ fuerunt, quæ ſunt magnifica, extenſa in multam longitudinem, variegata pulchris coloribus, purpureis & cæruleis: ſunt enim Habitacula Angelis magnificentiſſima, ut nuſquam deſcribi poſſint, quæ multoties vidi, coram oculis illorum tam vive apparentia, ut nihil ad vivum apparentius dari queat; ſed unde tales apparentiæ ad vivum, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: Vivunt in aura lucis, ut ita dicam, ſplendentis marga-*

margariticæ, & quandoque in adamantinæ; nam in altera vita auræ mirabiles, cum innumerabili varietate, dantur; qui putant non talia ibi dari, & indefinite plura, quam quæ uſquam in alicujus ideam pervenire potuerunt aut poſſunt, ii multum falluntur; ſunt quidem repræſentativa, qualia quandoque Prophetis viſa ſunt, ſed uſque ita realia, ut qui in altera vita ſunt, illa pro realibus habeant, at ea quæ in mundo reſpective pro non realibus.

1117. *In ſumma luce vivunt; lux mundi reſpective ad illam lucem, in qua vivunt, vix comparari poteſt; oſtenſa mihi lux illa per lucem flammeam, quæ quaſi delapſa ante oculos, & dicebant illi qui ab Antiquiſſima Eccleſia, quod illis talis lux, & adhuc intenſior.*

1118. *Oſtenſum mihi per influxum quendam, quem deſcribere non poſſum, qualis illorum loquela fuit cum vixerunt in mundo, quod non articulata ſicut loquela vocum noſtri temporis, ſed quod tacita, quæ fiebat non per reſpirationem externam, ſed per internam; appercipere etiam datum, qualis illorum reſpiratio interna fuit, quod proceſſerit ab umbilico verſus cor, & ſic per labia, abſque ſonoro, & quod non intraverit in alterius aurem per viam externam, & pulſaverit in quoddam, quod vocatur tympanum auris, ſed per viam quandam intra os, & quidem per quoddam ibi quod vocatur hodie tuba Euſtachiana: & oſtenſum, quod per talem loquelam multo plenius potuerint exprimere ſenſa animi & ideas cogitationis, quam uſquam fieri poteſt per ſonos articulatos aut voces ſonoras, quæ ſimiliter diriguntur per reſpirationem ſed externam, nam nihil in aliqua voce eſt, quod non dirigitur per applicationes reſpirationis; ſed apud illos multo perfectius, quia per reſpirationem internam; quæ quia interior etiam multo perfectior eſt, & ipſis ideis cogitationis applicabilior & conformior. Præter etiam per labiorum motiunculas, & correſpondentes faciei mutationes; nam, quoniam cæleſtes homines fuerunt, quicquid cogitabant, hoc a facie & oculis illorum elucebat, quæ conformiter variabantur; nuſquam potuerunt alium vultum præferre, quam ſecundum illa quæ cogitabant; ſimulatio & magis adhuc dolus iis fuit facinus enorme.*

1119. *Oſtenſum mihi ad vivum fuit, quomodo Antiquiſſimorum Reſpiratio interna influxit tacite in quandam externam, & ſic in tacitam loquelam, perceptam ab altero in ejus interiore homine. Dicebant, quod Reſpiratio illa apud illos variata fuerit ſecundum ſtatum eorum amoris & fidei in Dominum, cauſa quoque dicta, quod, quia communicationem habebant cum cælo, non potuerit aliter eſſe, reſpirabant enim cum angelis, in quorum conſortio fuerunt; Angeli reſpirationem habent, cui correſpondet*

ſpondet reſpiratio interna, & ſimiliter apud illos variatur, cum enim illis aliquid contrarium amori & fidei in Dominum, obvenit, tunc illis anguſta reſpiratio, cum vero in felicitate amoris & fidei ſunt, tunc iis libera & ampla reſpiratio; cuivis homini etiam ſimile quid eſt, ſed ſecundum ejus corporeos & mundanos amores, & ſecundum ejus principia, quibus cum aliquid contrariatur, eis anguſtia reſpirationis eſt, at cum faventur, eis libera & ampla reſpiratio, at hæc ſunt reſpirationis externæ. Sed de reſpiratione Angelorum, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

1120. *Oſtenſum quoque, quod interna reſpiratio hominum Antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ fuerat ab umbilico verſus pectoris interiorem regionem, temporis ſucceſſu, ſeu in poſteris, mutata fuerit, & receſſerit magis verſus regionem tergalem, & verſus abdomen, ita magis extrorſum & deorſum, & quod tandem in poſteritate ultima illius Eccleſiæ, quæ fuit proxime ante diluvium, vix aliquid reſpirationis internæ remanſerit, & cum tandem nulla facta pectoris, quod a ſemet ſuffocati fuerint: ſed quod in aliquibus tunc reſpiratio externa inceperit, & cum reſpiratione illa ſonus articulatus, ſeu loquela vocum: ita reſpirationes apud homines ante diluvium ſe habuerunt, ſecundum ſtatum eorum amoris & fidei; & tandem cum nullus amor & nulla fides, ſed perſuaſio falſi, quod reſpiratio interna ceſſaverit, & cum illa communicatio immediata cum angelis, & perceptio.*

1121. *Inſtructus ſum ab Antiquiſſimæ Eccleſiæ filiis de ſtatu Perceptionis illorum, quod nempe Perceptionem habuerint omnium quæ ſunt fidei, pæne ſicut Angeli, cum quibus communicationem habuerunt, ex cauſa, quod interior eorum homo, ſeu ſpiritus, etiam media reſpiratione interna, junctus fuerit cælo, quodque amor in Dominum & amor erga proximum, id ſecum habeat, ſic enim conjungitur homo angelis per ipſiſſimam eorum vitam, quæ conſiſtit in amore tali; dicebant, quod inſcriptam ſibi habuerint Legem, quia in amore in Dominum, & amore erga proximum fuerunt; tunc enim cum Perceptione illorum fuit, quicquid leges dictant, & contra Perceptionem quicquid leges vetant: nec dubitabant, quin omnes Leges humanæ, ſicut Divinæ, fundentur in amore in Dominum & charitate erga proximum, & ſpectent illud ut fundamentale ſuum: quare quia fundamentale in ſe a Domino habuerunt, non potuerunt aliter ac noſſe omnia quæ inde: credentes etiam, quod omnes qui in mundo hodie vivunt qui Dominum amant & proximum, etiam habeant legem ſibi inſcriptam, & accepti cives ſint ubivis in terra, ſicut ſunt iidem in altera vita.*

1122.

1122. *Porro inſtructus ſum, quod Antiquiſſimæ Eccleſiæ homines habuerint delitioſiſſima ſomnia, & præterea viſiones, & quod iis una tunc inſinuatum, quid ſignificarent, inde illorum Repræſentationes Paradiſiacæ, & plura: ideo illis objecta ſenſuum exteriorum, quæ terreſtria & mundana, nihil erant, nec in iis quicquam jucunditatis percipiebant, modo in illis quæ ſignificabant & repræſentabant; quare, cum objecta terreſtria videbant, nihil de illis cogitabant, ſolum de illis quæ ſignificabant & repræſentabant, quæ illis jucundiſſima fuerunt, nam erant talia quæ in cælo ſunt, ex quibus Ipſum Dominum vident.*

1123. *Loquutus cum Tertia generatione Antiquiſſimæ Eccleſiæ, qui dicebant, quod ſuo tempore, cum vixerunt in mundo, exſpectaverint Dominum, Qui ſalvaret univerſum Genus humanum, & quod apud eos in communi tunc ſermone fuerit, quod Semen mulieris proculcaret caput ſerpentis: dicebant, quod ab illo tempore jucundiſſimum illorum vitæ fuerit procreare ſobolem, ſic ut eorum ſummæ delitiæ fuerint amare conjugem prolis gratia, vocabant illas delitias jucundiſſimas, & jucunditates delitioſiſſimas; addendo, quod perceptio harum jucunditatum & delitiarum fuerit ex influxu e cælo, quia naſceretur Dominus.*

1124. *Ex poſteritate, quæ vixit ante diluvium, non ex illis qui perierunt, ſed qui illis aliquantum meliores fuerunt, apud me erant, & primum influebant ſatis molliter, & ſatis inſenſibiliter, ſed percipere dabatur, quod interius mali eſſent, & quod interius contra amorem agerent, exhalabat ex iis ſphæra nidoris cadaveroſi, ita ut aufugerent ſpiritus qui circum me; putabant ſe ita ſubtiles eſſe, ut nemo perciperet quid cogitarent: loquutus cum iis de Domino, annon ſicut patres eorum exſpectaverint Ipſum, dicebant, quod ſibi repræſentaverint Dominum quaſi hominem vetuſtum barbæ canæ, ſanctum, & quod ex Illo ſancti fierent, & ſimiliter barbati; unde talis religio apud poſteros orta de barbis; addebant, quod nunc quoque Ipſum adorare poſſent, ſed ex ſemet; at tunc, Angelus veniebat, cujus adventum non ſuſtinere poterant.*

1125. *Loqui etiam datum cum illis qui fuerunt ab Eccleſia Enoſch dicta, de qua Geneſ:* IV: 26. *influxus eorum erat mollis, loquutio modeſta; dicebant quod inter ſe vivant in charitate; & aliis, qui ad eos veniunt, præſtent officia amicitiæ; ſed conſtabat, quod charitas eorum eſſet charitas amicitiæ: tranquille vivunt, nullum alicui incommodum afferunt, ſicut boni cives.*

1126. *Viſum mihi fuit conclave anguſtum, & aperta janua in conſpectum venit vir longus, indutus albo, albedo erat intenſa; miratus quinam eſſet; dicebant quod vir albo indutus ſignificaret eos, qui appellati ſunt Noa-*

Noachus, ſeu qui omnium primi fuerunt ab Eccleſia Antiqua, quæ eſt Eccleſia poſt diluvium, & quod ita repræſentarentur, quia pauci fuerunt.

1127. *Loqui datum cum illis, qui ab Antiqua Eccleſia, ſeu Eccleſia poſt diluvium, appellati ſunt Schem; influebant molliter per regionem capitis in regionem pectoralem verſus cor, ſed non uſque ad cor: ex influxu ſciri poteſt, quales ſunt.*

1128. *Viſus eſt quidam obvelatus quaſi nube, in cujus facie plures ſtellæ errantes, quæ ſignificant falſitates, dicebatur, quod talis fuerit poſteritas Antiquæ Eccleſiæ cum perire inciperet, cumprimis apud eos, qui cultum inſtituebant per ſacrificia, & per imagines.*

1129. *De Antediluvianis qui perierunt, ſequitur in fine hujus Capitis.*

CAPUT X.

1. ET hæ nativitates filiorum Noachi, Schem, Cham, & Japheth; & nati ſunt illis filii poſt diluvium.

2. Filii Japheti, Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Meſchech, & Thiras.

3. Et filii Gomer; Aſkenas, & Riphath, & Thogarmah.

4. Et filii Javan; Eliſchah, & Tharſchiſch, Kitthim, & Dodanim.

5. Ex his diſperſæ ſunt inſulæ gentium, in terris ſuis, quælibet juxta linguam ſuam, juxta familias ſuas, quoad gentes ſuas.

6. Et filii Cham; Kuſch, & Mizraim, & Puth, & Canaan.

7. Et filii Kuſch; Seba, & Chavillah, & Sabtha, & Raamah, & Sabtheka. Et filii Raamæ; Scheba, & Dedan.

8. Et Kuſch genuit Nimrodum; is cœpit eſſe potens in terra.

9. Is fuit potens venatione coram JEHOVAH; propterea dicebatur, ſicut Nimrod potens venatione coram JEHOVAH.

10. Et fuit principium regni ejus Babel, & Erech, & Akkad, & Kalneh, in terra Shinear.

11. Et terra iſta egreſſus eſt Aſchur, & ædificavit Niniven, & Rechoboth urbem, & Kalach.

12. Et Reſen inter Niniven & inter Kalach; hæc urbs illa magna.

13. Et Mizraim genuit Ludim, & Anamim, & Lehabim, & Naphthuchim.

14. Et Pathruſim, & Kaſluchim, ex quibus egreſſi ſunt Peliſthim, & Kaphthorim.

15. Et Canaan genuit Zidonem, primogenitum ſuum, & Chethum.

16. Et Jebuſi, & Emori, & Girgaſchi.

17. Et Chivi, & Arki, & Sini.

18. Et Arvadi, & Zemari, & Chamathi: & poſtea diſperſæ ſunt familiæ Canaanitarum.

19. Et fuit terminus Canaanitarum, a Zidone veniendo ad Gerar, uſque ad Aſſam, veniendo ad Sodomam, & Amoram, & Admam, & Zeboim, uſque ad Laſcha.

20. Hi filii Chami, ſecundum familias ſuas, ſecundum linguas ſuas, in terris eorum, in gentibus eorum.

21. Et Schemo natum eſt etiam: ille pater omnium filiorum Eberi; frater Japhethi major.

22. Filii Schemi; Elam, & Aſchur, & Arphakſchad, & Lud, & Aram.

23. Et filii Aram; Uz, & Chul, & Gether, & Maſch.

24. Et Arphakſchad genuit Schelachum; & Schelach genuit Eberum.

25. Et Ebero nati ſunt bini filii; nomen unius Peleg, quia in diebus ejus diviſa eſt terra; & nomen fratris ejus Joktan.

26. Et Joktan genuit Almodad, & Scheleph, & Chazarmaveth, & Jerach.

27. Et Hadoram, & Uſal, & Diklah.

28. Et Obal, & Abimael, & Scheba.

29. Et Ophir, & Chavillah, & Jobab; omnes hi filii Joktanis.

30. Et fuit habitatio eorum a Meſcha, veniendo ad Sephar, montem orientis.

31. Hi filii Schemi, ſecundum familias illorum, ſecundum linguas illorum, in terris illorum, ſecundum gentes illorum.

32. Hæ familiæ filiorum Noachi, ſecundum nativitates eorum, in gentibus eorum; & ab illis diſperſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.

CONTENTA.

1130. IN toto hoc Capite agitur de Eccleſia Antiqua, & ejus propagatione, verſ: 1.

1131. Qui cultum externum correſpondentem interno habuerunt, ſunt

ſunt filii Japhethi, verſ: 2. & qui remotiorem ab interno, ſunt filii Gomeri & Javanis, verſ: 3, 4. qui adhuc remotiorem, ſunt inſulæ gentium, verſ: 5.

1132. Qui cognitiones, ſcientifica, & ritualia coluerunt, & ab internis ſepararunt, ſunt filii Chami, verſ: 6. Qui cognitiones ſpiritualium, ſunt filii Kuſch; & qui cognitiones cœleſtium, ſunt filii Raamæ, verſ: 7.

1133. Agitur de iis, qui cultum externum habent, in quo interiora mala & falſa; Nimrod eſt talis cultus, verſ: 8, 9. mala in tali cultu, verſ: 10. falſa in tali cultu, verſ: 11, 12.

1134. De iis, qui ex ſcientificis per ratiocinia ſibi novos cultus fingunt, verſ: 13, 14. qui ex cognitionibus fidei faciunt mere ſcientiam, verſ: 14.

1135. De cultu externo abſque interno, qui eſt Canaan, & de cultus ejus derivationibus, verſ: 15, 16, 17, 18. de ejus extenſione, verſ: 19, 20.

1136. De cultu interno, qui eſt Schemus, & ejus extenſione, etiam ad Eccleſiam alteram Antiquam, verſ: 21. de cultu interno & ejus derivationibus, quæ quia a charitate, ſunt ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ, & cognitionum, quæ per gentes ſignificantur, verſ: 22, 23, 24.

1137. De quadam Eccleſia, quæ exſtitit in Syria, inſtituta ab Ebero, quæ Eccleſia Antiqua altera vocanda; cujus cultus internus eſt Peleg, externus Joktan, verſ: 25. ejus ritualia, ſunt Gentes quæ nominantur, verſ: 26, 27, 28, 29. ejus Eccleſiæ extenſio, verſ: 30.

1138. Quod cultus Antiquæ Eccleſiæ fuerint diverſi, & ſecundum cujuſvis gentis genium, verſ: 31, 32.

SENSUS INTERNUS.

1139. DIctum eſt prius, quod quatuor differentes ſtyli ſint in Verbo; PRIMUS, qui fuit Eccleſiæ Antiquiſſimæ, qui talis fuit, qualis a Primo Capite Geneſeos huc uſque. SECUNDUS eſt Hiſtoricus, qualis in ſequentibus apud Moſen, & in reliquis Libris hiſtoricis. TERTIUS eſt Propheticus. QUARTUS, qui medius inter propheticum & communem loquentium; de quibus videatur, n: 66.

1140. In

1140. In hoc Capite & in ſequente, uſque ad Heberum, continuatur ſtylus Antiquiſſimus, ſed eſt medius inter ſtylum hiſtoricum factum, & ſtylum hiſtoricum verum; nam per Noachum, & ejus filios, Schemum, Chamum, Japhetum, & Canaanem, nihil aliud intellectum fuit, nec aliud intelligitur, quam abſtracte Eccleſia Antiqua quoad cultus ejus; nempe per Schemum Cultus internus, per Japhetum Cultus externus correſpondens, per Chamum Cultus internus corruptus, per Canaanem Cultus externus ſeparatus ab interno; tales perſonæ nuſquam fuerunt; ſed nominati ſunt ita Cultus, quia ad illos, ut fundamentales, potuerunt redigi omnes differentes alii, ſeu omnes differentiæ in ſpecie: quare per Noachum nec aliud intellectum fuit, quam Antiqua Eccleſia in genere, comprehendens ſicut parens omnes. At vero per Nomina in hoc Capite, præter Heberum & ejus poſteritatem, totidem intelliguntur gentes, & totidem gentes fuerunt, quæ Antiquam Eccleſiam conſtituerunt, quæ Eccleſia late diſperſa fuit circum terram Canaanem.

1141. Qui hic nominantur filii Japhethi, fuerunt omnes tales, ut cultum externum correſpondentem interno habuerint, hoc eſt, qui in ſimplicitate, in amicitia, & in charitate mutua, vixerunt, nec alia doctrinalia noverunt, quam ritus externos. Qui nominantur filii Chami, fuerunt, qui cultum internum corruptum habuerunt. Qui filii Canaanis vocantur, fuerunt, qui cultum externum ſeparatum ab interno. Qui filii Schemi appellantur, fuerunt interni homines, & coluerunt Dominum, & amarunt proximum; quorum Eccleſia fuit pæne qualis Eccleſia noſtra Chriſtiana vera.

1142. Quales fuerunt in ſpecie, in hoc Capite non memoratur, nam modo quoad nomina recenſentur, ſed conſtat a prophetarum ſcriptis, ubi paſſim harum gentium nomina occurrunt, & ubivis non aliud ſignificant; & quidem nunc in ſenſu genuino, nunc in ſenſu oppoſito.

1143. Tametſi harum gentium, quæ Eccleſiam Antiquam conſtituerunt, hæc nomina fuerunt, uſque in ſenſu interno intelliguntur res, nempe ipſi cultus: quid nomina, quid terræ, quid gentes, & ſimilia, ne hilum norunt, qui in cœlo; talium ibi nulla idea eſt, ſed rerum per illa ſignificatarum: ex ſenſu interno vivit Verbum Domini, eſt ſicut anima, cujus quaſi corpus eſt ſenſus externus; ſeque habet ſicut homo, cum corpus ejus moritur tunc vivit anima, & cum vivit anima tunc non amplius novit quæ corporis ſunt, ita cum inter angelos venit, nec quid Verbum in ſenſu literæ, ſed quid in ſua anima: homo Antiquiſſimæ Eccleſiæ talis fuit, qui ſi hodie viveret, & legeret Verbum, ne hilum inhæreret ſenſui literæ, ſed foret ſicut illum non videret, modo ſenſum internum abſtracte a litera, & quidem ſicut litera non foret, ſic in vita aut anima Verbi. Similiter ſe habet ubivis in Verbo, etiam in hiſtoricis, quæ talia prorſus ſunt ſicut relata, ſed uſque ibi ne quidem una vocula datur, quæ non in ſenſu interno arcana involvit, quæ nuſquam apparent iis, qui in contextu hiſtorico tenent animum. Ita in hoc Capite, per nomina hic ſignificantur in ſenſu literæ aut hiſtorico, populi, qui Antiquam Eccleſiam conſtituerunt, in ſenſu autem interno doctrinalia illorum.

1144. Verſ: 1. *Et hæ nativitates filiorum Noachi, Schem, Cham, & Japheth; & nati ſunt illis filii poſt diluvium.* Hæ nativitates filiorum Noachi, ſignificant derivationes doctrinalium & cultuum Antiquæ Eccleſiæ, quæ in genere eſt Noachus: Schem, Cham, & Japheth, ſignificant, hic ut prius; Schem cultum internum verum; Cham cultum internum corruptum; Japheth cultum externum correſpondentem interno: & nati ſunt illis filii, ſignificant derivata inde doctrinalia: poſt diluvium, ſignificat a tempore, quo nova hæc Eccleſia exſtitit.

1145. Hæ nativitates filiorum Noachi, quod ſignificent derivationes doctrinalium & cultuum Antiquæ Eccleſiæ, quæ in genere eſt Noachus, conſtat ex ſignificatione nativitatum, de qua prius: Nativitates in ſenſu externo ſeu literali ſunt generationes unius ab altero, ut notum eſt; ſed in ſenſu interno omnia ſpectant cœleſtia & ſpiritualia, ſeu quæ charitatis ſunt & fidei, ita hic nativitates ſunt quæ Eccleſiæ, proinde doctrinalium, ut a ſequentibus melius patebit.

1146. Quod Schem, Cham, & Japheth, ſignificent hic ut prius, Schem cultum internum verum; Cham cultum internum corruptum; Japheth cultum externum correſpondentem interno, conſtat ab illis quæ prius de iis dicta ſunt, ubi non ſolum oſtenſum, quod Schem, Cham & Japheth Cultus illos ſignificent, ſed etiam quid per cultum internum verum ſeu Schem, tum quid per cultum internum corruptum ſeu Cham, ut & quid per cultum externum correſpondentem interno ſeu Japheth, intelligatur; quare illis ulterius non immorandum.

1147. Et nati ſunt illis filii, quod ſignificent derivata inde doctrinalia, conſtat a ſignificatione filiorum in ſenſu interno, quod ſint vera fidei, tum etiam falſa, proinde doctrinalia, per quæ ſignificantur tam vera quam falſa, nam doctrinalia Eccleſiarum talia ſunt: quod filii talia ſignificent, videatur prius n: 264, 489, 491, 533.

1148. Poſt diluvium, quod ſignificet a tempore, quo nova hæc Eccleſia exſtitit, conſtat ſimiliter ab illis quæ in præcedentibus Capitibus dicta ſunt; finis enim Antiquiſſimæ Eccleſiæ deſcribitur per Diluvium, tum quoque principium Eccleſiæ Antiquæ: Obſervandum, quod Eccleſia ante Diluvium appelletur Eccleſia Antiquiſſima; Eccleſia vero poſt Diluvium Eccleſia Antiqua.

1149. Verſ: 2. *Filii Japhethi; Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Meſchech, & Thiras.* Filii Japhethi ſignificant illos, qui cultum externum correſpondentem interno habuerunt: Gomer, Magog, Madai, Javan, Thubal, Meſchech, & Thiras, fuerunt totidem gentes, apud quas talis cultus, per quas in ſenſu interno ſignificantur totidem diverſa doctrinalia, quæ eadem fuerunt ac ritualia, quæ ſancte obſervabant.

1150. Filii Japhethi quod ſignificent illos, qui cultum externum correſpondentem interno habuerunt, prius dictum eſt: cultus externus correſpondens interno dicitur, quando eſſentiale ineſt cultui, eſſentiale eſt adoratio Domini ex

corde,

corde, quæ nuſquam dabilis eſt niſi charitas ſit ſeu amor erga proximum, in charitate ſeu amore erga proximum Dominus eſt præſens, tunc adorari poteſt ex corde; ſic ex Domino adoratio, nam Dominus dat omne poſſe & omne eſſe in adoratione; inde ſequitur, qualis charitas apud hominem, talis adoratio, ſeu cultus; omnis cultus eſt adoratio, quia ei ineſſe debet adoratio Domini, ut ſit cultus. Filii Japhethi, ſeu gentes & populi, qui filii Japhethi dicti ſunt, vixerunt inter ſe in charitate mutua, in amicitia, in civilitate, inque ſimplicitate, quare etiam in illorum cultu aderat Dominus, nam cum adeſt Dominus in cultu externo, tunc cultus internus eſt in externo, ſeu eſt cultus externus correſpondens interno. Perplurimæ gentes olim tales fuerunt, hodie quoque dantur, qui in externis ponunt cultum, nec ſciunt quid internum, ſique ſciunt, non de illis cogitant; illi ſi agnoſcunt Dominum, & amant proximum, Dominus eſt in illorum cultu, & ſunt filii Japhethi; at ſi negant Dominum, & ſe modo amant, ac proximum non curant, magis ſi odio habent, eorum cultus eſt externus ſeparatus ab interno, & ſunt filii Canaanis ſeu Canaanitæ.

1151. Gomer, Magog, Madai, Javan, Thubal, Meſchech & Thiras, quod fuerint totidem Gentes, apud quas talis cultus, & quod per illas in ſenſu interno ſignificentur totidem doctrinalia, quæ eadem fuerunt ac ritualia, quæ ſancte obſervabant, conſtat manifeſte a Verbo, ubi hæ gentes paſſim nominantur, nam per illas ſignificatur ubivis cultus externus, nunc cultus externus correſpondens interno, nunc oppoſitus; quod oppoſitus, cauſa eſt, quia omnes Eccleſiæ, ubicunque fuerunt, temporis tractu mutatæ ſunt, & quidem in oppoſitum. Quod gentes hic nominatæ nihil aliud ſignificent quam cultum externum, proinde eorum doctrinalia, quæ fuerunt ritualia, conſtare poteſt, ut dictum, a Verbo alibi, cumprimis apud Prophetas; de Magogo, Meſchech, Thubale & Gomere, ita apud Ezechielem, "Fili hominis, pone facies tuas verſus "Gogum, terram Magogi, principem, caput *Meſchechi* & *Thubalis*, & "propheta ſuper illum, & dicas, ſic dixit Dominus Jehovih, ecce Ego contra te, *Goge*, princeps, caput *Meſchechi* & *Thubalis*, & reducam te, & dabo hamos in maxillas tuas, & educam te, & omnem excercitum tuum, equos "& equites, indutos perfecte omnes, congregationem magnam, ſcuto & clypeo, prehendentes gladios omnes eos, cum quibus Perſia, Cuſch & Puth, "cum iis *Gomer* & omnes alæ ejus, *Beththogarma*, latera ſeptentrionis, & "omnes alæ ejus; in poſterioritate annorum venies ſuper terram reverſam a gladio, congregatam e populis multis, ſuper montes Iſraelis, qui facti ſunt in "vaſtitatem," xxxviii: 2, 3, 4, 5, 6, 8. agitur in toto hoc Capite de Eccleſia, quæ perverſa facta, & tandem in externis ſeu ritualibus poſuit omnem cultum, exſtincta charitate, quæ ſignificatur per montes Iſraelis; ibi Gogus & terra Magogi, princeps & caput Meſchechi & Thubalis, eſt cultus in externis: quiſque videre poteſt, quod non de Gogo & Magogo agatur; Verbum Domini non de mundanis agit, ſed Divina involvit. Apud Eundem, "Propheta ſuper *Gogum*, & dicas, ſic dixit Dominus Jehovih, ecce Ego con-

" tra te *Goge*, princeps, caput *Meſchechi* & *Thubalis*, & reducam te, & ſex- " tabo te, faciam te aſcendere e lateribus ſeptentrionis, & adducam te ſuper " montes Iſraelis, ſuper montibus Iſraelis cades, tu & omnes alæ tuæ, & " populi, qui tecum," xxxix: 1, 2, 4. ſimiliter in toto hoc Capite agitur de cultu externo ſeparato ab interno, & facto idololatrico, qui per Gogum, Meſchech & Thubal hic ſignificatur, per quos etiam intelliguntur doctrinalia quæ capiunt, & dein confirmant e literali ſenſu Verbi, & ſic falſificant vera, & deſtruunt cultum internum; nam ſicut dictum, per eaſdem gentes etiam ſignificantur oppoſita. Apud Johannem, " Quando conſumati fuerunt mille " anni, ſolvetur Satanas e cuſtodia ſua, & exibit ad ſeducendum gentes, quæ " in quatuor angulis terræ, *Gogum* & *Magogum*, ut congreget eos in bellum, " aſcenderunt ſuper planitiem terræ, & circumdederunt caſtra ſanctorum, " civitatem dilectam," Apoc: xx: 7, 8, 9. ibi ſimilia per Gogum & Magogum ſignificantur: Externus Cultus ſeparatus ab interno, hoc eſt, ſeparatus ab amore in Dominum, & ab amore erga proximum, non eſt niſi quam idololatricus, qui circumdat caſtra ſanctorum, & civitatem dilectam. De Meſchech & Thubal apud Ezechielem, " Ibi *Meſchech* & *Thubal*, & omnis " turba ejus, circum circa eum ſepulcra ejus, omnes præputiati, confoſſi gla- " dio, quia dederunt terrorem ſui in terra viventium," xxxii: 26. ubi de Ægypto ſeu ſcientificis, per quæ explorare volunt ſpiritualia; Meſchech & Thubal pro doctrinalibus quæ ſunt ritualia, quæ præputiata vocantur quando nullus amor; inde confoſſa gladio, & terror in terra viventium. De Javan apud Joelem, " Filios Jehudæ & filios Hieroſolymæ vendidiſtis filiis *Javanimo-* " *rum*, ut longe removeatis eos deſuper termino eorum," iv: 6. filii Jehudæ pro cœleſtibus fidei, filii Hieroſolymæ pro ſpiritualibus fidei, ita pro internis, filii Javanimorum pro cultu in externis ſeparato ab interno, qui cultus quia tam longe ab interno remotus eſt, dicitur quod removerint eos longe a termino ſuo. Javan & Thubal pro ipſo vero externo cultu, apud Eſaiam, " Veniens ad congregandum omnes gentes & linguas, & venient & videbunt " gloriam meam, & ponam in illis ſignum, & mittam ex illis evaſores ad Gen- " tes *Tharſchiſch*, Puth & Lud, trahentes arcum, *Thubal* & *Javan*, inſulas lon- " ginquas, quæ non audiverunt famam mei, & non viderunt gloriam meam, " & indicabunt gloriam meam in gentibus," lxvi: 18, 19. ubi de Regno Domini & adventu Ipſius; Thubal & Javan pro iis qui in cultu externo correſpondente interno, qui inſtruendi de internis.

1152. Verſ: 3, 4. *Et filii Gomer; Aſkenas, & Riphath, & Thogarmah. Et filii Javan; Eliſchah, & Tharſchiſch, Kittim, & Dodanim.* Per filios Gomer ſignificantur etiam illi, qui externum cultum habuerunt, ſed derivatum ab illo, qui fuit apud gentem Gomer: Aſkenas, Riphath & Thogarmah, fuerunt totidem gentes apud quas talis cultus fuit, per quas etiam ſignificantur totidem doctrinalia, quæ fuerunt ritualia, derivata a cultu externo apud Gomerem: per filios Javan ſignificantur adhuc alii, quibus fuit externus cultus derivatus a cultu qui fuit apud gentem Javan: Eliſchah, Tharſchiſch,

Kit-

Kitthim & Dodanim, fuerunt totidem gentes, apud quas talis cultus fuit, per quas etiam ſignificantur totidem doctrinalia, quæ fuerunt ritualia, derivata a cultu externo apud Javan.

1153. Quod per filios Gomer ſignificentur etiam illi, qui externum cultum habuerunt, ſed derivatum ab illo qui fuit apud gentem Gomer, ſequitur ex illis quæ prius aliquoties dicta & oſtenſa ſunt de ſignificatione Filiorum ; tum ex eo, quod Gomer ſit una gens inter illas, quæ cultum externum correſpontem interno habuit: ſeptem gentes in priori verſu nominantur quæ in tali cultu fuerunt, hic iterum ſeptem gentes quæ filii Gomeri & Javanis vocantur: quæ autem differentia ſpecifica fuit inter unam & alteram, non dici poteſt, quia hic ſolum nominantur ; apud Prophetas autem, ubi in ſpecie de hoc & illo cultu Eccleſiæ agitur, differentiæ conſtare poſſunt: in genere omnes differentiæ cultus externi, ſicut etiam interni, ſe habent ſecundum adorationem Domini in cultu, & adoratio ſe habet ſecundum amorem in Dominum, & amorem erga proximum, nam in amore eſt Dominus præſens, ita in cultu, cujus ideo differentiæ apud has gentes, quæ nominantur, ſe ita habuerunt: ut adhuc clarius dicatur, quomodo differentiæ cultus ſe habent, & quomodo ſe in Eccleſia Antiqua apud varias gentes habuerunt, ſciendum, quod omnis verus cultus conſiſtat in adoratione Domini, adoratio Domini in humiliatione, humiliatio in ſui agnitione quod apud ſe nihil vivum, & nihil bonum, ſed quod apud ſe omne ſit mortuum, imo cadaveroſum ; & in agnitione quod a Domino omne vivum & omne bonum ; quo plus homo hæc agnoſcit, non ore ſed corde, eo plus eſt in humiliatione, proinde eo plus in adoratione, hoc eſt, in vero cultu, & eo plus eſt in amore & charitate, & eo plus eſt in felicitate, in uno eſt alterum, ita conjuncta ut inſeparabilia; inde quæ & quales differentiæ cultus ſint, conſtare poteſt. Qui hic nominantur, & appellantur filii Gomeri & Javanis, ſunt illi, qui etiam cultum externum correſpondentem interno habuerunt, ſed aliquanto remotiorem, quam illi, qui in verſ: præcedente nominati, ideo etiam vocantur filii ; generationes ſucceſſive deſcendentes ſeu derivationes hic procedunt ab interiori verſus exteriora ; quo magis ſenſualis ſit homo, eo magis exterior, proinde remotior fit a vero cultu Domini, nam magis participat de mundo, corpore & terra, & minus de ſpiritu, inde remotior: hi, quia filii Gomeri & Javanis dicuntur, quia magis ſenſuales, in externis adhuc magis cultum poſuerunt, quam parentes ita dicti & patrueles, quare hic alteram claſſem conſtituunt.

1154. Aſchkenas, Riphath & Thogarmah, quod fuerint totidem gentes, apud quas talis cultus fuit, & quod per illas ſignificentur totidem doctrinalia, quæ fuerunt ritualia, derivata a cultu externo apud Gomerem, conſtat apud Prophetas, ubi etiam nominantur eædem gentes, & per eas ſignificantur ubivis doctrinalia aut ritualia in utroque ſenſu, ut ſolitum, nunc in genuino, nunc in oppoſito: Aſchkenas apud Jeremiam, " Tollite ſignum in terra, clangite " buccina in gentibus, conſecrate contra eam gentes, audire facite contra eam " regna Ararath, Minni, & *Aſchkenas*," LI: 27. ibi de deſtructione Babelis, ubi

ubi Aſchkenas pro cultu ejus idololatrico, ſeu pro externo ſeparato ab interno, qui Babelem deſtruit; in ſpecie pro falſis doctrinalibus; ita in ſenſu oppoſito. Thogarmah apud Ezechielem, "*Javan*, *Thubal* & *Meſchech*, hi negotiatores "tui, in anima hominis, & vaſa æris dederunt mercatu tuo. De *Beththogar-* "*mah* equos & equites, & mulos dederunt ſubſidiis tuis," xxvii: 13, 14, ubi de Tyro, per quam repræſentati ſunt, qui cognitiones rerum cœleſtium & ſpiritualium poſſiderunt; Javal, Thubal & Meſchech ſunt, ut prius, ritus varii repræſentativi ſeu correſpondentes; Beththogarmah ſimiliter, illorum ritus externi ſpectant cœleſtia, hujus autem ſeu Beththogarmæ ſpiritualia, ut conſtat a ſignificatione rerum, cum quibus negotiati ſunt: hic in ſenſu genuino. Apud Eundem, "*Gomer* & omnes alæ ejus, *Beththogarmah* latera ſeptentrionis, & "cum omnibus alis ejus," xxxviii: 6. pro perverſis doctrinalibus, quæ ſunt quoque latera ſeptentrionis: hic in ſenſu oppoſito.

1155. Quod per filios Javan ſignificentur adhuc alii, quibus fuit externus cultus derivatus a cultu, qui fuit apud gentem Javan, pariter conſtare poteſt apud Prophetas, ubi nominantur in ſerie cum ipſis rebus, in qua non aliter ſignificant ac res. Quod ſolum nominentur filii Gomeri, & filii Javanis, non autem cæterorum qui in verſ: 2, ubi ſeptem ſunt, cauſa eſt, quia filii unius ſe referunt ad claſſem ſpiritualium, & filii alterius ad claſſem cœleſtium; quod filii Gomeri ad claſſem ſpiritualium, conſtat a locis apud Prophetas mox ſupra allatis; quod autem filii Javanis ad claſſem cœleſtium, a ſequentibus patebit; claſſis ſpiritualium diſtinguitur a claſſe cœleſtium per id, quod illa ſpectent vera fidei, & hæc bona fidei, quæ ſunt charitatis; hæ diſtinctiones, tametſi ignotiſſimæ ſunt in mundo, uſque in cœlo ſunt notiſſimæ, imo non ſolum quoad differentias in genere, ſed etiam quoad differentias in ſpecie, ubi non minimum differentiæ datur, quod non ordinatiſſime diſtinctum eſt; in mundo non ſcitur plus quam quod cultus ſint, & quod differant, & quidem modo in externis, in cœlo autem ipſæ differentiæ, quæ innumerabiles ſunt, ad vivum patent, & quidem quales ſunt in internis.

1156. Eliſchah, Tharſchiſch, Kitthim & Dodanim, quod fuerint totidem gentes apud quas talis cultus, & quod per eas ſignificentur totidem doctrinalia, quæ fuerunt ritualia, derivata a cultu externo apud Javan, conſtare poteſt ab his apud Prophetas locis; de Eliſchah apud Ezechielem, "Byſſus in acu- "pictura ex Ægypto fuit expanſio tua, ut eſſet tibi in ſignum: hyacinthi- "num & purpura ex inſulis *Eliſchah* fuit tegumentum tuum," xxvii: 7. ubi "de Tyro, per quam ſignificantur qui poſſident divitias cœleſtes & ſpirituales, ſeu cognitiones; acupictura ex Ægypto pro ſcientificis, & ſic pro ritualibus repræſentativis ſpiritualium, hyacinthinum & purpura ex inſulis Eliſchah pro ritualibus correſpondentibus cultui interno, ita pro repræſentativis cœleſtium; hic in ſenſu genuino: de Tharſchiſch apud Eſaiam, "Mittam ex illis "evaſores ad gentes *Tharſchiſch*, Put & Lud trahentes arcum; *Thubal* & "*Javan* inſulas longinquas", lxvi: 19. Apud Eundem, "Ejulate naves "*Tharſchiſchi*, quia devaſtata eſt Tyrus, ut non ſit domus pro intrando, e

terra.

"terra *Kitthim* manifeſtum hoc eis," xxiii: 1, 14, & porro de Tharſchiſch. Eſ: lx: 9. Jer: x: 9. Ezech: xxvii: 12. Pſalm: xlviii: 8, ubi pro ritualibus ſeu doctrinalibus: de Kitthim, apud Jeremiam, "Tranſite in inſulas "*Kitthim*, & videte; & in Arabiam, & attendite probe, num factum ſicut "hoc," ii: 10, & apud Eundem, "Dixit, non addas amplius exultare op-"preſſa virgo filia Zidonis, ad *Kitthim* ſurge, tranſi, etiam ibi non quies "tibi," xxiii: 12. ubi Kitthim pro ritualibus. Apud Ezechielem, "Quer-"cubus de Baſchane fecerunt remos tuos, afferem tuum fecerunt ebore, fi-"liam greſſuum, ex inſulis *Kitthim*," xxvii: 6, ubi de Tyro; aſſer navis ex inſulis Kitthim pro externis cultus, ita pro ritualibus, quæ ſe referunt ad claſſem cœleſtium. Apud Moſen, "Naves e litore *Kitthim*, & affligent Aſchu-"rem, & affligent Eberum," Num: xxiv: 24, ubi etiam pro externo cultu ſeu pro ritualibus. Inde conſtare poteſt, quod per omnia hæc nomina ſignificentur res in ſenſu interno, quæ res in ſua ſerie ſunt.

1157: Verſ: 5. *Ex his diſperſæ ſunt inſulæ gentium, in terris ſuis, quælibet juxta linguam ſuam, juxta familias ſuas, quoad gentes ſuas.* Ex his diſperſæ ſunt inſulæ gentium in terris ſuis, ſignificant, quod plurium gentium cultus ex illis exſtiterint; inſulæ ſunt particulares tractus, ita particulares cultus, qui adhuc remotiores fuerunt; terræ ſunt illorum communia: quælibet juxta linguam ſuam, juxta familias ſuas, quoad gentes ſuas, ſignificant quod illa ſecundum cujuſvis genium; juxta linguam ſuam eſt juxta opinionem cujuſvis; juxta familias ſuas eſt juxta probitatem; quoad gentes ſuas eſt quoad utrumque in communi.

1158. Quod ex his diſperſæ ſunt inſulæ gentium in terris ſuis, ſignificent quod plurium gentium cultus ex illis exſtiterint; & quod inſulæ ſint particulares tractus ita particulares cultus qui adhuc remotiores fuerunt, & quod terræ ſint illorum communia, conſtat ex ſignificatione Inſularum in Verbo. Huc uſque actum eſt de illis qui cultum externum habuerunt correſpondentem interno; per ſeptem filios Japheti ſignificati ſunt illi qui propius ad verum cultum internum acceſſerunt; per ſeptem filios Gomeri & ſimul Javanis, illi, qui remotius a vero cultu interno fuerunt; per inſulas gentium ſignificantur illi, qui adhuc remotius, & proprie illi, qui inter ſe mutuo in charitate vixerunt, ſed uſque in ignorantia, non ſcientes quicquam de Domino, de doctrinalibus fidei Eccleſiæ, & de cultu interno, ſed tamen quendam externum cultum habuerunt, quem religioſe obſervarunt, tales vocantur Inſulæ in Verbo, quare per Inſulas ſignificatur in ſenſu interno cultus qui remotior eſt: qui in ſenſu interno Verbi ſunt, ut Angeli, ignorant quid Inſulæ, talium enim ideam amplius non habent, ſed pro iis percipiunt cultum remotiorem, qualis eſt gentium extra Eccleſiam: ſimiliter etiam per inſulas percipiunt illa intra ipſam Eccleſiam, quæ aliquantum remotiora ſunt a charitate, ſicut ſunt amicitiæ, & civilitates; amicitia non eſt charitas, minus adhuc civilitas, ſed ſunt gradus infra charitatem, at quo plus trahunt a charitate, eo plus ſunt ſinceræ. Quod per Inſulas talia ſignificentur, conſtare poteſt ab his in Verbo locis; apud Eſaiam

Eſaiam, "Obmuteſcite Mihi, *Inſulæ*, & populi innovent vires, accedant. Viderunt *Inſulæ* & timuerunt, *fines terræ* trepidarunt, appropinquarunt & venerunt," XLI: 1, 5. ibi Inſulæ pro gentibus probis extra Eccleſiam, qui cultum ſuum externum religioſe obſervarunt; ultimi termini, ubi Eccleſia, appellantur fines terræ. Apud Eundem, "Non caligabit, & non confringet, donec ponit in terra judicium, & legem Ipſius *Inſulæ* exſpectant. Cantate Jehovæ canticum novum, laudem Ipſius a *fine terræ*, deſcendentes mare, & plenitudo ejus, *Inſulæ* & habitatores earum; ponent Jehovæ gloriam, & laudem Ipſius in *Inſulis* indicabunt," XLII: 4, 10, 12. Inſulæ hic quoque pro gentibus extra Eccleſiam, qui in ignorantia, ſimplicitate & probitate vixerunt: apud Eundem, "Attendite *Inſulæ* ad Me, & auſcultate populi *e longinquo*," XLIX: 1. ſimiliter pro gentibus illis, quæ remotiores ſunt a cultu Domini, & a cognitionibus fidei, quare dicitur e longinquo: apud Eundem, "In Me *Inſulæ* ſperabunt, & brachium meum exſpectabunt," LI: 5. pro iiſdem, quia ſunt qui in probitate vivunt, dicitur, in Me ſperabunt, & brachium meum exſpectabunt: apud Jeremiam, "Audite Verbum Jehovæ gentes, & indicate in *Inſulis e longinquo*," XXXI: 10. pro iiſdem: apud Zephaniam, "Formidabilis Jehovah ſuper illis, quia macie conficiet omnes deos terræ, & incurvabunt ſe Ipſi, quiſque de loco ſuo, omnes *Inſulæ gentium*" II: 11. Inſulæ gentium pro gentibus remotioribus a cognitionibus fidei: apud Davidem, "Jehovah regnat, exultet terra, lætentur *Inſulæ* multæ; nubes & caligo circum circa Ipſum," Pſalm: XCVII: 1. pro iiſdem; ignorantia eorum hic repræſentative exprimitur per nubem & caliginem, ſed quia in ſimplicitate & probitate, dicitur circum circa Ipſum. Quia per Inſulas ſignificantur illa quæ remotiora ſunt, etiam Tharſchiſch, Pul, Lud, Thubal & Javan, per quos ſignificati ſunt externi cultus, appellati ſunt Inſulæ, Eſ: LXVI: 19. tum quoque Kitthim Jer: II: 10. Cap: XXVII: 6. Inſulæ quoque cum opponuntur terræ aut montibus, ſignificant vera fidei, ex eo quod in mari ſint; ita doctrinalia, quæ ſunt ritualia.

1159. Quod quælibet juxta linguam ſuam, juxta familias ſuas, quoad gentes ſuas, ſignificent quod illa ſecundum cujuſvis genium; juxta linguam quod ſit juxta opinionem cujuſvis; juxta familias ſuas quod ſit juxta probitatem; quoad gentes ſuas quod ſit quoad utrumque in communi, conſtare poteſt a ſignificatione Linguæ, & Familiarum, & Gentium in Verbo, de quibus ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Quod Lingua ſignificet in ſenſu interno opinionem, ita principia & perſuaſiones, cauſa eſt, quia talis eſt Linguæ correſpondentia cum intellectuali parte hominis, ſeu cum ejus cogitatione, qualis eſt effectus cum ſua cauſa; talis etiam eſt influxus non ſolum cogitationum hominis in Linguæ loquentis motus, ſed etiam talis eſt influxus Cœli, de quo aliqua ab experientia, ex Divina Domini Miſericordia, alibi. Quod Familiæ ſignificent in ſenſu interno probitatem, tum charitatem & amorem, inde venit, quia omnia quæ amoris mutui ſunt, ſe habent in cœlis ſicut conſanguinitates & affinitates, ita ſicut familiæ, de quibus videatur n: 685; quare

quare in Verbo illa, quæ amoris aut charitatis ſunt, exprimuntur per domos ut & per familias, quibus confirmandis hic non immorandum; quod domus ſignificet talia, videatur n: 710. Quod Gentes ſignificent utrumque in communi, conſtat ex ſignificatione gentis ſeu gentium in Verbo; Gentes in bono ſenſu ſignificant voluntaria & intellectualia nova, proinde bona amoris & vera fidei, at in ſenſu oppoſito ſignificant mala & falſa, ſimiliter etiam, domus, familiæ, linguæ, quod permultis confirmari poteſt a Verbo; cauſa eſt, quia Antiquiſſima Eccleſia diſtincta fuit in domos, in familias, & in gentes; domum conſtituerunt conjuges cum liberis & cum ſervis & ancillis; familiam conſtituerunt plures domus quæ non longe ab invicem diſtabant; gentes autem conſtituerunt plures familiæ; inde Gentes ſignificabant in uno complexu omnes familias ſimul; ſimiliter ſe habet in Cœlo, ſed omnium reſpectus ibi eſt quoad amorem & fidem in Dominum, n: 685. Inde nunc ſignificatio Gentium in ſenſu interno, quod ſit commune complectens tam voluntaria quam intellectualia, ſeu quod idem eſt, tam quæ ſunt amoris quam quæ ſunt fidei, reſpective ad familias & domos ex quibus, de his videantur etiam quæ prius n: 470, 471, 483. Ex his conſtat, quod gentes ſignificent utrumque in communi; & quod quælibet juxta linguam ſuam, juxta familias ſuas, & quoad gentes ſuas, ſignificent genium cujuſvis hominis, familiæ, gentis, ad quam cultus ab Eccleſia Antiqua derivatus eſt.

1160. Verſ: 6. *Et filii Cham; Kuſch, & Mizraim, & Puth, & Canaan.* Per Cham ſignificatur, hic ut prius, fides ſeparata a charitate; per filios Chami, quæ fidei ſeparatæ ſunt: Kuſch, Mizraim, Puth & Canaan, fuerunt totidem gentes, per quas in ſenſu interno ſignificantur cognitiones, ſcientiæ, & cultus, quæ ſunt fidei ſeparatæ a charitate.

1161. Quod per Cham ſignificetur fides ſeparata a charitate, conſtat ab illis, quæ in Capite præc: de Chamo dicta & oſtenſa ſunt.

1162. Quod per filios Chami ſignificentur quæ fidei ſeparatæ ſunt, inde ſequitur; ut ſciri poſſit quid Cham, & inde quid filii Chami, ſciendum eſt quid fides ſeparata a charitate; fides ſeparata a charitate eſt nulla fides, ubi nulla fides, nullus eſt cultus, neque internus, neque externus, ſi aliquis cultus, eſt cultus corruptus, quare per Chamum pariter ſignificatur cultus internus corruptus: in falſa opinione ſunt, qui fidem vocant ſolam ſcientiam cœleſtium & ſpiritualium ſeparatam a charitate, nam ſcientiam habent præ aliis quandoque omnium peſſimi, ut qui in continuis odiis & vindictis, inque adulteriis, vivunt, proinde qui infernales ſunt, & poſt vitam corporis fiunt diaboli; inde conſtare poteſt, quod ſcientia non ſit fides, ſed fides eſt agnitio illorum quæ ſunt fidei, & agnitio nuſquam eſt externa ſed interna, eſtque Solius Domini operatio per charitatem apud hominem, & agnitio nuſquam eſt oris ſed eſt vitæ, ex vita cujuſvis ſciri poteſt, qualis agnitio. Filii Chami dicuntur omnes, qui ſcientiam cognitionum fidei habent, & non charitatem; ſive ſcientiam cognitionum interiorum Verbi, ipſorumque ejus myſteriorum; ſive ſcientiam omnium quæ in Verbi ſenſu literali ſunt; ſive ſcientiam aliarum veritatum, a quibus illas ſpectare poſſunt, quocunque nomine ſint; ſive cognitionem om-

nium ritualium cultus externi; ſi non charitatem habent, ſunt filii Chami; quod tales ſint, qui vocantur filii Chami, conſtat ex gentibus, de quibus nunc.

1163. Quod Kuſch, Mizraim, Puth, & Canaan, fuerint totidem gentes, per quas in ſenſu interno ſignificantur cognitiones, ſcientiæ, & ritualia, quæ ſunt fidei ſeparatæ a charitate, conſtare poteſt ex Verbo, ubi Gentes hæ paſſim nominantur, ibi enim per eas ſignificantur talia; nempe per Kuſch ſeu Æthiopiam cognitiones interiores Verbi, per quas confirmant principia falſa; per Mizraim ſeu Ægyptum, ſcientiæ ſeu varia ſcientifica, per quæ explorare volunt arcana fidei, & principia falſi inde confirmant; per Puth ſeu Lybiam, cognitiones ex ſenſu literali Verbi, per quas ſimiliter principia falſa confirmant; per Canaan ſeu Canaanitas ſignificantur ritualia ſeu externi cultus ſeparati ab interno; omnia hæc cum ſeparata ſunt a charitate, vocantur filii Chami. Per eaſdem gentes ſignificantur etiam ſimpliciter Cognitiones & Scientiæ, per Kuſch Cognitiones interiores Verbi, per Ægyptum Scientiæ, per Puth Cognitiones ex ſenſu literali Verbi; quæ cauſa eſt, quod in utroque ſenſu accipiantur, tam in malo quam in bono, ut conſtare poteſt a ſequentibus locis.

1164. Quod per Kuſch ſeu Æthiopiam ſignificentur Cognitiones interiores Verbi, per quas confirmant principia falſa, conſtat apud Jeremiam, “ *Ægyptus* “ ſicut flumen aſcendit, & ſicut flumina commoventur aquæ, & dixit, “ aſcendam, obtegam terram, perdam civitatem, & habitantes in ea; aſcen- “ dite equi, & inſanite currus, & egrediantur fortes *Kuſch* & *Puth*, appre- “ hendentes ſcutum,” XLVI: 8. hic Ægyptus pro iis qui nihil credunt niſi ex ſcientificis illa capiant, inde omnia dubitativa, negativa & falſa, quod eſt aſcendere, obtegere terram, & perdere civitatem: Kuſch ibi, pro cognitionibus univerſalioribus & interioribus Verbi, quibus capta principia falſi confirmant; Puth pro cognitionibus ex ſenſu literali Verbi quæ ſunt ſecundum ſenſuum apparentias: apud Ezechielem, “ Veniet gladius in *Ægyptum*, & erit “ dolor in *Kuſch*, cum cadet confoſſus in *Ægypto*, & accipient turbam ejus, “ & deſtruentur fundamenta ejus, *Kuſch* & *Puth*, & Lud, & tota Ereb & “ Kub, & filii terræ fœderis cum iis gladio cadent,” XXX: 4, 5, 6. hæc nuſquam aliquis ſciret, quid eſſet, niſi ex ſenſu interno; & niſi nomina ſignificarent res, pœne nullus ſenſus foret; ſed hic per Ægyptum ſignificantur ſcientiæ, per quas intrare volunt in myſteria fidei; Kuſch & Puth vocantur fundamenta ejus, quia ſunt cognitiones ex Verbo: apud Eundem, “ In die illo “ exibunt nuntii a coram Me in navibus ad terrendum *Kuſch* confidentem, “ & erit dolor in iis juxta diem *Ægypti*,” XXX: 9. Kuſch pro cognitionibus ex Verbo confirmantibus falſa ex ſcientificis excluſa: apud Eundem, “ Dabo “ terram *Ægypti* in vaſtitates, vaſtitatem deſolationis a turri Sevene, & uſque “ ad terminum *Kuſch*,” XXIX: 10. ibi Ægyptus pro ſcientificis, Kuſch pro cognitionibus interiorum Verbi, quæ ſunt termini, quouſque vadunt ſcientiæ: apud Eſaiam, “ Ducet rex Aſchuris captivitatem *Ægypti*, & captivitatem “ *Kuſchi*, pueros & ſenes, nudum & diſcalceatum, & detectos nate, nudita- “ tem Ægypti, & conſternabuntur & erubeſcent ob *Kuſchum* ſpem eorum, & “ ob *Ægyptum* decus eorum,” XX: 4, 5. ibi Kuſch pro cognitionibus ex Verbo,

bo, quibus confirmantur falſa per ſcientifica capta; Aſchur eſt ratiocinatio, quæ captivos ducit: apud Nahum, " *Kuſch* fortitudo ejus & *Ægyptus*, & " non finis, *Puth* & *Lubim* fuerunt in auxilio tuo," III: 9. de Eccleſia vaſtata, ubi ſimiliter Ægyptus pro ſcientificis, & Kuſch pro cognitionibus. Kuſch & Ægyptus ſimpliciter pro cognitionibus & ſcientiis, quæ ſunt veritates, utiles illis, qui ſunt in fide charitatis; ita in bono ſenſu; apud Eſaiam, " Dixit Jehovah, labor *Ægypti*, & merces *Kuſchi*, & *Sabæorum*, viri menſuræ, " ad te tranſibunt, & tibi erunt, poſt te ibunt in compedibus, tranſibunt, & " ad te incurvabunt ſe, ad te orabunt, tantummodo in te Deus, & non præ- " terea alius Deus," XLV: 14. labor Ægypti pro ſcientia, merces Kuſchi & Sabæorum pro cognitionibus ſpiritualium, quæ illis inſerviunt, qui agnoſcunt Dominum, nam eis omnis ſcientia & cognitio: apud Danielem, " Rex ſep- " tentrionis dominabitur in recondita auri & argenti, & in omnia deſidera- " bilia *Ægypti*, & *Lubim* (Puth) & *Kuſchim*, in inceſſibus tuis," XI: 43. Puth & Kuſch ibi pro cognitionibus ex Verbo, Æyptus pro ſcientificis: apud Zephaniam, " A tranſitu fluviorum *Kuſchi* adoratores mei," III: 10. pro illis qui extra cognitiones, ita pro gentibus: apud Davidem, " Venient mag- " nates ex *Ægypto*, *Kuſch* accelerabit manus ſuas Deo," Pſalm: LXVIII: 32. hic Ægyptus pro ſcientiis, & Kuſch pro cognitionibus: apud Eundem, " Me- " morabo Rahabam & Babel inter cognoſcentes Me, ecce Philiſtæa, & Ty- " rus, cum *Kuſcho*, hic natus eſt ibi, (in civitate Dei)" Pſalm: LXXXVII: 4. Kuſch pro cognitionibus ex Verbo, quare dicitur natus in civitate Dei. Quia Kuſch ſignificat cognitiones interiores Verbi, & intelligentiam inde, ideo dicitur, quod fluvius ſecundus exiens ex horto Edenis circumdederit totam terram *Kuſch*, de quo videatur prius, n: 117.

1165. Quod per Miſraim ſeu Ægyptum ſignificentur in Verbo ſcientiæ, ſeu varia ſcientifica, per quæ explorare volunt arcana fidei, & principia falſi inde capta confirmant; tum etiam ſimpliciter ſcientiæ, ita quæ utiles; conſtat non ſolum a locis nunc allatis, ſed etiam a permultis aliis, quæ omnia ſi adducerentur, paginas implerent; videantur Eſai: XIX: 1 ad f. Cap: XXX: 1, 2, 3. Cap: XXXI: 1, 2, 3. Jerem: II: 18, 36. Cap: XLII: 14 ad f. Cap: XLVI: 1 ad f. Ezech: XVI: 26. Cap: XXIII: 5. Cap: XXIX: 1 ad f. Cap: XXX: 1 ad f. Hoſch: VII: 11. Cap. IX: 3, 6. Cap: XI: 1, 5, 11. Mich: VII: 12. Sachar: X: 10, 11. Pſalm: LXXX: 9. ſeq:

1166. Quod per Puth ſeu Lybiam ſignificentur in Verbo cognitiones ex ſenſu literali, per quas ſimiliter principia falſa confirmantur; tum quoque ſimpliciter cognitiones tales, conſtat a locis prius allatis ubi de Kuſch, per quem quia ſimiliter cognitiones ſed interiores ſignificantur, in Verbo Puth cum Kuſch ſimul nominantur, quæ loca ibi videantur allata ex Jerem: XLVI: 8. Ezech: XXX: 4, 5, 6. Nah: III: 9. Dan: XI: 43.

1167. Quod per Canaanem ſeu Canaanitam ſignificentur in Verbo ritualia, ſeu externi cultus ſeparati ab interno, ex permultis locis conſtat, cumprimis in hiſtoricis, qui quia tales erant tempore, cum filii Jacobi intromiſſi in terram, permiſſum fuit, ut extirparentur, ſed in ſenſu interno Verbi omnes

 illi

illi per Canaanitas intelliguntur, qui externum cultum ſeparatum ab interno habent; & quia præ cæteris Judæi & Iſraelitæ tales fuerunt, in Verbo prophetico ii in ſpecie ſignificantur, ut ſolum ex his binis locis conſtare poteſt, apud Davidem, "Fuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum & "filiarum ſuarum, quos ſacrificabant idolis *Canaanis*, & prophanata eſt "terra ſanguinibus, & immundi facti operibus ſuis, ſcortatique ſunt factis "ſuis," Pſalm: CVI: 38, 39, ibi fundere ſanguinem filiorum & filiarum in ſenſu interno eſt quod exſtinxerint omnia vera fidei & bona charitatis; filios & filias ſacrificare idolis Canaanis ſignificat illa quæ ſunt fidei & charitatis prophanare per cultum externum ſeparatum ab interno, qui non niſi quam idololatricus eſt, ita immundi facti operibus ſuis & ſcortati factis ſuis. Apud Ezechielem, "Sic dixit Dominus Jehovih Hieroſolymæ, negotiationes tuæ, & natales "tui de terra *Canaane*, pater tuus Emorræus, & mater tua Chittæa," XVI: 3. ubi aperte dicuntur a terra Canaanæa. Quod Canaan ſignificet cultum externum ſeparatum ab interno, videantur quæ prius n: 1078. 1094.

1168. Verſ: 7. *Et filii Kuſch; Seba & Chavillah, & Sabtha, & Raamah, & Sabtheka. Et filii Ramæ, Scheba & Dedan.* Per filios Kuſch ſignificantur illi, qui internum cultum non habuerunt, ſed cognitiones fidei, in quibus poſſidendis religionem poſuerunt: Sebah, Chavillah, Sabtha, Raamah, & Sabtheka, ſunt totidem gentes, apud quas fuerunt; in ſenſu interno per eaſdem ſignificantur ipſæ cognitiones: per filios Ramæ ſimiliter ſignificantur illi, qui internum cultum non habuerunt, ſed cognitiones fidei, in quibus poſſidendis religionem poſuerunt: Scheba & Dedan ſunt gentes apud quas fuerunt; in ſenſu interno per eaſdem ſignificantur ipſæ cognitiones; ſed cum differentia, per filios Kuſch ſignificantur cognitiones ſpiritualium, per filios Ramæ cognitiones cœleſtium.

1169. Quod per filios Kuſch ſignificentur illi, qui internum cultum non habuerunt, ſed cognitiones fidei, in quibus poſſidendis religionem poſuerunt, conſtat a Kuſch, cujus filii ſunt, per quem ſignificantur cognitiones interiores rerum ſpiritualium, ut ſupra oſtenſum; ut & a Verbo, ubi illæ gentes nominantur.

1170. Quod Seba, Chavillah, Sabtha, Raamah, Sabtheka, ſint totidem gentes, apud quas fuerunt, & quod in ſenſu interno per eaſdem ſignificentur ipſæ cognitiones, conſtare poteſt ab illis locis ex Verbo, quæ infra adducenda.

1171. Quod per filios Raamæ, ſimiliter ſignificentur illi, qui internum cultum non habuerunt, ſed cognitiones fidei, in quibus poſſidendis religionem poſuerunt; & quod Scheba & Dedan, ſint gentes, apud quas fuerunt, & quod in ſenſu interno per eaſdem ſignificentur ipſæ cognitiones, patet a ſequentibus locis apud prophetas; ab his de Seba, Scheba & Raamah; apud Davidem, "Reges Tharſchiſch & Inſularum munus adducent, & reges "*Schebæ* & *Sebæ* honorarium adferent, & incurvabunt ſe Ipſi omnes reges," Pſalm: LXXII: 10, 11. ubi de Domino, Ipſius Regno, & Eccleſia cœleſti; quod hic per munus & honorarium ſignificentur cultus, quiſque videre poteſt, ſed quinam & quales cultus non ſciri poteſt, niſi ſciatur quid per Tarſchiſch

ſchiſch & inſulas, & per Schebam & Sebam intelligitur; quod per Tharſciſch & Inſulas intelligantur cultus externi correſpondentes interno, prius oſtenſum eſt, & quod per Schebam & Sebam cultus interni, inde ſequitur, nempe per Schebam cultus cœleſtia, & per Sebam cultus ſpiritualia. Apud Eſaiam, "Dedi expiationem tui Egyptum, *Kuſch* & *Sebam* loco tui," XLIII: 3, ubi Kuſch & Seba pro ſpiritualibus fidei. Apud Eundem "Labor Ægypti, & "merces *Kuſchi* & *Sebæorum*, viri menſuræ, ad te tranſibunt," XLV: 14. labor Ægypti pro ſcientia, merces Kuſchi & Sebæorum pro cognitionibus ſpiritualium, quæ inſerviunt illis qui credunt in Dominum. Apud Eundem, "Turma Camelorum obteget te, dromades Midianis & Ephæ, omnes e *Scheba* "venient, aurum & thus portabunt, & laudes Jehovæ annuntiabunt, omnis "grex *Arabiæ* congregabuntur tibi," LX: 6, 7. ubi per Schebam intelliguntur cœleſtia & ſpiritualia inde, quæ ſunt aurum & thus, & explicantur quod ſint laudes Jehovæ, hoc eſt, cultus internus. Apud Ezechielem, "Negotiatores *Schebæ* & *Raamæ*, hi negotiatores tui in primario omnis aro-"matis, & in omni lapide pretioſo, & aurum dederunt ſubſidiis tuis," XXVII: 22, 23. de Tyro, ubi quid per Schebam & Raamam ſignificatur, conſtat ex negotiatione, quæ dicitur aroma, lapis pretioſus, & aurum, aroma in ſenſu interno eſt charitas, lapis pretioſus eſt fides inde, aurum eſt amor in Dominum, quæ omnia ſunt cœleſtia per Schebam ſignificata; talium cognitiones proprie ſunt Scheba, quare hic appellantur negotiationes, quibus imbuuntur qui fiunt homines Eccleſiæ, nam abſque cognitionibus nemo poteſt fieri homo Eccleſiæ; ſimilia repræſentata ſunt per Reginam *Schebæ*, quæ venit ad Salomonem, & illi apportavit aromata, aurum, & lapidem pretioſum, 1 Reg: X: 1, 2, 3: tum etiam per ſapientes ab oriente, qui venerunt ad Jeſum, cum natus, & procidebant & adorabant Ipſum, & aperiebant theſauros ſuos, & offerebant Ipſi dona, aurum, thus, & myrrham, Matth: II: 1, 11. per quæ ſignificatum Bonum cœleſte, ſpirituale, & naturale. Apud Jeremiam, "Quid Mihi thus e *Scheba* veniat, & calamus optimus e terra longinqua; holocauſta veſtra non ad "complacentiam," VI: 20. hic etiam patet, quod per Schebam ſignificentur cognitiones & adorationes, quæ ſunt thus & calamus, ſed hic quæ ſunt abſque charitate, quæ non gratæ.

1172. Quod per Dedanem ſignificentur cognitiones cœleſtium inferiorum, quæ ſunt in ritualibus, conſtat a ſequentibus in Verbo locis; apud Ezechielem, "Filii *Dedanis* negotiatores tui, Inſulæ multæ mercatores manus tuæ, cor-"nua eboris, & ebena adduxerunt honorarium tuum," XXVII: 15. cornua eboris & ebena ſunt in ſenſu interno bona exteriora, quæ ſunt cultus ſeu ritualium: apud Eundem, "*Dedan* negotiatrix tua in veſtibus libertatis pro "curru; Arabia & omnes principes Kedar," XXVII: 20, 21. ubi veſtes libertatis pro curru ſimiliter ſunt bona exteriora, ſeu ritualium: apud Jeremiam, "Putida facta eſt ſapientia eorum, fugite, averterunt ſe, in profundum de-"miſerunt ſe ad habitandum, habitatores *Dedanis*," XLIX: 8. hic Dedan in proprio ſenſu pro ritualibus, in quibus non cultus internus ſeu adoratio Domini

mini ex corde, de quibus prædicatur quod avertant ſe, & in profundum ſe demittant ad habitandum. Ex his nunc conſtat, quod per filios Kuſch ſignificentur cognitiones ſpiritualium, & per filios Raamæ cognitiones cœleſtium.

1173. Verſ: 8, 9. *Et Kuſch genuit Nimrodum: is cœpit eſſe potens in terra. Is fuit potens venatione coram Jehovah; propterea dicebatur, ſicut Nimrod potens venatione coram Jehovah.* Per Kuſch ſignificantur hic, ut prius, cognitiones interiores rerum ſpiritualium & cœleſtium: per Nimrodum ſignificantur illi, qui internum cultum fecerunt externum; ita per Nimrodum ſignificatur talis externus cultus; quod Kuſch genuit Nimrodum, eſt quod qui cognitiones interiorum habuerunt, talem cultum inſtituerint: is fuit potens in terra, ſignificat, quod talis religio in Eccleſia invaluit; terra eſt Eccleſia, ut prius: is fuit potens venatione coram Jehovah, ſignificat quod multis perſuaſerit: propterea dicebatur, ſicut Nimrod potens venatione coram Jehovah, ſignificat, quia tam multi perſuadebantur, quod talis formula ſolennis facta, & porro ſignificat, quod talis religio facile animos hominum captet.

1174. Quod per Kuſch ſignificentur cognitiones interiores rerum ſpiritualium & cœleſtium, conſtat ab illis, quæ prius de Kuſch dicta & oſtenſa ſunt.

1175. Quod per Nimrodum ſignificentur illi qui internum cultum fecerunt externum, & quod ita per Nimrodum ſignificetur talis externus cultus, conſtare poteſt ab illis quæ ſequuntur; in anteceſſum hic dicendum, quid per internum cultum facere externum intelligitur; prius dictum & oſtenſum eſt, quod internus cultus, qui eſt ex amore & charitate, ſit ipſe cultus, & quod externus cultus abſque hoc interno nullus cultus ſit; at cultum internum facere externum eſt, cultum externum eſſentialem facere præ interno, quod eſt inverſum prioris, ſicut dicere, quod nullus cultus ſit internus abſque externo, cum tamen ita ſe habet, quod nullus cultus externus ſit abſque interno; religio illorum qui fidem ſeparant a charitate talis eſt, nempe quod illa quæ fidei ſunt præferant illis quæ ſunt charitatis, ſeu quæ cognitionum fidei, illis quæ ſunt vitæ, ita formalia præ eſſentialibus; omnis cultus externus eſt formale cultus interni, nam internus eſt ipſum eſſentiale, ex formali abſque ſuo eſſentiali facere cultum, eſt internum facere externum; ut pro exemplo, ſi quis viveret, ubi non Eccleſia, non prædicatio, non ſacramenta, nullum ſacerdotium, quod is non poſſet ſalvari, aut habere aliquem cultum, cum tamen is ex interno poſſit colere Dominum; ſed inde non ſequitur, quod externus abeſſe debeat; ut manifeſtius pateat, ſit quoque pro exemplo, ponere ipſum eſſentiale cultus in eo, ut frequentent Eccleſias, obeant ſacramenta, audiant prædicationes, orent, obſervent feſta, & plura quæ externa & ceremonialia ſunt, & perſuadere ſibi quod hæc ſatis ſint, loquendo de fide, quæ omnia ſunt formalia cultus; qui vero cultum ex amore & charitate eſſentialem faciunt, ii ſimiliter faciunt, nempe frequentant Eccleſias, obeunt ſacramenta, audiunt prædicationes, orant, obſervant feſta, & plura, & hæc admodum diligenter & ſollicite, ſed in illis non ponunt eſſentiale cultus; in horum

horum externo cultu, quia in illo eſt internus, eſt ſanctum & vivum, ſed in illorum, de quibus ſupra, non ſanctum & non vivum; ipſum enim eſſentiale eſt quod ſanctificat & vivificat formale ſeu ceremoniale; at fides ſeparata a charitate non ſanctificare & vivificare poteſt cultum, quia abeſt eſſentia & vita; talis cultus vocatur Nimrodus, & naſcitur a cognitionibus quæ ſunt Kuſch, & hæ a fide ſeparata a charitate, quæ fides eſt Chamus; ex Chamo ſeu ex fide ſeparata, per cognitiones quæ ſunt fidei ſeparatæ, nuſquam alius cultus naſci poteſt. Hæc ſunt quæ ſignificantur per Nimrodum.

1176. Quod Kuſch genuit Nimrodum, ſit quod qui cognitiones interiorum habuerunt, talem cultum inſtituerint, conſtat ex illis quæ nunc dicta ſunt; cognitiones interiorum ſunt illa, quæ doctrinalia vocant, & quæ etiam diſtinguunt a ritualibus; ſicut pro exemplo præcipuum eorum doctrinale eſt, quod fides ſola ſalvificet, ſed neſciunt, quod amor in Dominum & amor erga proximum, ſit ipſa fides, & quod cognitiones quas vocant fidem, non ſint niſi ob finem, ut per illas accipiant a Domino amorem in Ipſum, & amorem erga proximum, & quod hæc fides ſit, quæ ſalvificat: illi qui ſolas cognitiones vocant fidem, ſunt qui talem cultum gignunt & inſtituunt, de quo ſupra.

1177. Quod is fuit potens in terra, ſignificet quod talis religio in Eccleſia invaluit, conſtare poteſt ex illis, quæ mox ſequuntur. Quod Terra ſit Eccleſia, oſtenſum eſt prius n: 620, 636, 662. & alibi.

1178. Quod is fuit potens venatione coram Jehovah, ſignificet quod multis perſuaſerit, conſtat ex fide ſeparata a charitate, quod talis; tum a ſignificatione Venari in Verbo: fides ſeparata a charitate, talis eſt, quod facile perſuadeantur, plurima pars hominum non ſciunt quid ſunt interna, ſed quid externa; & plurima pars in ſenſualibus, voluptatibus & cupiditatibus degunt, & ſe ac mundum ſpectant, ideo facile captantur a tali religione. A ſignificatione venari; in Verbo venari ſignificat in genere perſuadere, in ſpecie captare animos ad blandiendo eorum ſenſualibus, voluptatibus & cupiditatibus, utendo doctrinalibus, quæ explicant ſecundum genium ſuum & alterius ex arbitrio, ex cauſa ſui ut magni ſint honore & opulentia, ita perſuadendo; ut conſtat apud Ezechielem, "Væ conſuentibus pulvillos ſuper omnibus axillis "manuum mearum, & facientibus velamina ſuper caput omnis ſtaturæ ad "*Venandum* animas, animas *Venamini* populo meo, & animas vobis vivificatis: & prophanaſti Me in populo meo pro pugillis hordeorum, & pro "fruſtis panis, ad occidendum animas, quæ non morientur, & ad vivificandum animas, quæ non vivent, mentiendo vos populo meo, audientibus "mendacium. Ecce Ego quoad pulvillos veſtros, quibus vos *Venantes* ibi "animas ad evolandum, & abrumpam eos deſuper brachiis veſtris, & dimittam "animas, quas vos *Venantes*, animas ad evolandum, & diſrumpam velamina "veſtra, & eripiam populum meum e manu veſtra, & non erunt amplius "in manu veſtra in *Venationem*," XIII: 18, 19, 20, 21. hic explicatur quid venari, quod ſit decipere per perſuaſiones, & per cognitiones, quas pervertunt, quaſque in favorem ſui, & ſecundum genium alterius, explicant: apud Micham,

"Periit

" Periit miſericors e terra, & rectus inter hominem nullus, omnes ii ſangui-
" nibus inſidiantur, vir fratrem ſuum *Venantur* reti, quando malum faciunt vo-
" lis pro benefaciendo, princeps interrogans & judicans propter retributionem,
" & magnus eſt loquens perverſitatem animæ ſuæ is, & torquent eam," VII : 2, 3. hic ſimiliter explicatur quid venari, quod inſidiari ſui cauſa, ſeu falſum dicere verum, & loqui perverſitatem & torquere, ſic perſuadendo: apud Davidem, " Vir linguæ, non firmabitur in terra, vir violentiæ malum
" *Venatur* ei in ſubverſiones," Pſalm: CXL : 12. ibi de impiis qui per falſa perſuadent, male cogitant, blande loquuntur, fallendi cauſa; lingua ibi pro mendacio.

1179. Propterea dicebatur, ſicut Nimrod potens venatione coram Jehovah, quod ſignificet, quia tam multi perſuadebantur, quod talis formula ſolennis facta; & quod porro ſignificet, quod talis religio facile animos hominum captet, conſtare poteſt ab illis quæ dicta ſunt, tum ab ipſo ſenſu literæ; & præterea, quia antiquitus nomina indebant rebus, hoc nomen indiderunt huic cultui, nempe quod Nimrodus, hoc eſt, cultus hic, potens venatione, hoc eſt, eſſet captans animos; quod coram Jehovah, eſt quia ii, qui in tali cultu fuerunt, fidem ſeparatam vocarunt Jehovam, ſeu virum Jehovam, ut conſtat ab illis quæ dicta prius, n: 340, de Caino, per quem ſimiliter fides ſeparata a charitate ſignificatur; at differentia inter Cainum & Chamum eſt, quod illud fuiſſet in Eccleſia cœleſti quæ perceptionem habuit, at hoc in Eccleſia ſpirituali, quæ nullam perceptionem habuit, quare illud enormius fuit, quam hoc: tales vocati ſunt antiquitus Potentes, ut apud Eſaiam, " Conſumetur omnis
" gloria Kedaris, & reſiduum numeri, arcus *Potentium* filiorum Kedaris im-
" minuentur," XXI : 17. & apud Hoſeam, " Araſtis impietatem, iniqui-
" tatem meſſuiſtis, comediſtis fructum mendacii, quia confiſus eſt viæ tuæ,
" multitudini *Potentium* tuorum," X : 13. & alibi: viros & potentes ſe vocarunt ex fide, eſt enim in Lingua originali vox per quam exprimitur potens, & ſimul vir, quæ vox in Verbo prædicatur de fide, & quidem in utroque ſenſu.

1180. Verſ: 10. *Et fuit principium Regni ejus Babel, & Erech, & Akkad, & Kalneh, in terra Schinear.* Fuit principium regni ejus, ſignificat quod ſic inchoavit talis cultus: Babel, Erech, Akkad, Kalneh in terra Schinear, ſignificant quod ibi loci fuerint tales cultus; & ſimul per eaſdem ſignificantur ipſi cultus, quorum externa apparent ſancta, ſed interiora ſunt prophana.

1181. Quod principium regni ejus, ſignificet quod ſic inchoaverit talis cultus, conſtat a ſignificatione Babelis in terra Schinear, de qua in ſequentibus.

1182. Quod Babel, Erech, Akkad, Kalneh in terra Schinear ſignificent quod ibi loci fuerint tales cultus, & quod per eaſdem ſimul ſignificentur ipſi cultus, quorum externa apparent ſancta, ſed interiora ſunt prophana, conſtat a ſignificatione Babelis & terræ Schinear; in Verbo multum agitur de Babele, & per eam ubivis ſignificatur cultus talis, nempe quod externa appareant ſancta, ſed interiora ſunt prophana; ſed quia de Babele agitur in Capite ſequente, ibi oſtendendum venit, quod per Babelem talia ſignificentur; tum

quod

quod cultus talis in principio non ita prophanus fuerit, ac poſtea factus eſt; cultus enim externus ſe prorſus habet ſecundum interiora, quo magis inſontia ſunt interiora, eo magis inſons eſt cultus externus; at quo magis fæda ſunt interiora, eo magis fædus eſt cultus externus; & quo magis prophana ſunt interiora, eo magis prophanus eſt cultus externus; ut res paucis dicatur, quo plus amoris mundi & ſui eſt apud hominem qui eſt in cultu illo externo, eo minus vivum & ſanctum ineſt ejus cultui; quo plus odii erga proximum in amore ſui & mundi, eo magis prophanum ineſt cultui; quo plus malitiæ in odiis, eo adhuc magis prophanum ineſt cultui; & quo plus doli in malitia, eo adhuc magis prophanum ineſt cultui; illa & hæc ſunt interiora cultus externi, qui ſignificatur per Babel, de quo in Capite ſequente.

1183. Quid per Erech, Akkad, Kalneh, in terra Schinear, in ſpecie ſignificatur, non ita conſtare poteſt, quia in Verbo alibi non memorantur, præter Kalneh, apud Amos, Cap: VI: 2, ſed ſunt differentiæ talis cultus. Quod autem terram Schinear attinet, in qua hi cultus, quod per eam in Verbo ſignificetur cultus externus, in quo prophanum, conſtat a ſignificatione ejus in Cap: ſeq: XI: verſ: 2, tum etiam apud Sachariam, Cap: V: 11, imprimis apud Danielem, ubi hæc, "Dedit Dominus in manum Nebuchadnezaris, regis Babelis, Jehojakimum regem Jehudæ, & partem vaſorum domus Dei, & deduxit eos in *terram Schinear*, in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri Dei ſui," I: 2. per quæ ſignificatur, quod ſancta prophanata; vaſa domus Dei ſunt ſancta; domus Dei regis Babelis in terra Schinear ſunt prophana, in quæ ſancta illata ſunt; hæc tametſi hiſtorica ſunt, uſque involvunt arcana illa, ſicut omnia hiſtorica Verbi; & porro conſtat ex prophanatione eorundem vaſorum, apud Danielem, Cap: V: 3, 4, 5, per quæ niſi ſancta ræpræſentata fuiſſent, nuſquam talia contigiſſent.

1184. Verſ: 11, 12. *E terra iſta egreſſus eſt Aſchur, & ædificavit Niniven, & Rechoboth urbem, & Kalach. Et Reſen inter Niniven & inter Kalach; hæc urbs illa magna.* E terra iſta egreſſus eſt Aſchur, ſignificat qui in tali cultu externo fuerunt, cæperint ratiocinari de internis cultus; Aſchur eſt ratiocinatio: & ædificavit Niniven, & Rechoboth urbem, & Kalach, ſignificat quod ſic doctrinalia fidei ſibi formaverint; per Niniven ſignificantur doctrinalium falſa; per Rechoboth & Kalach, quoque talia ex alia origine: Reſen inter Niniven & Kalach, ſignificat quod quoque formaverint ſibi doctrinalia vitæ; per Reſen ſignificantur doctrinalium falſa inde; Ninive eſt falſum ex ratiociniis; Kalach eſt falſum a cupiditatibus; inter Niniven & Kalach eſt falſum ex utroque: hæc urbs illa magna, ſignificat doctrinalia, quod illa increbuerint.

1185. Quod e terra iſta egreſſus eſt Aſchur, ſignificet quod illi qui in tali cultu externo fuerunt, cæperint ratiocinari de internis cultus, conſtare poteſt ex ſignificatione Aſchuris in Verbo, quod ſit ratio & ratiocinatio, de qua in mox ſequentibus: dupplex hic ſenſus apparet, nempe quod Aſchur ex terra iſta egreſſus, tum quod Nimrod ex terra iſta egreſſus, in Aſchur ſeu Aſſyriam; ita dictum, quia utrumque ſignificatur, tam ſcilicet quod ratiocinatio de ſpiritua-

ritualibus & cœleſtibus ex tali cultu exiſtat, hoc eſt, quod Aſchur egreſſus e terra Schinear; quam quod talis cultus ratiocinetur de ſpiritualibus & cœleſtibus, hoc eſt, quod Nimrod egreſſus e terra in Aſchurem ſeu Aſſyriam.

1186. Quod Aſchur ſit ratiocinatio, conſtat a ſignificatione Aſchuris ſeu Aſſyriæ in Verbo, ubi jugiter accipitur pro illis quæ rationis ſunt, in utroque ſenſu, nempe pro rationalibus & pro ratiocinationibus (per rationem & rationalia intelliguntur proprie illa quæ vera ſunt, per ratiocinationem autem & ratiocinia ea quæ falſa); Aſchur, quia ſignificat rationem & ratiocinationem, plerumque adjungitur Ægypto, quæ ſignificat ſcientifica, quia ratio & ratiocinatio eſt ex ſcientificis. Quod Aſchur Ratiocinationem ſignificet, conſtat apud Eſaiam, " Væ *Aſchur*, virga iræ meæ, ille non rectum cogitat, & cor " ejus non rectum meditatur, dixit, in virtute manus meæ feci, & in ſapientia mea, quia intelligens ſum," x: 5, 7, 13. ubi Aſchur pro ratiocinatione, de quo ideo prædicatur, quod non rectum cogitet & meditetur, & dicitur quod per ſapientiam ſuam, quia intelligens. Apud Ezechielem, " Duæ mu-" lieres, filiæ unius matris, ſcortatæ ſunt in *Ægypto*, in adoleſcentiis ſuis ſcortatæ " ſunt, ſcortata eſt una, & dilexit amaſios ſuos, *Aſchurem* (Aſſyrios) pro-" pinquos, veſtitos hyacinthino, duces & præfectos, juvenes deſiderii omnes " eos, equites equitantes equis; venerunt ad eam *filii Babelis*, & polluerunt " eam per ſcortationem ſuam," XXIII: 2, 3, 5, 6, 17. ubi Ægyptus pro ſcientificis, Aſchur pro ratiocinatione, filii Babelis pro falſis ex cupiditatibus. Apud Eundem, " Hieroſolyma ſcortata es cum *filiis Ægypti*, ſcortata es cum " *filiis Aſchuris*; multiplicaſti ſcortationem uſque in terra Canaan ad Chal-" dæam," XVI: 26, 28, 29. Ægyptus ſimiliter pro ſcientificis; Aſchur pro ratiocinatione; ratiocinatio ex ſcientificis de ſpiritualibus & cœleſtibus vocatur ſcortatio, & hic & alibi in Verbo; quod non ſcortatio ſit cum Ægyptiis & cum Aſſyriis, quiſque videre poteſt: apud Jeremiam, " Iſrael, quid tibi cum " via *Ægypti*, ad bibendum aquas Schichoris, & quid tibi cum via *Aſchuris*, " ad bibendum aquas fluvii (Euphratis)" II. 18, 36. ſimiliter Ægpptus pro ſcientificis, & Aſchur pro ratiocinatione. Apud Eundem, " Pecus diſperſa " Iſrael, leones diſpulerunt, prior comedit eum Rex *Aſchuris*, & hic poſte-" rior deoſſavit eum rex *Babelis*", L: 17, 18. Aſchur pro ratiocinatione de ſpiritualibus. Apud Micham, " Erit hæc pax, *Aſchur* cum venerit in " terram noſtram, & cum calcaverit palatia noſtra, & conſtituemus ſuper " eum ſeptem paſtores, & octo principes hominum, & depaſcent *terram* " *Aſchuris* gladio, & *terram Nimrodi* in portis ejus, & liberabit ab *Aſchure*, " cum venerit in terram noſtram, & cum calcaverit terminum noſtrum," V: 4, 5, ibi de Iſraele ſeu Eccleſia ſpirituali, de qua dicitur, quod Aſchur non intrabit, hoc eſt, quod non ratiocinatio; terra Nimrodi pro tali cultu qui ſignificatus eſt per Nimrodum, in quo mala & falſa interiora. Quod etiam Aſchur in Verbo ſit Ratio quæ apud hominem Eccleſiæ, per quam perſpicit verum & bonum, conſtat apud Hoſeam, " Pavebunt ſicut avis ex *Ægypto*, " & ſicut columba e terra *Aſchuris*," XI: 11: ubi Ægyptus pro ſcientia hominis Eccleſiæ, & Aſchur pro ratione ejuſdem; quod avis ſit ſcientificum intellectuale,

tellectuale, & columba rationale bonum, prius oſtenſum eſt. Apud Eſaiam, "In die illo erit ſemita ab *Ægypto* ad *Aſchur*, & veniet *Aſchur* in *Ægyptum*, "& *Ægyptus* in *Aſchurem*, & ſervient *Ægyptii Aſchuri*. In die illo erit Iſ-"rael tertius *Ægypto* & *Aſchuri*, benedictio in medio terræ, cui benedicet "Jehovah Zebaoth, dicendo benedictus populus meus *Ægyptus*, & opus ma-"nuum mearum *Aſchur*, & hæreditas mea Iſrael," XIX: 23, 24, 25. ubi de Eccleſia ſpirituali quæ eſt Iſrael, cujus ratio Aſchur, & ſcientia Ægyptus; hæc tria conſtituunt hominis Eccleſiæ ſpiritualis intellectualia, quæ ita ſuccedunt: Alibi quoque Aſchur, ubi nominatur, ſignificat rationale verum aut falſum, ut apud Eſaiam: Cap: XX: 1 ad f. Cap: XXIII: 13, Cap: XXVII: 13. Cap: XXX: 31. Cap: XXXI: 8. Cap: XXVI: & XXXVII: Cap: LII: 4. Ezech: Cap: XXVII: 23, 24. Cap: XXX: 3. Cap: XXXI: 3 ad f: Mich: VII: 12. Zephan: II: 13. Sachar: X: 11: Pſalm: LXXXIII: 9. Aſchur pro Ratiocinatione, apud Hoſeam: Cap: V: 13. Cap: VII: 11: Cap: X: 6. Cap: XI: 5: Cap: XII: 2. Cap: XIV: 4. & apud Sachar: Cap: X: 10, ubi prædicatur de Ephraimo, per quem ſignificatur intellectuale, ſed ibi perverſum.

1187. Quod ædificavit Niniven & Rechoboth urbem, & Kalach; ſignificet quod ſic doctrinalia fidei ſibi formaverit, conſtat a ſignificatione Ninives, & Rechoboth, & Kalach, de quibus in mox ſequentibus, tum ex ſignificatione *Urbis* in Verbo, quod ſit doctrinale verum, aut hæreticum, quod oſtenſum prius, n: 402.

1188. Quod per Niniven ſignificentur doctrinalium falſa, per Rechoboth & Kalach quoque talia, ex alia origine, conſtat ex ſignificatione Ninives in Verbo, de qua mox: falſa hujus generis dantur a tribus originibus; Prima eſt ex fallaciis ſenſuum, obſcuritate intellectus quod non illuſtratus, & ex ignorantia, inde falſitas quæ eſt Ninive: Altera origo eſt ex eadem cauſa, ſed prædominante cupidine, ut vel innovandi, vel præeminendi, falſa inde ſunt Rechoboth: Tertia origo eſt voluntatis, ita cupiditatum, quod non aliud agnoſcere velint pro vero, quam quod cupiditatibus favet, inde falſa quæ vocantur Kalach: omnia hæc falſa exiſtunt per Aſchur ſeu ratiocinia de veris & bonis fidei. Quod Ninive ſignificet falſa ex fallaciis ſenſuum, obſcuritate intellectus quod non illuſtratus, exque ignorantia, conſtat apud Jonam, qui miſſus ad Niniven, cui urbi condonatum, quia tales; exque ſingulis apud Jonam de Ninive; de quibus ex Divina Domini Miſericordia, alibi; ibi ſunt hiſtorica, ſed uſque prophetica, involventia & repræſentantia talia arcana, ſicut omnia reliqua hiſtorica Verbi. Similiter apud Eſaiam, ubi de Rege *Aſchuris*, quod manſerit in *Ninive*, & cum incurvaret ſe in domo Niſroch dei ſui, quod a filiis percuſſus gladio, XXXVII: 37, 38. hæc tametſi ſunt hiſtorica, uſque ſunt prophetica, involventia & repræſentantia ſimilia arcana, & ibi per Niniven ſignificatur cultus externus in quo falſa, qui quia idololatricus, percuſſus eſt a filiis gladio; filii ſunt falſa, ut prius oſtenſum, gladius eſt falſi pœna, ut ubivis in Verbo: etiam apud Zephaniam, "Jehovah extendet manum ſuam ſuper ſeptentrionem, & perdet *Aſchurem*, & ponet

" *Niniven* in deſolationem, ſiccitatem ſicut deſertum, & cubabunt in medio " ejus greges, omnis fera ejus gentis, etiam platea & anataria in malogranatis " ejus pernoctabunt, vox cantabit in feneſtra, vaſtitas in limine, quia ce- " drum ejus denudavit," 11: 13, 14. hic deſcribitur Ninive, ſed ſtylo pro- " phetico, & ipſa falſitas quæ ſignificatur per Niniven; falſitas ea, quia colitur, vocatur ſeptentrio, fera gentis, platea & anataria in malogranatis, & exprimitur per quod vox cantet in feneſtra, & denudetur cedrus, quæ eſt intellectuale verum; omnes hæ expreſſiones ſunt ſignificativæ talis falſitatis.

1189. Quod per Kalach ſignificentur falſa oriunda ex cupiditatibus, ex propheticis non confirmari poteſt, ſed uſque ex hiſtoricis Verbi, quod Rex *Aſchuris* tranſportaverit filios Iſraelis in *Aſchur* ſeu Aſſyriam, & habitare eos fecerit in *Kalach*, & in Chabor, ad fluvium Goſan, & in urbibus Mediæ, 11: Reg: XVII: 6. Cap: XVIII: 11. ubi hiſtorica nihil aliud involvunt; omnia enim hiſtorica Verbi, ut dictum, ſunt ſignificativa & repræſentativa; ita Iſrael hic eſt perverſa Eccleſia ſpiritualis, Aſchur ratiocinatio, Kalach falſitas talis.

1190. Quod Reſen inter Niniven & Kalach, ſignificet quod quoque formaverint ſibi doctrinalia vitæ, & quod per Reſen ſignificentur doctrinalia falſa inde, conſtare ex illis quæ mox prius de Ninive, & Kalach oſtenſa ſunt; tum a ſerie rerum, quod in verſu priori actum ſit de falſis doctrinæ, hic nunc de falſis vitæ; nam ſtylus Verbi talis eſt imprimis propheticus, quod cum de intellectualibus, etiam de voluntariis, agatur, in verſu priori de intellectualibus ſeu falſis doctrinæ, hic autem de falſis vitæ, quæ per Reſen ſignificantur; cujus quia mentio non fit amplius in Verbo, non ita confirmari poteſt, ſolum ex eo, quod ædificata ſit Reſen inter Niniven & Kalach, hoc eſt, inter falſum ex ratiociniis, & falſum a cupiditatibus, quod producit falſum vitæ; tum ex eo, quod vocetur urbs magna, quia ex falſis tam intellectus, quam voluntatis.

1191. Hæc urbs illa magna, quod ſignificet doctrinalia, quod illa increbuerint, conſtat ex ſignificatione Urbis, quod ſit doctrinale verum, aut doctrinale falſum, ut oſtenſum, n: 402, & quod urbs magna dicatur, eſt quia omnis falſitas doctrinæ & cultus inde derivetur in falſum vitæ.

1192. Mox ſupra in verſ: 10. actum eſt de malis in cultu, ſignificatis per Babelem, Erech, Akkad & Kalneh, in terra Schinear; in his binis verſibus actum eſt de falſis in cultu ſignificatis per Niniven, Rechoboth, Kalach, & Reſen; falſa ſunt principiorum ex ratiociniis, mala ſunt cupiditatum ex amore mundi & ſui.

1193. Verſ: 13, 14. *Et Mizraim genuit Ludim, & Anamim, & Lehabim, & Naphthuchim. Et Puthruſim, & Kaſluchim; ex quibus egreſſi ſunt Peliſthim & Kaphthorim.* Mizraim genuit Ludim, Anamim, Lehabim, & Naphthuchim, & Kaphthorim, ſignificant totidem gentes, per quas ſignificantur totidem genera ritualium; Mizraim eſt ſcientia; Ludim, Anamim, Lehabim, & Naphthuchim, ſunt totidem ritualia, quæ mere ſcientifica ſunt: Pathruſim & Kaſluchim ſunt gentes ita vocatæ, per quas ſignificantur doctrinalia

nalia ritualium ex ſimili origine, quæ modo ſcientifica: ex quibus egreſſi ſunt Peliſthim, ſignificant gentem, quæ inde, per quam ſignificatur ſcientia cognitionum fidei & charitatis; quod egreſſi ſint, ſignificat, quod cognitiones apud hos ſint ſcientifica.

1194. Quod Mizraim genuit Ludim, Anamim, Lehabim & Naphthuchim, Kaphthorim, ſignificent totidem gentes, per quas ſignificantur totidem ritualia, conſtare poteſt ex illis, quæ de Mizraim ſeu Ægypto ſupra ad verſ: 6. hujus Capitis oſtenſa ſunt, quod nempe Ægyptus ſignificet ſcientiam ſeu ſcientifica; qui ex eo geniti dicuntur non poſſunt alii eſſe, ſeu alia quam ritualia, & quidem ritualia cultus externi: Verbum enim Domini in ſinu & receſſu ſuo, hoc eſt, in ſenſu interno, nuſquam agit de aliis rebus, quam quæ ſunt Regni Ipſius, ita quæ ſunt Eccleſiæ, quare hic, quæ de ſcientificis per ratiocinationes, nata ſunt, non alia quam ritualia ſunt.

1195. Quod Mizraim ſeu Ægyptus ſit ſcientia, ad verſ: 6, hujus Capitis oſtenſum eſt: quod Ludim, Anamim, Lehabim, & Naphthuchim ſint totidem ritualia, quæ mere ſcientifica ſunt, conſtat ex illis quæ modo dicta: Ritualia mere ſcientifica prædicantur de illis, qui per ratiocinia explorant ſpiritualia & cœleſtia, & inde fingunt ſibi cultum; ritualia iſtius cultus, quia ex ratiociniis & ſcientificis, vocantur ritualia ſcientifica, in quibus nihil ſpirituale & cœleſte, quia a ſemet; inde idola Ægyptiaca, & inde magiæ; & quia inde eorum ritualia, Eccleſiæ Antiquæ ritus prorſus rejecerunt, imo nauſearunt & odio habuerunt, ut conſtat ex Geneſ: XLIII: 32. Cap: XLVI: 34. Exod: VIII: 22. hæc quia ſignificantur, dicuntur geniti a Mizraim ſeu ab Ægypto, hoc eſt, a ſcientificis: & quia ſcientifica eorum fuerunt diverſa, ideo quoque ritualia inde diverſa facta fuerunt; diverſitates in genere ſignificatæ ſunt per totidem gentes: quod talia per Ludim ſeu Ludios intelligantur, conſtat apud Jeremiam, "Ægyptus ſicut flumen aſcendit, & ſicut flumina commoventur "aquæ, & dixit, aſcendam, obtegam terram, perdam civitatem, & habitantes "in ea; aſcendite equi, inſanite currus, & egrediantur fortes Kuſch & Puth "apprehendentes ſcutum, & *Ludii* apprehendentes, tendentes arcum" XLVI: 8, 9, ubi flumina Ægypti ſunt ſcientifica diverſa quæ falſa, aſcendere & obtegere terram, eſt per ſcientifica intrare in illa quæ ſunt Eccleſiæ ſeu fidei, perdere urbem eſt deſtruere vera; Kuſch & Puth ſunt cognitiones; Ludii ſunt ſcientifica ritualia, de quibus; apprehendere & tendere arcum eſt ratiocinari.

1196. Quod Pathruſim & Kaſluchim ſint gentes ita vocatæ, & quod per eas ſignificentur doctrinalia ritualium ex ſimili origine, quæ modo ſcientifica, patet ex illis quæ dicta ſunt, & quod ſequantur ita in ſerie; de Pathruſim videatur apud Eſaiam, Cap: XI: 11, 12. Ezechielem, Cap: XXIX: 13, 14, 15. Cap: XXX: 13, 14. Jeremiam Cap: XLV: 1: 15.

1197. Ex quibus egreſſi ſunt Peliſthim, quod ſignificent gentem quæ inde, & quod per eam ſignificetur ſcientia cognitionum fidei & charitatis, conſtat ex Verbo, ubi pluries nominantur; Philiſtæi in Antiqua Eccleſia vocati ſunt omnes illi, qui multum loquuti ſunt de fide, & quod in fide ſalus, & tamen nullam vitam fidei habuerunt, quare etiam præ cæteris vocati ſunt

præ-

præputiati, hoc eſt, abſque charitate; quod dicti præputiati, videatur, I Sam: XIV: 6. Cap: XVII: 26, 36. Cap: XXXI: 4. II Sam: Cap: I, 20, & alibi; iidem, quia tales, non potuerunt aliter quam cognitiones fidei facere res memoriæ: nam cognitiones rerum ſpiritualium & cœleſtium, ipſaque arcana fidei, non fiunt aliter quam res memoriæ, cum homo, qui eas callet, abſque charitate eſt: res memoriæ ſunt ſicut res mortuæ, niſi homo ſit talis ut vivat ſecundum illas ex conſcientia, cum hoc tunc ſimul ac ſunt res memoriæ etiam ſunt res vitæ, & tunc primum apud eum ſunt ei poſt vitam corporis uſui & ſaluti; ſcientiæ & cognitiones nihil ſunt apud hominem in altera vita, etiamſi ſciverit omnia arcana, quæ uſquam revelata ſunt, niſi imbuerint vitam: per Philiſtæos in Propheticis Verbi ubivis ſignificantur tales, etiam in Hiſtoricis Verbi, ut quod Abrahamus peregrinatus ſit in terra Philiſtæorum, & cum Abimelecho rege Philiſtæorum fœdus pepigerit, Geneſ: Cap: XX: I ad f. Cap: XXI: 22 ad f: Cap: XXVI: I ad 34, ibi quia per Philiſtæos ſignificatæ ſunt cognitiones fidei, Abrahamus, quia repræſentabat cœleſtia fidei, ibi peregrinatus eſt, & cum illis fœdus iniit; ſimiliter Iſacus, per quem repræſentata ſunt ſpiritualia fidei; non autem Jacobus, quia per eum externa Eccleſiæ repræſentata ſunt. Quod Philiſtæi ſignificent in genere ſcientiam cognitionum fidei & in ſpecie eos, qui fidem & ſalutem in ſolis cognitionibus ponunt, quas faciunt res memoriæ, conſtare quoque poteſt apud Eſaiam, "Ne læteris *Philiſtæa* tota tu, quod fracta ſit "virga percutiens te, nam de radice ſerpentis exibit regulus & fructus ejus "preſter volans," XIV: 29. ubi radix ſerpentis pro ſcientificis, regulus pro malo ex falſo inde, fructus preſter volans ſunt opera eorum, quæ quia ſunt cupiditatum vocantur preſter volans. Apud Joelem, "Quid vos Mihi, Tyre "& Sidon, & omnes termini *Philiſtææ*, num retributionem vos repen-"dentes ſuper Me, cito valde reducam retributionem veſtram in caput "veſtrum; propterea quod argentum meum, & aurum meum ſumſiſtis, & "deſiderabilia mea bona intuliſtis in templa veſtra, & filios Jehudæ & filios "Hieroſolymæ vendidiſtis filiis Javanimorum, propterea ut elongare faceretis "eos deſuper termino eorum," IV: 4, 5, 6. ibi quid per Philiſtæos, perque totam Philiſtæam, ſeu omnes terminos ejus, intelligitur, patet; argentum & aurum ibi ſunt ſpiritualia & cœleſtia fidei, deſiderabilia bona ſunt cognitiones illorum, quod intulerint in templa ſua eſt quod habuerint & prædicaverint illa; at filios Jehudæ & filios Hieroſolymæ vendiderint, eſt quod nullum amorem & nullam fidem habuerint, Jehudas eſt in Verbo cœleſte fidei, Hieroſolyma ſpirituale fidei inde, quæ longe remota a terminis eorum: præter alibi apud Prophetas, ut apud Jeremiam, Cap: XXV: 20. Cap: XLVII: I ad f. Ezechielem, Cap: XVI: 27, 57. Cap: XXV: 15, 16. Amos: Cap: I: 8. Obadiam 19. Zephaniam I: 5. Pſalm: LXXVII: 3, 4. de Kaphtoræis, Deut: II: 23. Jerem: XLVII: 4. Amos IX: 7.

1198. Quod egreſſi ſint, ſignificet quod cognitiones apud hos ſint ſcientifica, ex illis quæ dicta ſunt, conſtat; non dicuntur geniti ab illis qui ab Ægypto, ſed egreſſi, quia tales non ſunt ut ex naturalibus ſcientiis ratiocinentur de ſpiritualibus & cœleſtibus, ac ita ſibi fingant doctrinalia, ſicut illi de quibus prius, ſed quod cognitiones fidei diſcant aliunde, atque eos non alio fine

ſine ſciant & memoria teneant, quam ſicut res alias, quas præter quod ſciant, nihil curant, niſi ex cauſa ut inde evehantur in honores & ſic porro; ita ſcientia cognitionum fidei eſt diſtincta a ſcientia rerum naturalium, ut vix communicent, quare non nati ab illis dicuntur, ſed egreſſi. Philiſtæi, quia tales, non poſſunt aliter, quam etiam cognitiones fidei per ratiocinia ex illis, pervertere, & inde formare ſibi doctrinalia falſa, quare etiam inter eos ſunt, qui ægre poſſunt regenerari & recipere charitatem, tam quia præputiati corde ſunt, quam quia principia falſi, & inde vita eorum intellectus, inhibent & obſtant.

1199. Verſ: 15. *Et Canaan genuit Zidonem, primogenitum ſuum, & Chetum.* Canaan ſignificat, hic ut prius, cultum externum in quo nihil internum eſt: Sidon ſignificat cognitiones exteriores ſpiritualium, quæ quia ſunt prima cultus talis externi, dicitur Sidon Canaanis primogenitus: Cheth ſignificat cognitiones exteriores cœleſtium.

1200. Quod Canaan ſignificet cultum externum in quo nihil internum, prius ubi de Canaane, oſtenſum eſt: cultus externus, qui Canaan vocatur, eſt talis, qualis ante adventum Domini, tum poſt adventum Ipſius, fuit Judæorum, qui cultum externum habebant, quem etiam ſtricte obſervabant, ſed uſque neſciebant quid internum, uſque adeo, ut ſe ſolum corpore vivere putaverint; quid anima, quid fides, quid Dominus, quid vita ſpiritualis & cœleſtis, quid vita poſt mortem, prorſus neſciebant; quare etiam tempore Domini plerique negabant reſurrectionem, ut conſtat apud Matth: XXII: 22 ad 33. Marc: XII: 18 ad 28. Luc: XX: 27 ad 41. cum homo talis eſt, ut non credat ſe victurum poſt mortem, etiam non credit quod aliquid internum ſpirituale & cœleſte detur: tales quoque ſunt, qui in meris cupiditatibus vivunt, quia vivunt meram vitam corporis & mundi, cumprimis qui fædæ avaritiæ immerſi ſunt; ii nihilominus cultum habent, frequentant illi ſynagogas, hi templa, & obſervant ritus, quidam eorum perquam ſtricte; ſed quia non credunt dari vitam poſt mortem, cultus eorum non poteſt alius eſſe quam externus, in quo nihil internum, ſicut cruſta abſque nucleo, & ſicut arbor, in qua non fructus, & ne quidem folia: talis externus cultus eſt, qui per Canaan ſignificatur: cæteri cultus interni, de quibus ſupra actum, fuerunt cultus in quo interna.

1201. Quod Zidon ſignificet cognitiones exteriores ſpiritualium, conſtat ex eo, quod dicatur primogenitus Canaanis, nam primogenitum cujuſcunque Eccleſiæ in ſenſu interno eſt fides, n. 352, 367; hic autem, ubi nulla fides, quia abſque internis, non ſunt niſi cognitiones exteriores ſpiritualium, quæ loco fidei, ita cognitiones quales apud Judæos, quæ non ſolum ſunt rituum cultus externi, ſed etiam plurium, quæ ad cultum illum pertinent, ut ſunt doctrinalia: quod Zidon hæc ſignificet, etiam patet ex eo, quod Tyrus & Zidon termini ultimi fuerint Philiſthææ, & quidem juxta mare, & ideo per Tyrum ſignificatæ ſunt cognitiones interiores, & per Zidonem cognitiones exteriores, & quidem ſpiritualium; quod etiam conſtat a Verbo: apud Jeremiam, "Super diem venientem ad vaſtandum "omnes *Philiſtæos*, ad excidendum *Tyro* & *Zidoni* omnem ſuperſtitem auxi-"liantem, quia vaſtans Jehovah Philiſthæos, reliquias inſulæ Caphtor," XLVII: 4. ubi

4. ubi Philiſthæi pro ſcientiis cognitionum fidei & charitatis: Tyrus pro cognitionibus interioribus, & Zidon pro cognitionibus ſpiritualium. Apud Joelem, "Quid vos Mihi, *Tyre* & *Zidon*, & omnes *termini Philiſthææ*; quod "argentum meum & aurum ſumſiſtis, & deſiderabilia mea bona intuliſtis "in templa veſtra," IV: 4, 5, ubi manifeſte Tyrus & Zidon pro cognitionibus, & vocantur termini Philiſthææ, argentum enim & aurum, & deſiderabilia bona ſunt cognitiones. Apud Ezechielem, "Principes Septentrionis om"nes ii, & omnis *Sidonius*, qui deſcenderunt cum confoſſis in foveam; dum "cubare factus fuerit in medio præputiatorum cum confoſſis gladio, Pha"rao & omnis turba ejus," XXXII: 30, 32. ubi Sidonius pro cognitionibus exterioribus, quæ abſque internis non ſunt niſi quam ſcientifica, quare ſimul nominatur cum Pharaone ſeu Ægypto, per quem ſcientifica ſignificantur. Apud Sachariam, "Etiam Chamath terminabitur in ea, *Tyrus* & *Zidon*, nam ſapiens fuit valde," IX: 2. ubi de Damaſco; Tyrus & Zidon pro cognitionibus. Apud Ezechielem, "Habitatores *Zidonis* & Arvadi fuerunt "remiges tui, ſapientes tui, *Tyre*, fuerunt in te, ii naucleri tui," XXVII: 8. ubi Tyrus pro cognitionibus interioribus, quare ſapientes ejus vocantur naucleri, & Zidon pro cognitionibus exterioribus, quare vocantur remiges, nam ita ſe habent interiores cognitiones ad exteriores. Apud Eſaiam, "Silent "habitatores inſulæ, mercator *Zidonis*, tranſiens mare, impleverunt te, at in "aquis multis ſemen Schichoris, meſſis fluminis, proventus ejus, & fuit "mercatura gentium; erubeſce *Zidon*, nam dixit, mare, munimentum maris, "dicendo, non parturivi, & non peperi, & non educavi juvenes, adoleſcere "feci virgines," XXIII: 2, 3, 4, 5. Zidon hic pro cognitionibus exterioribus, in quibus quia nihil internum, vocantur ſemen Schichoris, meſſis fluminis, proventus ejus mercatura gentium, tum quoque mare, munimentum maris, & quod non parturiat & pariat; quæ nuſquam comprehenderentur, quid ſint in ſenſu literali, ſed patent manifeſte in ſenſu interno, ſicut in reliquis apud Prophetas. Quia Zidon ſignificat cognitiones exteriores, etiam vocatur circuitus Iſraelis, ſeu Eccleſiæ ſpiritualis, Ezech: XXVIII: 24, 26. nam ſe habent cognitiones exteriores ſicut circuitus.

1203. Quæ cognitiones, quia prima ſunt cultus talis externi, in quo non cultus internus, quod Zidon dicatur Canaanis primogenitus in mox præcedente articulo explicatum eſt.

1202. Quod Cheth ſignificet cognitiones exteriores cœleſtium, inde conſtat; apud Prophetas ſolenne eſt quod ſpiritualia & cœleſtia conjungantur, ſeu ubi agitur de ſpiritualibus, etiam de cœleſtibus, ex cauſa, quia unum eſt ab altero, & non perfectio quædam eſt, niſi conjuncta ſint, utque inſtar conjugii cœleſtis ſit in omnibus & ſingulis Verbi; inde quoque conſtat, præter a Verbo alibi, quod per Zidonem ſignificentur cognitiones exteriores ſpiritualium, per Chethum vero cognitiones exteriores cœleſtium, in utroque ſenſu, nempe tam abſque internis, quam cum internis, ut & ſimpliciter pro cognitionibus exterioribus: ſpiritualia ſunt, ut ſæpe prius dictum, quæ ſunt fidei, cœleſtia quæ ſunt amoris; tum, ſpiritualia ſunt quæ intellectus, & cœleſtia quæ voluntatis; quod

quod Cheth cognitiones exteriores abſque internis ſignificet, conſtat apud Ezechielem, "Sic dixit Dominus Jehovih Hieroſolymæ, negotiationes tuæ, & "natales tui de terra *Canaane*, pater tuus Emorræus, & mater *Chittæa*. "Filia matris tuæ tu, faſtidientis virum ſuum & filios ſuos; & ſoror ſororum tuarum, quæ faſtidiverunt maritos ſuos, & filios ſuos, mater veſtra "*Chittæa*, & pater veſter Emorreus," xvi: 3. 45. ubi cultus externus abſque interno, eſt Canaan; faſtidire maritos & filios, eſt reſpuere bona & vera, inde mater eorum vocatur Chittæa. Præterea Cheth in Verbo quoque, pro cognitionibus exterioribus cœleſtium in bono ſenſu, accipitur, ſicut fere omnia Nomina terrarum, urbium, gentium, perſonarum, ex cauſa, de qua prius; de qua ſignificatione Chethi ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Cognitiones ſpiritualium ſunt quæ ſpectant fidem, ita doctrinam, cognitiones autem cœleſtium ſunt, quæ ſpectant amorem, ita vitam.

1204. Verſ: 16, 17, 18. *Et Jebuſi & Emori, & Girgaſchi. Et Chivi, & Arki, & Sini. Et Arvadi, & Zemari, & Chamathi: & poſtea diſperſæ ſunt familiæ Canaanitarum.* Jebuſi, Emori, Girgaſchi, Chivi, Arki, Sini, Arvadi, Zemari & Chamathi, fuerunt totidem gentes, per quas ſignificantur etiam totidem diverſæ idololatriæ: & poſtea diſperſæ ſunt familiæ Canaanitarum, ſignificat quod cæteri cultus idololatrici ſint inde.

1205. Quod Jebuſi, Emori, Girgaſchi, Chivi, Arki, Sini, Arvadi, Zemari, Chamathi, fuerint totidem gentes, & quod per eas ſignificentur etiam totidem diverſæ idololatriæ; quod idololatriæ per gentes iſtas ſignificentur, conſtat a pluribus in Verbo; fuerunt enim incolæ terræ Canaanis, qui propter idololatrias rejecti, & partim exſtirpati fuerunt; ſed in interno ſenſu Verbi non ſignificantur gentes iſtæ, ſed ipſæ idololatriæ, in genere apud quoſcunque ubi ſunt, in ſpecie apud Judæos: qui enim in externis ſolummodo cultum ponunt, & prorſus neſcire volunt interna, cumque inſtruuntur, rejiciunt, ii ad omnes has idololatrias proniſſimi ſunt, ſicut luculenter conſtat a Judæis: in interno cultu ſolum eſt vinculum, quod detinet hominem ab idololatria, quo ceſſante, nihil eſt quod inhibet: ſed ſunt idololatriæ non ſolum externæ, verum etiam interiores; in idololatrias externas ruunt ii qui cultum externum abſque interno habent; in idololatrias interiores ii qui cultum externum habent, cujus interiora ſunt fœda; quæ idololatriæ pariter ſignificantur per has gentes; idololatriæ interiores ſunt totidem falſitates & cupiditates, quas amant, adorant, & ſic ſunt loco deorum & idolorum quæ fuerunt apud gentes; ſed quænam falſitates & cupiditates ſunt quæ adorantur, per gentes has, nempe Jebuſi, Emori, Girgaſchi, Chivi, Arki, Sini, Arvadi, Zemari & Chamathi, ſignificantur, prolixum foret hic exponere, ſuis locis, ubi occurrunt, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur.

1206. Poſtea diſperſæ ſunt familiæ Canaanitarum, quod ſignificet, quod cæteri cultus idololatrici ſint inde, conſtat abſque explicatione.

1207. Verſ: 19. *Et fuit terminus Canaanitarum, a Zidone veniendo ad Gerar, uſque ad Aſſam, veniendo ad Sodomam, & Amoram, & Admam, & Zeboim, uſque ad Laſcha.* Per Zidonem, hic ut prius, ſignificantur cognitiones

exteriores:

exteriores: per Gerar ſignificantur illa quæ ſunt revelata de fide: per Aſſam illa quæ ſunt revelata de charitate: quod terminus Canaanitarum fuerit a Zidone veniendo ad Gerar uſque ad Aſſam, ſignificant extenſionem cognitionum ad verum & bonum apud eos, qui cultum externum abſque interno habent: veniendo ad Sodomam, Amoram, Admam, Zeboim, uſque ad Laſcha, ſignificant falſa & mala, in quibus terminantur.

1208. Quod per Zidonem ſignificentur cognitiones exteriores, conſtat ab illis, quæ ſupra ad verſ: 15, oſtenſa ſunt.

1209. Quod per Gerar ſignificentur illa quæ revelata ſunt de fide, ita in genere ipſa fides, conſtare poteſt ab illis locis, ubi Gerar nominatur, ut Geneſ: xx: 1. Cap. xxvi: 1, 17. de qua ejus ſignificatione, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

1210. Quod per Aſſam ſignificentur illa, quæ revelata ſunt de charitate, conſtare poteſt tam ex eo, quod in Verbo ubi de ſpiritualibus etiam de cœleſtibus conjunctim agatur, hoc eſt, quando de illis quæ ſunt fidei, etiam de illis quæ ſunt charitatis; quam quoque ex Verbo, ubi Aſſa nominatur: præterea, quod cognitiones ſe extendant ad fidem uſque ad charitatem, quæ eſt ultimus earum terminus.

1211. Quod terminus Canaanitarum fuerit a Zidone veniendo ad Gerar, uſque ad Aſſam, ſignificent extenſionem cognitionum apud eos, qui cultum externum abſque interno habent, a ſignificatione Geraris & Aſſæ conſtat; termini omnium cognitionum quæ ſpectant cultum, ſive externus ſit, ſive internus, illuc vadunt, nam omnis cultus eſt ex fide & charitate, qui non inde, non eſt cultus, ſed idololatria; quia de Canaane, hoc eſt, de cultu externo, ejuſque derivationibus agitur, non ſunt cultus ſed cognitionum termini & extenſiones, quæ hic intelliguntur.

1212. Veniendo ad Sodomam, Amoram, Admam, Zeboim uſque ad Laſcha, quod ſignificent falſa & mala, in quibus terminantur, conſtare poteſt a ſignificatione earundem in Verbi hiſtoricis & propheticis. Sunt in genere binæ origines falſitatum, una eſt ex cupiditatibus quæ ſunt amoris ſui & mundi, altera ex cognitionibus & ſcientificis, per ratiocinia; falſa quæ inde, cum dominari volunt ſuper vera, ſignificantur per Sodomam, Amoram, Admam & Zeboim: quod falſa & inde mala ſint termini cultus externi qui eſt abſque interno, unicuivis conſtare poteſt, in cultu tali nihil eſt niſi mortuum, quare quocunque ſe vertit homo, qui in tali cultu, in falſitates labitur, nihil internum eſt quod ducit & detinet in via veritatis, ſed modo externum, quod rapit eum quocunque cupiditas & phantaſia. Quia in Verbi hiſtoricis & propheticis memorantur Sodoma, Amora, Adma & Zeboim, quid unaquæque in ſpecie ſignificat, ibi, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur.

1213. Verſ: 20. *Hi filii Chami, ſecundum familias ſuas, ſecundum linguas ſuas, in terris eorum, in gentibus eorum.* Filii Chami ſignificant derivationes doctrinalium & cultuum ex cultu corrupto interno, qui eſt Cham: ſecundum familias ſuas, ſecundum linguas ſuas, in terris eorum, in gentibus eorum, ſignificant

nificant ſecundum cujuſvis genium in particulari & communi; ſecundum familias eſt ſecundum mores; ſecundum linguas eſt ſecundum opiniones; in terris eſt in communi reſpective ad opiniones; in gentibus eſt in communi reſpective ad mores.

1214. Quod filii Chami ſignificent derivationes doctrinalium & cultuum ex cultu corrupto interno, qui eſt Cham, conſtat a ſignificatione filiorum quod ſint doctrinalia, & ex ſignificatione Chami, quod ſit cultus corruptus internus, de quibus prius.

1215. Secundum familias ſuas, ſecundum linguas ſuas, in terris eorum, in gentibus eorum, quod ſignificent ſecundum cujuſvis genium in particulari & communi, ſupra ad verſ: 5. explicatum eſt, ubi eadem verba, ſed alio ordine; ibi de filiis Japhethi, "Quod ex illis diſperſæ ſint inſulæ gentium in terris "ſuis, quælibet juxta linguam ſuam, juxta familias ſuas, quoad gentes ſuas," per quos ſignificati ſunt cultus externi in quibus internus, quare in illis præcedunt quæ ſunt doctrinæ, hic autem illa quæ ſunt morum aut vitæ.

1216. Quod ſecundum familias ſit ſecundum mores, ſecundum linguas quod ſit ſecundum opiniones, in terris quod ſit in communi reſpective ad opiniones, & in gentibus quod ſit in communi reſpective ad mores, conſtare poteſt a ſignificatione cujuſvis, nempe familiæ, linguæ, terræ, gentis, in Verbo, de quibus videantur quæ dicta ſupra ad verſ: 5.

1217. Verſ: 21. *Et Schemo natum eſt etiam: ille pater omnium filiorum Eberi; frater Japhethi major.* Per Schemum, ſignificatur hic Eccleſia Antiqua in genere: quod Schemo natum, ſignificat hic, quod ab Eccleſia Antiqua, nova Eccleſia exſtiterit: per Eberum ſignificatur nova Eccleſia, quæ Eccleſia Antiqua altera appellanda: quod pater omnium filiorum Eberi fuerit, ſignificat, quod altera hæc Eccleſia Antiqua, & quæ Eccleſiæ hujus, ab Eccleſia Antiqua priore, ut a ſuo patre, exſtiterit: frater Japheti major, ſignificat quod ejus cultus fuerit externus.

1218. Quod per Schemum ſignificetur hic Eccleſia Antiqua in genere, conſtare poteſt ex eo, quod hic agatur de Ebero, quem nunc ſpectat; & quod dicatur in hoc verſu frater Japhethi major.

1219. Quod Schemo natum, ſignificet hic quod ab Eccleſia Antiqua, Nova Eccleſia exſtiterit, conſtat ab illis quæ in hoc verſu continentur, quod agatur de Ebero, per quem intelligitur Eccleſia illa nova Antiqua, de qua in ſequentibus.

1220. Quod per Eberum ſignificetur nova Eccleſia, quæ Eccleſia Antiqua Altera appellanda, conſtat a ſequentibus, ubi de Ebero in ſpecie agitur, hic nominatur Eberus, quia ab illo nova illa Eccleſia; quomodo ſe habuit cum Ebero, & cum altera hac Eccleſia, in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur.

1221. Quod pater omnium filiorum Eberi fuerit, ſignificet, quod altera hæc Eccleſia Antiqua, & quæ Eccleſiæ hujus, ab Antiqua priore Eccleſia, ut a ſuo patre, exſtiterit, ſimiliter a ſequentibus de Ebero & de Eccleſia hac, conſtabit;

ſtabit; agitur enim de Ebero a Verſ: 24 ad 30 hujus Capitis, & a verſ: 11 ad finem Capitis ſequentis.

1222. Quod frater Japheti major, ſignificet quod ejus cultus fuerit externus, conſtat a ſignificatione Japhethi, quod ſit Eccleſia externa, de quo in Cap: præc: verſ: 18 ſeq: & ſupra in hoc Capite a verſ: 1 ad 5, hic Schemus frater Japhethi major ſignificat in ſpecie, quod Eccleſia interna & Eccleſia externa ſint fratres, nam cultus internus ad cultum externum in quo internus, non aliter ſe habet, eſt enim conſanguinitas, quia in utroque eſt charitas principale, ſed interna Eccleſia eſt frater major, quia prior & interior: Frater Japhethi major etiam hic involvit, quod altera Eccleſia Antiqua, Eberus appellata, fuerit primæ Antiquæ Eccleſiæ; ſicut frater, nam per Japhethum in ſenſu interno nihil aliud ſignificatur quam cultus externus in quo internus, cujuſcunque Eccleſiæ, ita quoque cultus novæ hujus Antiquæ Eccleſiæ, qui principaliter fuit externus; talis eſt ſenſus internus Verbi, ut hiſtorica ſenſus literalis non attendantur cum univerſalia ſpectantur, quæ abſtracta ſunt a ſenſu literali, ſe enim mutuo aliter conſpiciunt; inde hic frater Japhethi major, ſignificat in ſenſu interno cultum novæ Eccleſiæ Antiquæ, quod fuerit externus; niſi hæc ſignificarentur non opus fuiſſet, ut hic diceretur, quod eſſet frater Japhethi major.

1223. Verſ: 22. *Filii Schemi, Elam & Aſchur, & Arphachſad, & Lud, & Aram.* Per Schemum ſignificatur, hic ut prius, Eccleſia interna: per filios Schemi ſignificantur illa quæ ſunt ſapientiæ: Elam, Aſchur, Arphachſad, Lud & Aram, fuerunt totidem gentes, per quas ſignificantur illa quæ ſunt ſapientiæ; per Elam fides ex charitate; per Aſchur ratio inde; per Arphachſchad ſcientia inde; per Lud cognitiones veri; per Aram cognitiones boni.

1224. Ex his conſtat quid hæc nomina in ſenſu interno ſignificant, nempe quod Eccleſia Antiqua quæ interna, prædita fuit ſapientia, intelligentia, ſcientia, & cognitionibus veri & boni; talia continentur in ſenſu interno, tametſi modo nomina ſunt, ex quibus nihil aliud apparet in ſenſu literali, quam quod totidem origines ſeu patres gentium fuerint, ac ita nihil doctrinale, minus ſpirituale & cœleſte; ſimiliter ſe habet apud prophetas, ubi quandoque nominum ſeries, per quas in ſenſu interno res ſignificatæ, pulchro ordine conſequuntur.

1225. Quod per Schemum ſignificetur Eccleſia interna, dictum & oſtenſum eſt Capite præcedente verſ: 18 & ſeq:

1266. Quod per filios Schemi ſignificentur illa quæ ſunt ſapientiæ, conſtat non modo ab eo quod Schem ſit Eccleſia interna, cujus filii non alii ſunt, quam ſapientiæ; ſapientia dicitur omne id quod gignitur ex charitate, quia per charitatem a Domino, a Quo omnis ſapientia, quia eſt ipſa Sapientia; inde vera intelligentia, & inde vera ſcientia, & inde vera cognitio, quæ omnia ſunt filii charitatis, hoc eſt, filii Domini per charitatem; & quia ſunt filii Domini per charitatem, de ſingulis prædicatur ſapientia, nam in ſingulis eſt ſapientia, e qua ſuam vitam ducunt, & quidem ita, ut non intelligentia, nec ſcientia, neque cognitio vivat niſi ex ſapientia quæ eſt charitatis, quæ Domini.

1227. Quod Elam, Aſchur, Arphachſchad, Lud & Aram, fuerint totidem gentes, conſtat a Verbi hiſtoricis & propheticis, ubi nominantur; & quod per illas ſignificentur illa quæ ſunt ſapientiæ, conſtat ex illis quæ mox ſupra dicta, tum a ſequentibus. Apud has gentes fuit Eccleſia interna; apud alias, quæ filii Japhethi appellantur, Eccleſia externa; apud eas quæ filii Chami vocantur, Eccleſia corrupta interna; & apud eas quæ filii Canaanis, Eccleſia corrupta externa: ſive dicatur Cultus internus & externus, ſive Eccleſia interna & externa, perinde eſt.

1228. Quod per Elam ſignificetur fides ex charitate, conſtat ab Eccleſiæ internæ eſſentia; Eccleſia interna eſt, cui charitas eſt principale, ex qua cogitat & agit; prima proles charitatis non eſt niſi fides, nam inde, & non aliunde fides; quod Elam ſit fides ex charitate, ſeu ipſa fides quæ conſtituit Eccleſiam internam, conſtat quoque apud Jeremiam, "Factum eſt verbum Jehovæ ad Jeremiam, de *Elamo:* ecce Ego frangens arcum *Elami*, principium "potentiæ ejus, & adducam ad *Elamum* quatuor ventos ex quatuor finibus "cœlorum, & diſpergam eos in omnes ventos hos; & non erit gens, quo "non veniet de expulſis *Elami:* & conſternabo *Elamum* coram hoſtibus ſuis, "& coram quærentibus animam illius, & adducam ſuper eos malum, excandeſcentiam iræ meæ, & mittam poſt eos gladium ad uſque conſumere Me "eos; & ponam thronum meum in *Elamo*, & perdam inde Regem & principes, & fiet in poſteritate dierum reducam captivitatem *Elami*," XLIX: 34 ad 39. ibi per Elamum agitur de fide, ſeu quod idem eſt, de Eccleſia interna perverſa facta & corrupta, & mox de eadem reſtituta, ſicut pluries in Verbo, de Jehuda, Iſraele & Jacobo, per quos ſignificantur Eccleſiæ, per Jehudam Eccleſia cœleſtis, per Iſraelem Eccleſia ſpiritualis, per Jacobum Eccleſia externa, de quibus perverſis factis ſimiliter, quod nempe diſpergerentur, & dein quod diſperſi ab hoſtibus recolligerentur, & e captivitate reducerentur, per quæ novæ Eccleſiæ creatio intelligitur; ita hic de Elamo, ſeu Eccleſia interna, perverſa & corrupta, quod diſpergeretur, & dein quod reduceretur; tunc quod Jehovah poneret thronum ſuum in Elamo, hoc eſt, in Eccleſia interna ſeu in Eccleſiæ internis, quæ non alia ſunt, quam fidei ex charitate. Apud Eſaiam "Onus deſerti maris, e deſerto venit, & terra terribili: viſio "dura indicata mihi, perfidus iſte perfide agens, & vaſtator iſte vaſtans; "aſcende *Elam*, obſide *Madai*, omnem gemitum ejus ceſſare faciam,," XXI: 1, 2. ubi de vaſtatione Eccleſiæ per Babelem; Elam ibi Eccleſia interna, Madai Eccleſia externa, ſeu cultus externus in quo internus; quod Madai talis Eccleſia vel talis cultus ſit, conſtat ſupra ad verſ: 2 hujus Capitis, ubi Madai dicitur filius Japhethi.

1229. Quod per Aſchur ſignificetur Ratio, conſtat ex illis quæ ſupra ad verſ: 11: hujus Capitis oſtenſa ſunt.

1230. Quod per Arphachſchad ſignificetur ſcientia, non ita a Verbo confirmari poteſt, ſed conſtat a ſerie rerum tam præcedentium quam ſequentium.

1231. Quod per Lud ſignificentur cognitiones veri, conſtat ex eo, quod cognitiones veri ſint inde, nempe a Domino per charitatem, & ſic per fidem, media ratione & ſcientia: tum quoque apud Ezechielem, "Perſia & *Lud* & "Puth, fuerunt in exercitu tuo, viri belli tui, ſcutum & galeam ſuſpen-"derunt in te, illi dederunt decorem tuum," XXVII: 10. ubi de Tyro; Lud & Puth pro cognitionibus, quæ dicuntur in exercitu, & viri belli, quia inſerviunt defendendis veris, rationis adminiculo, quod etiam eſt ſcutum & galeam ſuſpendere; quod per Puth ſignificentur cognitiones exteriores Verbi, videatur ſupra ad verſ: 6 hujus Capitis.

1232. Quod per Aram ſeu Syriam ſignificentur cognitiones boni, ſequitur inde; tum quoque a Verbo; apud Ezechielem, "*Aram* negotiatrix tua, "multitudine operum tuorum, in chryſopraſo, purpura, & acupicto, & "byſſo, & ramoth, & pyropo, dederunt in negotiationibus tuis," XXVII: 16. ubi de Tyro, ſeu poſſeſſione cognitionum; ibi opera, chryſopraſus, purpura, acupictum, byſſus, ramoth, pyropus, non aliud ſignificant quam cognitiones boni. Apud Hoſcheam, "Fugit Jacob in agrum *Arami*, & ſervivit "pro uxore, & pro uxore cuſtodivit, & per prophetam aſcendere fecit Jehovah "Iſraelem ex Ægypto, & per prophetam cuſtoditus eſt; provocavit ad iram Ephraim amaritudinibus," XII: 13, 14, 15. ubi Jacob pro Eccleſia externa, & Iſrael pro Eccleſia interna ſpirituali; Aram pro cognitionibus boni; Ægyptus pro ſcientia pervertente; Ephraim pro intelligentia perverſa; quæ quid ſignificent in ſerie, nuſquam a ſenſu literali conſtare poteſt, ſed modo a ſenſu interno, ubi nomina ſignificant res Eccleſiæ, ut dictum. Apud Eſaiam, "Ecce Damaſcus rejecta eſt, ut non ſit urbs, & facta eſt acervus ruinæ; ceſ-"ſabit munimentum ab Ephraimo, & regnum a *Damaſco*, & reſiduum *Arami* "ſicut gloria filiorum Iſraelis erunt," XVII: 1, 3. ubi reſiduum Arami pro cognitionibus boni, quæ vocantur gloria Iſraelis: Aram ſeu Syria quoque in ſenſu oppoſito pro cognitionibus boni perverſis, ſicut ſolenne eſt in verbo, quod in utroque ſenſu, apud Eſai: VII: 4, 5, 6. Cap: IX: 11: Deut: XXVI: 5.

1233. Verſ: 23. *Et filii Aram; Uz & Chul, & Gether, & Maſh.* Aram ſignificat, hic ut prius, cognitiones boni: filii Arami ſunt cognitiones inde, & quæ cognitionum: Uz, Chul, Gether & Maſch, ſignificant totidem genera harum cognitionum.

1234. Quod Aram ſignificet cognitiones boni, mox ſupra oſtenſum eſt: quod filii Arami ſint cognitiones inde, & quæ ſunt cognitionum, inde ſequitur; cognitiones inde, ſunt veritates naturales; & quæ cognitionum ſunt facta ſecundum illas; quod hæc ſignificentur, non ita ex Verbo confirmari poteſt, nam non inter illa ſunt, quæ ſæpe memorantur, ſolum Uz apud Jeremiam, Cap: XXV: 20. & Thren: IV: 21. Exinde nunc conſequitur, quod Uz, Chul, Gether & Maſch ſignificent totidem genera harum cognitionum, & factorum ſecundum illas.

1235. Verſ: 24. *Et Arphachſchad genuit Schelachum, & Schelach genuit Eberum.* Arphachſchad fuit gens ita appellata, per quam ſignificatur ſcientia: Schelach ſimiliter fuit gens ita appellata, per quam ſignificatur id quod eſt ſcientiæ

ſcientiæ inde: per Eberum ſignificatur quoque gens, cujus pater fuit Eberus, ita nomine vocatus; per quem ſignificatur Antiqua Eccleſia altera, quæ ſeparata a priori.

1236. Quod Arphachſchad fuit gens ita appellata, & quod per illam ſignificetur ſcientia, conſtat ex illis, quæ mox ſupra in verſ: 22 de eo dicta ſunt.

1237. Quod Schelach ſimiliter fuit gens, & quod per illam ſignificetur quod eſt ſcientiæ inde, ſequitur, quia dicitur, quod Arphachſchad genuit Schelachum.

1238. Quod per Eberum ſignificetur quoque gens, cujus pater fuit Eberus, ita nomine vocatus, ita ſe res habet; qui hactenus nominati ſunt, fuerunt gentes, apud quas Antiqua Eccleſia fuit, quæ omnes dictæ fuerunt filii Schemi, Chami, Japhethi, Canaanis, quia per Schemum, Chamum, Japhethum, Canaanem, ſignificati ſunt diverſi Cultus Eccleſiæ: Noachus, Schemus, Chamus, Japhetus, Canaan, nuſquam fuerunt, ſed quia Antiqua Eccleſia in ſpecie talis fuit, & omnis Eccleſia in genere talis eſt, ut ſit Interna vera, Interna corrupta, Externa vera, & Externa corrupta, ideo hæc nomina, ut omnes differentiæ in genere ad illos & filios illorum, ut ad ſua capita, referri poſſent: gentes hic nominatæ etiam primitus habuerunt talem cultum, & ideo dictæ ſunt filii unius filiorum Noachi, & ideo etiam ipſi Cultus tales per nomina harum gentium in Verbo ſignificantur. Antiqua hæc Eccleſia prima, per Noachum & ejus filios ſignificata, non intra paucos fuit, ſed extenſa per plura Regna, ut conſtat a gentibus nominatis, nempe per Aſſyriam, Meſopotamiam, Syriam, Æthiopiam, Arabiam, Lybiam, Ægyptum, Philiſthæam uſque ad Tyrum & Zidonem, per totam terram Canaanem trans Jordanem & cis Jordanem. Sed poſtea in Syria incepit Cultus quidam externus, qui deinde late ſe circumfudit, & quidem per plures terras, imprimis per Canaanem, qui cultus diverſus fuit a cultu Antiquæ Eccleſiæ; & quia ſic ortum fuit quoddam Eccleſiæ, quod ſeparatum ab Eccleſia Antiqua, inde Nova quaſi Eccleſia exſurrexit, quam ideo vocare licet Alteram Eccleſiam Antiquam; Eberus fuit primus ejus inſtitutor, quare Eccleſia hæc ab Ebero vocata eſt. Illo tempore fuerunt omnes diſtincti in domos, familias, & gentes, ut prius dictum, una gens agnoſcebat unum Patrem, e quo etiam nominabatur, ut a Verbo paſſim conſtat; ita gens, quæ Eberum agnoſcebat ut Patrem ſuum, Gens Hebræa vocata eſt.

1239. Quod per Eberum ſignificetur Antiqua Eccleſia Altera, quæ ſeparata a priore, ex illis, quæ nunc dicta ſunt, conſtat.

1240. Verſ: 25. *Et Ebero nati ſunt bini filii, nomen unius Peleg, quia in diebus ejus diviſa eſt terra, & nomen fratris ejus Joktan.* Eberus fuit primus inſtitutor Eccleſiæ Antiquæ alterius, per quem ſignificatur hæc Eccleſia; cui bini filii fuerunt, per quos ſignificantur bini cultus, nempe internus & externus; bini ejus filii dicti fuerunt Peleg & Joktan, per Peleg ſignificatur iſtius Eccleſiæ cultus internus, & per Joktan iſtius Eccleſiæ cultus externus; quia in diebus ejus diviſa eſt terra, ſignificat quod tunc novum Eccleſiæ ortum

ortum; terra ſignificat, hic ut prius, Eccleſiam: nomen fratris ejus Joktan, ſignificat cultum externum iſtius Eccleſiæ.

1241. Quod Eberus fuit primus inſtitutor Eccleſiæ Antiquæ Alterius per quem ſignificatur hæc Eccleſia, ita ſe res habet; Prima Antiqua Eccleſia tam late, ut dictum, per Orbem cumprimis Aſiaticum diffuſa, ſicut ſolent omnes Eccleſiæ ubivis, temporis ſucceſſu degenerata & ab innovatoribus adulterata fuit, tam quoad cultum externum, quam quoad internum, & hoc variis in locis, cumprimis ex eo, quod omnia ſignificativa & repræſentativa, quæ Eccleſia Antiqua habuit ex ore Antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ omnia ſpectabant Dominum & Ipſius Regnum, verterentur in idololatrica, & apud aliquas gentes in magica; ne univerſa Eccleſia rueret, permiſſum fuit a Domino, ut ſignificativus & repræſentativus cultus alicubi reſtauraretur, quod factum ab Ebero, qui cultus principaliter in externis conſtabat; externa cultus fuerunt Excelſa, Luci, Statuæ, Unctiones, præter Sacerdotia & quæ ſacerdotiorum fuerunt, & plura alia quæ vocata ſunt ſtatuta: Interna cultus fuerunt doctrinalia ab Antediluviano tempore, cumprimis ab illis qui, Chanochus, appellati, qui perceptiva Antiquiſſimæ Eccleſiæ collegerunt, & inde doctrinalia fecerunt, hæc fuerunt illorum Verbum; ex his & illis, Eccleſiæ hujus cultus fuit, qui inſtauratus ab Ebero, ſed auctus, & quoque mutatus; cumprimis præ aliis ritualibus præferre inceperunt Sacrificia, quæ in vera Antiqua Eccleſia ignota fuerunt, ſolum apud quoſdam Chami & Canaanis poſteros, qui idololatræ, ibi permiſſa ob cauſam ne filios & filias ſuas ſacrificarent. Ex his conſtat, qualis hæc Eccleſia altera Antiqua fuit, quæ ab Ebero inſtituta, & in poſteritate ejus, quæ dicta gens Hebræa, continuata.

1242. Quod per binos filios Eberi ſignificentur bini cultus, nempe internus & externus, qui bini filii dicti fuerunt Peleg & Joktan, & quod per Peleg ſignificetur iſtius Eccleſiæ cultus internus, & per Joktan iſtius Eccleſiæ cultus externus, conſtat imprimis ex eo, quod per Eberum & gentem Eberi ſignificetur in ſenſu interno Eccleſia hæc altera Antiqua, & quia in unaquavis Eccleſia eſt internum & externum, nam abſque interno non eſt nec dici poteſt Eccleſia, ſed idololatria, ideo quia ſunt illa quæ ſunt Eccleſiæ, de quibus prædicantur filii, conſtat, quod per unum filiorum ſignificetur Internum Eccleſiæ, & per alterum Externum, ſicut paſſim in Verbo alibi, ut prius per Adam & Zillam, uxores Lamechi, n: 409, per Leam & Rachelem, per Jacobum & Iſraelem, de quibus in ſequentibus; ſimiliter per alios. De Joktanis poſteritate agitur in hoc Capite, de Pelegi in ſequente.

1243. Quia in diebus ejus diviſa eſt terra, quod ſignificet, quod tunc novum Eccleſiæ ortum, inde nunc conſtat; per terram enim non aliud ſignificatur quam Eccleſia, quod luculenter oſtenſum eſt prius, n: 662, 1066.

1244. Quod nomen fratris ejus Joktan ſignificet cultum externum iſtius Eccleſiæ, mox ſupra oſtenſum eſt; quod externus cultus frater dicatur, videatur ſupra ad verſ: 21 hujus Capitis, ubi de Schemo quod frater Japheti major, quare hic nomen fratris adjectum eſt.

1245.

1245. Verſ: 26, 27, 28, 29. *Et Joktan genuit Almodad, & Scheleph, & Chazarmaveth, & Jerach. Et Hadoram, & Uſal & Diklah. Et Obal, & Abimael, & Scheba. Et Ophir, & Chavillah, & Jobab; omnes hi filii Joktanis.* Hæ fuerunt totidem gentes ex familiis Eberi, per quas ſignificantur totidem ritualia.

1246. Quod hæ fuerint totidem gentes ex familiis Eberi, conſtare poteſt ex ſtatu, in quo fuerunt illo tempore; antiquiſſimo tempore vixerunt, ut prius dictum, gentes diſtinctæ in familias, & hæ in domos, unaquævis gens agnoſcebat unum patrem, a quo nominabatur; filii unius patris, cum multiplicabantur, ſimiliter conſtituebant domos, familias, & gentes, & ſic porro: hi qui filii Joktanis fuerunt, ſimiliter; ſicut conſtare poteſt a filiis Jacobi, qui poſtea, cum multiplicati, conſtituebant Tribus, quarum unaquævis agnoſcebat pro Patre, a quo nominabatur, unum ex filiis Jacobi, ſed uſque omnes ſimul ſumpti ex Jacobo, & vocati Jacob; ita hæ gentes ex Ebero, & vocati ſunt Hebræi.

1247. Quod per illas ſignificentur totidem ritualia, conſtat ex eo, quod Nomina in Verbo nuſquam aliud ſignificent ac res, nam Verbum in ſenſu interno non ſpectat aliud quam Dominum, Ipſius Regnum in cœlis & in terris, proinde Eccleſiam & quæ ſunt Eccleſiæ, ita hæc Nomina: & quia filius Eberi Joktan, ſignificat cultum externum novæ hujus Eccleſiæ, ut prius dictum, ita filii ejus non aliud ſignificare poſſunt quam quæ ſunt cultus externi, quæ ſunt ritualia, & quidem totidem eorum genera; ſed quænam genera ritualilium, non dici poteſt, quia ſe habent reſpective ad ipſum cultum, qui antequam notus, de ritualibus ejus nihil dici poteſt, nec illa ſcire alicui uſui foret; in Verbo nec occurrunt præter Scheba, Ophir & Chavillah, ſed non ſunt ex hac proſapia, nam Scheba & Chavillah, de quibus in Verbo, fuerunt ex illis qui vocantur filii Chami, ut conſtat a verſ: 7 hujus Capitis; ita ſe habet cum Ophir.

1248. Verſ: 30. *Et fuit habitatio eorum a Meſcha, veniendo ad Sephar, montem orientis.* Per hæc ſignificatur extenſio cultus & quidem a veris fidei ad bonum charitatis; per Meſcha ſignificatur verum; per Sephar bonum; per montem orientis, charitas.

1249. Quod per hæc ſignificetur extenſio cultus, & quidem a veris fidei ad bonum charitatis, & quod per Meſcha ſignificetur verum, per Sephar bonum, non quidem confirmari poteſt a Verbo, quia non mentio fit Meſchæ & Sepharis apud Prophetas, ſed uſque conſtare poteſt inde, quod clauſula præcedentium ſit, ex eo imprimis, quod mons orientis ſit ultimum quo antecedentia ſpectant, & per montem orientis ſignificetur in Verbo charitas a Domino, ut a ſequentibus conſtare poteſt; tum ex eo, quod omnia, quæ ſunt Eccleſiæ, ſpectent charitatem ut ſuum ultimum & finem; inde ſequitur, quod Meſcha ſignificet Verum ſeu terminum a quo, & Sephar bonum, & ſic charitatem, quæ eſt mons orientis, ſeu terminus ad quem.

1250. Quod per montem orientis ſignificetur charitas, & quidem charitas a Domino, conſtat a ſignificatione Montis in Verbo, quod ſit amor in Dominum,

num, & charitas erga proximum, quod oſtenſum prius n: 795: & quod oriens ſignificet Dominum, & inde cœleſtia, quæ ſunt amoris & charitatis, videatur etiam prius, n: 101, tum ab his ſequentibus locis; apud Ezechielem, "Suſtulerunt Cherubi alas ſuas, aſcendit gloria Jehovæ deſuper medio civi-" tatis, & ſtetit ſuper *Monte*, qui ab *Oriente* civitatis," XI: 22, 23. ubi per montem, qui ab oriente, nihil aliud ſignificatur quam cœleſte, quod eſt amoris & charitatis, quæ eſt Domini, nam dicitur quod gloria Jehovæ ibi ſteterit. Apud Eundem, "Duxit me ad portam, portam quæ ſpectat viam *Orientis*, " & ecce gloria Dei Iſraelis venit a via *Orientis*," XLIII: 1, 2, ubi per oriente " ſimile ſignificatur. Apud Eundem, "Et reduxit me via portæ " ſanctuarii exterioris ſpectantis *Orientem*, & illa clauſa, & dixit ad me Je-" hovah, porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non intrabit per illam, " ſed Jehovah Deus Iſraelis intrabit per illam," XLIV: 1, 2, ſimiliter Oriens pro cœleſti, quod eſt amoris, qui eſt ſolius Domini. Apud Eundem, "Cum " faciet princeps ſpontaneum, holocauſtum, & pacifica, ſpontaneum Jehovæ, " & aperiet Illi portam ſpectantem verſus *Orientem*, & faciet holocauſtum " ſuum & pacifica ſua, ſicut faciet in die ſabbathi," XLVI: 12. ſimiliter pro cœleſti, quod eſt amoris in Dominum. Apud Eundem, "Reduxit me ad " oſtium domus, & ecce aquæ exeuntes de ſub limine domus verſus *Orientem*, " quia facies domus *Oriens*," XLVII: 1, 8, ibi de nova Hieroſolyma, Oriens pro Domino, ita pro cœleſti quod eſt amoris, aquæ ſunt ſpiritualia. Simile ſignificat hic mons orientis; præterea qui habitabant in Syria, dicti ſunt filii orientis, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

1251. Verſ: 31. *Hi filii Schemi, ſecundum familias illorum, ſecundum linguas illorum, in terris illorum, ſecundum gentes illorum.* Hi filii Schemi ſignificant derivationes ex cultu interno, qui eſt Schem: ſecundum familias illorum, ſecundum linguas illorum, in terris illorum, in gentibus illorum, ſignificant ſecundum cujuſvis genium in particulari & communi; ſecundum familias, eſt ſecundum differentias quoad charitatem; ſecundum linguas eſt ſecundum differentias quoad fidem; in terris illorum eſt in communi reſpective ad illa quæ ſunt fidei; in gentibus, eſt in communi reſpective ad illa quæ ſunt charitatis.

1252. Quod hæc ſignificentur, non opus eſt ulterius confirmare, ſunt enim eadem verba, quæ ſupra verſ: 20, ubi videantur quæ dicta; ſe habent ſignificationes, ut hic familiarum, linguarum, terrarum, & gentium, reſpective ad illa de quibus prædicantur; ibi de Chamo, ſeu de cultu corrupto interno, hic vero de Schemo, ſeu de cultu vero interno; quare familiæ & gentes ibi ſpectabant mores, ac linguæ & terræ opiniones, quæ ſunt Eccleſiæ corruptæ internæ; hic vero familiæ & gentes ſpectant charitatem, ac linguæ & terræ fidem, quæ ſunt Eccleſiæ veræ internæ: de ſignificatione gentium & familiarum videatur in ſequentibus hujus Capitis.

1253. Verſ: 32. *Hæ familiæ filiorum Noachi, ſecundum nativitates eorum, in gentibus eorum.* Hæ familiæ filiorum Noachi ſignificant cultus Eccleſiæ Antiquæ in particulari: ſecundum nativitates eorum, ſignificant ſicut reformari potuerint: in gentibus eorum ſignificant cultus Eccleſiæ in communi.

1254. Hæ familiæ filiorum Noachi, quod ſignificent cultus Eccleſiæ Antiquæ in particulari, conſtat a ſignificatione familiæ, & familiæ filiorum, quod ſint cultus, & quidem quod ſpecies cultuum: in præcedentibus hujus Capitis gentes nominatæ nihil aliud ſignificarunt quam varios Eccleſiæ Antiquæ cultus, quare familiæ, ex quibus gentes conſtabant, nec poſſunt aliud ſignificare; in ſenſu interno nuſquam intelligi queunt aliæ familiæ, quam ſpiritualium & cœleſtium.

1255. Secundum nativitates eorum, quod ſignificent ſicut reformari potuerint, conſtat a ſignificatione nativitatis, quod ſit reformatio; cum homo renaſcitur ſeu regeneratur a Domino, tunc omnia & ſingula quæ e novo accipit, ſunt nativitates; ita hic, nativitates, quia de Antiqua Eccleſia agitur, ſignificant ſicut reformari potuerint: quod reformationes gentium attinet, non omnes ſimili cultu fuerunt, nec ſimili doctrina, ex cauſa quia non omnes ſimili genio fuerant, & quia non omnes ſimiliter educati & ſimiliter ab infantia inſtructi; principia quæ homo ab infantia capit, Dominus nuſquam frangit ſed flectit, ſi quæ ſunt in quibus ſanctitatem poſuit, & talia ſunt, quæ non contra ordinem Divinum & naturalem, ſed in ſe adiaphora, illa Dominus relinquit, & patitur ut in iis maneat; ſicut plura in Antiqua Eccleſia Altera, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

1256. In gentibus eorum, quod ſignificent cultus Eccleſiæ in communi, conſtat ab illis quæ prius de gentibus dicta, & ab illis quæ ſequuntur.

1257. *Et ab illis diſperſæ ſunt gentes in terra poſt diluvium.* Ab illis diſperſæ ſunt gentes in terra, ſignificant quod inde omnes cultus Eccleſiæ quoad bona & mala, quæ ſignificantur per gentes; terra eſt Eccleſia: poſt diluvium, ſignificat ab initio Antiquæ Eccleſiæ.

1258. Quod ab illis diſperſæ ſint gentes in terra, ſignificent quod inde omnes cultus Eccleſiæ quoad bona aut mala; quod hæc ſignificentur per gentes, conſtat a ſignificatione gentium: per gentem intellectæ ſunt, ut prius dictum, plures familiæ ſimul; plures familiæ, quæ unum agnoſcebant patrem, faciebant unam gentem in Antiquiſſima & Antiqua Eccleſia; ſed quod in interno ſenſu Gentes ſignificent cultus Eccleſiæ, & quidem quoad bona aut mala in cultu, ita ſe res habet; cum familiæ & gentes ſpectantur ab Angelis, nuſquam habent ideam gentis, ſed modo ideam cultus apud eam, ſpectant enim omnes ex ipſa qualitate, ſeu ex eorum quali, qualitas ſeu quale hominis, ex quo ſpectatur in cœlo, eſt charitas & fides: hoc manifeſte capi poteſt ab unoquovis, ſi attendat, cum aliquem hominem, aut aliquam familiam, aut aliquam gentem ſpectat, utplurimum cogitat quales ſunt, quiſque ab eo, quod apud eum tunc regnat, idea qualitatis eorum illico obvenit, & exinde apud ſe conſiderat eos; magis adhuc Dominus, & ab Ipſo angeli, non ſpectare poſſunt hominem, familiam, & gentem, quam a quali eorum quoad charitatem & fidem, inde in ſenſu interno per gentes nihil aliud ſignificatur quam cultus Eccleſiæ, & quidem quoad ejus quale, quod eſt bonum charitatis & verum fidei inde; quando vox gentium in Verbo occurrit, Angeli nuſquam manent in idea gentis,

ſecundum ſenſum literæ hiſtoricum, ſed in idea boni & veri apud gentem, quæ nominatur.

1259. Porro quod Gentes ſignificent bona & mala in cultu, ita ſe habet; Antiquiſſimis temporibus habitarunt diſtincti in gentes, familias, & domos, ut prius dictum, ex cauſa, ut Eccleſia in terris repræſentaret Regnum Domini, ubi omnes diſtincti ſunt in ſocietates, & ſocietates in majores, & hæ iterum in majores, & quidem ſecundum differentias amoris & fidei, in genere & in ſpecie, de quibus videatur n.: 684, 685, ita ſimiliter quaſi in domos, familias & gentes; inde domus, familiæ & gentes in Verbo ſignificant bona amoris & inde fidei, ubi accurate diſtinguitur inter gentes & populum, per Gentem ſignificatur bonum aut malum, at per Populum verum aut falſum, & hoc ita conſtanter, ut nuſquam aliter, ſicut conſtare poteſt a ſequentibus locis; ut apud Eſaiam, "Erit in die illo, Radix Iſchaii, quæ ſtans in ſignum *Populorum*, ad "illam *Gentes* quærent, & erit quies illius gloria. In die illo addet Dominus "ſecundo manum ſuam, ad acquirendum reliquias *Populi* ſui, qui relictus ab "Aſchure, & ab Ægypto, & a Pathros, & a Kuſch, & ab Elam, & a "Schinear, & a Chamath, & ab inſulis maris: & tollet ſignum *Gentibus*, "& colliget expulſos Iſraelis, & diſperſa Jehudæ congregabit," XI: 11, 12. ubi populi pro veris Eccleſiæ, & gentes pro bonis, inter quos manifeſte diſtinguitur; agitur ibi de Regno Domini, & de Eccleſia, tum in univerſali de unoquoque homine regenerato; per nomina ſignificantur illa, de quibus prius; tum per Iſraelem Eccleſiæ ſpiritualia, per Jehudam ejuſdem cœleſtia: apud Eundem, "*Populus* hic ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam, "multiplicaſti *Gentem*, illi magnificaſti lætitiam," IX: 2, 3. ubi populus pro veris, quare de eo prædicatur ambulare in tenebris, & videre lucem; gens pro bonis: apud Eundem, "Quid reſpondebitur nuntiis *Gentis*, quod Jehovah fundavit Sionem, & in illa confident miſeri *Populi* ipſius," XIV: 32. ſimiliter gens pro bono, populus pro vero: apud Eundem, "Jehovah Zebaoth abſorbebit in monte hoc facies obvolutionis, obvolutionis ſuper "omnibus *Populis*, & velamen obtectum ſuper omnibus *Gentibus*," XXV: 7. ubi de Eccleſia nova ſeu gentium, populus pro veris ejus, gentes pro bonis: apud Eundem, "Aperite portas, ut ingrediatur *Gens* juſta cuſtodiens fideli-"tates," XXVI: 2. ubi gens manifeſte pro bonis: apud Eundem, "Omnes "*Gentes* congregabuntur una, & colligentur *Populi*," XLIII: 9. etiam de Eccleſia gentium; gentes pro bonis ejus, & populus pro veris, quæ quia diſtincta ſunt inter ſe, de utriſque agitur, aliter foret repetitio inanis: apud Eundem, "Dixit Dominus Jehovih, ecce tollam ad *Gentes* manum meam, "& ad *Populos* exaltabo ſignum meum, & adferent filios tuos in ſinu, & "filias tuas ſuper humero apportabunt," XLIX: 22. ibi de Regno Domini; ſimiliter gentes pro bonis, & populi pro veris: apud Eundem, "Ad dex-"tram & ſiniſtram erumpes, & ſemen tuum *Gentes* hæreditabit, & urbes "deſolatas habitabunt," LIV. 3. de Regno Domini, & Eccleſia quæ gentium appellatur; quod gentes pro bonis charitatis, ſeu, quod idem eſt, pro illis a-

pud

pud quos bona charitatis, conſtat inde, quod ſemen ſeu fides hæreditabit eos, urbes pro veris: apud Eundem, "En teſtem *Populis* dedi Ipſum, Principem "& Legiſlatorem *Populis*; en *Gentem*, non noviſti, vocabis, & *Gens*, non "noverat Te, ad Te current," LV: 4, 5. ibi de Regno Domini, populi pro veris, gentes pro bonis; in Eccleſia, bono charitatis præditi ſunt gentes, qui veris fidei ſunt populi, nam bona & vera prædicantur ex ſubjectis, apud quæ ſunt: apud Eundem, "Ambulabunt *Gentes* ad lucem tuam, & reges ad "ſplendorem ortus tui, tunc videbis & afflues, & ſtupebit, & dilatabit ſe "cor tuum, quod convertetur ad Te multitudo maris, exercitus *Gentium* ve-"nient Tibi," LX: 3, 5. de Regno Domini, & Eccleſia gentium, ubi gentes pro bonis, reges, qui ſunt populorum, pro veris: apud Zephaniam, "Reli-"quiæ *Populi* mei deprædabuntur eos, & reſidui *Gentis* meæ hæreditabunt "eos," II: 9. apud Sachariam, "Venient *Populi* multi, & *Gentes* nume-"roſæ, ad quærendum Jehovam exercituum in Hieroſolyma," VIII: 22. Hieroſolyma pro Regno Domini, & pro Eccleſia, populi pro illis qui in veris fidei, gentes pro illis qui in bono chritatis, quare diſtincte nominantur: apud Davidem, "Liberabis me a contentionibus *Populi*, pones me in caput *Gen-*"*tium*; *Populus* non noveram, ſervient mihi," Pſalm: XVIII: 44. ſimiliter populus pro illis qui in veris, gentes pro illis qui in bono, quæ quia conſtituunt hominem Eccleſiæ, utrumque dicitur: apud Eundem, "Confitebun-"tur Te *Populi*, Deus; confitebuntur Te *Populi* omnes illi, lætabuntur & "ovabunt *Gentes*, quia judicabis *Populos* rectitudine, & *Gentes* in terram "duces," Pſalm: LXVII: 4, 5. manifeſte populi pro illis qui in veris fidei, & gentes pro illis qui in bono charitatis: apud Moſen, "Memento dierum "æternitatis; intelligite annos generationis & generationis, interroga patrem "tuum, & indicabit tibi, ſeniores tuos & dicent tibi, cum hæreditatem de-"dit Altiſſimus *Gentibus*, & ſeparavit filios hominis, conſtituit terminos "*Populorum*, ad numerum filiorum Iſraelis," Deut: XXXII: 7, 8. ubi de Antiquiſſima Eccleſia, & de Antiquis Eccleſiis, quæ ſunt dies æternitatis & anni generationis & generationis, ubi gentes dicebantur illi qui in bono charitatis quibus dabatur hæreditas, & filii hominis, & dein populi, qui in veris fidei inde. Quia per gentes ſignificantur bona Eccleſiæ, & per populos vera, ideo de Eſauo & Jacobo dictum, cum in utero adhuc eſſent, "Duæ "*Gentes* in utero tuo, & duo *Populi* ex viſceribus tuis ſeparabuntur," Gen: XXV: 23. Ex his nunc conſtare poteſt, quid Eccleſia Gentium in genuino ſuo ſenſu: Eccleſia Antiquiſſima fuit vera Eccleſia Gentium, dein Eccleſia Antiqua. Quia Gentes dicuntur illi, qui in charitate, populi qui in fide, Sacerdotium Domini prædicatur de gentibus quia de cœleſtibus quæ ſunt bona, Regium Ipſius de populis, quia de ſpiritualibus quæ ſunt vera: quod etiam repræſentatum fuit in Eccleſia Judaica, ibi Gens fuerunt antequam reges habebant, ſed poſtquam reges acceperunt, facti ſunt populus.

1160. Quia Gentes in Antiquiſſima, & in Antiqua Eccleſia, ſignificabant bona ſeu bonos, ideo quoque in ſenſu oppoſito ſignificant mala ſeu ma-

los; ſimiliter Populi, quia ſignificabant vera, ideo quoque in ſenſu oppoſito ſignificant falſa; in Eccleſia enim depravata bonum vertitur in malum, & verum in falſum, inde gentium & populorum ſignificatio in hoc ſenſu multoties in Verbo, ut apud Eſaiam Cap: XIII: 4. Cap: XIV: 6. Cap: XVIII: 2, 10. Cap: XXX: 28. Cap: XXXIV: 1, 2. Ezech: XX: 32 & pluries alibi.

1261. Sicut Gentes ſignificarunt bona, ita etiam familiæ, quia unaquævis gens ex familiis conſtabat; ſimiliter domus, quia unaquævis familia erat ex pluribus domibus, de domo videatur n: 710; ſed familiæ ſignificant bona cum prædicantur de gentibus, at vera cum prædicantur de populis, ſicut apud Davidem, "Incurvabunt ſe coram Te omnes *Familiæ Gentium*, quia Jehovæ Regnum, & dominans in *gentes*," Pſalm: XXII: 28. 29. & apud Eundem, "Date Jehovæ, *Familiæ Populorum*, date Jehovæ gloriam & robur," Pſalm: XCVI: 7. In hoc & præcedente Verſu hujus Capitis, prædicantur familiæ de bonis, quia familiæ erant gentium.

1262. Exinde nunc conſtare poteſt, quod per terram hic quoque ſignificetur Eccleſia; cum enim terra nominatur, non aliud percipitur quam gens ſeu populus ibi, & cum gens aut populus, non aliud quam eorum quale, inde per terram non aliud ſignificatur quam Eccleſia, ut oſtenſum prius n: 662, 1066.

1263. Quod poſt diluvium, ſignificet ab initio Antiquæ Eccleſiæ, conſtat ex eo, quod Diluvium fuit finis Antiquiſſimæ Eccleſiæ, & principium Antiquæ, ut oſtenſum prius n: 705, 739, 790.

1264. Ex his nunc conſtare poteſt, quod tametſi mera Nomina gentium & familiarum in hoc Capite occurrunt, quod uſque contineat in genere non ſolum omnes differentias cultus quoad bona charitatis & vera fidei, quæ in Antiqua Eccleſia fuerunt, ſed etiam quæ in unaquavis Eccleſia; imo plura quam uſquam homo credere poſſit; tale eſt Verbum Domini.

De Antediluvianis, qui perierunt.

1265. *SUpra caput ad aliquam altitudinem fuerunt plures qui influebant in cogitationes meas, & eas quaſi vinctas tenebant, ut eſſem admodum in obſcuro; ſatis valide incumbebant; ſpiritus circum me, ſimiliter quaſi vincti ab iis tenebantur, ſic ut parum cogitare poſſent, niſi quod ab iis influebat, & hoc uſque ad indignationem; dictum quod ii eſſent, qui ante diluvium vixerunt, ſed non ab iis qui Nephilim dicti & perierunt, nam illis non tam forte perſuaſivum.*

1266. *Antediluviani, qui perierunt, ſunt in Inferno quodam ſub calcaneo pedis ſiniſtri; eſt quædam petra nimboſa qua operti, quæ ex diris eorum*

phantaſiis

phantaſiis & perſuaſionibus erumpit, qua ſeparantur a reliquis infernis, & diſtinentur a mundo ſpirituum: eſt iis continuus niſus exſurgendi, ſed ultra conatum non procedere poſſunt; ſunt enim tales, ut ſi venirent in mundum ſpirituum, diris ſuis phantaſiis, & perſuaſionum halitibus & venenis, omnibus ſpiritibus, quos offenderent, præter bonos, adimerent facultatem cogitandi; & niſi Dominus per adventum Ipſius in carnem, liberaviſſet mundum ſpirituum, a nefanda illa turba, periiſſet genus humanum, nullus enim ſpiritus apud hominem potuiſſet eſſe, & uſque homo ne momentum temporis vivere poteſt, niſi ſpiritus & angeli apud eum ſint.

1267. *Qui eorum obſtinate tentant ab inferno iſto emergere, crudeliter a ſociis eorum tractantur; nam eſt iis odium internecinum contra omnes, etiam contra ſocios; ſumma eorum jucunditas in eo conſiſtit, ut unus alterum ſibi ſubjectum habeat, & quaſi trucidet: quique obnixius perſtant eniti, ii adhuc profundius demittuntur ſub petra nimboſa; nam eſt veſanus inſitus ardor perdendi omnes, qui inducit eos; inde conatus emergendi: quos enim offendunt, panno involvunt, ut captivos abducunt, & projiciunt in quoddam, ut iis apparet, mare, aut aliter ſæve tractant.*

1268. *Perductus ſum, & cuſtoditus, verſus petram iſtam nimboſam (perduci ad tales, non eſt e loco in locum, ſed fit per ſocietates ſpirituum & angelorum intermedias, manente homine in eodem loco, ſed uſque apparet ſicut demiſſio); cum prope petram iſtam eram, obviam factum eſt frigus, quod inferiorem tergi regionem occupabat; inde loquutus ſum cum iis de perſuaſionibus eorum, & quid in vita corporis crediderint de Domino, reſpondebant, quod cogitaverint multum de Deo, ſed quod ſibi perſuaſerint, non dari aliquem deum, ſed homines eſſe deos; ſic ſe fuiſſe deos; quodque in his ſe confirmaverint ex ſomniis: de phantaſiis eorum contra Dominum, dicetur infra.*

1269. *Ut adhuc melius ſcirem, quales eſſent, permiſſum fuit a Domino, ut quidam eorum aſcenderent in mundum ſpirituum; quod antequam factum, viſus eſt puer pulcher veſtitus veſte candida, dein in quadam janua aperta alius puer veſte viridi, mox quoque binæ ancillæ in albo quoad caput; ſed quid illa ſignificarent, non mihi detectum.*

1270. *Mox quidam ex inferno iſto emiſſi ſunt, ſed diſpoſuit Dominus per ſpiritus & angelos intermedios, ut mihi nihil nocere poſſent; e profundo iſto veniebant antrorſum, & moliri ſibi viam videbantur verſus anteriora per quaſi rupis cavernas, & ſic ſurſum; apparebant tandem ad ſiniſtrum ſuperne, ut inde, ſic e longinquo, in me influerent: dicebatur mihi, quod liceret eis influere in dextram partem capitis, non autem in ſiniſtram, & a*

dextra

dextra parte capitis in ſiniſtrum latus thoracis, nequaquam in ſiniſtrum capitis, nam ſi hoc fieret, quod deperditus eſſem, tunc enim cum perſuaſionibus ſuis, quæ diræ & lethales, influerent, at cum in dextrum capitis & inde in ſiniſtrum pectoris, quod eſſet per cupiditates; ita ſe res habet cum influxu. Perſuaſiones eorum tales ſunt, ut exſtinguant omne verum & bonum, ſic ut non poſſint ii, in quos influunt, percipere quicquam, & dein nec cogitare; quare etiam ſpiritus removebantur: cum inciperent influere, lapſus ſum in ſomnum, influebant tunc cum dormirem per cupiditates, & quidem tam graviter, ut in vigilia iis non reſiſtere potuiſſem, in ſomno ſentiebam gravitatem, quam deſcribere non poſſum, ſolum, quod reminiſcebar dein, quod aggreſſi ſint me necare per afflatum ſuffocativum, qui fuit ſicut ſævus incubus, ſed tunc expergefactus animadvertebam quod prope me eſſent, at cum apperciperent me vigilem, aufugiebant ad locum ſuum ſuperius, & inde influebant. Cum ibi eſſent, viſi mihi quaſi involverentur panno, tali de quo n: 964, *putabam quod ii eſſent, ſed erant alii quos ii involvebant, quod fit per phantaſias, ſed uſque ſpiritus, contra quos ita phantaſiis operantur, non aliter ſciunt quam ut involvantur; hos, quos ſic involvebant, per petræ cujuſdam declivitatem devolvere viſum, ſed qui involuti erant, eximebantur & liberabantur, erant ſpiritus qui non recedere volebant, ita a Domino conſervati, alioquin ſuffocati fuiſſent, tametſi revixiſſent, ſed poſt cruciatum. Receſſerunt tunc per declivitatem petræ; inde auditus eſt ſonus terebroſus, ſicut multæ terebræ magnæ forent, & perceptum, quod eſſent crudeliſſimæ eorum phantaſiæ contra Dominum, ex quibus talis ſonus: poſtea dejecti per cavernas tenebroſas ſub nimboſa petra in infernum ſuum. Cum erant in mundo ſpirituum, mutabatur ibi conſtitutio ſphæræ.*

1271. *Erant poſtea ſpiritus quidam doloſi, qui volebant ut emergerent, eiſque infundebant ut dicerent, ſe nihil eſſe, ut ſic poſſent ſubire, auditum tunc tumultuoſum in inferno iſto, ſicut turbulentum magnum volumen, quod erat emotio eorum quod cuperent eniti, quare etiam permiſſum erat iterum ut aliqui exſurgerent, & viſi in loco eodem, ubi priores; tentabant inde infundere mihi perſvaſivum lethale, adjuti a geniis doloſis, ſed incaſſum, quia tutatus a Domino, percepi uſque manifeſte, quod perſvaſivum eorum eſſet ſuffocativum: putabant ſe omnia poſſe, & unicuique vitam poſſe adimere; ſed quia putabant ſe omnia poſſe, erat modo infans qui eos detrudebat, ex cujus præſentia ita titubabant ut clamarent, quod angerentur, & quidem ita valde, ut ad ſupplicationes confugerent: doloſi quoque puniti ſunt, primum ab iis fere ſuffocati, & poſtea conglutinati, ut deſiſterent a talibus, ſed dein liberati.*

1272.

1272. *Oſtenſum mihi poſtea, quomodo mulieres eorum amictæ fuerint; circum caput habuerunt pileum rotundum nigrum protenſum, quaſi turritum antrorſum, facie fuerunt parva; viri autem hirſuti & piloſi. Oſtenſum quoque quantum gloriati ſunt de multitudine infantum, quod, ubicunque vaderent, haberent ſecum ſuos liberos qui præibant in linea inflexa; ſed iis dictum, quod amor infantum quoque ſit apud omnia bruta, etiam peſſima, & quod hoc non argumentum ſit, quod aliquid bonum apud eos; at ſi liberos amaviſſent non ſui amoris & gloriæ cauſa, ſed ut ſocietas humana ob commune bonum augeretur, & magis ut cælum inde multiplicaretur, ita propter Regnum Domini, quod tunc fuiſſet amor erga infantes genuinus.*

GENESEOS,

CAPUT UNDECIMUM.

De Situ Maximi Hominis: tum de Loco & Diſtantia, in altera vita.

1273. *ANimæ recentes e mundo, cum dimittendæ e conſortio Angelorum ſpiritualium, ut veniant inter Spiritus, & tandem in Societatem, in qua fuerunt cum vixerunt in corpore, ab Angelis circumferuntur ad plures manſiones, quæ ſunt ſeparatæ ſocietates, uſque conjunctæ cum aliis, & paſſim recipiuntur, paſſim inde ad alias; & hoc per aliquod tempus, uſque dum ad ſocietatem veniunt, in qua fuerunt, cum vixerunt in corpore, & ibi manent; inde novum exordium vitæ eorum: ſi ſimulator, hypocrita, aut doloſus, qui induere ſtatum fallacem, & genium quaſi angelicum poteſt, a bonis ſpiritibus quandoque recipitur, ſed poſt paucum tempus diſſociatur, & tunc abſque angelis circumvagatur, petitque ut recipiatur, ſed rejicitur, & quandoque punitur; & tandem defertur inter infernales. Qui e Vaſtatione auferuntur inter Angelos, etiam variant ſocietates, & cum inde tranſeunt ad alias, cum civilitate & charitate dimittuntur, & hoc uſque dum veniunt in ſocietatem angelicam quæ concordat cum eorum charitatis, pietatis, probitatis, aut ſinceræ civilitatis, genio. Perductus etiam fui ſimiliter per manſiones, & mecum loquuti, ex cauſa ut ſcirem quomodo ſe habet; reflectere tunc dabatur ſuper mutationes loci, quod ſolum apparentes eſſent, & quod non eſſent niſi mutationes ſtatus, corpore manente in eodem loco.*

1274. *Inter mirabilia in altera vita ſunt;* PRIMUM, *quod Spirituum & Angelorum ſocietates appareant inter ſe diſtinctæ quoad Situs, tametſi loca & diſtantiæ in altera vita nihil aliud ſint quam ſtatus varietates.* ALTERUM *eſt, quod Situs & Diſtantiæ ſe habeant reſpective ad corpus humanum, ita, ut qui ad dextram, appareant ad dextram, quocunque circumvertitur corpus, ſimiliter qui ad ſiniſtram, tum qui ad alias plagas.* TERTIUM *eſt, quod omnes Spiritus & Angeli non ad majorem diſtantiam abſint, quam ut conſpici queant; ſed uſque tamen non plures in conſpectum veniunt, quam quot Dominus concedit.*

QUAR-

QUARTUM, *quod ſpiritus, de quibus alii cogitant, ut qui iis aliquo modo noti fuerunt in vita corporis, quando Dominus id concedit, momento adſint, ac ita proxime, ut ſint ad aurem, ad contactum, vel ad aliquam diſtantiam, non obſtante, quod fuiſſent abinde aliquot millia milliarium, imo ſi fuiſſent circa aſtra, cauſa eſt, quia diſtantia loci in altera vita nihil facit.* QUINTUM *eſt, quod apud Angelos nulla idea temporis ſit. Hæc in mundo ſpirituum, adhuc perfectius in cælo; quid non coram Domino, Cui omnes & ſinguli non poſſunt non præſentiſſimi eſſe, & ſub Ipſius conſpectu & Providentia. Hæc apparent incredibilia, ſed uſque ſunt vera.*

1275. *Fui in ſocietate, ubi tranquillitas, ſeu quorum ſtatus tranquillus accedens quodammodo ad ſtatum pacis, ſed non erat pacis: ibi loquutus de ſtatu Infantum, tum etiam de Loco, quod mutatio loci & diſtantiæ ſit modo apparentia, ſecundum cujuſvis ſtatum & ejus mutationem: cum illuc tranſlatus eſſem, apparebant ſpiritus circum me removeri, & videri infra me, uſque datum eos audire loquentes.*

1276. *Quod Situm attinet, in quo ſunt Spiritus in mundo ſpirituum, & Angeli in cælo, ita ſe habet, quod ad dextram Domini ſint angeli, ad ſiniſtram ſpiritus mali, antrorſum ſunt qui mediæ ſortis, a tergo ſunt maligni, ſupra caput ſunt qui elato animo & alta ſpirant, ſub pedibus ſunt inferna, quæ illis, qui in alto, correſpondent; ſic omnes in ſuo ſitu reſpective ad Dominum, ad omnes plagas & altitudines, in plano horizontali, inque verticali, & ad omnem obliquitatem; ſitus illorum eſt conſtans, nec in æternum variatur: Cœli ibi conſtituunt quaſi unum hominem, qui ideo appellatur Maximus Homo, cui quoque correſpondent omnia quæ ſunt apud hominem, de qua correſpondentia, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: inde eſt, quod circum unumquemvis angelum, ſimilis ſitus omnium ſit, & apud unumquemvis hominem cui aperitur a Domino cælum; præſentia Domini hoc ſecum habet; quod non ita foret, niſi Dominus in cælo omnipræſens eſſet.*

1277. *Similiter ſe habet cum Hominibus, quoad eorum animas, quæ jugiter vinctæ ſunt alicui ſocietati ſpirituum & angelorum; ii quoque ſitum habent in Regno Domini ſecundum indolem eorum vitæ & ſecundum ſtatus; nec quicquam facit, quod in tellure diſtent, etiamſi foret per plura millia miliarium, uſque ſimul poſſunt eſſe in una ſocietate; qui in charitate vivunt, in una ſocietate angelica; qui in odiis & talibus, in una ſocietate infernali: ſimiliter nec quicquam facit, quod in uno loco ſimul ſint plures in tellure, uſque ſunt omnes diſtincti ſecundum indoles vitæ eorum & ſtatus, & quiſque poteſt in alia ſocietate eſſe: Homines, qui diſtant*

aliquot centum aut mille miliaribus, cum apparent coram ſenſu interno, tam prope ſunt, ut quidam eorum contingant, ſecundum ſitum: ita ſi plures forent, quibus viſus internus apertus, in tellure, potuiſſent ſimul eſſe, & mutuo colloqui, etiamſi unus foret in India, & alter in Europa; quod quoque oſtenſum; ita omnes & ſinguli in tellure homines ſunt Domino præſentiſſimi, & ſub Ipſius conſpectu & Providentia.

1278. *De ſitu, loco, diſtantia, & tempore, in altera vita, videatur ad finem hujus Capitis continuatio.*

CAPUT XI.

1. ET fuit tota terra labium unum, & verba una.
2. Et fuit, cum proficiſcerentur ii ab oriente, & invenerunt vallem in terra Schinear, & habitaverunt ibi.

3. Et dixerunt vir ad ſocium ſuum, age, laterificemus lateres, & aduramus in aduſtum: & fuit iis later pro lapide, & bitumen fuit iis pro luto.

4. Et dixerunt, age ædificemus nobis urbem & turrim, & caput ejus in cœlo; & faciamus nobis nomen, ne forte diſpergamur ſuper facies totius terræ.

5. Et deſcendit Jehovah ad videndum urbem & turrim, quam ædificabant filii hominis.

6. Et dixit Jehovah, en populus unus, & labium unum omnibus illis, & hoc inceptum eorum ad faciendum; & nunc non prohiberetur ab iis omne quod cogitarunt facere.

7. Age, deſcendamus, & confundamus ibi labium eorum, ut non audiant vir labium ſocii ſui.

8. Et diſperſit Jehovah eos inde ſuper facies totius terræ; & ceſſarunt ædificare urbem.

9. Propterea vocavit nomen ejus Babel, quia ibi confudit Jehovah labium totius terræ; & inde diſperſit eos Jehovah ſuper facies totius terræ.

10. Hæ nativitates Schemi; Schem filius centum annorum, & genuit Arphachſchad, duobus annis poſt diluvium.

11. Et vixit Schem, poſtquam genuit illum Arphachſchad quingentis annis; & genuit filios & filias.

12 Et,

12. Et Arphachſchad vixit quinque & triginta annis, & genuit Schelachum.

13. Et vixit Arphachſad, poſtquam genuit illum Schelachum, tribus annis & quadringentis annis ; & genuit filios & filias.

14. Et Schelach, vixit triginta annis, & genuit Eberum.

15. Et vixit Schelach, poſtquam genuit illum Eberum, tribus annis & quadringentis annis ; & genuit filios & filias.

16. Et vixit Eberus quatuor & triginta annis, & genuit Pelegum.

17. Et vixit Eberus, poſtquam genuit illum Pelegum, triginta annis & quadringentis annis, & genuit filios & filias.

18. Et vixit Peleg triginta annis, & genuit Reu.

19. Et vixit Peleg, poſtquam genuit illum Reu, novem annis & ducentis annis ; & genuit filios & filias.

20. Et vixit Reu duobus & triginta annis, & genuit Serugum.

21. Et vixit Reu, poſtquam genuit illum Serugum, ſeptem annis & ducentis annis ; & genuit filios & filias.

22. Et vixit Serug triginta annis, & genuit Nachorem.

23. Et vixit Serug, poſtquam genuit illum Nachorem, ducentis annis ; & genuit filios & filias.

24. Et vixit Nachor, novem & viginti annis, & genuit Therachum.

25. Et vixit Nachor, poſtquam genuit illum Therachum, novendecim annis & centum annis ; & genuit filios & filias.

26. Et vixit Therach ſeptuaginta annis, & genuit Abramum, Nachorem & Haranem.

27. Et hæ nativitates Theraci : Therach genuit Abramum, Nachorem, & Haranem ; & Haran genuit Lothum.

28. Et mortuus eſt Haran ſuper facies Therachi, patris ſui, in terra nativitatis ſuæ, in Ur Chaldæorum.

29. Et accepit Abram & Nachor ſibi uxores ; nomen uxoris Abrami Sarai ; & nomen uxoris Nachoris Milkah, filia Haranis, patris Milkæ, & patris Iiſkæ.

30. Et fuit Sarai ſterilis, nulla ei proles.

31. Et accepit Therach Abramum, filium ſuum ; & Lothum filium Haranis, filium filii ſui ; & Sarai nurum ſuam, uxorem Abrami filii ſui ; & exiverunt cum illis ex Ur Chaldæorum, ad eundum in terram Canaan ; & venerunt uſque ad Charan, & manſerunt ibi.

32. Et fuerunt dies Therachi, quinque anni, & ducenti anni ; & mortuus eſt Therach in Charan.

CON-

CONTENTA.

1279. AGITUR de Eccleſia Antiqua Prima, quæ poſt diluvium, a verſ: 1 ad 9.

1280. De primo ejus ſtatu, quod omnibus una doctrina: verſ: 1. de altero, quod cæperit declinare, verſ: 2. de tertio, quod cæperint falſa cupiditatum regnare, verſ: 3. de quarto quod inciperint per cultum Divinum dominari, verſ: 4. quare ſtatus Eccleſiæ mutatus, verſ: 5, 6. ita ut nullis bonum fidei, verſ: 7, 8, 9.

1281. Agitur de Eccleſia Antiqua altera, quæ ab Ebero nominata; ejuſque derivatione & ſtatu, quæ deſiit tandem in idololatriam, verſ: 10 ad 26.

1282. Agitur de origine Eccleſiæ Antiquæ tertiæ, quæ ex idololatrica facta eſt repræſentativa, verſ: 27 ad 32.

SENSUS INTERNUS.

1283. AGITUR nunc de Eccleſia Antiqua in genere, & quod Cultus ejus internus, ſucceſſu temporis falſificatus & adulteratus ſit, inde quoque cultus externus, nam ſe habet cultus externus ſecundum internum; falſificatio & adulteratio cultus interni eſt hic Babel. Quod huc uſque, præter quæ de Ebero, hiſtorica non vera fuerint, ſed facta, videri poteſt etiam ex his de turri Babylonica, ut quod aggreſſi ædificare turrim, cujus caput in cœlo, quod labia confuſa ſint, ut non audiret unus labium alterius, quod Jehovah ſic confuderit; tum etiam ex eo, quod inde Babel, cum tamen in præcedente Capite verſ: 10. Babel dicitur ædificata a Nimrodo; inde quoque conſtat, quod Babel non ſignificet urbem, ſed quandam rem, & hic cultum, cujus interiora ſunt prophana, at externa apparent ſancta.

1284. Verſ: 1. *Et fuit tota terra labium unum, & verba una.* Fuit tota terra labium unum, ſignificat quod ubivis una doctrina in communi; labium eſt doctrina; terra eſt Eccleſia: & verba una, ſignificant quod una doctrina in particulari.

1285. Quod fuit tota terra labium unum, ſignificet quod ubivis una doctrina in communi, conſtat a ſignificatione Labii in Verbo, de qua in mox ſequentibus. In hoc verſu, & per pauca hæc verba, deſcribitur ſtatus Eccleſiæ Antiquæ, qualis fuerat, quod nempe una doctrina in genere; at in ſequente verſu

verſu deſcribtur, quomodo falſificari & adulterari cæptum; & dein uſque ad verſ: 9, quomodo prorſus perverſa facta ſit, ut non amplius cultus internus. Agitur mox dein de Altera Eccleſia Antiqua incepta ab Ebero; & tandem de Tertia, quæ fuit initium Eccleſiæ Judaicæ; nam poſt diluvium tres Eccleſiæ ſucceſſive fuerunt. Quod Primam Antiquam Eccleſiam attinet, quod in illa, tametſi ita late per orbem diffuſa, uſque fuerit unum labium & una verba, hoc eſt, una doctrina in communi & in particulari, cum tamen cultus tam interni quam externi ubivis diverſi, ſicut oſtenſum in Capite præcedente, ubi per unamquamvis gentem ibi nominatam ſignificatum eſt doctrinale & rituale diverſum, ita ſe res habet; in Cœlo ſunt ſocietates innumerabiles, & omnes variæ, ſed uſque unum, nam omnes ut unum ducuntur a Domino, de quo videantur quæ prius n: 457. 551. 684. 685. 690: & ſe habet ſicut homo, in quo tametſi tot viſcera, & tot viſcerula intra viſcera, organa & membra, quorum unum diverſimode agit ac alterum, uſque omnia & ſingula, ut unum, ab una Anima reguntur: aut ſicut corpus in quo virium & motuum activitates diverſæ, uſque omnes ab unico cordis, & unico pulmonis motu, reguntur, & unum faciunt: quod hæc ita unum agere poſſint, exinde eſt, quod in cœlo ſit unicus influxus, qui recipitur ab unoquovis ſecundum ejus genium, qui influxus eſt affectionum a Domino, Ipſius Miſericordia & Vita; & tametſi influxus unicus eſt, uſque omnia parent & ſequuntur ſicut unum; & hoc per amorem mutuum, in quo ſunt qui in cœlo: ita ſe habuit cum Eccleſia Antiqua Prima, tametſi tot Cultus fuerunt interni & externi, in genere quot gentes, in ſpecie quot gentium familiæ, & in particulari quot homines Eccleſiæ, uſque unum omnibus labium & una verba, hoc eſt, omnibus una doctrina in communi & particulari; una doctrina eſt, cum omnibus amor mutuus, ſeu charitas; amor mutuus & charitas facit, ut unum ſint, tametſi varia, nam ex variis unum facit; omnes, quotcunque ſunt, ſi vel myriadum myriades, ſi in charitate ſeu amore mutuo ſunt, unum finem habent, nempe commune bonum, Regnum Domini, & Ipſum Dominum, varietates doctrinalium & cultuum, ſunt ſicut varietates ſenſuum & viſcerum in homine, ut dictum, quæ contribuunt ad perfectionem totius; Dominus enim tunc per charitatem diverſimode ſecundum cujuſvis genium influit & operatur, & ſic diſponit omnes & ſingulos in ordinem, ita in terra ſicut in cælo, & fit tunc Domini voluntas, ut Dominus Ipſe docet, in terris ſicut in cœlis.

1286. Quod Labium ſit doctrina, conſtat ab his locis in Verbo; apud Eſajam, "Seraphim clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Jehovah Zebaoth; dixit "Propheta, væ mihi exciſus ſum, qui vir immundus *Labiis* ego, & in me-"dio populi immundi *Labiis* ego habitans, quia Regem Jehovam Zebaoth "viderunt oculi mei, & volavit ad me unus de Seraphim, tetigit os meum, "& dixit, ecce tetigit hic ſuper *Labia* tua, & recedit iniquitas tua, & pec-"catum tuum expiatur," VI: 3, 5, 6, 7. labia pro interioribus hominis, ita pro cultu interno, ex quo adoratio, quod hic repræſentatum apud prophetam; quod tacta ſint ejus labia, & ſic receſſerit iniquitas & expiatum

peccatum,

peccatum, quiſque videre poteſt, quod repræſentatio fuerit interiorum, quæ per labia ſignificantur, quæ ſunt illa quæ charitatis & ejus doctrinæ. Apud Eundem "Jehovah percutiet terram virga *oris* ſui, & ſpiritu *Labiorum* ſuo-"rum occidet impium," XI : 4. in ſenſu interno eſt, non quod Jehovah percutiat virga oris, & ſpiritu labiorum occidat impium, ſed quod impius ſic ſibi faciat; ſpiritus labiorum eſt doctrina, quæ apud impium falſa. Apud Eundem, "Creans proventum *Labiorum*, pacem, pacem longinquo & pro-"pinquo, & ſano illum," LVII : 19, proventus labiorum pro doctrina. Apud Ezechielem, "Fili hominis, abi, veni ad domum Iſraelis, & lo-"quaris *verba* mea ad eos, non ad populum *profundos Labio*, & graves "*lingua* tu miſſus, ad domum Iſraelis; non ad populos multos *profundos* "*Labio*, & graves *lingua*, quorum non audias *verba*, nonne ſi ad hos miſero "te, illi auſcultarent tibi, & domus Iſraelis non volunt auſcultare tibi, quia "non volunt auſcultare Mihi, nam tota domus Iſraelis obfirmati fronte, & "duri corde illi," III : 4, 5, 6, 7. profundi labio de gentibus, quæ tametſi in falſitate doctrinæ, uſque in charitate, de quibus ideo prædicatur auſcultare, at qui non in charitate, dicuntur obfirmati fronte & duri corde. Apud Zephaniam, "Convertar ad populum *Labio* perſpicuo, ut invocent "omnes ii Nomen Jehovæ, ad ſerviendum Ipſi humero uno," III : 9. labium perſpicuum manifeſte pro doctrina. Apud Malachiam, "Lex veritatis "fuit in ore Ipſius, & perverſitas non inventa in *Labiis* Ipſius : nam *Labia* "ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem quærent ex ore illius, quia An-"gelus Jehovæ Zebaoth ille," II : 6, 7. de Levi, per quem repræſentatur Dominus; labia pro doctrina ex charitate. Apud Davidem, "Qui dicunt, "lingua noſtra prævalebimus, *Labia* noſtra nobiſcum," Pſalm : XII : 5. labia pro falſis. Apud Eundem, "Sicut adipe & pinguedine ſaturabitur "anima mea, & *Labiis* canticorum laudabit os meum," Pſalm : LXIII : 6. Apud Eſaiam, "In die illo erunt quinque urbes in terra Ægypti, loquentes "*Labio* Canaanis, & jurantes Jehovæ Zebaoth," XIX : 18, Labium pro doctrina.

1287. Quod Terra ſignificet Eccleſiam, oſtenſum eſt prius, n : 662, 1066.

1288. Quod verba una, ſignificent quod una doctrina in particulari, conſtat ex illis quæ prius dicta ſunt, labium enim ſignificat doctrinam in communi, ut oſtenſum, verba autem doctrinam in particulari, ſeu particularia doctrinæ; nam particularia nihil faciunt, ut dictum, modo ſpectent unum finem, qui eſt, amare Dominum ſupra omnia, & proximum ſicut ſemet, tunc enim particularia ſunt communium. Quod Verbum ſignificet omnem doctrinam de charitate & inde fide; & quod verba, illa, quæ ſunt doctrinæ, conſtat apud Davidem, "Confitebor Tibi in rectitudine cordis; in diſcendo "me judicia juſtitiæ tuæ; ſtatuta tua cuſtodiam : in quo purum reddet "puer tramitem ſuum, ad cuſtodiendum juxta *Verbum* tuum : in toto corde "meo quæſivi Te, ne aberrare me facias a præceptis tuis : in corde meo "abſcondi *Verbum* tuum, ut non peccem Tibi : Benedictus Tu Jehovah, "doce

" doce me ſtatuta tua, *Labiis* meis enarravi omnia judicia oris tui: in via " teſtimoniorum tuorum gaviſus ſum: in mandatis tuis meditor; & intueor " vias tuas; in ſtatutis tuis delector; non obliviſcor *Verbi* tui," Pſalm: CXIX: 6 ad 17. Verbum pro doctrina in genere; ibi quod diſtincta ſint, præcepta, judicia, teſtimonia, mandata, ſtatuta, via, labia, patet, quæ omnia ſunt Verbi ſeu doctrinæ; etiam alibi in Verbo ubivis illa diſtincta ſignificant. Apud Eundem, " Canticum amoris; voluit cor meum *Verbum* bonum; lingua " mea ſtylus ſcribæ expediti; pulcher es præ filiis hominis; effuſa eſt gratia " *Labiis* tuis; equita ſuper *Verbo* veritatis, & manſuetudinis juſtitiæ, docebit " te mirabilia dextra tua," Pſalm: XLV: 1, 2, 3, 5. equitare ſuper Verbo veritatis, & manſuetudinis juſtitiæ eſt docere doctrinam veri & boni; hic ſicut alibi in Verbo diſtincta ſignificant, verbum, os, labium, & lingua, quod ſint doctrinæ de charitate conſtat, quia appellatur canticum amorum, de qua doctrina prædicatur pulchritudo præ filiis hominis, gratia labiorum, dextra quæ docet mirabilia. Apud Eſaiam, " Verbum miſit Jehovah in Jacobum, " & cecidit id Iſraele," IX: 8. verbum pro doctrina cultus interni & externi, Jacobus ibi pro cultu externo, Iſrael pro interno. Apud Matthæum, " Jeſus dixit, non e pane ſolum vivit homo, ſed ab omni *Verbo*, quod exit " ex ore Dei," IV. 4. Apud Eundem, " Quando quis audit *Verbum Regni*, " & non attendit, venit malus, & rapit quod ſeminatum eſt in corde," XIII: 19. tum de verbo ibi verſ: 20, 21, 22, 23. Apud Eundem, " Cœ- " lum & terra tranſibunt, *Verba* autem mea non tranſibunt," XXIV: 35. ibi verbum pro doctrina Domini, & verba pro illis quæ ſunt Ipſius doctrinæ: quia verba pro omnibus doctrinæ, ideo præcepta decalogi appellantur verba, apud Moſen, " Scripſit Jehovah ſuper tabulis *Verba* fœderis, decem *Verba*," Exod: XXXIV: 28. Apud Eundem, " Indicavit vobis fœdus ſuum, quod " præcepit vobis ad faciendum, decem *Verba*, & ſcripſit illa ſuper duabus " tabulis lapidum," Deut: IV: 13. Cap: X: 4. Apud Eundem, " Cave " tibi, & cuſtodi animam tuam valde, ne forte obliviſcaris *Verba*, quæ vi- " derunt oculi tui," Deut: IV: 9. præter alibi.

1289. Verſ: 2. *Et fuit, cum proficiſcerentur ii ab oriente, & invenerunt vallem in terra Schinear, & habitarunt ibi.* Cum proficiſcerentur ii ab oriente, ſignificat cum recederent a charitate; oriens eſt charitas a Domino: invenerunt vallem in terra Schinear, ſignificat quod cultus magis immundus & prophanus fieret: & habitarunt ibi, ſignificat vitam.

1290. Cum proficiſcerentut ii ab oriente, quod ſignificet cum recederent a charitate, conſtat a ſignificatione proficiſci, & ſignificatione orientis in Verbo; quod proficiſci hic ſit recedere, conſtat, quia prædicatur de charitate, quæ eſt oriens, e qua proficiſcerentur.

1291. Quod oriens ſit charitas a Domino, conſtat ex illis quæ prius oſtenſa ſunt, n: 101 & 1250.

1292. Quod invenerunt vallem in terra Schinear, ſignificet quod cultus magis immundus & prophanus fieret, conſtat a ſignificatione vallis, & a ſignificatione terræ Schinear: quod vallem attinet, in Verbo montes ſignificant amorem ſeu

 charitatem,

charitatem, quia altiſſima, ſeu quod idem eſt, intima in cultu, ut oſtenſum prius n: 795; vallis inde ſignificat quod infra montes, ſeu quod inferius, aut quod idem, exterius in cultu eſt: terra Schinear autem ſignificat cultum externum, in quo prophanum, ut oſtenſum prius n: 1183; ita hic, quod invenerint vallem in terra Schinear, ſignificat quod cultus magis immundus & prophanus fieret: in Primo verſu actum eſt de Eccleſia, quod ei unum labium, & una verba, ſeu una doctrina in communi & in particulari; in hoc verſu autem agitur de declinatione Eccleſiæ, nempe quod proficiſcerentur ab oriente, hoc eſt, quod recedere cæperint a charitate; nam quantum Eccleſia, ſeu homo Eccleſiæ, recedit a charitate, tantum ejus cultus a ſancto, aut tantum ejus cultus accedit ad immundum & prophanum: quod invenerint vallem in terra Schinear ſignificet declinationem Eccleſiæ ſeu cultus ad prophanum, eſt inde, quia vallis eſt humile quoddam inter montes, per quos ſignificantur ſancta amoris ſeu ſancta charitatis in cultu, ut dictum; ut quoque conſtare poteſt a ſignificatione vallis in verbo, ubi aliquibus nominibus in lingua originali exprimitur, quibus ſignificantur, cum in illo ſenſu, minus & magis prophana in cultu; quod valles talia ſignificent, conſtat apud Eſaiam, "Onus *Vallis viſionis:* nam dies "tumultus, & conculcationis & perplexitatis Domino Jehovih Zebaoth, in "*Valle* viſionis," XXII: 1, 5. vallis viſionis pro phantaſiis & ratiociniis, per quæ cultus falſificatur & tandem prophanatur. Apud Jeremiam, "Quo-"modo dicis non polluta ſum, poſt baales non ambulavi, vide viam tuam "in *Valle*," II: 23. vallis pro cultu immundo. Apud Eundem, "Ædi-"ficarunt excelſa Topheth, quæ in *Valle* filii Hinnom; quare ecce dies ve-"nientes, & non dicetur amplius Topheth, aut *Vallis* filii Hinnom, ſed "*Vallis* occiſionis," VII: 31, 32. Cap: XIX: 6. vallis Hinnom pro inferno, tum pro prophanatione veri & boni. Apud Ezechielem, "Sic dixit Domi-"nus Jehovih montibus & collibus, alveis & *Vallibus*, ecce Me, Ego adducens ſupra vos gladium, & perdam excelſa veſtra," VI: 3. Apud Eundem, "Dabo Gogo locum ibi ſepulchri in Iſraële, *Vallem* tranſeuntium verſus orien-"tem maris, & vocabunt *Vallem* multitudinis Gogi," XXXIX: 11: 15. ubi de cultu in externis, vallis pro tali cultu. Sed cum cultus adhuc non ita prophanus factus, exprimitur is per nomen Vallis, quo in hoc verſu, ut apud Eſaiam, "Aperiam ſuper clivis fluvios, & in medio *Vallium* fontes ponam, deſertum in ſtagnum aquarum, & terram ſiccam in exitus aquarum," XLI: 18. ubi de illis qui in ignorantia ſeu extra cognitiones fidei & charitatis, ſed uſque in charitate ſunt, vallis hic pro illis; ſimiliter Vallis apud Ezech: XXXVII: 1.

1293. Et habitarunt ibi; quod ſignificet vitam inde, conſtare poteſt a ſignificatione Habitare in Verbo, quod ſit vivere; vox *Habitare* tam in propheticis quam in hiſtoricis Verbi multoties occurrit, & utplurimum in ſenſu interno ſignificat vivere; cauſa eſt, quod antiquiſſimi habitaverint in Tentoriis, & ibi Cultum ſanctiſſimum habuerint, quare etiam tentoria in Verbo ſignificant ſanctum cultus, ut oſtenſum n: 414; & quoniam tentoria ſignificabant ſanctum in cultu, etiam habitare in bono ſenſu ſignificat vivere ſeu

vitam: ſimiliter quia profecti ſunt antiquiſſimi cum ſuis tentoriis, *Proficiſci* in ſenſu interno Verbi ſignificat vitæ inſtituta & ordinem.

1294. Verſ: 3. *Et dixerunt vir ad ſocium, age laterificemus lateres, & aduramus in aduſtum; & fuit illis later pro lapide, & bitumen fuit iis pro luto:* Et dixit vir ad ſocium, ſignificat quod cæptum: age laterificemus lateres, ſignificat falſa quæ ſibi fingerent: & aduramus in aduſtum, ſignificat mala ex amore ſui: & fuit iis later pro lapide, ſignificat quod falſum iis eſſet pro vero: & bitumen fuit iis pro luto, ſignificat quod malum cupiditatis pro bono.

1295. Quod dixit vir ad ſocium, ſignificet quod cæptum, ſeu quod inceperint, ſequitur ex ſerie. In hoc verſu agitur de Tertio ſtatu Eccleſiæ, cum falſa inceperint regnare, & quidem falſa ex cupiditatibus: ſunt duo principia falſorum, unum ex ignorantia veri, alterum ex cupiditatibus; falſum ex ignorantia veri, non ita damnoſum eſt, ac falſum ex cupiditatibus; nam falſum ignorantiæ eſt, vel ex eo quod ita inſtructus ſit ab infantia; vel inde, quod a variis negotiis abſtractus ut non inquiſiverit an verum ſit; vel quod facultate judicandi de vero & falſo non polluerit; falſa inde non multum damni inferunt, modo non confirmaverit ſe multis, & ſic perſuaſerit, cupiditate quadam incitante, ut falſis iſtis patrocinetur, ſic enim nubem ignorantiæ denſat, & vertit in tenebras ita, ut non videre poſſit verum: at falſum cupiditatum eſt, cum origo falſi eſt cupiditas, ſeu amor ſui & mundi, ut cum quis arripit quoddam doctrinale, id profitetur, ut captet animos, & ducat, & doctrinale in ſui favorem explicat aut pervertit, & id tam ex ſcientificis per ratiocinia confirmat, quam ex ſenſu literali Verbi; cultus inde eſt prophanus, utcunque extrinſecus appareret ſanctus, nam intus non eſt cultus Domini, ſed eſt cultus ſui, nec agnoſcit aliquod verum, niſi quantum id explicare poſſit ut ſibi faveat; talis cultus eſt qui ſignificatur per Babel: ſed uſque aliter ſe res habet cum illis, qui in tali cultu nati & educati ſunt, & ignorant quod falſum ſit, inque charitate vivunt, in illorum ignorantia eſt innocentia, & in illorum cultu eſt bonum ex charitate; prophanum cultus non ita prædicatur ex ipſo cultu, quam ex qualitate ejus qui eſt in cultu.

1296. Age laterificemus lateres, quod ſignificet falſa quæ ſibi fingerent, conſtat ex ſignificatione lateris; Lapis in Verbo ſignificat Verum, inde Later quia factus ab homine ſignificat falſum, eſt enim later artificialiter factus lapis; quod later id ſignificet conſtare poteſt etiam ex his locis; apud Eſaiam, "Expandi manus meas toto die ad populum refractarium, ambulantes via non "bona poſt cogitationes ſuas, ſacrificantes in hortis, & ſuffientes ſuper *Lateri-* "*bus*," LXV: 2, 3. ſuffire ſuper lateribus pro colere ex fictis & falſis, quare dicuntur ambulantes poſt cogitationes ſuas. Apud Eundem, "Propter elationem & ſuperbiam cordis Ephraimi, & habitatoris Samariæ, dicendo "*Lateres* ceciderunt, & lapide cæſo ædificabimus," IX: 9, 10. Ephraim pro intelligente, qui in perverſa lapſus, qui vera vocat aut facit falſa ſeu lateres, lapis cæſus pro ficto. Apud Nahum, "Aquas obſidii hauri tibi, con-

"firma munimenta tua, intra in cœnum, & calca lutum, repara *fornacem la-* "*teritiam*; ibi comedet te ignis, & exſcindet te gladius," III: 14, 15. ibi calcare lutum pro falſis, reparare fornacem lateritiam pro cultu inde; ignis eſt pœna cupiditatum, gladius eſt pœna falſitatum. Apud Ezechielem, "Sume tibi "*Laterem*, & pone eum ante te, & ſculpe ſuper eum urbem Hieroſoly-"mam," IV: 1. ibi mandatum ut eam obſideret, in quo prophetico involvitur, quod cultus falſificatus. Quod later ſignificet falſum, adhuc conſtare poteſt a ſignificatione Lapidis, quod ſit verum, de quo in mox ſequentibus.

1297. Et aduramus in aduſtum, quod ſignificet mala ex amore ſui, conſtat a ſignificatione aduri, aduſtionis, ignis, ſulphuris, bituminis, in Verbo, quæ prædicantur de cupiditatibus, cumprimis de iis, quæ ſunt amoris ſui; ut apud Eſaiam, "Domus ſanctitatis noſtra, & decus noſtrum, ubi laudave-"runt Te patres noſtri, facta eſt in *combuſtionem ignis*, & omnia deſiderabilia "noſtra facta ſunt in vaſtitatem," LXIV: 10. Apud Eundem, "Concipite "quiſquilias, parite ſtipulam, ventus veſter, *ignis* comedet vos, ita erunt "populi *combuſtiones* calcis; ſpinæ exciſæ *igne ſuccendentur*", XXXIII: 11, 12. præter alibi multoties: comburi & ignis prædicatur de cupiditatibus, quia ſimiliter ſe habent.

1298. Quod fuit iis later pro lapide, ſignificet quod falſum iis eſſet pro vero, conſtat a ſignificatione lateris, de qua mox ſupra quod ſit falſum; tum ex ſignificatione Lapidis quod ſit in lato ſenſu verum, de quo prius, n: 643. Quod Lapides ſignificaverint verum, cauſa fuit, quod termini antiquiſſimorum deſignarentur per Lapides, & quod erigerent Lapides in teſtes, quod ita ſeu quod verum, ut conſtat ex Lapide quem poſuit Jacobus in ſtatuam, Gen: XXVIII: 22. Cap: XXXV: 14 & ex ſtatua lapidum inter Labanem & Jacobum, Geneſ: XXXI: 46, 47, 52. & ex altari quod exſtruxerunt filii Rubenis, Gadis & Menaſſis juxta Jordanem in teſtem, Joſ: XXII: 10, 28, 34. inde in Verbo per lapides ſignificantur vera, uſque adeo, ut non ſolum per lapides altaris, ſed etiam per lapides pretioſos ſuper humeris ephodi Aharonis, & ſuper pectorali judicii, ſignificata ſint ſancta vera, quæ ſunt amoris: quod Altare attinet, cum cultus inceptus ſacrificiorum ſuper altaribus, tunc Altare ſignificabat cultum repræſentativum Domini in communi, ipſi autem Lapides ſancta vera illius cultus; quare mandatum ut exſtrueretur Altare ex lapidibus integris, non cæſis, & prohibitum ne ferrum moveretur ſuper illis, Deut: XXVII: 5, 6, 7. Joſ: VIII: 31. ex cauſa, quod Lapides cæſi, & ſuper quos ferrum motum, ſignificarent artificialia, & ſic fictitia cultus, hoc eſt, quæ ex proprio, ſeu ex figmento cogitationis & cordis hominis, quod erat prophanare cultum, ut manifeſte dicitur Exod: XX: 25. ex eadem cauſa nec fuit ferrum motum ſuper lapides Templi, 1 Reg: VI: 7. Quod Lapides pretioſi ſuper humeris ephodi Aharonis, & in pectorali judicii, ſimiliter ſignificaverint ſancta vera, prius n: 114 oſtenſum eſt; quod etiam conſtat apud Eſaiam, "Ecce Ego accubare "faciam in carbunculo, *Lapides* tuos, & fundabo in ſapphiris, & ponam py-"ropum ſoles tuos (feneſtras), & portas tuas in *Lapides* gemmæ, & omnem "finem tuum in *Lapides* deſiderii; & omnes filii tui docti Jehovæ, & multa

"pax

" pax filiorum tuorum," LIV: 11, 12. lapides hic nominati pro ſanctis veris, quare dicitur, quod omnes filii tui docti Jehovæ: inde quoque apud Johannem dicitur, " quod fundamenta muri urbis ſanctæ Hieroſolymæ eſſent omni " *Lapide pretioſo* exornata, quæ nominantur," Apoc: XXI: 19, 20. ſancta Hieroſolyma pro Regno Domini in cœlis & in terris, cujus fundamenta ſunt ſancta vera. Similiter per Tabulas lapidum, quibus inſcripta fuerunt præcepta Legis, ſeu decem verba, ſignificata ſunt ſancta vera, quare ex lapide fuerunt, ſeu fundus illorum fuit lapis, de quibus, Exod: XXIV: 12. Cap. XXXI: 18. Cap: XXXIV: 1. Deut: V: 19. Cap: X: 1. ipſa enim præcepta non ſunt niſi vera fidei. Quia nunc per Lapides antiquitus ſignificata ſunt vera, & dein cum cultus inceptus ſuper ſtatuis, altaribus & in templo, per ſtatuas, altaria, & templum ſignificata ſunt ſancta vera, ideo Dominus quoque dictus Lapis; apud Moſen, " Fortis Jacobi, inde Paſtor, *Lapis* " *Iſraelis*," Geneſ: XLIX: 24. Apud Eſajam, " Dixit Dominus Jehovih, " Ego fundans in Zione *Lapidem*, *Lapidem* probationis, anguli, pretii, fun" damenti fundati," XXVIII: 16. Apud Davidem, " *Lapis*, quem repro" barunt architecti, factus eſt in caput anguli," Pſalm: CXVIII: 22. ſimiliter apud Danielem, " per *Lapidem* e petra exciſum, qui contrivit ſtatuam " Nebuchadnezaris," II: 34, 35, 45. Quod Lapides ſignificent vera, etiam conſtat apud Eſajam, " Per hoc expiabitur iniquitas Jacobi, & hic erit " omnis fructus, removere peccatum ſuum, cum poſuerit omnes *Lapides* " *Altaris*, ſicut *Lapides* calcis diſperſos," XXVII: 9. lapides altaris pro veris in cultu, quæ diſſipata. Apud Eundem, " Complanate viam populi, ſter" nite, ſternite ſemitam, *elapidate lapide*," LXII: 10. via & lapis pro veris. Apud Jeremiam, " Ego contra te, mons perdens, devolvam te de petris, & " dabo te in montem *Combuſtionis*, & non ſument de te *Lapidem* angulo, aut " *Lapidem* fundamentis," LI: 25, 26. ubi de Babele; mons combuſtionis eſt amor ſui; quod non lapis inde, eſt quod non verum.

1289. Quod bitumen fuit iis pro luto ſignificet quod malum cupiditatis pro bono, conſtat ex ſignificatione bituminis, & ex ſignificatione luti in Verbo: hic quia agitur de ædificatione Turris Babylonicæ, prædicantur talia, quæ ædificationi inſerviunt, hic bitumen, quia ſulphureum & igneum, quibus ſignificantur in Verbo cupiditates imprimis quæ ſunt amoris ſui, hic per bitumen mala cupiditatum, ut & falſa inde, quæ etiam ſunt mala, quibus turris, de qua in ſequentibus, exſtruitur; quod talia ſignificentur, conſtat apud Eſajam, " Dies ultionis Jehovæ; convertentur torrentes ejus in *picem*, " & pulvis ejus in *ſulphur*; & erit terra ejus in *picem ardentem*," XXXIV: 8, 9. pix & ſulphur pro falſis & malis cupiditatum: præter alibi.

1300. Quod Lutum ſignificet bonum, ex quo formatur mens ſeu homo Eccleſiæ, conſtat quoque ex Verbo, ut apud Eſaiam, " Nunc Jehovah, Pater " noſter Tu, nos *Lutum*, & Tu figulus noſter, & opus manus tuæ omnes " nos," LXIV: 7, 8. lutum pro ipſo homine Eccleſiæ, qui formatur, ita pro bono charitatis, per quod omnis hominis formatio, hoc eſt, reformatio & regeneratio. Apud Jeremiam, " Quemadmodum *Lutum* in manu figuli, " ſic

"ſic nos in manu tua, domus Iſraelis," XVIII: 6. ſimiliter: ſive de ædificatione per lutum, ſive de formatione, idem eſt.

1301. Quod nunc hæc ſignificentur, cuivis conſtare poteſt, tam ex ſignificatione omnium horum, quæ in hoc verſu, quam ex eo, quod hic memorentur talia, ſicut quales eorum lapides eſſent, quale eorum lutum, quæ nuſquam digna forent in Verbo Domini memorare, niſi arcana hæc involverentur.

1302. Verſ: 4. *Et dixerunt, age ædificemus nobis urbem & turrim, & caput ejus in cælo, & faciamus nobis nomen, ne forte diſpergamur ſuper facies totius terræ.* Et dixerunt, ſignificat quod factum: ædificemus nobis urbem & turrim, ſignificat quod fingerent doctrinam & cultum; urbs eſt doctrina; turris eſt cultus ſui: & caput ejus in cœlo, ſignificat uſque ut dominentur ſuper ea quæ in cœlo: & faciamus nobis nomen, ſignificat ut inde fama potentiæ: ne forte diſpergamur ſuper facies totius terræ, ſignificat quod alioquin non agnoſcerentur.

1303. Et dixerunt, quod ſignificet ſic factum, ſequitur ex ſerie, ſicut illud quod prius, "dixerunt vir ad ſocium," quod cæptum; hic enim deſcribitur Babel, qualis eſt, per turrim.

1304. Quod ædificemus nobis urbem & turrim, ſignificet quod fingerent doctrinam & cultum, conſtare poteſt a ſignificatione urbis, & a ſignificatione turris, de quibus in mox ſequentibus. Eccleſia talis eſt, ut, dum recedit charitas erga proximum, & loco ejus ſuccedit amor ſui, doctrina fidei nihil ſit, niſi quantum verti queat in ſui cultum; nec quicquam ſanctum in cultu æſtimetur, niſi ſit propter ſe, ita niſi ſit ſui cultus: omnis amor ſui hoc ſecum habet; qui enim ſe amat præ aliis, non ſolum odit omnes qui ei non ſerviunt, nec iis favet niſi cum ſervi facti ſunt, ſed etiam quantum ei relaxatur, ruit, imo uſque ut ſe ſupra Deum extollat; quod amor ſui talis ſit, cum ei relaxatur, ad vivum mihi oſtenſum eſt; hæc ſunt, quæ ſignificantur per urbem & turrim: amor ſui, & omnis cupiditas inde, eſt omnium ſpurciſſimum & prophaniſſimum, eſtque ipſiſſimum infernale; inde quiſque concludere poteſt, qualis eſt cultus in quo intus tale.

1305. Quod urbs ſignificet doctrinam, ſeu doctrinale tam genuinum quam hæreticum, oſtenſum eſt prius, n: 402.

1306. Quod turris ſit cultus ſui, conſtat ex ſignificatione Turris; cultus ſui eſt, cum ipſe homo ſe altum facit præ alio, uſque ut colatur; quare amor ſui, qui eſt faſtus & ſuperbia, vocatur altitudo, celſitudo, elatio, & deſcribitur per omnia quæ alta ſunt, ut apud Eſajam, "Oculi ſuperbiæ hominis "humiliabitur, & deprimetur altitudo virorum, & exaltabitur Jehovah Solus "Ipſe in die illo, nam dies Jehovæ Zebaoth, ſuper omnem ſuperbum & al"tum, & ſuper omnem elatum, & humiliabitur; & ſuper omnes cedros Li"bani altas & elatas, & ſuper omnes quercus Baſchanis, & ſuper omnes "montes altos, & ſuper omnes colles elatos; & ſuper omnem *Turrim* ex"celſam, & ſuper omnem murum munitum," II: 11 ad 18. ubi de amore ſui, qui per cedros, quercus, montes, colles, turrim, quæ alta & elata ſunt, deſcribitur.

deſcribitur. Apud Eundem, "Erunt rivi, ductus aquarum, in die cædis "magnæ, cum cadent *Turres*," xxx: 25. ſimiliter pro amore ſui, & elatione in cultu. Apud Eundem, "En terra Chaldæorum, hic populus non "fuit, Aſchur fundavit eam in tziim, erigent *Speculatorias turres* ſuas, excitabunt palatia ſua, ponet eam in ruinam," xxiii: 3. de Tyro & ejus vaſtatione, ſpeculatoriæ turres, alia voce, pro phantaſiis inde: apud Ezechielem, "Aſcendere faciam contra Tyrum gentes multas & perdent muros Tyri, & "deſtruent *Turres* ejus, & detraham pulverem ejus ab ea, & dabo eam ari-"ditatem petræ," xxvi: 3, 4, ſimiliter. Quod amor ſui in cultu, ſeu cultus ſui, vocetur turris, eſt cauſa, quia urbs ſignificat doctrinam, ut oſtenſum eſt prius n: 402, & olim urbes muniebantur turribus, in quibus cuſtodes; etiam turres erant in terminis, quare appellatæ ſunt turres cuſtodum, ii Reg: ix: 17. Cap: xvii: 9. Cap: xviii: 8. & turres ſpeculatoriæ Eſai: xxiii: 13. præter etiam cum Eccleſia Domini comparatur vineæ, illa quæ ſunt cultus, tum conſervationis ejus, comparantur torculari, & turri in vinea, ut conſtat apud Eſaiam Cap: v: 1, 2. Matth: xxi: 33. Marc: xii: 1.

1307. Et caput ejus in cœlo, quod ſignificet uſque ut dominentur ſuper ea quæ in cœlo, inde nunc ſequitur; caput enim habere in cœlo eſt elationem eo uſque extendere, ut quoque conſtat ex deſcriptione Babelis paſſim in Verbo, & ex illis quæ prius dicta ſunt de extollere caput, n: 257. Amor ſui eſt, qui omnium minime concordat cum vita cœleſti, omnia enim inde mala, non ſolum odia, ſed etiam vindictæ, crudelitates, & adulteria; & adhuc minus concordat cum intrat in cultum, & illum prophanat, quare Inferna conſiſtunt ex talibus, ex quibus quo plus caput in cœlum attollere volunt, eo profundius ſe deprimunt, ſeque in atrociores pœnas præcipitant.

1308. Et faciamus nobis nomen, quod ſignificet ut inde fama potentiæ, ex ſignificatione nomen ſibi faciendi conſtare poteſt: norunt enim quod unuſquiſque in aliquo cultu eſſe velit, hoc enim commune eſt, etiam apud omnes gentes, quiſque enim aliquod ſummum ens, cum ſpectat univerſum, & magis qui ordinem univerſi, agnoſcit, & quia proſperitatem ſuam cupit, illud adorat; & præterea eſt aliquod intus quod dictat, influit enim tale a Domino per angelos, qui apud unumquemvis hominem; homo qui non talis eſt, is ſub dominio ſpirituum infernalium eſt, nec agnoſcit Deum: quia hoc norunt, qui turres Babylonicas exſtruunt, per doctrinalia & ſancta faciunt ſibi nomen, alioquin non coli potuiſſent, quod in mox ſequentibus ſignificatur per id quod alioquin diſpergerentur ſuper facies totius terræ, hoc eſt, quod non agnoſcerentur; inde etiam ſequitur, quo altius tales attollere poſſunt caput in cœlum, eo plus nominis ſibi faciunt: dominium eorum maximum eſt apud eos, quibus aliquid conſcientiæ, nam eos ducunt quocunque; at vero quibus non conſcientia, hos vinculis pluribus externis regunt.

1309. Ne forte diſpergamur ſuper facies totius terræ, quod ſignificet quod alioquin non agnoſcerentur, inde nunc ſequitur; nam diſpergi ſuper facies totius terræ eſt e conſpectu eorum perire, ſic non recipi & agnoſci.

1310. Verſ: 5. *Et deſcendit Jehovah ad videndum urbem & turrim, quam ædificabant filii hominis.* Deſcendit Jehovah, ſignificat judicium ſuper eos: ad videndum urbem & turrim, ſignificat ſuper id quod perverterint doctrinam, & prophanaverint cultum: quam ædificabant filii hominis, ſignificat quæ ſibi finxerunt.

1311. Et deſcendit Jehovah, quod ſignificet judicium ſuper eos, conſtat ab illis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur, tum a ſignificatione deſcendere reſpective ad Jehovam: ab illis quæ præcedunt, ibi actum eſt de ædificatione urbis & turris Babylonicæ; ab illis quæ ſequuntur, ibi agitur de confuſione labiorum, & diſperſione; a ſignificatione deſcendere reſpective ad Jehovam, quod prædicetur cum judicium fit; Jehovah ſeu Dominus ubique præſens eſt, & omnia novit ab æterno, quare non dici poteſt de Ipſo deſcendere ad videndum, ſolum in ſenſu literali, ubi ſecundum apparentias apud hominem ita dicitur, in ſenſu vero interno non ita, in illo ſenſu ſiſtitur res, non qualis eſt ſecundum apparentias, ſed qualis in ſe, quare hic deſcendere ad videndum quod ſit judicium; judicium prædicatur cum malum ad ſummum perductum eſt, quod appellatur in Verbo cum conſummatum vel cum conſummata iniquitas; ita enim ſe res habet, omne malum habet ſuos terminos quouſque vadere permittitur, cum ultra hos terminos perducitur, incurrit in pœnam mali, hoc in particulari, & in communi, pœna mali eſt quæ tunc vocatur judicium; & quia apparet primum ſicut quod non Dominus videat ſeu animadvertat quod malum ſit, nam cum homo malum facit abſque pœna putat is quod Dominus non curet, at cum pœnam ſubit, tunc primum autumat dominum videre, imo quod Dominus puniat, quare ſecundum apparentias iſtas dicitur, quod Jehovah deſcenderit ad videndum: deſcendere prædicatur de Jehovah quia prædicatur altiſſimum, ſeu quod ſit in altiſſimo, & hoc quoque ſecundum apparentiam, non enim eſt in altiſſimis ſed in intimis, quare in Verbo altiſſimum & intimum idem ſignificat; ipſum judicium ſeu pœna mali ſiſtitur in inferioribus & infimis, quare dicitur deſcendere, ſicut etiam apud Davidem, "Jehovah inclina cœlos tuos, & *Deſcende* & lo-"quar Tecum, tange montes, & fumigabunt, emitte fulmen, & *diſperge* eos," Pſalm CXLIV: 5, 6. ubi etiam pro pœna mali ſeu judicio. Apud Eſaiam, "*Deſcendet* Jehovah Zebaoth ad militandum ſuper monte Zionis, & ſuper "colle ejus," XXXI: 4. apud Eundem, "*Deſcendes*, coram Te montes diffluent," "LXIV: 2. ubi deſcendere ſimiliter præ pœna ſeu judicio ſuper malum. A-"pud Micham," Jehovah exiens e loco ſuo, & *Deſcendit*, & calcavit ſuper "excelſa terræ, & liquefacti ſunt montes ſub Ipſo," I: 4.

1312. Ad videndum urbem & turrim, quod ſignificet ſuper id quod perverterint doctrinam, & prophanaverint cultum, conſtat a ſignificatione urbis & turris, de qua prius.

1313. Quam ædificabant filii hominis, quod ſignificet quæ ſibi finxerunt, conſtat abſque explicatione: filii hominis ſunt hic filii Eccleſiæ; qui enim non ab Eccleſia ſunt, & non habent cognitiones fidei apud ſe, talia fingere non poſſunt; quod illi non poſſint prophanare ſancta, oſtenſum eſt prius n: 301. 302. 303. 593.

1314.

1314. Verſ: 6. *Et dixit Jehovah, en populus unus, & labium unum omnibus illis, & hoc inceptum eorum ad faciendum; & nunc non prohiberetur ab iis omne quod cogitarunt facere.* Dixit Jehovah, ſignificat quod ita eſſet: en populus unus, & labium unum omnibus illis, ſignificat quod verum fidei & doctrina una omnibus fuerit: & hoc inceptum eorum ad faciendum, ſignificat quod nunc alii fieri incipiant: & nunc non prohiberetur ab iis omne quod cogitarunt facere, ſignificat niſi nunc ſtatus eorum mutetur.

1315. Quod dixit Jehovah, ſignificet quod ita eſſet, conſtat ex eo, quod hic, ut prius oſtenſum, non ſit hiſtoricum verum ſed hiſtoricum factum, quare cum dicitur, dixit Jehovah, non aliud ſignificare poteſt; ſicut etiam prius paſſim.

1316. En populus unus & labium unum omnibus illis, quod ſignificet quod verum fidei & doctrina una omnibus fuerit, conſtat a ſignificatione populi quod ſit verum fidei, & a ſignificatione labii quod ſit doctrina: quod populus ſignificet verum fidei, hoc eſt, illos qui in vero fidei, oſtenſum eſt prius, n: 1259, & quod labium ſignificet doctrinam fidei, oſtenſum eſt ſupra ad verſ: 1. populus unus & labium unum dicitur, quando omnibus pro fine eſt commune bonum ſocietatis, commune bonum Eccleſiæ, & Regnum Domini, ſic enim in fine eſt Dominus, a Quo omnes ſunt unum: at cui proprium bonum pro fine, nuſquam Dominus adeſſe poteſt, ipſum proprium hominis abalienat Dominum, nam ſic flectit & vertit commune bonum ſocietatis, ipſumque Eccleſiæ, imo Regnum Domini, in ſe, uſque adeo, ut quaſi ſit pro ſe, ita detrahit Domino quod Ipſius eſt, & ſe ſubſtituit; quod cum regnat apud hominem, in ſingulis ejus cogitationibus, imo in minimis cogitationum, eſt ſimile; quod regnans eſt apud hominem, ita ſe habet; hoc non ita manifeſte in vita corporis, quam in altera vita, patet; quod regnans apud eum eſt, ſe manifeſtat per ſphæram quandam, quæ percipitur ab omnibus qui circum eum, quæ ſphæra, quia exhalat a ſingulis apud eum, talis eſt; ſphæra ejus, qui ſemet ſpectat in ſingulis, ſibi adpropriat, ac, ut dicitur ibi, abſorbet omne quod favet ei, ſic omne jucundum ſpirituum circum eum, & deſtruit omne liberum apud illos, quare non poteſt aliter quam ut talis diſſocietur: at vero cum populus unus, & labium unum eſt, hoc eſt, cum omnium commune bonum ſpectatur, tunc unus nuſquam adpropriat ſibi alterius jucundum, & deſtruit alterius liberum, ſed quantum poteſt, promovet & auget, inde ſocietates cœleſtes ſicut unum ſunt, & hoc unice per amorem mutuum a Domino: ſimiliter ſe habet in Eccleſia.

1317. Quod hoc inceptum eorum ad faciendum, ſignificet quod nunc alii fieri inciperent, conſtare poteſt a ſerie; inceptum ad faciendum hic ſignificat cogitationem ſeu intentionem, proinde finem, ſicut etiam conſtat ab illis quæ mox ſequuntur, "& nunc non prohiberetur ab iis omne, quod cogitarunt facere:" quod in ſenſu interno ſignificetur finis, inde eſt, quia a Domino non ſpectatur apud hominem aliud quam finis; utcunque ejus cogitata & facta ſunt, quæ innumeris modis variantur, modo finis ſit bonus, illa ſunt omnia bona;

at ſi finis malus, omnia ſunt mala, finis eſt qui regnat in ſingulis quæ cogitat & facit homo: Angeli apud hominem, quia ſunt Domini, non aliud apud hominem regunt, quam fines ejus, cum illos regunt, etiam cogitata & facta regunt, nam omnia illa ſunt finis: finis apud hominem eſt ipſa ejus vita, omnia quæ cogitat & facit, a fine vivunt, quia, ut dictum, ſunt finis, quare qualis eſt finis, talis eſt vita hominis; finis non aliud eſt, quam amor, nam homo nihil aliud pro fine habere poteſt quam quod amat; qui aliud cogitat quam facit, pro fine uſque habet quod amat, in ipſa ſimulatione, aut in dolo, eſt finis, qui eſt amor ſui, aut amor mundi, & inde jucundum vitæ ejus: ex his quiſque concludere poteſt, quod talis ſit vita hominis, qualis eſt ejus amor: hæc nunc ſunt, quæ ſignificantur per inceptum ad faciendum.

1318. Et nunc non prohiberetur ab iis omne quod cogitarunt facere, quod ſignificet niſi nunc ſtatus eorum mutetur, conſtare poteſt a ſequentibus; ſenſus internus Verbi eſt, ut continue ſpectet ſequentia, & concluſum, tametſi in ſenſu literali non ita apparet: qui tales ſunt, ut qui ſupra deſcripti, niſi ſtatus eorum mutatur, non apud eos prohibetur quod cogitant facere; quod etiam ſtatus eorum mutatus ſit, conſtat a ſequentibus: cogitatio faciendi non aliud eſt quam intentio, hoc eſt, finis: finis apud hominem nuſquam prohiberi poteſt, hoc eſt, mutari, niſi ſtatus, nam finis eſt ipſa vita hominis, ut dictum; dum mutatur ſtatus etiam mutatur finis, & cum fine cogitatio; qualis mutatio ſtatus hominis hujus Eccleſiæ facta ſit, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur in ſequentibus.

1319. Verſ: 7. *Age, deſcendamus, & confundamus ibi labium eorum, ut non audiant vir labium ſocii ſui.* Age, deſcendamus, ſignificat, quod ita judicium factum: & confundamus ibi labium eorum, ſignificat quod nulli verum doctrinæ ſit: ut non audiant vir labium ſocii ſui, ſignificat quod omnes diſcordes.

1320. Quod age deſcendamus, ſignificet quod ita judicium factum, conſtat ex illis quæ de ſignificatione Deſcendere ſupra ad verſ: 5. dicta ſunt; quod in plurali dicatur, deſcendamus & confundamus labia, cauſa eſt, quia eſt executio judicii, quæ fit per ſpiritus, & quidem per malos.

1321. Quod confundamus labium eorum, ſignificet quod nulli verum doctrinæ ſit, conſtare poteſt a ſignificatione Labii, quod ſit doctrina, de qua ſupra ad verſ: 1; inde ſequitur, quod confundere labia ſit confundere illa quæ ſunt doctrinæ, hoc eſt, vera doctrinæ: confundere ſignificat in ſenſu interno non ſolum obtenebrare, ſed etiam obliterare & diſſipare, ſic ut non aliquid verum: cum cultus ſui ſuccedit loco cultus Domini, tunc non ſolum pervertitur omne verum, ſed etiam aboletur, & tandem agnoſcitur falſum pro vero, & malum pro bono; omnis enim lux veritatis eſt a Domino, & omnis caligo eſt ab homine, cum homo ſuccedit in cultu loco Domini, fit lux veri caligo; & tunc ſpectatur ab iis lux ut caligo, & caligo ut lux; talis quoque eſt vita eorum poſt mortem, vita falſi iis eſt quaſi lux, ſed vita veri eſt iis quaſi caligo; ſed mutatur talis vitæ lux in meram caliginem, cum approximant verſus cœlum: dum in mundo ſunt, quidem verum poſſunt loqui, imo cum eloquio & apparente zelo, & quia adeſt continua reflexio ſuper ſe, etiam videntur

tur ſibi idem cogitare, ſed quia ipſe finis eſt cultus ſui, cogitationes a fine trahunt, quod non agnoſcant verum, niſi quantum ſui in vero ſit; cum homo talis eſt, in cujus ore verum, conſtat, quod ei non verum ſit; quod manifeſte patet in altera vita, ibi tales non ſolum non agnoſcunt verum, quod profeſſi in vita corporis, ſed etiam odio habent & perſequuntur, & in tantum, in quantum iis faſtus aut ſui cultus non adimitur.

1322. Ut non audiant vir labium ſocii ſui, quod ſignificet quod omnes diſcordes, ſeu quod unus contra alterum, conſtare poteſt ab ipſis verbis; non audire labium ſocii, eſt non agnoſcere quod alter loquitur, & in ſenſu interno non agnoſcere quod alter docet ſeu doctrinam ejus, nam labium eſt doctrina, ut oſtenſum ſupra ad verſ: 1. ore quidem agnoſcunt ſed non corde, ſed concordia oris nihil eſt cum diſcordia cordis, ſe habet hoc ſicut cum malis ſpiritibus in altera vita, qui ſimiliter ac boni in ſocietates diſtincti ſunt, ſed conjuncti tenentur per id quod alligati ſimilibus phantaſiis & cupiditatibus, ſic ut unum agant in eo ut perſequantur vera & bona, ita eſt commune quoddam quo ſimul continentur, ſed ut primum hoc commune diſſolvitur, unus ruit in alterum, & jucundum eorum tunc conſiſtit in eo, ut ſocium & ſocios crucient; ſimiliter ſe habet cum doctrina & cultu tali in mundo, agnoſcunt doctrinale & rituale ſatis conjunctim, ſed commune, quod eos continet, eſt cultus ſui, & quantum participare queunt de communi tali, tantum agnoſcunt, at quantum non poſſunt participare aut ſpem habere participandi, tantum diſſolvuntur, ex cauſa, de qua mox prius, quod nulli talium aliquod verum, ſed unicuique falſum pro vero, & malum pro bono; hoc nunc eſt, quod vir non audiat labium ſocii ſui.

1323. Verſ: 8. *Et diſperſit Jehovah eos inde ſuper facies totius terræ, & ceſſarunt ædificare urbem.* Diſperſit eos Jehovah ſuper facies totius terræ ſignificat hic ut prius, quod non agniti fuerint: & ceſſarunt ædificare urbem, ſignificat quod talis doctrina non recepta.

1324. Quod diſperſit Jehovah eos ſuper facies totius terræ, ſignificet quod non agniti fuerint, conſtat ab illis quæ prius ad verſ: 4 dicta ſunt, ubi eadem verba.

Quod ceſſarunt ædificare urbem, ſignificet quod talis doctrina non recepta, conſtat ex ſignificatione urbis, quod ſit doctrina, ut oſtenſum prius, n: 402, tum ex illis quæ ſupra ad verſ: 4 & 5, de ædificare urbem & turrim. Ex his patet, quod talis doctrina, ſeu talis cultus, in quo interius amor ſui, ſeu cultus ſui, apud Antiquam hanc Eccleſiam non permiſſus, & quidem ex cauſa, de qua in verſu mox ſequente.

1325. Verſ: 9. *Propterea vocavit nomen ejus Babel, quia ibi confudit Jehovah labium totius terræ, & inde diſperſit eos Jehovah ſuper facies totius terræ.* Propterea vocavit nomen ejus Babel, ſignificat talem cultum: quia confudit Jehovah labium totius terræ, ſignificat Eccleſiæ hujus Antiquæ ſtatum, quod internus cultus perire inciperet; terra eſt Eccleſia: & inde diſperſit eos Jehovah ſuper facies totius terræ, ſignificat quod cultus internus nullus factus.

1326. Propterea vocavit nomen ejus Babel, quod ſignificet talem cultum, nempe qualis cultus ſignificatur per Babel, conſtat ab illis quæ hactenus dicta ſunt, nempe cultus, in quo interius eſt amor ſui, proinde omne quod ſpurcum & prophanum; amor ſui non aliud eſt quam proprium, quod quam ſpurcum & prophanum ſit, conſtare poteſt ab illis quæ de proprio oſtenſa ſunt prius, n: 210, 215. ex Philavtia, hoc eſt, amore ſui ſeu proprio profluunt omnia mala, ſicut odia, vindictæ, crudelitates, adulteria, doli, hypocriſes, impietas; quare cum amor ſui ſeu proprium ineſt cultui, talia mala ei inſunt, ſed ſecundum differentiam & gradum quanti & qualis quod ex amore iſto; inde omnis prophanatio cultus: ſed ita ſe res habet, quantum ex amore ſui ſeu proprio ſe infert cultui, tantum recedit cultus internus, ſeu tantum fit nullus cultus internus; cultus internus conſiſtit in affectione boni & agnitione veri, at quantum amoris ſui ſeu quantum proprii incedit ſeu intrat, tantum affectio boni & agnitio veri recedit ſeu exit; ſanctum nuſquam poteſt eſſe cum prophano, ſicut non cœlum cum inferno, ſed diſcedere unum ab altero debet, talis eſt ſtatus & ordo in Regno Domini; hæc cauſa eſt, quod apud tales, quorum cultus Babel vocatur, non detur cultus internus, ſed eſt quoddam mortuum, & quidem cadaveroſum interius quod colitur; inde qualis eſt cultus eorum externus, in quo tale, patet; quod talis cultus ſit Babel, conſtat paſſim ex Verbo, ubi deſcribitur Babel, ut apud Danielem, ubi Statua, quam vidit Nebuchadnezar Rex Babelis in ſomnio, cujus caput aurum, pectus & brachia argentum, venter & femora æs, crura ferrum, pedes partim ferrum partim argilla, ſignificat quod ex vero cultu demum talis cultus, qualis vocatur Babel, factus, quare etiam e petra exciſus lapis contrivit ferrum, æs, argillam, argentum & aurum, Dan: II: 31, 32, 44, 45. Statua auri, quam erexit Nebuchadnezar Rex Babelis, quam adorarent, nec aliud erat, Dan: III: 1 ad f. Similiter quod Rex Babelis cum magnatibus, ex vaſis auri, quæ erant ex Templo Hieroſolymæ, biberent vinum, & laudarent deos auri, argenti, æris, ferri & lapidis, & ideo ſcriptura in pariete, Dan: V: 1, ad f. Tum quod Darius Medus, mandaverit, ut adoraretur pro deo, Dan: VII: ad f. ut & Beſtiæ in ſomnio viſæ Danieli, Dan: VII: 1, ad f. ſimiliter etiam Beſtiæ & Babel apud Johannem in Apocalypſi: quod talis cultus ſignificatus & repræſentatus, conſtat manifeſte non modo apud Danielem & Johannem, ſed etiam apud Prophetas; apud Eſaiam, "Facies flammarum facies eorum; "ſtellæ cœlorum & ſidera eorum non lucent luce ſua; obtenebratus eſt ſol in "ingreſſu ſuo; & luna non ſplendere facit lucem ſuam: cubant ibi ziim, "& implentur domus eorum ochim, & habitant ibi filiæ noctuæ, & ſatyri "ſaltant ibi, & reſpondent iim in palatiis ejus, & dracones in ædibus volup-"tatis," XIII: 8, 10, 21, 22. ubi agitur de *Babele*, & deſcribitur internum cultus talis, per facies flammarum quæ ſunt cupiditates, per quod ſtellæ, quæ ſunt veritates fidei, non luceant, per quod ſol, qui eſt amor ſanctus, obtenebretur, per quod luna, quæ eſt verum fidei, non ſplendeat, per ziim, ochim, filias noctuæ, ſatyros, iim, dracones, quod ſint interiora cultus, nam

talia

talia ſunt amoris ſui ſeu proprii: quare etiam *Babel* apud Johannem vocatur mater ſcortationum & abominationum, Apoc: XVII: 5. & apud Eundem, "Habitaculum draconum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia "omnis avis immundæ & exoſæ," Apoc: XVIII: 2. ex quibus patet, cum talia intus, quod non poſſit eſſe aliquid boni & veri fidei; & quod in tantum recedant bona affectionis & vera fidei, in quantum illa intrant: vocantur ea quoque ſculptilia deorum Babelis, Eſai: XXI: 9. Quod ſit amor ſui ſeu proprium, quod in cultu, ſeu quod ſit cultus ſui, conſtat manifeſte apud Eſaiam, "Propheta parabolam hanc ſuper *regem Babelis*: tu dixiſti in corde tuo, "cœlos aſcendam, ſupra ſtellas Dei exaltabo thronum meum, & ſedebo in "monte conventus, in lateribus ſeptentrionis; aſcendam ſupra excelſa nubis; "ſimilis fiam Altiſſimo, verumtamen ad infernum dejectus eris," XIV: 4, 13, 14, 15. ubi manifeſte quod Babel ſit qui pro deo vult coli, hoc eſt, quod ſit cultus ſui. Apud Eundem, "Deſcende, & ſede ſuper pulvere vir-"go *filia Babelis*, ſede in terra, non thronus, *filia chaldæorum*, confiſa es in "malitia tua, dixiſti, nullus videns me, ſapientia tua & ſcientia tua ea aver-"tit te, dixiſti in corde tuo, ego & non ſicut ego præterea," XLVII: 1, 10. Apud Jeremiam, "Ecce ego, contra te mons corrumpens, corrumpens to-"tam terram, & extendam manum meam ſupra te, & devolvam te de petris, "& dabo te in montem combuſtionis: ſi aſcenderit *Babel* in cœlos, & ſi mu-"niverit excelſum roboris ſui, a mecum venient vaſtatores ei," LI: 25, 53. inde quoque patet, quod Babel ſit cultus ſui. Quod nulla iis lux veri, ſed mera caligo, hoc eſt, quod non iis verum fidei, deſcribitur apud Jeremiam, "Verbum quod loquutus eſt Jehovah contra *Babelem*; contra *terram Chal-*"*dæorum*; aſcendet ſuper eam gens a ſeptentrione, hæc ponet terram ejus in "deſolationem, & non erit habitans in ea, ab homine uſque ad beſtiam ſe di-"movebunt, abibunt," L: 1: 3. ſeptentrio pro caligine, ſeu non vero; non homo & non beſtia, pro non bono: videantur plura de Babele infra ad verſ: 28, ubi de Chaldæa.

1327. Quod confudit Jehovah labium totius terræ, ſignificet Eccleſiæ hujus Antiquæ ſtatum, quod internus cultus perire inciperet, conſtat ex eo, quod dicatur labium totius terræ, non ut prius verſ: 7. labium eorum qui ædificare cœperunt urbem & turrim; per faciem totius terræ ſignificatur ſtatus Eccleſiæ, nam terra eſt Eccleſia, ut oſtenſum prius n: 662, 1066. Cum Eccleſiis poſt diluvium ita ſe res habuit; fuerunt tres Eccleſiæ, quæ memorantur in ſpecie in Verbo, nempe Eccleſia Antiqua Prima, quæ a Noacho nominata fuit; Eccleſia Antiqua altera, quæ ab Ebero; & Eccleſia Antiqua tertia, quæ a Jacobo, & poſtea a Jehuda & Iſraele: quod Primam Eccleſiam attinet, quæ nempe Noachus dicta, illa fuit ſequentium ſicut parens, & ſicut ſolent Eccleſiæ in ſuis initiis, magis illibata & inſons, ut conſtat quoque a primo verſu hujus Capitis, quod ei fuerit unum labium, hoc eſt, una doctrina, nempe omnibus charitas pro eſſentiali; ſed temporis ſucceſſu cœpit, ut ſolent Eccleſiæ, etiam labi, & quidem imprimis ex eo, quod plures eorum cœperint

rint derivare cultum in ſemet, ut ita eminerent præ aliis, ſicut ſupra ex verſ: 4. conſtat, "dixerunt enim, ædificemus nobis urbem & turrim, & "caput ejus in cœlo, & faciamus nobis nomen," tales in Eccleſia non potuerunt aliter eſſe quam ſicut fermentum quoddam, aut ſicut torres ex quo incendium; cum periculum prophanationis ſancti inde, de quo n: 571, 582, immineret, ſtatus hujus Eccleſiæ, ex Providentia Domini, mutatus eſt, nempe quod periret cultus ejus internus & remaneret externus, quod hic ſignificatur per quod Jehovah confuderit labium totius terræ: exinde quoque conſtat, quod talis cultus, qui vocatur Babel, non invaluerit in Prima Antiqua Eccleſia, ſed in ſequentibus, cum inceperunt homines coli pro diis, imprimis poſt mortem, inde tot gentium dii. Cur permiſſum, quod cultus internus periret, & externus maneret, cauſa eſt, ne prophaneretur ſanctum; prophanatio ſancti ſecum habet damnationem æternam; prophanare ſanctum nemo poteſt, niſi qui cognitiones fidei habet, & qui agnoſcit illas, qui autem non habet, non poteſt agnoſcere, minus prophanare; interna ſunt quæ prophanari poſſunt, nam in internis eſt ſanctum, non autem in externis; ſe habet hoc ſicut homo, qui facit malum, nec cogitat malum, ei non imputari poteſt malum quod facit, ut non ei qui non deliberato animo facit, aut ei cui non rationale; ita qui non credit dari vitam poſt mortem, ſed uſque cultum externum habet, is non prophanare poteſt illa quæ ſunt vitæ æternæ, quia non credit dari; aliter ſe habet cum illis qui norunt, & qui agnoſcunt; hoc quoque cauſa eſt, quod permittatur homini in voluptatibus, inque cupiditatibus potius vivere, ſeque per eas removere ab internis, quam ut in cognitionem & agnitionem internorum veniat, & illa prophanet; Judæis ideo permittitur ſe avaritiæ hodie immergere, ut ſic elongentur eo magis ab agnitione internorum, nam ſunt tales, ut ſi agnoſcerent, non potuiſſent aliter quam prophanare; nihil magis ab internis removet, quam avaritia, quia eſt cupiditas infima terreſtris; ſimiliter ſe habet cum multis intra Eccleſiam, & ſimiliter ſe habet cum gentibus extra Eccleſiam, hæ, nempe gentes, omnium minime prophanare poſſunt: hæc nunc cauſa eſt, quod hic dicatur, quod Jehovah confuderit labium totius terræ, & quod hæc ſignificent Eccleſiæ ſtatum quod mutatus, nempe quod cultus ejus externus factus, in quo nullus internus: ſimile repræſentatum & ſignificatum fuit per captivitatem Babylonicam, in quam abducti ſunt Iſraelitæ, & poſtea Judæi, de qua ita apud Jeremiam, "Et erit gens & regnum, quæ non "ſerviverint regi *Babelis*, & qui non dederit collum ſuum in jugo *regis Ba-* "*belis*, gladio, & fame, & peſte viſitabo ſuper gentem hanc, donec conſu-"mam eos per manum ejus," xxvii: 8. ſeq: ſervire regi Babelis & dare collum in jugo ejus, eſt prorſus privari cognitione & agnitione boni & veri fidei, ita cultu interno; quod adhuc manifeſtius conſtat apud Eundem prophetam, "Sic dixit Jehovah ad omnem populum in urbe hac, fratres veſtros, "qui non exiverunt vobiſcum in captivitatem, ſic dixit Jehovah Zebaoth, "ecce Ego mittens in eos gladium, famem & peſtem, & dabo eos ſicut ficus "horridas," xxix: 16, 17. remanere in urbe, & non exire ad regem Babelis, repræſentabat & ſignificabat eos, qui in cognitionibus internorum, ſeu

veritatum

veritatum fidei eſſent, & prophanarent illa, in quos dicitur quod mitteretur gladius, fames, peſtis, quæ ſunt pœnæ prophanationis, & quod fierent ſicut ficus horridæ. Quod per Babelem ſignificentur illi, qui deprivant alios omni cognitione & agnitione veri, etiam repræſentatum & ſignificatum eſt per hæc apud Eundem prophetam, " Omnem Jehudam dabo in manum regis *Babelis*, " & tranſportabit eos in *Babel*, & percutiet eos gladio, & dabo omnes opes " urbis hujus, & omnem laborem ejus, & omne pretioſum ejus, & omnes " theſauros Regum Jehudæ, dabo in manum hoſtium eorum, & diripient ea " & capient ea," xx : 4, 5. ubi per omnes opes, omnem laborem, omne pretioſum, omnes theſauros regum Jehudæ, in ſenſu interno, ſignificantur cognitiones fidei. Apud Eundem, " Cum familiis ſeptentrionis regem *Ba-* " *belis* adducam ſuper terram hanc, & ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes " gentes iſtas circumcirca, & devotioni dabo eos, & ponam eos in deſolati- " onem, & in ſibilum, & in vaſtitates ſæculi, & erit tota terra hæc in vaſti- " tatem," xxv : 9, 11. ubi vaſtatio interiorum fidei, ſeu interni cultus, per Babelem, deſcribitur ; cui enim cultus ſui, ei nullum verum fidei, ut prius oſtenſum, is perdit & vaſtat, inque captivitatem abducit omne quod verum eſt, quare etiam Babel vocatur mons corrumpens, Jerem : LI : 25. porro videantur quæ de Babele dicta prius n : 1182.

1328. Et inde diſperſit eos Jehovah ſuper facies totius terræ, quod ſignificet quod cultus internus nullus factus, conſtare poteſt a ſignificatione diſpergi, quod ſit diſſipari ; in ſenſu proximo ſignificantur, per diſpergi ſuper facies totius terræ, illi, qui urbem Babelis ædificare vellent, ſed quia illi ſunt qui deprivant alios omni cognitione veri, ut dictum eſt, ſimul per hæc ſignificatur privatio cultus interni, unum enim eſt conſequens alterius, hic eſt conſequens, quia tertia vice dicitur : quod Prima Antiqua Eccleſia deprivata fuerit cognitionibus veri & boni, conſtat inde, quod gentes, quæ conſtituerunt Eccleſiam illam Antiquam, factæ ſint ad plurimam partem idololatræ, & uſque cultum quendam externum habuerint : qui idololatræ ſunt extra Eccleſiam, eorum ſors multo melior eſt ſorte eorum qui idololatræ ſunt intra Eccleſiam, illi ſunt idololatræ externi, hi autem interni : quod ſors illorum melior ſit, conſtat ab illis quæ Dominus dicit, apud Luc : XIII : 23, 28, 29, 30. Matth: VIII : 11, 12. hæc nunc cauſa eſt, quod ſtatus Eccleſiæ hujus Antiquæ mutatus.

1329. Verſ : 10. *Hæ nativitates Schemi ; Schem filius centum annorum, & genuit Arphachſchad, duobus annis poſt diluvium.* Hæ nativitates Schemi, ſignificant derivationes alterius Eccleſiæ Antiquæ ; Schem eſt cultus internus in genere : centum anni ſignificant ſtatum Eccleſiæ iſtius in principio : Arphachſchad fuit gens ita nominata, per quam ſignificatur ſcientia : duobus annis poſt diluvium, ſignificat alteram Eccleſiam poſtdiluvianam.

1330. Hæ nativitates Schemi, quod ſignificent derivationes alterius Eccleſiæ Antiquæ, conſtat a ſignificatione Nativitatum, quod ſit origo & derivatio doctrinalium & cultuum, ut dictum prius n : 1145 : Nativitates hic & alibi in Verbo non aliæ ſunt quam quæ ſunt Eccleſiæ, ita quæ ſunt doctrinalium & cultuum ;

cultuum; internus ſenſus Verbi nihil aliud involvit; quare cum Eccleſia aliqua naſcitur, dicitur quod Nativitates illius ſint, ut cum Eccleſia Antiquiſſima Gen: Cap: II: 4. "Hæ *Nativitates* cœlorum & terræ," pariter cum cæteræ Eccleſiæ ante diluvium, quæ ſucceſſerunt, Cap: v: verſ: 1. "Hic "liber *Nativitatum*;" ſimiliter Eccleſiæ poſt diluvium, quæ tres fuerunt, Prima Noachus dicta; Altera ab Ebero nominata; Tertia a Jacobo, hæc poſtea a Jehuda & Iſraele; Prima Eccleſia cum deſcribitur, ſimiliter inchoatur Cap: præc: verſ: 1. "Hæ *Nativitates* filiorum Noachi": hæc Altera ab Ebero nominata, ſimiliter in hoc verſu, "Hæ *Nativitates* Schemi": Tertia quoque verſu 27 hujus Capitis, "Hæ *Nativitates* Therachi": quare Nativitates nihil aliud ſignificant quam origines & derivationes doctrinalium & cultuum Eccleſiæ, quæ deſcribitur. Quod nativitates ſecundæ hujus Eccleſiæ, a Schemo ducantur, ſeu quod initium ejus deſcribatur a Schemo, cauſa eſt, quia Schemus ſignificat cultum internum, hic cultum internum hujus Eccleſiæ; non quod cultus internus hujus Eccleſiæ fuerit talis cultus internus, qualis in Cap: præc: ſignificatus eſt per Schemum, ſed modo quod ſit cultus internus hujus Eccleſiæ.

1331. Quod Schem ſit cultus internus in genere, inde nunc conſtat; qualis cultus internus hujus Eccleſiæ fuerit, patet ab illis qui nominantur ſucceſſive a Schemo, nempe quod fuerit ſcientificum; quod etiam confirmatur a numeris annorum, dum introſpiciuntur, & evolvuntur.

1332. Quod centum anni ſignificent ſtatum Eccleſiæ iſtius in genere, conſtat ab illis quæ de numeris & annis in genere dicta & oſtenſa ſunt prius n: 482, 487, 488, 493, 575, 647, 648, 755, 813, 893, quod ſignificent tempora & ſtatus; ſed qui & quales ſtatus per numerum annorum centum, tum per numeros annorum in ſequentibus hujus Capitis, ſignificentur, prolixum foret exponere; præter quod etiam ſit implexum.

1334. Quod Arphachſchd fuerit gens ita nominata, & quod per eam ſignificetur ſcientia, Cap: præc: ad verſ: 24, n: 1226, dictum eſt.

1335. Duobus annis poſt diluvium, quod ſignificet alteram Eccleſiam poſtdiluvianam, inde conſtare poteſt, quod per Annum in Verbo, ſicut etiam per Diem, & per Septimanam, ſignificetur integra periodus, minor aut major, pauciorum aut plurium annorum, imo abſtracte periodus, ut videri poteſt ab illis locis, quæ prius n: 488 & 893 allata ſunt: ſimiliter hic, duobus annis poſt diluvium, quibus ſignificatur ſecunda periodus Eccleſiæ, quæ fuit cum Eccleſia hæc altera inchoavit.

1336. Verſ: 11. *Et vixit Schem, poſtquam genuit illum Arphachſchad, quingentis annis; & genuit filios & filias.* Vixit Schem poſtquam genuit Arphachſchad 500 annis, ſignificant durationem & ſtatum; Schemus ſignificat, hic ut prius, cultum internum in genere; Arphachſchad ſcientiam: & genuit filios & filias ſignificat doctrinalia.

1337. Quod hæc ſignificentur, non opus eſt confirmare, conſtat ex ſignificatione eorundem, de qua prius: ſolum quod internus cultus hujus Eccleſiæ non aliud fuerit quam quoddam ſcientificum, ita quoddam amoris, qui vocari

cari poteſt amor veri, cum enim hæc Eccleſia incepit, vix aliqua charitas reſidua fuit, ita nec fides, quæ ſolius charitatis, ut quoque a mox præcedentibus conſtat de urbe & turri Babelis, quod nempe Jehovah confudit labium totius terræ, verſ: 9.

1338. Quod gignere filios & filias, ſignificet doctrinalia, conſtat ex ſignificatione filiorum prius, n: 264, 489, 490, 491, 533.

1339. Verſ: 12. *Et Arphachſchad vixit quinque & triginta annis, & genuit Schelachum.* Arphachſchad vixit 35 annis, ſignificat initium ſecundi ſtatus hujus Eccleſiæ, tum ipſum ejus ſtatum alterum; per Arphachſchad ſignificatur, hic ut prius, ſcientia: & genuit Schelachum, ſignificat derivationem inde; Schelach fuit gens ita nominata, per quam ſignificatur id quod ſcientiæ.

1340. Quod hæc ſignificentur, nec opus eſt confirmare: quod Schelach fuerit gens ita nominata, & per eam ſignificetur id quod eſt ſcientiæ, prius Cap: præc: verſ: 24 dictum eſt.

1341. Verſ: 13. *Et vixit Arphachſchad, poſtquam genuit illum Schelachum, tribus annis & quadringentis annis, & genuit filios & filias.* Vixit Arphachſchad poſtquam genuit Schelachum 403 annis, ſignificat durationem & ſtatum; Arphachſchad hic ut prius ſcientiam; & Schelach id quod eſt ſcientiæ: & genuit filios & filias, ſignificat doctrinalia.

1342. Verſ: 14. *Et Schelach vixit triginta annis, & genuit Eberum.* Schelach vixit 30 annis, ſignificat initium tertii ſtatus; Schelach ſignificat, hic ut prius, id quod eſt ſcientiæ: & genuit Eberum, ſignificat derivationem inde; Eberus fuit gens, quæ gens Hebræa ab Ebero ut a ſuo patre nominata, per quam ſignificatur Eccleſiæ Secundæ Antiquæ cultus in genere.

1343. Quod Eberus fuerit gens, quæ gens Hebræa ut a ſuo patre nominata, & quod per eam ſignificetur Eccleſiæ Secundæ Antiquæ cultus in genere, conſtat a Verbi hiſtoricis, ubi paſſim nominatur; ex illa gente, quia ibi cultus novus inchoatus, omnes vocati ſunt Hebræi, qui ſimilem cultum habuerunt: cultus eorum fuit, qualis poſtea reſtauratus apud Jacobi poſteros; & ejus præcipuum conſtabat in eo, quod Deum ſuum appellaverint Jehovam, & quod Sacrificia habuerint: Antiquiſſima Eccleſia unanimiter agnovit Dominum, & Ipſum Jehovam nominavit, ut conſtat quoque a primis Capitibus Geneſeos, & alibi in Verbo: Antiqua Eccleſia, hoc eſt, illa quæ fuit poſt diluvium, etiam agnovit Dominum, & Ipſum appellavit Jehovam, illi imprimis, qui internum cultum habuerunt & dicti ſunt filii Schemi; cæteri, qui in externo cultu fuerunt, agnoverunt quoque Jehovam, & Ipſum coluerunt; ſed cum cultus internus factus eſt externus, & magis cum idololatricus, & cum unaquævis gens habere cæpit ſuum deum quem coluit, gens Hebræa retinuit nomen Jehovæ, & appellavit Deum ſuum Jehovam, & in hoc diſtinguebantur a cæteris gentibus: Jacobi poſteri in Ægypto, cum cultu externo, etiam perdiderunt hoc, quod Deus eorum appellaretur Jehovah, imo ipſe Moſes; quare inſtructi ſunt omnium primum, quod Jehovah eſſet Deus Hebræorum, & Deus Abrahami, Iſaci & Jacobi, ut conſtare poteſt ab his apud Moſen, " Jehovah dixit ad Moſen, intrabis tu & ſeniores Iſraelis ad re-

" gem Ægypti, & dicetis ad eum, *Jehovah Deus Hebræorum* obviam venit " nobis, & nunc eamus quæſo iter trium dierum in deſertum, & *ſacrificemus Jehovæ Deo noſtro*," Exod: III: 18. apud Eundem, " Dixit Pharao, " quis *Jehovah*, cujus audiam vocem, ad dimittendum Iſraelem, non novi " *Jehovam*, etiamque Iſraelem non dimittam; & dixerunt, *Deus Hebræorum* " obviam venit nobis; eamus quæſo iter trium dierum in deſertum, & *ſacri-* " *ficemus Jehovæ Deo noſtro*," Exod: V: 2, 3. quod Jacobi poſteri perdiderint in Ægypto, cum cultu, etiam nomen Jehovæ, conſtare poteſt ab his apud Moſen, " Dixit Moſes ad Deum, ecce ego cum venero ad filios Iſraelis, & dixero " ad illos, Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos, & dixerint mihi, quod- " nam *nomen* illius, quid dicam ad eos; & dixit Deus ad Moſen, *Sum Qui* " *Sum*, & dixit ita dices filiis Iſraelis, *Sum* miſit me ad vos; & dixit amplius " Deus ad Moſen, ita dices ad filios Iſraelis, *Jehovah Deus patrum veſtrorum*, " Deus Abrahami, Deus Iſaci, & Deus Jacobi, miſit me ad vos, hoc *No-* " *men meum* in æternum," Exod: III: 13, 14, 15. inde patet, quod etiam Moſes neſciverit; & quod diſtinguerentur a cæteris per nomen Jehovæ Dei Hebræorum; inde etiam alibi Jehovah nominatur Deus Hebræorum, " Dices " ad Pharaonem, *Jehovah Deus Hebræorum* miſit me ad te," Exod: VII: 16. Intra ad Pharaonem, & loquere ad eum, ſic dixit *Jehovah Deus Hebræorum*," Exod: IX: 1, 13. " Intravit Moſes & Aharon ad Pharaonem, & dixerunt ad eum, ita dixit *Jehovah Deus Hebræorum*," Exod: X: 3. apud Jonam," *Hebræus* ego, & *Jehovam* Deum cœlorum ego timens," I: 9. tum quoque apud Samuelem, " Audiverunt Philiſtæi vocem acclamationis, dixerunt, quæ " vox acclamationis magnæ hujus in caſtris *Hebræorum*, & cognoverunt " quod arca *Jehovæ* veniſſet ad caſtra; Philiſtæi dixerunt, væ nobis, quis " liberabit nos e manu *Deorum magnificorum* horum; hi illi *dii*, qui percuſ- " ſerunt Ægyptios omni plaga in deſerto, eſtote in viros Philiſtæi, ne ſervi- " atis *Hebræis*," I Sam: IV: 6, 8, 9. ibi quoque patet, quod gentes diſtinguerentur per deos, quos nominarent, & quod gens Hebræa per Jehovam. Quod alterum eſſentiale cultus Gentis Hebrææ conſtituerint Sacrificia, patet quoque a locis ſupra adductis Exod: III: 18. Cap: V: 2, 3. tum ex eo, quod Ægyptii abominati ſint gentem Hebræam propter hunc cultum, ut conſtat ex his apud Moſen, " Dixit Moſes, non rectum ad faciendum ſic, quia *Abominationem Ægyptio-* " *rum ſacrificaremus Jehovæ Deo noſtro*; ecce *ſacrificaremus abominationem Ægyp-* " *tiorum* in oculis eorum, nonne lapidabunt nos," Exod: VIII: 22. quare etiam Ægytii abominati ſunt gentem Hebræam, uſque adeo, ut nec cum iis comedere panem vellent, Gen: XLIII: 32. inde quoque patet, quod poſteritas Jacobi non ſola fuerit gens Hebræa, ſed omnes qui talem cultum habuerunt, quare etiam terra Canaan vocatur terra Hebræorum tempore Joſephi, " Joſephus dixit, furto " ablatus ſum e *terra Hebræorum*," Geneſ: XL: 15. quod ſacrificia apud idololatras in terra Canaane fuerint, multis conſtare poteſt, ſacrificabant enim ſuis diis, Balibus & aliis; præter quod Bileamus, qui fuit e Syria, ubi Eberus, ſeu unde gens Hebræa, antequam poſteri Jacobi venerunt in terram Canaanem, non modo ſacrificia obtulit, ſed etiam Jehovam Deum ſuum vocavit;

quod

quod Bileamus e Syria, unde gens Hebræa, Num: xxiii: 7. quod ſacrificia obtulit, Num: xxii: 39, 40. Cap: xxiii: 1, 2, 3, 14, 29. quod Jehovam Deum ſuum vocavit: Num: xxii: 18, & paſſim ibi. Quod de Noacho, Cap: viii: verſ: 20 dicatur, quod obtulerit holocauſta Jehovæ, non eſt hiſtoricum verum, ſed hiſtoricum factum, quia per holocauſta ſignificatum ſanctum cultus, ut ibi videatur. Ex his nunc patet, quid per Heberum, ſeu per gentem Hebræam ſignificetur.

1344. Verſ: 15. *Et vixit Schelach, poſtquam genuit illum Eberum, tribus annis & quadringentis annis, & genuit filios & filias.* Vixit Schelach poſtquam genuit Eberum 403 annis, ſignificat durationem & ſtatum; Schelach, hic ut prius, id quod ſcientiæ; Eberus, hic quod prius, hujus Eccleſiæ cultum in genere: & genuit filios & filias, ſignificat doctrinalia.

1345. Verſ: 16. *Et vixit Eberus quatuor & triginta annis, & genuit Pelegum.* Vixit Pelegus 34 annis, ſignificat initium quarti ſtatus hujus Eccleſiæ; Eberus hic, ut prius, cultum hujus Eccleſiæ in genere: & genuit Pelegum, ſignificat derivationem inde; Peleg fuit gens ab illo ut a ſuo patre ita nominata, per quam ſignificatur cultus externus.

Quod Peleg hic ſignificet cultum externum, ſequitur ex ſerie derivationum cultus, ita a derivatione ejus; in Cap: præc: verſ: 25 aliud ex ſignificatione nominis, quod in diebus ejus diviſa ſit terra, & quia ibi una cum fratre ſuo Joktan repræſentabat Eccleſiam illam.

1346. Verſ: 17. *Et vixit Eberus, poſtquam genuit illum Pelegum, triginta annis & quadringentis annis, & genuit filios & filias.* Vixit Eberus poſtquam genuit Pelegum 430 annis, ſignificat durationem & ſtatum; per Eberum & Pelegum ſignificatur hic ut prius: & genuit filios & filias, ſignificat doctrinalia quæ ſunt ritualia.

1347. Verſ: 18. *Et vixit Peleg triginta annis, & genuit Reu.* Vixit Peleg 30 annis, ſignificat initium quinti ſtatus; per Peleg ſignificatur hic ut prius: & genuit Reu, ſignificat derivationem inde; Reu fuit gens ab illo ut a ſuo patre ita nominata, per quam ſignificatur cultus adhuc magis externus.

1348. Verſ: 19. *Et vixit Peleg, poſtquam genuit illum Reu, novem annis & ducentis annis; & genuit filios & filias.* Vixit Peleg poſtquam genuit Reu 209 annis, ſignificat durationem & ſtatum; per Peleg & Reu ſignificatur hic quod prius: & genuit filios & filias, ſignificat ritualia.

1349. Verſ: 20. *Et vixit Reu duobus & triginta annis, & genuit Serugum.* Vixit Reu 32 annis, ſignificat initium ſexti ſtatus; per Reu ſignificatur hic ut prius: & genuit Serugum, ſignificat derivationem inde; Serug fuit gens ab illo ut a ſuo patre ita nominata, per quam ſignificatur cultus in externis.

1350. Verſ: 21. *Et vixit Reu, poſtquam genuit illum Serugum, ſeptem annis & ducentis annis; & genuit filios & filias.* Vixit Reu poſtquam genuit Serugum 207 annis, ſignificat durationem & ſtatum; per Reu & per Serug, ſignificatur hic ut prius: & genuit filios & filias, ſignificat ritualia talis cultus.

1351. Verſ: 22. *Et vixit Serug triginta annis, & genuit Nachorem.* Vixit

 Serug

Serug 30 annis, ſignificat initium ſeptimi ſtatus hujus Eccleſiæ; per Serug ſignificatur hic ut prius: & genuit Nachorem, ſignificat derivationem inde; Nachor fuit gens ab illo ut a ſuo patre ita nominata, per quam ſignificatur cultus vergens ad idololatricum.

1352. Verſ: 23. *Et vixit Serug, poſtquam genuit illum Nachorem, ducentis annis; & genuit filios & filias.* Vixit Serug poſtquam genuit Nachorem 200 annis, ſignificat durationem & ſtatum; per Serug & Nachorem ſignificatur hic ut prius: & genuit filios & filias, ſignificat ritualia iſtius cultus.

1353. Verſ: 24. *Et vixit Nachor novem & viginti annis; & genuit Therachum.* Vixit Nachor 29 annis, ſignificat initium octavi ſtatus hujus Eccleſiæ; per Nachorem ſignificatur, hic ut prius, cultus vergens ad idololatricum: & genuit Therachum, ſignificat derivationem inde; Therachus fuit gens ab illo ut a ſuo patre ita nominata, per quam ſignificatur cultus idololatricus.

1354. Verſ: 25. *Et vixit Nachor poſtquam genuit illum Therachum, novendecim annis & centum annis; & genuit filios & filias.* Vixit Nachor poſtquam genuit Therachum 119 annis, ſignificat durationem & ſtatum; per Nachorem ſignificatur, hic ut prius, cultus vergens ad idololatricum; per Theracum cultus idololatricus: & genuit filios & filias, ſignificat ritualia idololatrica.

1355. Verſ: 26. *Et vixit Therach ſeptuaginta annis; & genuit Abramum, Nachorem & Haranem.* Vixit Therach 70 annis, ſignificat initium noni ſtatus, qui ultimus; per Therachum ſignificatur, hic ut prius, cultus idololatricus: & genuit Abramum, Nachorem, & Haranem, ſignificat derivationes inde; Abram, Nachor & Haran fuerunt perſonæ, a quibus etiam gentes nominatæ, quæ fuerunt idololatræ.

1356. Quod per Therachum ſignificetur cultus idololatricus, conſtare poteſt a derivationibus, de quibus a verſ: 20 huc uſque: Eccleſia hæc altera Antiqua, a cultu quodam interno degenerata eſt, & adulterata uſque ut demum facta ſit idololatrica, ut ſolent Eccleſiæ, quod ab internis ſuis vadant ad externa, & demum deſinant in meris externis, obliteratis internis: quod hæc Eccleſia talis facta, uſque, ut multa pars eorum non agnoverit Jehovam pro Deo, ſed quod coluerit alios deos, conſtat apud Joſuam, "Dixit Joſua ad omnem "populum; ſic dixit Jehovah Deus Iſraelis; trans fluvium habitarunt patres "veſtri a ſæculo, *Therachus* pater *Abrahami*, & pater *Nachoris*, & *ſerviverunt* "*diis aliis*," xxxiv: 2. "Nunc timete Jehovam, & ſervite Ipſi in integritate "& veritate; & removete *deos*, quibus *ſerviverunt patres veſtri* trans fluvi"um, & in Ægypto, & ſervite Jehovæ: & ſi malum in oculis veſtris ſer"vire Jehovæ, eligite vobis hodie, cui ſerviatis, ſive *diis, quibus ſerviverunt* "*patres veſtri*, qui trans fluvium, ſive diis Emorræi," ibid: verſ: 14, 15. ubi quod Therachus, Abram & Nachor, idololatræ fuerint, manifeſte patet. Quod Nachor gens fuerit, apud quam cultus idololatricus, conſtat quoque a Labane Syro, qui fuit in urbe Nachoris, & coluit imagines ſeu theraphim, quas abſtulit Rachel, Gen: xxiv: 10. Cap: xxxi: 19, 26, 32, 34. & quod alius fuerit deus Abrahami, alius deus Nachoris, & alius patris eorum ſeu

ſeu Therachi, conſtat ex Geneſ: XXXI: 53. manifeſte etiam dicitur de Abramo, quod Jehovah ei non notus fuerit, apud Moſen, "Ego Jehovah apparui "Abrahamo, Iſaco & Jacobo in Deo Schaddai, & *nomine meo Jehovah non* "*notus fui illis*," Exod: VI: 3. inde patet, quantum Eccleſia hæc apud hanc gentem deſciverit in cultum idololatricum, qui hic per Therachum ſignificatur; & quia per Therachum, etiam per Abramum, Nachorem, & Haranem.

1357. Tria genera univerſalia idololatriæ ſunt, primum eſt amoris ſui, alterum eſt amoris mundi, tertium eſt amoris voluptatum; cultus omnis idololatricus pro fine habet unum aut alterum ex his; cultus eorum non eſt propter alios fines, nam vitam æternam non ſciunt, nec curant, etiam negant: hæc tria genera Idololatriæ ſignificata ſunt per tres filios Therachi.

1358. Quod Abram, Nachor, & Haran, fuerint perſonæ, a quibus etiam gentes nominatæ, quæ fuerunt idololatræ, conſtat ex hiſtoricis Verbi; de Nachore oſtenſum eſt; ipſa enim urbs vocata erat urbs Nachoris, Gen: XXIV: 10; urbes illo tempore non fuerunt aliæ quam familiæ, quæ ſimul habitabant, & familiæ plures non aliæ quam gens: quod ex Abrahamo plures gentes natæ ſint, conſtat non ſolum ex poſteritate Iſmaelis ſeu Iſmaelitis, ſed etiam a poſteritate plurium ejus filiorum ex Kethurah uxore, qui nominantur Geneſ: XXV: 1, 2, 3, 4.

1359. Verſ: 27. *Et hæ nativitates Therachi; Therach genuit Abramum, Nachorem, & Haranem; & Haran genuit Lothum.* Hæ nativitates Therachi, ſignificant origines & derivationes idololatriæ, ex qua Eccleſia repræſentativa: Therachus fuit filius Nachoris, tum gens ab illo ut a ſuo patre nominata; per illum ſignificatur cultus idololatricus: Abram, Nachor & Haran fuerunt filii Therachi, tum gentes ab illis ut a ſuis patribus nominatæ; per illos hic ſignificantur cultus idololatrici inde: ex Lotho etiam fuerunt binæ gentes quæ idololatræ.

1360. Hæ nativitates Therachi, quod ſignificent origines & derivationes idololatriæ, ex qua Eccleſia repræſentativa; quod nativitates ſignificent origines & derivationes, ſupra in hoc Capite ad verſ: 10 oſtenſum eſt; hic nunc agitur de Tertia Eccleſia poſt diluvium, quæ ſucceſſit, cum Altera, de qua a verſu 10 huc uſque actum, in Theracho facta ſit idololatrica: quod Therachus, Abramus, Nachor, & Haran fuerint idololatræ, oſtenſum eſt, præter quod gentes ex illis, ut Iſmaelitæ & Midianitæ, aliique, qui fuerunt poſteri Abrami; præter alios in Syria ex Nachore; tum etiam Moabitæ & Ammonitæ, qui fuerunt poſteri Lothi.

1361. Quod ex idololatria, Eccleſia repræſentativa facta ſit, nullus ſcire poteſt, niſi ſciat quid Repræſentativum eſt; quæ in Eccleſia Judaica repræſentabantur, & quæ in Verbo, eſt Dominus, ac Ipſius Regnum, proinde cœleſtia amoris, & ſpiritualia fidei, hæc ſunt quæ repræſentantur, præter plura quæ ad illa pertinent, ſicut omnia quæ ſunt Eccleſiæ: repræſentantes, ſunt vel perſonæ, vel res quæ ſunt in mundo, aut ſuper tellure, verbo omnia quæ ſunt objecta ſenſuum, uſque adeo ut vix aliquid objectum ſit, quod non re-

præ-

præſentativum eſſe poſſit: ſed generalis lex repræſentationis eſt, quod nihil reflectatur ſuper perſonam aut ſuper rem, quæ repræſentat, ſed ſuper illud ipſum quod repræſentatur; ut pro exemplo; omnis Rex, quicunque fuit, in Juda & Iſraele, imo in Ægypto, & alibi, potuit repræſentare Dominum; ipſum Regium eorum eſt repræſentativum; ita potuit Rex omnium peſſimus, ſicut Pharao, qui erexit Joſephum ſuper terram Ægypti, Nebuchadnezar in Babele, Dan: 11: 37, 38. Saul, & cæteri Reges Jehudæ & Iſraelis, qualeſcunque fuerunt; ipſa unctio, unde appellati Uncti Jehovæ, hoc involuit: Similiter omnes Sacerdotes, quotcunque fuerunt, repræſentabant Dominum, ipſum Sacerdotale eſt repræſentativum; ſacerdotes, qui fuerunt mali & immundi, ſimiliter; quia in repræſentativis nihil reflectebatur ſuper perſonam, qualis fuit. Nec ſolum homines repræſentabant, ſed etiam beſtiæ, ſicut omnes quæ ſacrificabantur, agni & oves repræſentabant cœleſtia, columbæ & turtures ſpiritualia; arietes, hirci, juvenci & boves ſimiliter, ſed cœleſtia & ſpiritualia inferiora. Nec ſolum animata, ut dictum, repræſentabant, ſed etiam inanimata, ſicut Altare, imo lapides altaris, tum Arca & Tentorium cum omnibus quæ ibi, ut & Templum cum omnibus quæ ibi, quod cuivis notum eſſe poteſt, ita lucernæ, panes, veſtes Aharonis: nec ſolum hæc repræſentativa fuerunt, ſed etiam omnes ritus, qui fuerunt in Eccleſia Judaica. In Antiquis Eccleſiis, repræſentativa ſe extendebant ad omnia objecta ſenſuum, ſicut ad montes, & colles, adque valles, planities, fluvios, rivos, fontes, ciſternas, ad lucos, ad arbores in genere, & ad quamcunque arborem in ſpecie, uſque adeo ut unaquævis arbor aliquid certum ſignificaret, quæ poſtea, cum Eccleſia ſignificativa ceſſavit, facta ſunt repræſentativa; ex his conſtare poteſt, quid per Repræſentativa intelligatur: & quia non ſolum per homines, quicunque & qualeſcunque eſſent, ſed etiam per beſtias, tum etiam per inanimata, repræſentari potuerunt cœleſtia & ſpiritualia, illa nempe quæ ſunt Regni Domini in cœlis, & quæ ſunt Regni Domini in terris, inde conſtat, quid Eccleſia Repræſentativa. Repræſentativa ſe habuerunt, quod coram ſpiritibus & angelis, apparerent omnia ſancta, quæ fiebant ſecundum ritus mandatos, ut cum Summus Sacerdos lavaſſet ſe aquis, amictu pontificali indutus miniſtraret, coram candelis accenſis ſtaret, utcunque ille fuiſſet, etiam ſi vel immundiſſimus, & corde ſuo idololatra; ita quoque cæteri ſacerdotes; nam, ſicut dictum, in repræſentativis non reflectebatur ſuper perſonam, ſed ſuper ipſum illud quod repræſentabatur, prorſus abſtracte a perſona, ſicut abſtracte a bovibus, juvencis, agnis quæ ſacrificabantur, aut a ſanguine qui effundebatur circum altare, ut & abſtracte ab ipſo altari, & ſic porro. Eccleſia hæc repræſentativa inſtituta eſt, poſtquam omnis cultus internus periit, & cum factus non ſolum mere externus, ſed etiam idololatricus, ob cauſam, ut aliqua conjunctio cœli foret cum terra, ſeu Domini per cœlum cum homine; & hoc poſtquam periit conjunctio per interna cultus: ſed qualis conjunctio hæc ſit per ſola repræſentativa, ex Divina Domini Miſericordia, dicetur in ſequentibus. Repræſentativa non prius inchoantur quam in Capite ſequente, ubi omnia & ſingula quæ ibi & in ſequentibus, pure repræſentativa ſunt:

hic

hic agitur de ſtatu illorum, qui patres fuerunt, antequam quidam ex illis, & poſteri eorum repæſentativi facti, qui quod in idololatrico cultu fuerint, ſupra oſtenſum eſt.

1362. Quod Therachus fuerit filius Nachoris, & quoque gens ab illo ut a ſuo patre nominata, & quod per illum ſignificetur cultus idololatricus, prius oſtenſum eſt: quod Therachus fuerit gens, inde conſtare poteſt, quod gentes ex filiis ejus oriundæ illum agnoverint ut ſuum patrem, ſicut etiam filii Jacobi ſeu Judæi, & Iſraelitæ, tum Iſmaelitæ, Midianitæ & alii, Abramum; Moabitæ & Ammonitæ Lothum; quæ gentes tametſi non ab illis, ſed a filiis eorum nominatæ, uſque tamen quando omnes agnoſcunt communem patrem, ſeque vocant filios eorum, ut filios Therachi, ſeu filios Abrahami, ſeu filios Lothi, per unumquemque eorum ſignificatur gens in communi ſenſu, ita hic per Therachum, Abramum, Nachorem & Lothum, ſunt enim gentium ſtirpes ſeu radices: ſicut poſteri Jacobi, quorum omnes a duodecim filiis ejus nominati ſunt, ſed uſque vocantur Jacob & Iſrael; tum quoque ſemen & filii Abrahami, Joh: VIII: 33, 39.

1363. Quod Abram, Nachor & Haran, fuerint filii Therachi, & quod quoque gentes ab illis ut a ſuis patribus nominatæ, & quod per illos hic ſignificentur cultus idololatrici, conſtat ab illis quæ ſupra oſtenſa ſunt, tum quoque ex eo, quod per Therachum, cujus filii fuerunt, ſignificetur Idololatria: ſed quinam cultus idololatrici per tres Therachi filios, & dein per Lothum, filium Haranis, hic ſignificentur, conſtare poteſt, ex cultibus idololatricis, ſi inſpiciuntur ſecundum genera: Sunt cultus idololatrici in genere quatuor, unus interior altero, tres interiores ſunt ſicut filii unius parentis, quartus eſt ſicut filius tertii: Sunt cultus idololatrici interni & externi; interni ſunt, qui condemnant hominem, externi autem non ita; quo cultus idololatricus interior eſt, eo magis condemnat, at quo exterior, eo minus: interni idololatræ, non agnoſcunt Deum, ſed adorant ſe & mundum, & pro idolis habent omnes cupiditates, at externi poſſunt agnoſcere Deum, tametſi ignorant quis Deus univerſi: interni idololatræ cognoſcuntur a vita, quam ſibi acquiſiverunt, quæ vita quantum recedit a vita charitatis tantum interiores idololatræ ſunt, externi idololatræ ſolum ex cultu, qui tametſi idololatræ ſunt, uſque vitam charitatis poſſunt habere: interni idololatræ, poſſunt prophanare ſancta, at externi idololatræ non poſſunt; quare ne prophanentur ſancta, toleratur idololatria externa, ſicut conſtare poteſt ab illis quæ dicta prius n: 571. 582, & ſupra ad verſ: 9. n: 1327.

1364. Quod ex Lotho binæ gentes, quæ fuerunt idololatræ, conſtat a binis ejus filiis ex filiabus Gen: Cap: XIX: 37, 38, Moab & Ammi, ex quibus Moabitæ & Ammonitæ, qui quod idololatræ fuerint, a Verbo patet; hic memoratur Lothus ut pater cultuum idololatricorum per Moab & Ammi ſignificatorum.

1365. Verſ: 28. *Et mortuus Haran ſuper facies Therachi patris ſui in terra nativitatis ſuæ, in Ur Chaldæorum.* Mortuus eſt Haran ſuper facies Therachi, patris ſui, in terra nativitatis ſuæ, in Ur Chaldæorum, ſignificat quod interior

terior

terior cultus obliteratus ſit, & factus mere idololatricus: per Haran ſignificatur cultus idololatricus interior; per Therachum patrem ejus, ut prius, cultus idololatricus in genere; per terram nativitatis, origo unde derivatus: per Ur Chaldæorum ſignificatur cultus externus in quo falſa.

1366. Quod mortuus eſt Haran ſuper facies Therachi, patris ſui, in terra nativitatis ſuæ, in Ur Chaldæorum, ſignificet quod interior cultus obliteratus ſit, & factus mere idololatricus, conſtat a ſignificatione Haranis, Therachi, nativitatis, & Ur Chaldæorum, tum quod mortuus dicatur ſuper facies Therachi patris ſui: quod cultus interior obliteratus ſeu nullus factus ſit, ita ſe res habet; quod apud aliquam gentem non poſſit Eccleſia e novo exiſtere, priuſquam ita vaſtata ſit, ut nihil mali & falſi remaneat in cultu ejus interno; quamdiu malum eſt in cultu interno, impediuntur illa quæ bona & vera ſunt, quæ internum ejus cultum conſtituent; nam quamdiu ſunt mala & falſa, non poſſunt recipi bona & vera; quod conſtare poteſt ex eo, quod, qui in aliqua hæreſi nati ſunt, & ſe in falſis ejus confirmarunt ita ut ſibi prorſus perſuaſerint, difficile, ſi uſquam, poſſint perduci ad recipiendum vera, quæ eorum falſis contraria ſunt; aliter vero Gentes, quæ non ſciunt quid verum fidei, & uſque in charitate vivunt: quæ cauſa fuit, quod Eccleſia Domini non potuiſſet reſtaurari apud Judæos, ſed apud gentes, quæ nullas cognitiones fidei habuerunt: illi per falſa obtenebrant prorſus lucem veritatis, & ſic exſtinguunt, hæ vero non ita, nam non norunt quid verum fidei, & quod non norunt, nec poſſunt obtenebrare & exſtinguere. Quia nunc nova Eccleſia reſtauranda erat, illi, apud quos bona & vera fidei implantanda eſſent, aſſumti ſunt, apud quos omnis cognitio boni & veri fidei obliterata fuit, & ſicut gentes, idololatræ externi facti ſunt: de Theracho & Abramo ſupra oſtenſum eſt, quod tales fuerint, nempe coluerint alios deos, & ignoraverint Jehovam, proinde quid bonum & verum fidei, ita aptiores facti ad recipiendum ſemen veritatis, quam alii in Syria, apud quos adhuc manſerunt cognitiones; quod apud quoſdam manſerint, conſtat a Bileamo, qui fuit de Syria, qui non ſolum Jehovam coluit, ſed etiam ſacrificavit, & ſimul propheta fuit. Hæc nunc ſunt, quæ continentur in hoc verſu, nempe quod interior cultus obliteratus ſit, & factus mere idololatricus.

1367. Quod per Haranem ſignificetur cultus idololatricus interior, & per Therachum cultus idololatricus in genere, prius dictum & oſtenſum eſt. Quod per terram nativitatis ſignificetur origo, quodque inde derivatus cultus eorum idololatricus, conſtat ex ſignificatione nativitatis, quod ſit origo & derivatio, de qua ſupra ad verſ: 10 & 27.

1368. Quod per Ur Chaldæorum ſignificetur cultus externus, in quo falſa, conſtat ex ſignificatione Chaldæorum in Verbo: oſtenſum eſt ſupra ad verſ: 9. quod per Babelem ſignificetur cultus in quo interius ſunt mala, per Chaldæam autem ſignificatur cultus in quo interius ſunt falſa; proinde per Babelem ſignificatur cultus in quo intus nihil boni, & per Chaldæam cultus in quo intus nihil veri; cultus in quo intus nihil bonum & nihil verum, eſt cultus in quo interius eſt prophanum & idololatricum; quod talis cultus in Verbo

bo per Chaldæam ſignificetur, conſtare poteſt ab his locis; apud Eſaiam, "En *terra Chaldæorum*, is populus non eſt, Aſchur fundavit eam in tziim, "erigent ſpeculatorias turres ſuas, excitabunt palatia ſua, ponet eam in rui-"nam," XXIII: 13. terra Chaldæorum qui non populus pro falſis, Aſchur fundavit pro quod ratiocinia, ſpeculatoriæ turres pro phantaſiis. Apud Eundem, "Sic dixit Jehovah, Redemptor veſter, Sanctus Iſraelis, propter vos "miſi in *Babelem*, & dejeci vectes omnes eos, & *Chaldæos*, quorum in na-"vibus clamor," XLIII: 13. Babel pro cultu in quo interius malum, Chaldæi pro cultu in quo interius falſum, naves ſunt cognitiones veri quæ corruptæ. Apud Eundem, "Sede tacita, & intra in tenebras, *filia Chaldæorum*, quia non "addes, vocent te dominam regnorum, ſuccenſui populo meo, prophanavi "hæreditatem meam, & dedi eos in manum tuam, venient tibi duo iſta ſu-"bito in die uno, una orbitas & viduitas, ad plenum venient ſuper te prop-"ter multitudinem præſtigiarum tuarum, & propter magnitudinem incanta-"tionum tuarum," XLVII: 5, 6, 9. hic patet, quod Chaldæa ſit prophanatio veri, & vocatur præſtigiæ & incantationes. Apud Eundem, "Exite e *Babele*, "fugite e *Chaldæis*", XLVIII: 20, pro e prophanatione boni & veri in cultu. "Apud Ezechielem, Notas fac Hieroſolymæ abominationes ejus; pater tuus "Emorræus, & mater tua Chittæa; ſcortata es cum filiis Ægypti; ſcor-"tata es cum filiis Aſchuris; hinc multiplicaſti ſcortationem tuam uſque in "*terram Chaldæam*", XVI: 2, 3, 26, 28, 29. de Eccleſia Judaica in ſpecie, filii Ægypti pro ſcientificis, filii Aſchuris pro ratiociniis, terra Chaldæa, ad quam multiplicavit ſcortationem, pro prophanatione veri; quod per Ægyptum, Aſchurem & Chaldæam non intelligantur terræ, & quod non de alia ſcortatione, quiſque videre poteſt. Apud Eundem, "Scortata eſt Ohola, & di-"lexit ſuper amaſios, Aſſyrios propinquos, & ſcortationes ſuas ex Ægypto "non deſeruit, addidit ad ſcortationes ſuas, & vidit, viros, depictum ſuper "pariete, imagines *Chaldæorum*, pictas minio, cinctas cingulis in lumbis ſuis, "tiaras pendulas tinctas in capitibus ſuis, aſpectus ducum omnes, ſimilitudo "*filiorum Babelis*, *Chaldæorum*, terra *nativitatis* eorum, libidinoſe amavit eos ad "aſpectum oculorum ſuorum, & miſit nuntios ad eos in *Chaldæam*, *filii Ba-*"*belis* polluerunt eam per ſcortationes ſuas," XXIII: 5, 8, 14, 15, 16, 17, ubi Chaldæi vocantur filii Babelis, pro veris prophanatis in cultu; Ohola pro Eccleſia ſpirituali, quæ vocatur Samaria. Apud Habakuk, "Ego excitans "*Chaldæos*, gentem amaram & feſtinam, pergentem in latitudines terræ, ad "poſſidendum habitacula non ſibi, horribilis & terribilis, & ex ſeipſa judicium ejus & exaltatio ejus exit; cujus leves ſunt præ pardis equi, & oculi ſunt "præ lupis veſperæ, & diffundunt ſe equites ejus, & equites ejus e longinquo "adveniunt, advolant ſicut aquila feſtinans ad comedendum; tota ad vio-"lentiam venit; deſiderium anhelans facierum ejus orientem verſus", I: 6, 8, 9. deſcribitur hic gens Chaldæa per repræſentativa multa ſignificantia prophanationes veri in cultu. Præterea deſcribitur Babel & Chaldæa in binis Capitibus integris apud Jeremiam, Cap. L: & Cap: LI: ubi patet manifeſte,

 quid

quid per utramque ſignificetur, quod nempe per Babelem prophanatio cœleſtium, & per Chaldæam prophanatio ſpiritualium, in cultu. Ex his nunc conſtat quid per Ur Chaldæorum ſignificatur, quod cultus externus in quo interius prophanum idololatricum: quod talis eorum cultus fuerit, etiam datum eſt inſtrui ab ipſis.

1369. Verſ: 29. *Et accepit Abram & Nachor ſibi uxores; nomen uxoris Abrami Sarai, & nomen uxoris Nachoris Milkah, filia Haranis, patris Milkæ, & patris Iiſkæ.* Quod accepit Abram & Nachor ſibi uxores, & nomen uxoris Abrami Sarai; & nomen uxoris Nachoris Milkah, filia Haranis patris Milkæ, & patris Iiſkæ, ſignificant conjugia mali cum falſo in cultu idololatrico, quæ ita ſe habent; per maritos ſignificantur mala, per uxores falſa.

1370. Quod hæc ſignificentur, prolixum nimis foret exponere, ſic enim exponerentur genera & derivationes idololatriarum; hæc cognoſci aliunde nequeunt quam ab oppoſitis, nempe a prophanationibus ut cœleſtium amoris, ſpiritualium ejuſdem, tum rationalium quæ inde, demum ſcientificorum; ipſæ prophanationes illorum conſtituunt genera & ſpecies idololatriarum, non autem cultus idolorum, qui ſunt idololatriæ externæ, qui cultus conjuncti eſſe poſſunt cum affectionibus boni & veri & ſic cum charitate, ſicut apud gentes quæ in charitate mutua vivunt; interiores cultus idololatrici ſunt, qui per idololatricos cultus externos ſignificantur in Verbo: nativitates illorum, & generationes, tum conjugia, quæ ſunt mali & falſi, ſe prorſus habent ſecundum has propinquitates & ſecundum hæc conjugia, quæ in verſ: 27, & in hoc deſcripta ſunt.

1371. Verſ: 30. *Et fuit Sarai ſterilis, nulla ei proles:* quod eſſet Sarai ſterilis, nulla ei proles, ſignificat quod malum & falſum non magis ſe produceret.

1372. Hæc conſtare poſſunt a ſignificatione ſterilis, de qua alibi; filius enim & filia ſignificant, ut prius oſtenſum, verum & bonum, &, in oppoſito ſenſu, malum & falſum, inde ſterilis, quod malum & falſum cultus idololatrici ſe non magis produceret.

1373. Verſ: 31. *Et accepit Therach Abramum filium ſuum, & Lothum, filium Haranis, filium filii ſui, & Sarai nurum ſuam, uxorem Abrami filii ſui, & exiverunt cum illis ex Ur Chaldæorum, ad eundum in terram Canaan; & venerunt uſque ad Charan, & manſerunt ibi.* Hæc ſignificant, quod ii, qui in cultu idololatrico fuerunt, inſtruerentur in cœleſtibus & ſpiritualibus fidei, ut inde Eccleſia Repræſentativa exiſteret.

1374. Quod hæc ſignificentur, conſtare poteſt ex illis quæ ſupra dicta ſunt, & ex illis, quæ in Capite ſequente dicenda.

1375. Verſ: 32. *Et fuerunt dies Therachi, quinque anni & ducenti anni, & mortuus eſt Therach in Charan.* Fuerunt dies Therachi quinque anni & ducenti anni, ſignificant durationem & ſtatum cultus idololatrici per Therachum intellecti: & mortuus eſt Therach in Charan, ſignificat finem idololatriæ & principium Eccleſiæ Repræſentativæ per Abramum.

Con-

Continuatio de ſitu & loco, ut & de diſtantia & tempore, in altera vita.

1376. *Loquutus ſæpe cum ſpiritibus de idea loci & diſtantiæ apud eos, quod non ſit reale quoddam, ſed apparens ſicut foret, cum tamen non aliud ſint, quam ſtatus eorum cogitationis & affectionis qui ſic variantur, ac ſiſtuntur ita videndi in mundo ſpirituum, non ita in cælo apud angelos, cum non in idea loci & temporis ſunt, ſed in idea ſtatuum. Sed Spiritus, quibus corporeæ & terreſtres ideæ adhærent, id non capiunt, putantes ita prorſus eſſe ſicut vident; tales vix poſſunt adduci aliter credere quam quod in corpore vivant, & quod ſpiritus ſint nolunt perſuaderi, ita vix quod aliqua apparentia detur, nec quod aliqua fallacia, cupientes in fallaciis vivere; ita præcludunt ſibi ad capiendum & agnoſcendum vera & bona, quæ longiſſime a fallaciis diſtant. Oſtenſum iis pluries quod mutatio loci non ſit niſi apparentia, ut & fallacia ſenſus: ſunt enim binæ ſpecies mutationum loci in altera vita, una eſt de qua prius, quod omnes ſpiritus & angeli in Maximo Homine conſtanter ſitum ſuum teneant, quod eſt apparentia; altera eſt, quod ſpiritus appareant in uno loco, cum tamen ibi non ſunt, quod eſt fallacia.*

1377. *Quod locus, mutatio loci, & diſtantia ſit apparentia in mundo ſpirituum, inde conſtare potuit, quod omnes quotcunque animæ & ſpiritus fuerunt a prima creatione, appareant conſtanter in ſuis locis, nec uſquam mutent loca, niſi cum mutatur eorum ſtatus, & ſicut mutatur ſtatus, etiam iis variantur loca & diſtantiæ; ſed quia unuſquiſque habet ſtatum communem qui regnat, & mutationes ſtatus particulares & ſingulares uſque ſpectant communem, inde eſt quod poſt mutationes iſtas redeant ad ſuum ſitum.*

1378. *Informatus ſum, tam per loquelam cum angelis, quam per vivam experientiam, quod ſpiritus, ut ſpiritus, quoad organica quæ corpora eorum conſtituunt, non ſint in illo loco ubi videntur, ſed quod poſſint procul inde abeſſe, & uſque apparere ibi; ſcio quod illi qui a fallaciis ſe abduci patiuntur, non credituri, ſed uſque ſe ita res habet: hoc illuſtratum eſt coram iis ſpiritibus qui nihil crediderunt eſſe verum quod non oculis viderent, tametſi mera fallacia eſſet, per id, quod ſimile quoddam*

exhibeatur apud homines in mundo; ſicut ſonus loquentis in alterius aure, niſi ſciret homo a diſcriminationibus ſoni doctis per uſum ab infantia, & videret diſtantem, nihil aliud crederet quam quod loquens prope aurem eſſet: ſimiliter homo, qui videt aliqua a ſe remota, niſi videret ſimul intermedia, & inde noſſet, aut ex eo quod ſciat, concluderet diſtantiam, putaret objectum diſtans proxime ad oculum eſſe; magis adhuc loquela ſpirituum quæ loquela interior; tum viſus eorum qui eſt viſus interior: & porro dictum, quod ideo non dubitare minus negare debeant, quia non ita apparet coram ſenſibus, & id non percipere poſſint, cum manifeſta experientia dictat; ſicut etiam plura ſunt intra naturam, quæ contra fallacias ſenſuum ſunt, ſed quia viſibilis experientia docet, creditur; ut navigatio circum globum telluris, qui fallaciis ſe auferri patiuntur, crederent & navim & nautas, cum in oppoſito ſunt, delabi, & quod antipodes nuſquam ſtare poſſent pedibus: ſimiliter ſe habet cum hoc, & cum multis aliis in altera vita, quæ fallaciis ſenſuum contraria ſunt, & uſque ſunt vera; ſicut quod homo non vitam habeat a ſe, ſed a Domino, & perplura alia. Ex his & aliis potuerunt ſpiritus increduli, adduci ad credendum, quod ita ſe res habeat.

1379. *Ex his quoque conſtare poteſt, quod ambulationes & tranſlationes ſpirituum, & progreſſiones, quæ ſæpiſſime conſpiciuntur, nihil aliud ſint quam mutationes ſtatus; hoc eſt, quod ſicut mutationes loci appareant in mundo ſpirituum, ſed ſicut mutationes ſtatus in cælo; ſimiliter ac plura alia, quæ repræſentativa ſunt, & conſpicua ibi ſiſtuntur, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.*

1380. *Quod locus, mutatio loci, & diſtantia in altera vita quoque ſit fallacia, conſtare potuit ex eo, quod ſpiritus per phantaſias momento poſſint transferri in altum, imo in altiſſimum, etiam eodem momento in profundum, ut & quaſi ab uno fine univerſi ad alterum; imo præſtigiatrices & magici in altera vita per phantaſias inducunt aliis credere, quod, cum in uno loco, ſimul etiam in alio ſint, etiam in pluribus, ſic mentiendo quaſi præſentiam ubivis: qui alta ſpirarunt in vita corporis, ut & qui doloſi fuerunt, apparent ſæpe ſupra caput, ſed uſque ſunt in inferno ſub pedibus; ut primum iis adimitur faſtus, delabuntur in infernum ſuum, quod mihi oſtenſum: hoc non eſt apparentia, ſed eſt fallacia, nam, ut dictum, ſunt binæ ſpecies mutationum loci, quod nempe omnes ſpiritus & angeli conſtanter ſitum ſuum teneant, eſt apparentia; & quod appareant in uno loco, & non ibi eorum ſitus, eſt fallacia.*

1381. *Animæ & ſpiritus, qui nondum conſtantem ſitum in Maximo Homine ſortiti ſunt, feruntur ad varia loca, nunc huc nunc illuc, nunc videntur*

videntur ad latus unum nunc ad aliud, nunc ſupra nunc infra, vocantur animæ ſeu ſpiritus errantes, & comparantur fluidis in corpore humano, quæ ex ventriculo aſſurgunt, quandoque in caput, quandoque aliorſum, & transferuntur, ita hi ſpiritus, antequam ad deſignatum, & ſtatui eorum communi conformem ſitum veniunt; ſunt eorum ſtatus qui ita mutantur & errant.

1382. *Homines non poſſunt aliter ac confundere Infinitum Divinum cum infinito ſpatii, & quia non capiunt infinitum ſpatii aliter ac quod nihil ſit, ut quoque eſt, ideo nec credunt Infinitum Divinum: ſimiliter ſe habet cum Æterno, quod homines, non capere poſſunt niſi ſicut æternum temporis, ſed ſiſtitur uſque per tempus apud eos qui in tempore ſunt: ipſa idea Infiniti Divini inſinuatur Angelis per id, quod momento adſint ſub conſpectu Domini, ſi vel forent a fine univerſi, nullo intercedente ſpatio aut tempore: & ipſa idea Æterni Divini per id, quod millia annorum non appareant iis ut tempus, vix aliter ac ſicut vixiſſent minutum; & utrumque per id, quod in ſuo præſenti habeant ſimul præterita & futura: inde illis nulla ſollicitudo de futuris; nec uſquam aliqua idea mortis, ſed ſolum idea vitæ: ita in omni illorum præſenti eſt Domini Æternum & Infinitum.*

GENESEOS,

GENESEOS,

CAPUT DUODECIMUM.

De Perceptione Spirituum & Angelorum: deque Sphæris in altera vita.

1383. *INTER mirabilia in altera vita, ſunt Perceptiones; quarum duo genera ſunt; Unum quod eſt Angelicum, quod percipiant quid verum & bonum, & quid a Domino, quid a ſemet, tum quod cogitant, loquuntur & agunt, cum a ſemet, unde & quale ſit: Alterum genus eſt, quod commune omnibus, angelis in ſumma perfectione, & ſpiritibus ſecundum qualitatem ejus, quod ad primum adventum alterius, ſciant qualis eſt.*

1384. *Primum genus, quod Angelicum eſt, quod percipiant quid verum & bonum, percipiant quid a Domino, & quid a ſemet, tum, quod cogitant, loquuntur & agunt, cum a ſemet, unde & quale: loqui datum cum Antiquiſſimæ Eccleſiæ filiis de illorum Perceptione, dixerunt quod nihil ex ſe cogitent aut cogitare poſſint, & nihil ex ſe velint, ſed quod percipiant omnia & ſingula, quæ cogitant & volunt, quid a Domino & quid aliunde, percipiantque non modo quantum a Domino, & quantum velut a ſemet, ſed etiam, cum velut a ſemet, undenam, a quibus angelis, tum quales angeli, quæ eorum cogitata, cum omni differentia, ita qui influxus, & innumera alia. Perceptiones hujus generis ſunt cum multa varietate; apud Angelos cæleſtes, qui in amore in Dominum ſunt, eſt perceptio boni, & inde omnium quæ ſunt veri; & quia ex bono percipiunt verum, non admittunt loquelam, minus ratiocinationem de vero, ſed dicunt ita eſſe, vel non ita eſſe; Angeli vero Spirituales, qui quoque perceptionem habent, ſed non talem ut Cæleſtes, loquuntur de vero & bono; ſed uſque percipiunt, at cum differentia, nam varietates innumerabiles hujus Perceptionis ſunt; varietates ſe referunt ad hæc, quod percipiant num a Domini voluntate, num ex venia, & num ex permiſſione, quæ perquam diſtincta inter ſe ſunt.*

1385. *Sunt ſpiritus, qui ad provinciam Cutis imprimis ſquamoſæ pertinent, qui de omnibus volunt ratiocinari, nihil percipientes quid bonum & verum, imo quo magis ratiocinantur eo minus percipiunt, in ratiocinatione*

cinatione ponentes ſapientiam, utque videantur; iis dictum, quod ſapientiæ angelicæ ſit percipere num bonum & verum abſque ratiocinatione; ſed ii non capiunt, quod dabilis talis perceptio; ſunt illi, qui in vita corporis confuderant verum & bonum per ſcientifica & philoſophica, & inde viſi ſibi doctiores aliis, nec prius ulla principia veri captarunt ex Verbo; quibus inde minus ſenſus communis.

1386. *Quamdiu ſpiritus putant, quod ſemet ducant, quodque ex ſemet cogitent, ex ſemet ſciant, intelligant, ſapiant, non habere poſſunt perceptionem, ſed credunt eſſe fabulas.*

1387. *Loquutus ſum aliquoties de Perceptione cum illis in altera vita, qui, dum vixerunt in mundo, putaverunt ſe omnia potuiſſe penetrare & intelligere, quod angeli percipiant, quod cogitent & loquantur, velint & agant a Domino, ſed uſque non potuerunt concipere quid Perceptio, putantes, ſi influerent omnia ita, quod ſic orbarentur omni vita, quia nihil ex ſemet aut proprio ſic cogitarent, in quo poſuerunt vitam, & quod ſic alius eſſet qui cogitaret, & illi non, ita quod forent organa nullius vitæ; ſed illis dictum, quod talis vitæ differentia ſit inter habere perceptionem, & non habere, qualis eſt inter tenebras & lucem, & quod tunc primum ſibi vivant cum talem perceptionem accipiunt, nam vivunt tunc a Domino, habentes quoque proprium, quod illis datur cum omni felici & jucundo: illis quoque oſtenſum eſt pluri experientia, quomodo ſe habeat cum perceptione, & tunc agnoverunt quod dabilis, ſed poſt aliquam temporis moram iterum neſciverunt, dubitarunt, & negaverunt; exinde conſtare potuit, quam ægre homo capere poſſit, quid perceptio.*

1388. *Alterum genus perceptionis eſt, ut dictum, quod commune eſt omnibus, angelis in ſumma perfectione, & ſpiritibus ſecundum qualitatem ejus, quod nempe ad primum adventum alterius ſciant qualis eſt, etiamſi nihil loquatur; manifeſtat ſe illico per influxum quendam mirabilem; noſcitur, ſpiritus bonus non ſolum qua bonitate eſt, ſed etiam qua fide, dumque loquitur, ex ſingulis vocibus; ſpiritus malus, qua malitia & qua infidelitate, dumque loquitur, ex ſingulis vocibus; & hoc tam manifeſte, ut nuſquam fallat. Aliquod ſimile apparet apud homines, qui quoque ex alterius geſtu, vultu, loquela, noſſe quandoque poſſunt, quid cogitat, tametſi loquela aliter teſtatur; quæ ſcientia apud hominem eſt naturalis, trahens originem a ſpirituum indole quod talis, ſic ab ipſius hominis ſpiritu, & ejus communicatione cum mundo ſpirituum; perceptio hæc communicativa inde ducit ſuum principium, quod*

quod Dominus velit ut omnia bona ſint communicabilia, & quod omnes ex amore mutuo afficiantur & ſic felices ſint; inde talis perceptio inter ſpiritus quoque univerſaliter regnat.

1389. *Animæ quæ in alteram vitam venerunt, miratæ ſunt, quod talis communicatio cogitationum alterius daretur, quodque illico ſcirent, non ſolum quali animo ſit alter, ſed etiam quali fide; at illis dictum, quod ſpiritus multo excellentiores facultates accipiat, cum ſeparatus eſt a corpore; in vita corporis influunt objecta ſenſuum, tum phantaſiæ ab illis quæ inhærent inde memoriæ, præter ſollicitudines de futuris, cupiditates varias excitatas ab externis, curas pro victu, veſtitu, habitatione, liberis, & plura, de quibus nihil cogitant in altera vita, quare illis ut remoris & impedimentis, cum corporeis quæ craſſæ ſenſationis ſunt, remotis, non poſſunt non in perfectiori ſtatu eſſe; eædem facultates remanent, ſed multo perfectiores, lucidiores, & liberiores; imprimis apud illos, qui in charitate & fide in Dominum vixerunt, inque innocentia, quorum facultates elevantur in immenſum ſupra illas quas habuerunt in corpore, uſque tandem ad angelicas tertii cæli.*

1390. *Nec ſolum eſt communicatio affectionum & cogitationum alterius, ſed etiam eſt communicatio ejus ſcientiæ, uſque adeo, ut alter ſpiritus putet ſe ſciviſſe quod alter ſcit, tametſi de illis nihil ſciverat; ita communicatur omnis ſcientia alterius; quidam ſpiritus retinent illa, quidam non.*

1391. *Communicationes fiunt tam per loquelam illorum inter ſe, quam per ideas & ſimul repræſentationes, nam ideæ eorum cogitationis ſunt repræſentativæ ſimul, inde copioſe ſiſtuntur omnia; per unam ideam plus poſſunt repræſentare, quam per mille voces eloqui; ſed angeli percipiunt quid intus in idea, quæ affectio, quæ origo affectionis, qui finis ejus, præter plura, quæ interiora ſunt.*

1392. *Jucunditates & felicitates in altera vita quoque communicari ſolent ab uno pluribus per realem tranſmiſſionem, quæ mirabilis eſt, quibus ſimiliter ac is afficiuntur, quæ communicationes fiunt abſque diminutione apud illum qui communicat: datum etiam eſt mihi jucunditates ita per tranſmiſſiones communicare aliis: inde qualis illorum felicitas ſit conſtare poteſt, qui proximum plus amant quam ſemet, qui nihil plus deſiderant quam ſuam felicitatem transferre in alios; quod ducit originem a Domino, Qui ita felicitates communicat angelis: communicationes felicitatis ſunt tales tranſmiſſiones continuæ, ſed abſque reflexione, quod ab origine activa tali, & determinatione ſicut aperta voluntaria.*

1393. *Communicationes quoque fiunt mirabiliter per remotiones, quæ quales ſunt, ab homine percipi nequeunt, removentur in inſtanti illa quæ triſtia*

triſtia & moleſta ſunt, & ſic jucunda & felicia ſiſtuntur abſque impedimentis, nam illis remotis Angeli influunt, & felicia ſua communicant.

1394. *Quia talis perceptio eſt, ut unus poſſit in inſtanti ſcire, qualis alter eſt quoad amorem & fidem, inde eſt, quod ſecundum conſenſum in ſocietates conjungantur, & ſecundum diſſenſum diſſocientur, & hoc tam exquiſite, ut ne minimum differentiæ ſit, quod non diſſociet aut conſociet; inde Societates in cœlis tam diſtinctæ ſunt ut diſtinctius nihil cogitari poſſit, & hoc ſecundum omnes differentias amoris & fidei in Dominum, quæ innumerabiles ſunt; inde forma cœleſtis, quæ talis eſt ut unum hominem referat; quæ forma continue perficitur.*

1395. *Quomodo perceptionis hujus genus ſe habet, multa ab experientia datum eſt ſcire, quæ omnia prolixum nimis foret referre: auditum pluries cum doloſi loquuti, & perceptum non ſolum quod dolus, ſed etiam qualis dolus, & quæ malitia in dolo, eſt quaſi in quolibet ſono vocis imago doli; tum etiam perceptum num dolus fuerit ejus, vel aliorum, qui per eum loquuti: ſimiliter ſe habet cum illis, qui in odio ſunt, appercipitur illico quale odium, & plura, quam uſquam homo poteſt induci credere, quæ in odio: cum ſiſtuntur perſonæ præſentes, contra quos odium habuerunt, inde fit ſtatus lamentabilis, nam quicquid contra alterum cogitaverunt & machinati ſunt, exſtat.*

1396. *Quidam ſpiritus, qui ſibi arrogare voluit meritum ex ſuis actis, & ſua doctrina, dum vixit in mundo, dextrorſum abiit, & venit ad illos qui non tales, ut illis aſſociaretur, dixit quod nihil ſit, quodque illis ſervire vellet; ſed illi ſtatim ad primum adventum, & quidem e longinquo, appercipiebant qualis eſſet, reſpondebant illico, quod non talis, ſed quod magnus eſſe vellet, & quod ſic non concordare poſſet cum illis qui parvi ſunt, inde pudefactus receſſit, miratus quod tam e longinquo ſcirent.*

1397. *Quia perceptiones tam exquiſitæ ſunt, mali ſpiritus non adproximare poſſunt ad ſphæram aut aliquam ſocietatem, ubi ſpiritus boni, qui in amore mutuo; cum modo approximant, incipiunt angi, querentes & lamentantes. Quidam ex audacia & ſui fiducia, qui malus, ingeſſit ſe in aliquam ſocietatem, quæ in primo limine cœli, ſed illico cum alluit, vix reſpirare potuit, & ſenſit fœtorem ſui cadaveroſum, quare relapſus.*

1398. *Erant plures ſpiritus circum me, qui non boni, venit Angelus, & vidi quod ſpiritus præſentiam ejus non ſufferre poſſent, nam ſe elongabant magis & magis quo propius acceſſit, quod mirabar, ſed datum ſcire, quod ſpiritus non poſſent apud ſphæram, quam ſecum habuit,*

 morari;

morari; inde quoque conſtabat, ſicut etiam ab alia experientia, quod unus angelus poſſit myriades ſpirituum malorum abigere, nam non ſuſtinent ſphæram amoris mutui: ſed uſque perceptum, quod ſphæra ejus eſſet temperata per conſociationes aliorum; ſi non temperata, omnes diſſipati fuiſſent. Inde quoque patet, qualis perceptio datur in altera vita, & quomodo conſociantur, & quomodo diſſociantur ſecundum perceptiones.

1399. *Unuſquiſque ſpiritus communicationem habet cum interiori & intimo cælo, quod is prorſus neſcit, alioquin non vivere poſſet; qualis eſt interius, noſcitur ab angelis, qui ſunt in interioribus, & quoque per illos a Domino regitur; ita communicationes ejus interiorum dantur in cælo, ſicut exteriorum in mundo ſpirituum: per interiores communicationes diſponitur ad uſum, ad quem fertur, præter quod ſciat: ita quoque ſe habet cum homine, communicat quoque is per angelos cum cælo, quod prorſus neſcit, nam alioquin vivere non poſſet; quæ influunt inde in ejus cogitationes, ſunt modo ultimi effectus; inde omnis ejus vita eſt, & inde omnes ejus vitæ conatus reguntur.*

1400. *Continuatio de perceptionibus, & inde oriundis ſphæris, videatur in fine hujus Capitis.*

CAPUT XII.

1. ET dixit JEHOVAH ad Abramum, abi tibi e terra tua, & e nativitate tua, & e domo patris tui, ad terram, quam videre faciam te.

2. Et faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnum faciam nomen tuum, & eris Benedictio.

3. Et benedicam benedicentibus tibi, & maledicenti tibi maledicam; & benedicentur in te omnes familiæ humi.

4. Et ivit Abram, quemadmodum loquutus ad illum JEHOVAH; & ivit cum illo Loth: & Abram filius quinque annorum & ſeptuaginta annorum, cum exivit e Charane.

5. Et accepit Abram Sarai uxorem ſuam, & Lothum filium fratris ſui, & omnem acquiſitionem illorum, quam acquiſiverunt, & animam quam fecerant in Charan, & exiverunt ad eundum in terram Canaan; & venerunt in terram Canaan.

6. Et

6. Et tranſivit Abram per terram, uſque ad locum Schechem, uſque ad quercetum Moreh: & Canaanita tunc in terra.

7. Et viſus JEHOVAH Abramo, & dixit, ſemini tuo dabo terram hanc: ædificabat ibi altare JEHOVÆ, Qui viſus illi.

8. Et tranſtulit inde in montem ab oriente Betheli, & tetendit tentorium; Bethel a mari, & Ai ab oriente; & ædificavit ibi altare JEHOVÆ, & invocavit nomen JEHOVÆ.

9. Et profectus Abram eundo & proficiſcendo verſus meridiem.

10. Et fuit fames in terra; & deſcendit Abram in Ægyptum ad peregrinandum ibi; quia gravis fames in terra.

11. Et factum, ut cum appropinquavit ad veniendum in Ægyptum, & dixit ad Sarai uxorem ſuam, ecce quæſo, novi quod fœmina pulchra aſpectu tu.

12. Et erit, cum viderint te Ægyptii, & dicent, uxor illius hæc, & occident me, & te vivificabunt.

13. Dic quæſo, ſoror mea tu, propterea ut bene fiat mihi propter te, & vivat anima mea tui cauſa.

14. Et factum, cum venit Abram in Ægyptum, & viderunt Ægyptii fœminam, quod pulchra illa valde.

15. Et viderunt illam principes Pharaonis, & laudaverunt illam ad Pharaonem; & aſſumta eſt fœmina domum Pharaonis.

16. Et Abramo benefecit propter illam, & fuit illi grex & armentum, & aſini & ſervi, & ancillæ & aſinæ, & cameli.

17. Et percuſſit JEHOVAH Pharaonem plagis magnis, & domum ejus, propter verbum Sarai, uxoris Abrami.

18. Et vocavit Pharao Abramum, & dixit, quid hoc feciſti mihi, quare non indicaſti mihi, quod uxor tua illa.

19. Quare dixiſti, ſoror mea illa, & accepiſſem illam mihi in mulierem; & nunc, ecce uxor tua, accipe & vade.

20. Et præcepit ſuper illo Pharaoh viris, & dimiſerunt illum, & uxorem illius, & omnia quæ illi.

CONTENTA.

1401. HISTORICA vera hic inchoant, quæ omnia repræſentativa ſunt, & ſingula verba ſignificativa: quæ in hoc Capite de Abramo dicuntur, repræſentant Domini ſtatum a prima pueritia, uſque ad adoleſcentiam: Dominus, quia ſicut alius homo natus fuit,

 pro-

progreſſus quoque eſt a ſtatu obſcuro ad magis lucidum; Charan eſt primus ſtatus, qui obſcurus; Schechem eſt alter; quercetum Moreh eſt tertius; mons ubi Bethel a mari, & Ai ab oriente eſt quartus; inde verſus meridiem in Ægyptum, eſt quintus.

1402. Quæ dicuntur de peregrinatione Abrami in Ægypto, repræſentant & ſignificant Domini inſtructionem primam; Abram eſt Dominus; Sarai ut uxor eſt verum adjungendum cœleſti; Sarai ut ſoror, eſt verum intellectuale; Ægyptus eſt ſcientia. Progreſſus deſcribitur a ſcientificis uſque ad vera cœleſtia; qui fuit ſecundum ordinem Divinum, ut Humana Domini Eſſentia conjungeretur Divinæ, & fieret ſimul Jehovah.

SENSUS INTERNUS.

1403. A Primo Capite Geneſeos huc uſque, ſeu potius ad Eberum, fuerunt hiſtorica non vera ſed hiſtorica facta, quæ in ſenſu interno ſignificabant res cœleſtes & ſpirituales; in hoc Capite & in ſequentibus ſunt hiſtorica non facta ſed hiſtorica vera, quæ in ſenſu interno ſimiliter ſignificant res cœleſtes & ſpirituales, quod unicuivis conſtare poteſt, ſolum ex eo, quod Verbum Domini ſit.

1404. In his, quæ hiſtorica vera ſunt, omnia & ſingula dicta & verba ſignificant in ſenſu interno prorſus alia, quam in ſenſu literæ, ſed ipſa hiſtorica ſunt repræſentativa: Abramus, de quo primum agitur, repræſentat in genere Dominum, in ſpecie cœleſtem hominem; Iſacus, de quo poſtea, ſimiliter in genere Dominum, in ſpecie ſpiritualem hominem; Jacobus quoque in genere Dominum, in ſpecie naturalem hominem; ita illa quæ ſunt Domini, quæ ſunt Regni Ipſius, & quæ ſunt Eccleſiæ.

1405. Sed ſenſus internus ita ſe habet, ut hactenus luculenter oſtenſum, quod omnia & ſingula abſtracte a litera intelligenda, ſicut quod litera non foret; in ſenſu interno enim eſt anima & vita Verbi, quæ non patet, niſi ſenſus literæ quaſi evaneſcat: ita angeli percipiunt a Domino Verbum, cum legitur ab homine.

1406. Quid hiſtorica in hoc Capite repræſentant, conſtat a contentis quæ præmiſſa ſunt; quid dicta & verba, conſtare poteſt ab illis quæ ſequuntur, ubi explicantur.

1407. Verſ: 1. *Et dixit Jehovah ad Abramum, abi tibi e terra tua, & e nativitate tua, & e domo patris tui, ad terram, quam videre faciam te.* Hæc & ſequentia ſe ita habent hiſtorice ſicut ſcripta ſunt, ſed hiſtorica ſunt repræſentativa, omnia verba ſunt ſignificativa: per Abramum in ſenſu interno intelligitur Dominus, ut prius dictum. Dixit Jehovah ad Abramum, ſignificat omnium primam animadvertentiam: abi e terra tua, ſignificat corporea & mundana, a quibus recederet: & e nativitate tua, ſignificat corporea & mundana exteriora: & e domo patris tui, ſignificat talia interiora: ad terram quam videre faciam te, ſignificat ſpiritualia & cœleſtia quæ ſiſterentur videnda.

1408. Hæc & ſequentia ſe ita habent hiſtorice, ſicut ſcripta ſunt, ſed hiſtorica ſunt repræſentativa, omnia verba ſunt ſignificativa: ſe ita res habet in omnibus Hiſtoricis Verbi, non ſolum in Libris Moſis, ſed etiam in Joſuæ, Judicum, Samuelis & Regum, in quibus omnibus nihil aliud apparet quam hiſtoricum; ſed tametſi hiſtoricum eſt in ſenſu literæ, uſque in ſenſu interno ſunt arcana cœli, quæ recondita ibi latent, quæ arcana nuſquam videri poſſunt, quamdiu mens cum oculo tenetur in hiſtoricis, nec prius revelantur, quam cum mens a ſenſu literæ removetur: ſe habet Verbum Domini ſicut corpus in quo anima viva, quæ animæ ſunt, non apparent, dum inhæret mens corporeis, adeo ut vix credat ſe animam habere, minus quod victura poſt mortem, ut primum vero a corporeis recedit, patent illa quæ animæ & vitæ ſunt; quæ etiam cauſa eſt, non ſolum quod moritura corporea antequam homo poteſt e novo naſci aut regenerari, ſed etiam quod corpus moriturum, ut venire poſſit in cœlum, ac videre cœleſtia: ita ſe habet cum Verbo Domini; illius corporea ſunt illa quæ ſunt ſenſus literæ, in quibus cum mens tenetur, interna nuſquam videntur, ſed quando quaſi mortua ſunt, tunc primum ſiſtuntur videnda: ſed uſque ſunt illa quæ ſunt ſenſus literæ ſimilia illis quæ apud hominem in ejus corpore, nempe ſcientificis memoriæ quæ ex ſenſualibus ſunt, quæ ſunt vaſa communia, in quibus interiora ſeu interna; inde ſciri poteſt, quod aliud ſint vaſa, & aliud eſſentialia quæ in vaſis, vaſa ſunt naturalia, eſſentialia quæ in vaſis ſunt ſpiritualia & cœleſtia; ita quoque hiſtorica Verbi, ut & ſingulæ voces in Verbo, ſunt vaſa communia, naturalia, imo materialia, in quibus ſpiritualia & cœleſtia; hæc nuſquam in conſpectum veniunt, niſi per ſenſum internum: unicuivis hoc conſtare poteſt ſolum ex eo, quod multa in Verbo ſecundum apparentias, imo ſecundum fallacias ſenſuum, dicta ſint, ut quod Dominus iraſcatur, puniat, maledicat, occidat, & talia plura, cum tamen in ſenſu interno contraria ſunt, nempe quod Dominus nuſquam iraſcatur & puniat, minus maledicat & occidat; uſque tamen, iis, qui ex ſimplicitate cordis credunt Verbum ſicut illud capiunt in litera, nihil nocet, dum in charitate vivunt; cauſa eſt, quia Verbum nihil aliud docet, quam ut quiſque cum proximo vivat in charitate, utque ament Dominum ſupra omnia, qui hoc faciunt, illi habent interna apud ſe, & ſic apud eos fallaciæ ex ſenſu literæ captæ facile diſcutiuntur.

1409. Quod hiſtorica ſint repræſentativa, ſed omnia verba ſint ſignificativa, conſtare poteſt ex illis quæ de repræſentativis & ſignificativis prius dicta & oſtenſa

oſtenſa ſunt n: 665, 920, 1361. hic quia repræſentativa inchoant, breviter adhuc rem licet exponere: Antiquiſſima Eccleſia, quæ fuit Cœleſtis, omnia terreſtria & mundana, tum corporea, quæ uſquam objecta fuerunt eorum ſenſuum, non aliter ſpectabant ac res mortuas; ſed quia omnia & ſingula quæ in mundo ſunt, ſiſtunt aliquam ideam Regni Domini, proinde rerum cœleſtium & ſpiritualium, cum illa viderent aut caperent aliquo ſenſu, non cogitabant de iis, ſed de cœleſtibus & ſpiritualibus, & quidem non ab illis ſed per illa; ita res mortuæ apud eos vivebant. Hæc quæ ſignificabant, ab ore illorum collegerunt poſteri, & inde fecerunt doctrinalia, quæ fuerunt Verbum Eccleſiæ Antiquæ poſt diluvium; hæc apud Eccleſiam Antiquam fuerunt ſignificativa, nam per illa didicerunt interna, & ex illis cogitarunt de ſpiritualibus & cœleſtibus. At poſtquam perire cœpit cognitio illa, ut neſcirent quod talia ſignificarentur, atque inciperent terreſtria illa & mundana ſancta facere & colere, abſque cogitatione de ſignificatione eorum, tunc eadem facta ſunt repræſentativa; inde Eccleſia Repræſentativa, quæ inchoat in Abramo, & poſtea inſtituta apud Jacobi poſteros: inde ſciri poteſt, quod ortus repræſentativorum ſit a ſignificativis Eccleſiæ Antiquæ, & ſignificativa Eccleſiæ Antiquæ a cœleſtibus ideis Antiquiſſimæ Eccleſiæ. Repræſentativa quomodo ſe habent, conſtare poteſt ab hiſtoricis Verbi, ubi omnia acta Patrum horum, nempe Abrami, Iſaci & Jacobi, tum poſtea Moſis, Judicum, Regum Jehudæ & Iſraelis, nihil aliud ſunt quam repræſentativa: Abramus, ut dictum, in Verbo repræſentat Dominum, & quia Dominum etiam Cœleſtem hominem, Iſacus quoque Dominum & inde Spiritualem hominem, Jacobus ſimiliter Dominum, & inde Naturalem hominem correſpondentem ſpirituali: ſed ita ſe habet cum repræſentativis, quod nihil reflectatur ſuper perſonam, qualis eſt, ſed ſuper rem quam repræſentat; omnes enim Reges Jehudæ & Iſraelis repræſentabant Regium Domini, qualeſcunque eſſent, & omnes Sacerdotes Sacerdotale Domini, qualeſcunque eſſent; ita potuerunt tam mali quam boni repræſentare Dominum, & Ipſius Regni cœleſtia & ſpiritualia; nam, ut dictum & oſtenſum prius, repræſentativa prorſus ſeparata ſunt a perſona. Inde nunc eſt, quod omnia hiſtorica Verbi ſint repræſentativa; & quia illa ſunt repræſentativa, ſequitur, quod omnia verba Verbi ſint ſignificativa, hoc eſt, quod aliud ſignificent in ſenſu interno, quam in ſenſu literæ.

1410. Dixit Jehovah ad Abramum, quod ſignificet omnium primam animadvertentiam, ita ſe habet, hiſtoricum ibi eſt repræſentativum, at ipſa verba ſunt ſignificativa; in Eccleſia Antiqua talis ſtylus fuit, cum aliquid verum eſſet, quod dicerent, Jehovah dixit, vel Jehovah loquutus, quod ſignificabat ita eſſe, ut oſtenſum prius: poſtquam vero ſignificativa verſa ſunt in repræſentativa, tunc Jehovah ſeu Dominus actualiter cum iis loquutus, & cum dicitur tunc, quod *dixit Jehovah*, ſeu *loquutus Jehovah* cum aliquo, ſignificat idem ac prius; nam verba Domini in hiſtoricis veris ſimile involvunt, ac verba Domini in hiſtoricis factis; ſolum eſt differentia, quod in his factum ſit ſicut hiſtoricum verum, in illis non factum: quare hoc quod dixit Jehovah

ad

ad Abramum non aliud ſignificat, quam primam animadvertentiam; ſicut cum in Antiqua Eccleſia aliquis animadvertebatur per conſcientiam, vel per dictamen aliud, vel per Verbum eorum, quod ita eſſet, tunc ſimiliter dictum, quod Jehovah dixit.

1411. Abi e terra tua, quod ſignificet corporea & mundana, a quibus recederet, conſtat a ſignificatione Terræ, quæ varia eſt, ſeque habet adplicate ad perſonam ſeu rem de qua prædicatur, ſicut etiam in Primo Capite Geneſeos ubi terra quoque ſignificavit externum hominem; & alibi, n: 82, 620, 636, 913. quod hic corporea & mundana, eſt cauſa, quia hæc ſunt externi hominis: Terra in proprio ſenſu eſt ipſa terra, regio, aut regnum, etiam eſt incola qui ibi, tum ipſe populus & ipſa gens quæ in terra illa, ita vox terræ non ſolum ſignificat in lato ſenſu populum ſeu gentem, ſed etiam in ſtricto incolam; cum prædicatur terra de incola, tunc ſe habet ſignificatio ſecundum rem de qua prædicatio, hic de corporeis & mundanis, nam terra nativitatis e qua abiret Abramus, erat idololatrica, ita hic in ſenſu hiſtorico quod abiret ab illa terra, ſed in ſenſu repræſentativo eſt, quod ab illis quæ ſunt externi hominis recederet, hoc eſt, quod externa non reſiſterent nec interturbarent; & quia de Domino, quod Externa concordarent cum Internis.

1412. Quod e nativitate tua, ſignificet corporea & mundana exteriora, & quod e domo patris tui ſignificet talia interiora, conſtare poteſt a ſignificatione nativitatis, & a ſignificatione domus patris: ſunt apud hominem corporea & mundana exteriora & interiora, exteriora ſunt illa quæ propria ſunt corporis, ut voluptates & ſenſualia, interiora ſunt affectiones & ſcientifica; hæc ſunt quæ ſignificantur per nativitatem & per domum patris; quod hæc ſignificentur, pluribus confirmari poteſt, ſed quia conſtat ex ſerie, & rerum intuitione in ſenſu interno, illis confirmandis non immorandum.

1413. Ad terram, quam videre faciam te, quod ſignificet ſpiritualia & cœleſtia, quæ ſiſterentur videnda, conſtat ex ſignificatione terræ n: 662, 1066, & quidem hic terræ Canaanis, per quam repræſentatur Regnum Domini, ut a pluribus locis conſtare poteſt in Verbo, inde Terra Canaan appellatur Terra Sancta, tum Canaan cœleſtis; & quia repræſentabat Regnum Domini, etiam repræſentabat & ſignificabat cœleſtia & ſpiritualia, quæ ſunt Regni Domini; hic quæ ſunt Ipſius Domini.

1414. Quia hic agitur de Domino, arcana plura hic continentur, quam uſquam cogitari & edici poteſt; hic enim in ſenſu interno intelligitur primus Domini ſtatus, quando natus; qui ſtatus quia arcaniſſimus, non poteſt ita ad captum exponi; ſolum quod fuerit ſicut alius homo, præter quod fuerit a Jehovah conceptus, ſed quod uſque a virgine muliere natus, & quod per nativitatem a virgine muliere traxerit infirmitates, quales hominis eſt in communi; quæ infirmitates ſunt corporeæ, de quibus in hoc verſu, quod ab iis recederet, ut ſiſterentur Ipſi videre cœleſtia & ſpiritualia: bina hæreditaria ſunt quæ connaſcuntur homini, unum ex patre, alterum ex matre; hæreditarium Domini ex patre fuit Divinum, at hæreditarium ex matre fuit infirmum humanum; hoc infirmum, quod homo ducit hæreditario a matre,

eſt

eſt corporeum quoddam, quod diſpergitur, cum regeneratur; quod autem homo trahit a patre, hoc remanet in æternum; at Domini hæreditarium a Jehovah, ut dictum, fuit Divinum. Alterum arcanum eſt, quod Domini Humanum quoque factum ſit Divinum; apud Ipſum Solum fuit correſpondentia omnium quæ corporis cum Divino, perfectiſſima, ſeu infinite perfecta, inde unio corporeorum cum Divinis cœleſtibus, & ſenſualium cum Divinis ſpiritualibus, ita Perfectus Homo, & Solus Homo.

1415. Verſ. 2. *Et faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi & magnum faciam nomen tuum, & eris benedictio.* Faciam te in gentem magnam, ſignificat regnum in cœlis & in terris; gens magna dicitur a cœleſtibus & bonis: & benedicam tibi, ſignificat cœleſtium fructificationem, & ſpiritualium multiplicationem: & magnum faciam nomen tuum, ſignificat gloriam: & eris benedictio, ſignificat quod a Domino omnia & ſingula.

1416. Faciam te in gentem magnam, quod ſignificet Regnum in cœlis & in terris, conſtare poteſt a ſignificatione Gentis, quod in ſenſu interno, ſit cœleſte amoris & bonum inde, ita omnes in univerſo, quibus eſt cœleſte amoris & charitatis; hic quia agitur de Domino in ſenſu interno, intelligitur omne cœleſte & omne bonum inde, ita Ipſius Regnum, quod apud illos eſt, qui in amore & charitate ſunt: in ſupremo ſenſu Ipſe Dominus eſt gens magna quia eſt Ipſum Cœleſte, & Ipſum Bonum, omne enim bonum amoris & charitatis ab Ipſo Solo, quare etiam Dominus eſt ipſum ſuum Regnum, hoc eſt, omne in omnibus ſui Regni, ut quoque agnoſcitur ab omnibus Angelis in cœlo; inde nunc conſtat, quod, faciam te in gentem magnam, ſignificet Regnum Domini in cœlis & in terris. Quod Gens in ſenſu interno, ubi agitur de Domino, deque cœleſtibus amoris, ſignificet Ipſum, & omnia cœleſtia, conſtare quoque poteſt abillis, quæ de ſignificatione Gentis & Gentium n: 1258, 1259, adducta ſunt, quod quoque adhuc ab his confirmari poteſt; de Abrahamo in ſequentibus, "Non vocabitur amplius nomen tuum Abram, & erit nomen tuum Abraham, "quia patrem multitudinis *Gentium* dedi te," Geneſ: XVII: 5. ex Jehovæ nomine eſt ſumta vocula (h) in Abrahamo, ob repræſentationem Jehovæ ſeu Domini. Similiter de Sarai, "Non vocabis nomen ejus Sarai, ſed Sarah nomen "ejus, & benedicam illi, & etiam dabo ex ea tibi filium, ita benedicam illi, "& erit in *Gentes*, reges populorum ex illa erunt," Gen: XVII: 16. ubi gentes pro cœleſtibus amoris, reges populorum pro ſpiritualibus fidei inde, quæ ſolius Domini. De Jacobo pariter, "Non vocabitur nomen tuum amplius Jacob, "ſed Iſrael erit nomen tuum, & vocavit nomen ejus Iſrael, & dixit Deus, "Ego Deus fulminator, creſce & multiplicare, *Gens* & congregatio *Gentium* "fiet ex te, & reges ex lumbis tuis exibunt," Gen: XXXV: 10, 11. ubi Iſrael pro Domino, Qui quod Ipſe Iſrael in ſupremo ſenſu, aliquibus notum eſt, & cum Ipſe, patet, quod gens & congregatio gentium, & reges ex lumbis Ipſius, ſint cœleſtia & ſpiritualia amoris, quare omnes qui in cœleſtibus & ſpiritualibus amoris. De Iſmaele, filio Abrami ex Hagare, "Filium ancillæ in *Gentem* ponam eum, quia ſemen tuum eſt," Gen: XXI: 13, 18. quid per Iſmaelem repræſentatur, ibi loci videbitur; ſemen Abrami eſt ipſe amor,

ex

ex quo gens de Iſmaelis generatione prædicatur. Quod gens ſignificet cœleſtia amoris, conſtat apud Moſen, "Si audiendo audiveritis vocem meam, "& cuſtodiveritis fœdus meum, & eritis Mihi peculium ex omnibus populis, "& vos eritis Mihi *Regnum Sacerdotum*, & *Gens ſancta*," Exod: XIX: 5, 6. ubi Regnum ſacerdotum, quod eſt Regnum Domini in cœlis & in terris ex cœleſtibus amoris prædicatum, appellatur manifeſte gens ſancta; Regnum autem Domini ex Regio Ipſius prædicatum eſt ex ſpiritualibus amoris, & appellatur populus ſanctus, quare reges ex lumbis, ut ſupra, ſunt ſpiritualia. Apud Jeremiam, "Si receſſerint ſtatuta hæc a coram Me, dictum Je-"hovæ, etiam ſemen Iſraelis ceſſabunt, ut non ſit *Gens* coram Me omnibus "diebus," XXXI: 36. ſemen Iſraelis pro cœleſti charitatis, qua ceſſante non amplius eſt gens coram Domino. Apud Eſaiam, "Populus ambulantes in tenebris viderunt lucem magnam, multiplicaſti *Gentem*," IX: 2, 3. De Eccleſia gentium in ſpecie, in genere de omnibus qui in ignorantia ſunt & in charitate vivunt, qui ſunt Gens quia Regni Domini. Apud Davidem, "Ut "videam bonum electorum tuorum, ut læter in lætitia *Gentis* tuæ, ut glo-"rier in hæreditate tua," Pſalm: CVI: 5. ibi manifeſte Gens pro Regno Domini. Significatio gentis, quod ſit cœleſte amoris & bonum inde, ex perceptivo illo ortum eſt, quod Antiquiſſimæ Eccleſiæ homines diſtincti eſſent in domos, familias & gentes, & ſic percipiebant Regnum Domini, & quia Regnum Domini, percipiebant ipſum cœleſte, ex perceptivo illo ortum eſt ſignificativum, ex hoc repræſentativum.

1417. Quod gens magna dicatur a cœleſtibus & bonis, conſtat ex illis quæ nunc dicta & oſtenſa ſunt, tum ex illis quæ prius n: 1259: inde ſciri poteſt, quid Eccleſia gentium in proprio ſenſu.

1418. Et benedicam tibi, quod ſignificet cœleſtium fructificationem & ſpiritualium multiplicationem, conſtare poteſt a ſignificatione Benedicere in Verbo, de qua in mox ſequentibus.

1419. Et magnum faciam nomen tuum, quod ſignificet gloriam, conſtare poteſt abſque explicatione: in ſenſu externo per facere nomen, & per gloriam, ſignificatur mundanum quoddam, ſed in ſenſu interno cœleſte; cœleſte hoc non eſt ut maximus ambiat eſſe, ſed ut minimus, omnibus ſerviendo, ſicut Dominus Ipſe dixit apud Matthæum, "Non ſic erit in-"ter vos, ſed quiſquis voluerit inter vos magnus fieri, eſſe debebit "veſter miniſter: & quiſquis voluerit eſſe primus, eſſe debebit veſter ſer-"vus: ſicut Filius Hominis non venit ut Ipſi miniſtretur, ſed ut miniſtret, "& det animam ſuam redemptionem pro multis," XX: 26, 27, 28. Marc: X: 44, 45. Cœleſte amoris id eſt, ut non velit eſſe ſui, ſed omnium, ſic ut dare velit omnia quæ ſua aliis, eſſentia amoris cœleſtis in eo conſiſtit; Dominus, quia eſt Ipſe Amor, ſeu eſſentia & vita amoris omnium in cœlis, omnia quæ Ipſius ſunt, dare vult generi humano, quod ſignificatur per illa quæ dixit Dominus, quod Filius Hominis venerit, ut det animam ſuam redemptionem pro multis: inde conſtat, quod nomen & gloria in ſenſu interno prorſus aliud ſit quam in ſenſu externo; quare omnes in cœlo, qui magni & maximi fieri cupiunt, rejiciuntur, quia eſt contra eſſentiam & vitam amoris cœ-

leſtis quæ a Domino: inde etiam eſt, quod nihil magis contrarium amori cœleſti ſit, quam amor ſui; de quibus videantur, quæ ab experientia, n: 450. 452. 952.

1420. Et eris benedictio, quod ſignificet quod omnia & ſingula a Domino, conſtare poteſt a ſignificatione Benedictionis; Benedictio prædicatur de omnibus bonis, in ſenſu externo de bonis corporeis, mundanis & naturalibus; in ſenſu interno de bonis ſpiritualibus & cœleſtibus; eſſe Benedictio eſt a quo omnia bona, & qui omnia illa bona dat; quod nuſquam prædicari poteſt de Abramo; inde quoque conſtat quod per Abramum repræſentetur Dominus, Qui Solus eſt Benedictio; ſimiliter quod in ſequentibus prædicatur de Abrahamo, ut "Abrahamus omnino erit in *gentem* magnam & numeroſam, & "*Benedicentur* in illo omnes *gentes* terræ," Gen: XVIII: 18. de Iſaco, "*Benedicentur* in ſemine tuo omnes *gentes* terræ," Gen: XXVI: 4. de Jacobo "*Benedicentur* in te omnes familiæ terræ, & in ſemine tuo," Gen: XXVIII: 14. quod gentes non benedici queant, nec benedictæ ſint, in Abrahamo, Iſaco & Jacobo, inque eorum ſemine, ſed quod in Domino, cuivis conſtare poteſt: quod clare apud Davidem dicitur, "Erit nomen Ipſius in æternum, ante "ſolem filii nomen ipſius, & *Benedicentur* in Ipſo omnes *gentes*," Pſalm: LXXII: 17. ubi de Domino. Apud Eundem, "Pones Ipſum *Benedictiones* "in æternum," Pſalm XXI: 7. ubi etiam de Domino. Apud Jeremiam, "*Benedicentur* in Ipſo *gentes*, & in Ipſo gloriabuntur," IV: 2. Ex his nunc conſtat quod Benedictio ſignificet Dominum, & cum appellatur Benedictio, quod ſignificet, quod ab Ipſo omnia cœleſtia & ſpiritualia, quæ unice ſunt bona, & quia unice ſunt bona, etiam unice ſunt vera; quare quantum ex cœleſtibus & ſpiritualibus bonis ineſt in naturalibus, mundanis & corporeis, tantum hæc ſunt bona, & tantum ſunt benedicta.

1421. Verſ: 3. *Et benedicam benedicentibus tibi, & maledicenti tibi maledicam; & benedicentur in te omnes familiæ humi.* Benedicam benedicentibus tibi, ſignificat omnem felicitatem illis, qui ex corde agnoſcunt Dominum: & maledicenti tibi maledicam, ſignificat infelicitatem illis qui non agnoſcunt: & benedicentur in te omnes familiæ humi, ſignificat quod omnia vera & & bona a Domino.

1422. Benedicam benedicentibus tibi, quod ſignificet omnem felicitatem illis, qui ex corde agnoſcunt Dominum, conſtare poteſt a ſignificatione Benedictionis, quod involvat omnia & ſingula quæ a Domino, tam quæ bona ſunt quam quæ vera, ita cœleſtia, ſpiritualia, naturalia, mundana & corporea; & quia benedictio complectitur in univerſali ſenſu omnia illa, conſtare poteſt in ſingulis locis ex ſerie, quid benedicere ſignificat, nam ſe habet adplicate ad illa de quibus prædicatur; conſtat inde quod, "benedicam benedicentibus tibi," ſignificet omnem felicitatem illis qui ex corde agnoſcunt Dominum; nam hic in ſenſu interno, ut dictum, agitur de Domino; benedicere Jehovæ ſeu Domino fuit apud Antiquos formula ſolennis, ſicut conſtare poteſt in Verbo, ut apud Davidem, "In congregationibus *Benedicite* "*Deo, Domino* ex fonte Iſraelis," Pſalm: LXVIII: 27. apud Eundem, "Cantate Jehovæ, *Benedicite Nomini Ipſius*, evangelizate de die in diem ſalutem

"lutem Ipſius," Pſalm: xcvi: 2. Apud Danielem, "In viſione noctis "arcanum revelatum eſt, ideo Daniel *Benedixit Deo Cælorum*, dixit, eſto *No-"men Ipſius Dei Benedictum* a ſæculo uſque in ſæculum, quia ſapientia & po-"tentia Ipſi," ii: 19, 20. de Zacharia & Simeone etiam legitur, *quod Benedixerint* Deo, Luc: i: 64. Cap: ii: 28. patet hic, quid benedicere Domino, nempe cantare Ipſi, evangelizare ſalutem Ipſius, prædicare ſapientiam & potentiam Ipſius, ita confiteri & agnoſcere Dominum ex corde; qui hoc faciunt, non poſſunt non benedici a Domino, hoc eſt donari illis quæ ſunt Benedictionis, nempe bono cœleſti, ſpirituali, naturali, mundano & corporeo, quæ bona ſunt, ubi ita ſibi ſuccedunt, in quibus felicitas. Quia formula communis fuit, Benedicere Jehovæ ſeu Domino, & Benedici a Jehovah ſeu Domino, ideo quoque formula communis fuit, dicere *Benedictus Jehovah*, ut apud Davidem, "*Benedictus Jehovah*, quia audivit vocem precum mearum," Pſalm: xxviii: 6. Apud Eundem, "*Benedictus Jehovah*, quia admirabi-"lem fecit Miſericordiam ſuam mihi," Pſalm: xxxi: 22. Apud Eundem, "*Benedictus Deus*, Qui non rejecit preces meas, & Miſericordiam ſuam "a mecum," Pſalm: lxvi: 20. Apud Eundem, "*Benedictus Jehovah* "*Deus*, Deus Iſraelis, faciens mirabilia ſolus, & *Benedictum Nomen* gloriæ Ip-"ſius in æternum, & implebitur gloria Ipſius omnis terra," Pſalm: lxxii: 18, 19. Apud Eundem, *Benedictus Tu Jehovah*, doce me ſtatuta tua," Pſalm cxix: 12. Apud Eundem, "*Benedictus Jehovah*, petra mea, docens "manus meas," Pſalm: cxliv: 1. Apud Lucam, "Zacharias impletus "ſpiritu ſancto, prophetavit, dicens, *Benedictus Deus Iſraelis*, quia viſitavit & "fecit liberationem populo ſuo" i: 67, 68.

1423. Et maledicenti tibi maledicam, quod ſignificet infelicitatem eorum qui non agnoſcunt, conſtat a ſignificatione maledici & maledicere, quod ſit ſe avertere a Domino, ut oſtenſum prius, n: 245, 379, proinde non agnoſcere; nam qui non agnoſcunt, ii ſe avertunt; ita maledicere hic involvit omnia oppoſita illis quæ involvit benedicere.

1424 Et benedicentur in te omnes familiæ humi, quod ſignificet quod omnia bona & vera a Domino, conſtare poteſt a ſignificatione Benedicere, de qua in hoc verſu, & in præcedente, tum a ſignificatione familiarum humi, quod ſint omnia bona & vera: familiæ enim in Verbo ſimile ſignificant ac gentes ut & populi, prædicantur enim familiæ in Verbo tam de gentibus quam de populis, & dicuntur familiæ gentium, & familiæ populorum; gentes, ut oſtenſum, ſignificant bona, & populi, ut quoque oſtenſum, ſignificant vera, n: 1259, quare familiæ tam bona quam vera, n: 1261: quod dicantur omnes familiæ humi, eſt quia omnia bona & vera ſunt fidei amoris, quæ eſt Eccleſiæ; quod per humum ſignificetur Eccleſia, proinde fides quæ Eccleſiæ, oſtenſum eſt prius, n: 566.

1425. Verſ: 4. *Et ivit Abram, quemadmodum loquutus ad illum Jehovah, & ivit cum illo Loth; & Abram filius quinque annorum & ſeptuaginta annorum, cum exivit e Charane.* Per Abramum, ut dictum, repræſentatur Dominus quoad Humanam Ipſius Eſſentiam. Et ivit Abram, quemadmodum

 ad

ad illum loquutus Jehovah, ſignificat progreſſionem ad Divina: & ivit cum illo Loth, ſignificat ſenſuale; per Loth repræſentatur Dominus quoad ſenſualem & corporeum Ipſius hominem: & Abram filius quinque annorum & ſeptuaginta annorum, ſignificat quod adhuc non ita multum Divini: cum exivit ex Charan, ſignificat ſtatum Domini obſcurum.

1426. Quod per Abramum repræſentetur Dominus quoad Humanam Ipſius Eſſentiam, conſtat a ſingulis quæ de Abramo dicta ſunt; poſtea, tam quoad Humanam quam quoad Divinam, at tunc appellatur Abraham. Quæ a verſu primo ad hunc dicta ſunt, repræſentant & ſignificant primam animadvertentiam, quod indueret Cœleſtia & ſic Divina: hic progreſſiones Humanæ Ipſius Eſſentiæ ad Divinam, inchoant.

1427. Et ivit Abram, quemadmodum ad illum loquutus Jehovah, quod ſignificet progreſſionem ad Divina, ex illis, quæ nunc dicta ſunt, conſtat.

1428. Et ivit cum illo Loth, quod ſignificet ſenſuale, quodque per Loth repræſentetur Dominus quoad ſenſualem & corporeum Ipſius hominem, conſtare poteſt a repræſentatione Lothi in ſequentibus, ubi de illo agitur, quod ſeparatus ſit ab Abramo, quodque ſalvatus per angelos: at Lothus poſtea, cum ſeparatus eſt, induit aliam repræſentationem, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus. Quod Dominus natus ſicut alius homo a virgine muliere, & Ipſi ſenſuale & corporeum fuerit ſicut alii homini, conſtat; ſed in illo, quod Ipſius Senſuale & Corporeum dein unitum cœleſtibus & factum Divinum, non fuit ſicut alius homo; ipſum Domini Senſuale & Corporeum repræſentatur per Lothum, ſeu quod idem eſt, Ipſius Homo ſenſualis & corporeus, ſicut fuit in ſtatu Ipſius pueritiæ, non ſicut factum, cum unitum per cœleſtia Divino.

1429. Quod Abram filius quinque annorum & ſeptuaginta annorum, ſignificet quod adhuc non ita multum Divini, conſtare poteſt a ſignificatione numerorum quinque, quod ſit parum, & numerorum ſeptuaginta, quod ſit ſanctum; quod quinque ſint parum, oſtenſum eſt prius n: 649, quodque ſeptuaginta ſeu ſeptem ſint ſanctum, n: 395, 433, 716, 881; hic quia ſeptuaginta prædicantur de Domino, ſignificant ſanctum Divinum. Quod numeri annorum Abrami etiam in ſenſu interno ſignificent alia, conſtare poteſt ab illis quæ prius de annis & numeris dicta & oſtenſa ſunt, n: 482, 487, 493, 575, 647, 648, 755, 813. & ex eo quod nulla vocula & jotha in Verbo detur, quæ non internum ſenſum habeat; & niſi ſpiritualia & cœleſtia involveret, nuſquam memoratum fuiſſet, quod Abramus tunc fuiſſet quinque annorum & ſeptuaginta annorum, & hoc nec exſtitiſſet in hac ejus ætate; ſicut etiam conſtare poteſt ab aliis numeris tam annorum quam menſurarum in Verbo.

1430. Cum exivit ex Charan, quod ſignificet ſtatum Domini obſcurum, qualis eſt pueritiæ hominis, conſtare poteſt ex ſignificatione Charan in Capite præc: quo primum venit Therachus cum Abramo, & ubi mortuus Therachus pater Abrami, Cap: præc: XI: verſ: 31, 32, tum ex ſequentibus, quod Jacobus iverit ad Charanen ubi Laban, Gen: XXVII: 43. Cap: XXVIII:

10

10. Cap: xxix: 4. Charan fuit regio, ubi cultus externus, & quidem reſpective ad Therachum, Abramum, & Labanem, idololatricus, ſed in ſenſu interno non ſignificatur quod in externo, ſolum quoddam obſcurum; idea idololatriæ non remanet, ſed abſtergitur, dum ex ſenſu externo fit internus; ſicut idea ſancti amoris ex monte, n: 795, dum ex ſenſu externo fit internus, perit primum idea montis, & manet idea altitudinis, & per altitudinem repræſentatur ſanctitas; ita in cæteris.

1431. Verſ: 5. *Et accepit Abram Sarai uxorem ſuam, & Lothum filium fratris ſui, & omnem acquiſitionem illorum, quam acquiſiverunt, & animam, quam fecerant in Charan, & exiverunt ad eundum in terram Canaan; & venerunt in terram Canaan.* Et accepit Abram Sarai uxorem ſuam, ſignificat bonum cui adjunctum eſt verum; per Abram, ut dictum, intelligitur Dominus, heic cum puer fuit; per Sarai uxorem, verum: Et Lothum filium fratris ſui, ſignificat verum ſenſuale, ita primum quod inſinuatur puero: & omnem acquiſitionem, quam acquiſiverunt, ſignificat omnia quæ ſunt vera ſenſualia: & animam quam fecerant in Charan, ſignificat omne eſſentiale vivum, quod dabile in ſtatu illo obſcuro: & exiverunt ad eundum in terram Canaan, ſignificat quod ita pergeret ad amoris cœleſtia: & venerunt in terram Canaan, ſignificat, quod ad cœleſtia amoris pervenit.

1432. Et accepit Abram Sarai uxorem ſuam, quod ſignificet bonum cui adjunctum verum, conſtare poteſt ex illo quod ſignificatur in Verbo per hominem & ejus uxorem, de quo n: 915, ita hic per Sarai nihil aliud ſignificatur in ſenſu interno, quam verum. Eſt in omnibus & ſingulis apud hominem inſtar conjugii, nec uſquam tam minimum dari poteſt, in quo non inſtar illud ſit, tam in externo homine & ejus ſingulis, quam in interno & ejus ſingulis; cauſa eſt, quia omnia & ſingula exiſtunt & ſubſiſtunt a Domino, & Ipſius Humanæ Eſſentiæ unitione, quaſi conjugio, cum Divina; & ab Utriuſque conjunctione, ſeu conjugio cœleſti, cum Ipſius regno in cœlis & in terris; hic cum repræſentandum verum adjunctum bono Domini, non aliter repræſentari potuit, quia per hiſtorica hic de Abramo, quam per uxorem: quod inſtar conjugii ſit in omnibus & ſingulis, videantur quæ prius n: 54, 55, 718, 747, 917.

1433. Quod per Abram intelligatur Dominus, hic cum puer fuit, per Sarai uxorem, verum, conſtat ex illis quæ dicta ſunt.

1434. Et per Lothum filium fratris ſui, quod ſignificet verum ſenſuale, ita primum quod inſinuatum Domino cum puer, conſtat ex ſignificatione Lothi, de qua in verſ: præc: quod ſit ſenſuale; exque ſignificatione filii quod ſit verum, de qua prius n: 264, 489, 491, 533. tum ex ſignificatione fratris, quod etiam ſit verum fidei, n: 367. ita quod hic ſit verum ſenſuale; nam in ſenſu interno nihil reflectitur ſuper perſonas & voces, modo ſuper ſignificationem earum: in cœlo non ſciunt quis Loth, ſed qualitatem repræſentatam per eum; nec ſciunt quid filius, ſed ſtatum ſpiritualem, quo reſpective eſt ſicut filius; nec ſciunt quid frater, niſi ex fraternitate qualis eſt in cælo. Quod verum ſenſuale attinet, eſt primum verum, quod ſe inſinuat, nam altius non vadit judicium in pueritia; verum ſenſuale eſt, quod videat omnia

ter-

terreſtria & mundana, ut creata a Deo, & omnia & ſingula ad finem, & in omnibus & ſingulis aliquod inſtar Regni Dei; hoc verum ſenſuale non inſinuatur niſi apud hominem cœleſtem; & quia Dominus Solus fuit cœleſtis homo, hæc & ſimilia vera ſenſualia Ipſi inſinuata ſunt in prima pueritia, ita præparatus ad recipienda cœleſtia.

1435. Et omnem acquiſitionem, quam acquiſiverunt, quod ſignificet omnia quæ ſunt vera ſenſualia, conſtat ex illis quæ dicta ſunt: acquiſitio dicitur omne ſcientificum, ex quo cogitat homo; abſque ſcientificis acquiſitis homo quatenus homo non ullam ideam cogitationis habere poteſt; ideæ cogitationis fundantur ſuper illis, quæ ex ſenſualibus impreſſa ſunt memoriæ; quare ſcientifica ſunt vaſa ſpiritualium, & affectiones ex voluptatibus corporis bonis ſunt vaſa cœleſtium; omnia hæc vocantur acquiſitiones, & quidem in Charane, quo ſignificatur ſtatus obſcurus qualis eſt infantiæ ad pueritiam.

1436. Et animam quam fecerant in Charan, quod ſignificet omne eſſentiale vivum, quod dabile in ſtatu illo obſcuro, conſtat ex ſignificatione animæ, quod ſit eſſentiale vivum, & ex ſignificatione Charanis quod ſit ſtatus obſcurus, de qua verſ: præc: Anima in proprio ſenſu ſignificat illud quod apud hominem vivit, ita ipſam ejus vitam; quod vivit apud hominem non eſt corpus, ſed eſt anima, & per animam vivit corpus; ipſa vita hominis, ſeu ipſum ejus vivum, eſt ex amore cœleſti, nuſquam aliquod vivum dari poteſt, niſi inde ducat originem, quare hic per animam ſignificatur bonum quod vivit ex amore cœleſti, quod eſt ipſum eſſentiale vivum. In ſenſu literali per animam intelligitur hic omnis homo, tum omnis beſtia, quæ viva, & ſibi comparaverunt, ſed in ſenſu interno nihil aliud ſignificatur, quam eſſentiale vivum.

1437. Quod exiverunt ad eundum in terram Canaan, ſignificet quod ita pergeret ad cœleſtia amoris, conſtat a ſignificatione terræ Canaanis; quod terra Canaan repræſentet Regnum Domini in cœlis & in terris, ex multis in Verbo conſtare poteſt; cauſa eſt, quia ibi Eccleſia Repræſentativa inſtituta eſt, in qua omnia & ſingula repræſentabant Dominum, & Ipſius Regni cœleſtia & ſpiritualia; nec ſolum ritus, ſed etiam omnia quæ adjuncta ritibus, tam qui miniſtrabant, quam per quæ miniſtrabantur, etiam loca ubi miniſtratio; quia Eccleſia Repræſentativa ibi, terra inde appellata fuit Terra ſancta, tametſi nihil minus quam ſancta fuit, quippe habitata ab idololatris & prophanis; hæc nunc cauſa eſt, quod per terram Canaan hic & in ſequentibus ſignificentur cœleſtia amoris; cœleſtia enim amoris ſunt unice quæ ſunt in Regno Domini, & quæ conſtituunt Regnum Domini.

1438. Et venerunt in terram Canaan, quod ſignificet quod ad cœleſtia amoris pervenit, conſtat ex illis quæ nunc dicta ſunt de terra Canaane; hic deſcribitur primum vita Domini, nempe a nativitate uſque ad pueritiam, quod nempe pervenerit ad cœleſtia amoris: cœleſtia amoris ſunt ipſa eſſentialia, cætera inde veniunt: illis omnium primo imbutus eſt, nam inde dein, ut a ſuo ſemine, fructificata ſunt omnia; ipſum ſemen fuit apud Ipſum cœleſte, quia natus a Jehovah, inde Solus fuit qui in ſe habuit hoc ſemen; omnes, quotcunque ſunt, homines non aliud ſemen habent, quam quoddam ſpurcum

cum & infernale, in quo & ex quo proprium eorum, & hoc ex hæreditario a patre, quod cuivis notum eſt; quare niſi novum ſemen, & novum proprium, hoc eſt, novam voluntatem, & novum intellectum, accipiunt a Domino, non poſſunt aliter quam eſſe devoti inferno; a quo omnes tam homines, quam ſpiritus, & angeli, extrahuntur, & continue detinentur a Domino.

1439. Verſ: 6. *Et tranſivit Abram per terram uſque ad locum Schechem, uſque ad quercetum Moreh: & Canaanita tunc in terra.* Tranſivit Abram per terram uſque ad locum Schechem, ſignificat alterum ſtatum Domini, cum cœleſtia amoris Ipſi apparerent, quæ ſignificantur per Schechem: uſque ad quercetum Moreh, ſignificat tertium ſtatum, nempe primam perceptionem, quæ eſt quercetum Moreh: & Canaanita tunc in terra, ſignificat hæreditarium a matre malum in externo Ipſius homine.

1440. Tranſivit Abram per terram uſque ad locum Schechem, quod ſignificet alterum ſtatum Domini, cum cœleſtia amoris Ipſi apparerent, conſtare poteſt ab illis quæ præcedunt, & ex ordine omnium; ex illis quæ præcedunt, quod pergeret ad cœleſtia amoris, & quod pervenerit ad illa, quæ ſignificata ſunt per "quod exiverunt ad eundum in terram Canaan; & quod "venerunt in terram Canaan;" ex ordine omnium, quod, poſtquam perrexerit ad cœleſtia & pervenerit ad illa, tunc apparuerint Ipſi; in cœleſtibus eſt ipſa lux animæ, quia in illis eſt ipſum Divinum, hoc eſt, Ipſe Jehovah; & quia Dominus conjungeret Humanam Eſſentiam Divinæ, cum ad cœleſtia pervenit, non potuit aliter, quam quod Jehovah Ipſi appareret.

1441. Quod hæc ſignificentur per Schechem, conſtare quoque poteſt ex eo, quod Schechem ſit prima quaſi ſtatio in terra Canaane, quo pervenitur a Syria, ſeu a Charane; & quia per terram Canaanem ſignificantur cœleſtia amoris, conſtat quod per Schechemum ſignificetur prima apparitio cœleſtium; Jacobus cum ex Charane in terram Canaanem rediit, pariter ad Schechemum venit, ut ex his conſtare poteſt, "Jacob profectus eſt in *Succoth*, & ædificavit ſibi domum, & pecori ſuo fecit tentoria, ideo vocavit nomen loci Succoth; & venit Jacob Schalem, urbem *Schechemi*, quæ in terra Canaan, "cum venit ille ex Paddam Aram, & caſtrametatus eſt ante urbem, & erexit "ibi altare," Geneſ: XXXIII: 17, 18, 19, 20. ubi quoque per Schechem primum lucis ſignificatur. Apud Davidem, "Deus loquutus eſt in ſanctitate "ſua, exultabo, partiar *Schechemum*, & vallem *Succoth* dimetiar, Mihi Gilead "& Mihi Menaſſeh, & Ephraim robur capitis mei, Jehuda legiſlator meus. "Moabus pelvis lotionis meæ, ſuper Edomum mittam calceum meum, ſu-"per Philiſtæa clangam," Pſalm: LX: 8, 9, 10. Pſ: CVIII: 8, 9, 10. ubi per Schechemum quoque ſimile quid ſignificatur: quod nomina nihil aliud ſignificent quam res, ita etiam Schechem, manifeſte ex his Davidis propheticis conſtare poteſt, alioquin vix niſi nominum congeries forent. Quod *Schechem* facta urbs refugii, Joſ: XX: 7. & quoque urbs ſacerdotum, Joſ: XXI: 21. & quod ibi fœdus, Joſ: XXIV: 1, 25. ſimile etiam involvit.

1442. Uſque ad quercetum Moreh, quod ſignificet primam perceptionem, conſtare quoque poteſt ab ordine; ut primum Jehovah apparuit Domino in

Ipſius

Ipſius cœleſtibus, conſtat quod Perceptionem adeptus; ex cœleſtibus eſt omnis perceptio: quid Perceptio, dictum & oſtenſum eſt prius, n: 104, 202, 371, 483, 495, 503, 521, 536, 865: quiſque dum venit ad cœleſtia, perceptionem accipit a Domino; qui cœleſtes homines facti, ut qui ab Antiquiſſima Eccleſia, omnes perceptionem acceperunt, quod oſtenſum prius n: 125, 597, 607, 784, 895. qui ſpirituales homines fiunt, hoc eſt, qui charitatem a Domino accipiunt, analogon perceptionis habent, aut dictamen conſcientiæ, magis & minus, ſicut in cœleſtibus charitatis ſunt, perſpicuum; cœleſtia charitatis hoc ſecum habent, nam in illis ſolis eſt Dominus præſens, & in illis apparet homini: quanto magis Dominus, Qui progreſſus ab infantia ad Jehovam, & Ipſi conjunctus & unitus, ut unus eſſent.

1443. Quod prima perceptio ſit quercetum Moreh, ita ſe res habet; ſunt apud hominem intellectualia, rationalia & ſcientifica, intima ejus ſunt intellectualia, interiora ſunt rationalia, & exteriora ſunt ſcientifica, hæc appellantur ejus ſpiritualia, quæ in tali ordine ſunt: intellectualia hominis cœleſtis comparantur horto ex omnis generis arboribus; rationalia, ſylvæ ex cedris & ſimilibus arboribus, quales in Libano; ſcientifica autem quercetis, & hoc ex ramis implexis quales ſunt quercuum; per ipſas arbores ſignificatæ ſunt Perceptiones, ſicut per arbores horti Edenis ab oriente perceptiones intimæ ſeu intellectualium, ut oſtenſum prius n: 99, 100, 103; per arbores ſylvæ Libani; perceptiones interiores ſeu rationalium; per arbores autem querceti, perceptiones exteriores ſeu ſcientificorum, quæ ſunt externi hominis; inde eſt, quod quercetum Moreh ſignificet primam perceptionem Domini, nam adhuc puer fuit, & ſpiritualia Ipſius non interius. Præterea quercetum Moreh erat ubi quoque filii Iſraelis primum venerunt cum tranſiverunt Jordanem, & viderunt terram Canaanem, de quo apud Moſen, "Dabis benedictionem ſuper monte Geriſim, & maledictionem ſuper monte Ebal; nonne illi trans "Jordanem, poſt viam ingreſſus ſolis in terra Cananæi habitantis in planitie "adverſus Gilgal, juxta *Querceta Moreh*," Deut: XI: 29, 30. quibus ſignificatur etiam primum perceptionis; introitus enim filiorum Iſraelis repræſentat introitum fidelium in Regnum Domini.

1444. Et Canaanita tunc in terra, quod ſignificet hæreditarium a matre malum in externo Ipſius homine, conſtare poteſt ab illis quæ prius dicta de hæreditario apud Dominum; natus enim fuit ſicut alius homo, & ſecum a matre traxit mala, contra quæ pugnavit, & quæ evicit; notum eſt, quod Dominus tentationes graviſſimas ſubierit & ſuſtinuerit; de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus, & quidem tantas, ut pugnaverit ſolus & ex propria potentia contra totum infernum; nemo poteſt tentationem ſubire, niſi illi malum adhæreat, cui nullum malum, ne minimum tentationis habere poteſt, malum eſt quod infernales ſpiritus excitant; apud Dominum non malum aliquod actuale aut proprium fuit, ut apud omnes homines, ſed malum hæreditarium a matre, quod hic vocatur Canaanita tunc in terra, de quo videantur quæ dicta ſupra ad verſ: 1. n: 1414, nempe quod bina hæreditaria ſint quæ connaſcuntur homini, unum ex patre, alterum ex matre,

quod

quod a patre hoc manet in æternum, quod a matre hoc diſpergitur a Domino, cum homo regeneratur; at hæreditarium Domini a Patre Ipſius fuit Divinum, hæreditarium a matre fuit malum, de quo hic, per quod tentationes ſubiit, de quibus videatur Marc: I: 12, 13. Matth: IV: 1. Luc: IV: 1, 2. ſed, ut dictum, Ipſi nullum actuale ſeu proprium malum, nec aliquod hæreditarium a matre malum poſtquam per tentationes evicit infernum, quare hic dicitur quod *tunc* fuerit, nempe, Canaanita *Tunc* in terra. Canaanitæ fuerunt qui habitabant juxta mare & juxta litus Jordanis, ut conſtat apud Moſen, "Exploratores reverſi dixerunt, venimus in terram, quo miſiſti nos, "& etiam fluens lacte & melle illa, & hic fructus ejus; niſi quod fortis "populus habitans in terra, & urbes munitæ magnæ valde, & etiam natos "Enaki vidimus ibi, Amalekus habitat in meridie, & Chittæus, & Jebuſæus, & Emorræus habitat in monte, & *Canaanita habitat juxta mare, & "juxta litus Jordanis*," Num: XIII: 27, 28, 29. quod Canaanitæ habitaverint juxta mare & juxta litus Jordanis ſignificabat inde malum apud Externum hominem, quale eſt hæreditarium a matre, nam Mare & Jordanes erant termini: quod malum tale per Canaanitam ſignificetur, conſtat quoque apud Sachariam, "Non erit Canaanita amplius in domo Jehovæ Zebaoth in die "illo," XIV: 21. ubi de Regno Domini, quo ſignificatur, quod Dominus evicerit malum per Canaanitam intellectum, & a Regno ſuo expulerit. Omnia genera malorum ſignificantur per gentes idololatras in terra Cananæa, inter quas Canaanitæ, ut Gen: XV: 18, 19. Exod: III: 8, 17. Cap: XXIII: 23, 28. Cap: XXXIII: 2. Cap: XXXIV: 11. Deut: VII: 1. Cap: XX: 17. Joſ: III: 10. Cap: XXIV: 11. Jud: III: 5. quodnam malum per unamquamvis gentem in ſpecie ſignificatur, alibi, ex Divina Domini Miſericordia, dicendum.

1445. Verſ: 7. *Et viſus Jehovah Abramo, & dixit, ſemini tuo dabo terram hanc; & ædificabat ibi altare Jehovæ, Qui viſus illi.* Viſus Jehovah Abramo, ſignificat quod Jehovah apparuerit Domino cum adhuc puer: & dixit, ſemini tuo dabo terram hanc, ſignificat quod illis qui fidem in Ipſum haberent, cœleſtia donarentur: & ædificabat ibi altare Jehovæ Qui viſus illi, ſignificat primum cultum Patris ſui ex cœleſti amoris.

1446. Quod viſus Jehovah Abramo, ſignificet quod Jehovah apparuerit Domino cum adhuc puer, conſtat ex præcedentibus; & ex ipſa repræſentatione Domini per Abramum; tum ex ordine, quod adeptus cœleſtia, & mox perceptionem, ex quibus conſequitur quod Jehovah viſus.

1447. Quod dixit, ſemini tuo dabo terram hanc, ſignificet quod illis, qui fidem in Ipſum haberent, cœleſtia donarentur, conſtat ex ſignificatione ſeminis, & ex ſignificatione terræ; quod ſemen ſignificet fidem in Dominum, oſtenſum eſt prius n: 255, 256. & quod terra ſignificet cœleſtia, etiam oſtenſum eſt ſupra ad verſ: 1. hujus Capitis, tum n: 620, 636, 662, 1066. In ſenſu literæ per ſemen Abrami intelligitur poſteritas ejus ex Jacobo, & per terram ipſa terra Canaan, quæ illis daretur in poſſeſſionem, ob cauſam, ut repræſentarent cœleſtia & ſpiritualia Regni & Eccleſiæ Domini; utque apud

eos Eccleſia Repræſentativa inſtitueretur, & quia Dominus ibi naſceretur; ſed in ſenſu interno nihil aliud per ſemen ſignificatur quam fides in Dominum, & per terram nihil aliud quam cœleſtia; & hic, quod cœleſtia illis donarentur, qui fidem in Ipſum haberent: quid per habere fidem in Dominum intelligitur, prius multoties dictum.

1448. Et ædificabat ibi altare Jehovæ, Qui viſus illi, quod ſignificet primum cultum Patris ſui ex cœleſti amoris, conſtat ex ſignificatione Altaris, quod ſit principale repræſentativum cultus n: 921.

1449. Verſ: 8. *Et tranſtulit inde in montem ab oriente Betheli; & tetendit tentorium; Bethel a mari, & Ai ab oriente; & ædificavit ibi altare Jehovæ, & invocavit nomen Jehovæ.* Tranſtulit inde in montem ab oriente Betheli, ſignificat quartum ſtatum Domini cum puer, nempe progreſſionem cœleſtium amoris, quæ ſunt transferri in montem ab oriente Betheli: & tetendit tentiorum, ſignificat ſancta fidei: & Bethel a mari, & Ai ab oriente, ſignificat quod adhuc ſtatus Ipſi obſcurus: & ædificavit altare Jehovæ, ſignificat cultum Patris ſui ex illo ſtatu externum: & invocavit nomen Jehovæ, ſignificat cultum Patris ſui ex illo ſtatu internum.

1450. Tranſtulit inde in montem ab oriente Betheli, quod ſignificet quartum ſtatum Domini cum puer, conſtare poteſt ab illis quæ præcedunt, tum ab illis quæ ſequuntur, ita etiam ex ipſo ordine; ordo fuit, quod Dominus omnium primum ab infantia imbutus fuiſſet cœleſtibus amoris; cœleſtia amoris ſunt amor erga Jehovam, & amor erga proximum, & in illis ipſa innocentia; ex illis ut ab ipſiſmet fontibus vitæ fluunt omnia & ſingula, ſunt enim cætera ſolum derivationes. Cœleſtia hæc inſinuantur imprimis homini in ſtatu ejus infantiæ uſque ad pueritiam, & quidem abſque cognitionibus; influunt enim a Domino, & afficiunt, antequam homo ſciat quid amor & quid affectio, ut conſtare poteſt a ſtatu infantum, & dein a ſtatu primæ pueritiæ; hæc apud hominem ſunt Reliquiæ, de quibus aliquoties, quæ a Domino inſinuantur, & reconduntur ad uſum vitæ ejus ſequentis, de quibus videatur, n: 468, 530, 560, 561, 660, 661. Dominus quia natus eſt ſicut alius homo, etiam ſecundum ordinem in cœleſtia introductus eſt, & quidem per gradus ab infantia ad pueritiam, & dein in cognitiones, quæ quomodo ſe habuerunt apud Ipſum, in hoc verſu deſcribitur, & in ſequentibus repræſentatur per Abrahami peregrinationem in Ægypto.

1451. Quod transferri in montem ab oriente Betheli, ſignificet progreſſionem cœleſtium amoris, conſtare poteſt a ſignificatione montis, quod ſit cœleſte, ut oſtenſum n: 795, 796. aque ſignificatione orientis, quod ſit Ipſe Jehovah quoad amorem, Qui eſt ipſe oriens, ut quoque oſtenſum n: 101. & alibi; tum a ſignificatione Bethelis, quod ſit cognitio cœleſtium. Cœleſtia inſinuantur homini tam abſque cognitionibus, quam cum cognitionibus; cœleſtia abſque cognitionibus ab infantia uſque ad pueritiam ejus, ut mox ſupra dictum; cœleſtia autem cum cognitionibus a pueritia dein in adultam ætatem; & quia progreſſurus Dominus in cognitiones cœleſtium, quæ ſignificantur

cantur

cantur per Bethelem, hic dicitur, quod tranſtulit inde in montem ab oriente Betheli.

1452. Et tetendit tentorium, quod ſignificet ſancta fidei, conſtare poteſt a ſignificatione tentorii, quod ſit ſanctum amoris, proinde ſanctum fidei ex amore, ut oſtenſum prius n: 414: quod tetenderit ibi tentorium, ſignificat, quod nunc inchoaret.

1453. Quod Bethel a mari & Ai ab oriente, ſignificet quod adhuc ſtatus Ipſi obſcurus, nempe quoad cognitiones cœleſtium & ſpiritualium; aliud enim eſt in cœleſtibus eſſe, & aliud in cognitionibus cœleſtium; infantes & pueri ſunt præ adultis in cœleſtibus, quia in amore erga parentes, & in amore mutuo, tum in innocentia; adulti vero ſunt præ infantibus & pueris in cognitionibus illorum, & perplures uſque non in cœleſtibus amoris; antequam inſtruitur homo in illis quæ ſunt amoris & fidei, eſt in ſtatu obſcuro, nempe quoad cognitiones, qui ſtatus hic deſcribitur, per, quod Bethel eſſet a mari, hoc eſt, ab occidente, & Ai ab oriente; per Bethel, ut dictum, ſignificantur cognitiones cœleſtium, per Ai vero cognitiones mundanorum, illæ dicuntur ab occidente cum in obſcuro, nam occidens ſignificat in Verbo obſcurum; hæ dicuntur ab oriente, cum in claro, nam oriens reſpective ad occidentem eſt clarum; quod occidens & oriens illa ſignificent, non opus eſt confirmare, quia cuivis abſque confirmatione patet: quod autem Bethel ſignificet cognitiones cœleſtium, conſtare poteſt ab aliis locis ubi Bethel nominatur in Verbo, ut in Cap: ſeq: XIII: "Quod Abram iverit juxta itinera ſua "a meridie uſque ad *Bethelem*, uſque locum, ubi fuit tentorium illius in initio "inter *Bethel* & inter *Ajam*, ad locum altaris, quod fecit ibi," verſ: 3, 4. ubi juxta itinera ſua a meridie ad Bethelem, ſignificat progreſſionem in lucem cognitionum, quare non ibi dicitur, quod Bethel ab occidente, & Aja ab oriente. De Jacobo ubi vidit ſcalam, "Dixit, non hoc niſi *Domus Dei*, & hoc porta cœli; & vocavit nomen loci hujus *Bethel*," Geneſ: XXVIII: 17, 19. ubi ſimiliter per Bethel ſignificatur cognitio cœleſtium; eſt enim homo Bethel, hoc eſt, Domus Dei, tum porta cœli, cum in cognitionum cœleſtibus eſt; cum regeneratur homo, introducitur per cognitiones ſpiritualium & cœleſtium, at cum regeneratus eſt, tunc introductus eſt, & eſt in cognitionum cœleſtibus & ſpiritualibus: poſtea "Dixit Deus ad Jacobum, ſurge, "aſcende *Bethelem*, & habita ibi, fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi," Gen: XXXV: 1. 6, 7. ubi ſimiliter per Bethel ſignificantur cognitiones. Quod arca Jehovæ in *Bethele*, & illuc venirent filii Iſraelis, & interrogarent Jehovam, Jud: XX: 18, 26, 27. 1 Sam: VII: 16. Cap: X: 3 ſimilia ſignificant: tum quod Rex Aſſyriæ miſerit unum de ſacerdotibus, quos tranſportavit e Samaria, qui conſedit in *Bethele*, & *fuit docens eos quomodo timerent Jehovam*, II Reg: XVII: 27, 28. Apud Amos, "Dixit Amaziah "ad Amos, videns i, fuge tibi in terram Jehudæ, & comede ibi panem, "& ibi prophetes; & *Bethele* non addas amplius prophetare, quia ſanctuarium Regis hæc, & domus Regni hæc," VII: 12, 13. Poſtquam prophanavit Jeroboam Bethelem, 1 Reg: XII: 32. Cap: XIII: 1 ad 8. II Reg:

xxiii: 15. per Bethelem repræſentabatur contrarium, ut Hoſch: x: 15. Amos, iii: 14, 15. Cap: iv: 5, 6, 7. Quod autem Aja ſignificet cognitiones mundanorum confirmari quoque poteſt ab hiſtoricis & propheticis Verbi, apud Joſ: vii: 2. Cap: viii: 1 ad 28. Jer: xlix: 3, 4.

1454. Et ædificavit altare Jehovæ, quod ſignificet cultum Patris ſui ex illo ſtatu externum, conſtat ex ſignificatione altaris, quod ſit principale repræſentativum cultus, n: 921.

1455. Et invocavit nomen Jehovæ, quod ſignificet cultum Patris ſui ex illo ſtatu internum, conſtat ex ſignificatione invocare nomen Jehovæ, n: 440, quod externus cultus ſit ædificare altare Jehovæ, & internus invocare nomen Jehovæ, unicuivis conſtare poteſt.

1456. Verſ: 9. *Et profectus Abram eundo & proficiſcendo verſus meridiem.* Profectus Abram eundo & proficiſcendo, ſignificat progreſſionem ulteriorem: verſus meridiem, ſignificat in bona & vera, ita in ſtatum lucidum quoad interiora.

1457. Et profectus Abram eundo & proficiſcendo, quod ſignificet progreſſionem ulteriorem, conſtare poteſt a ſignificatione ire & proficiſci; apud Antiquos itinera, profectiones & peregrinationes nihil aliud ſignificabant, inde quoque in ſenſu interno nihil aliud in Verbo. Hic inchoant progreſſiones Domini in cognitiones. Quod Dominus ſicut alius homo quoque inſtructus ſit, conſtare poteſt apud Lucam, " Puerulus *creſcebat* & corroborabatur in ſpiritu; fuit in deſertis ad diem apparitionis Ipſius ad Iſraelem," i: 80. apud Eundem, " Puer *creſcebat* & corroborabatur ſpiritu, & *implebatur ſapientia*, & gratia erat ſuper Ipſo", ii: 40. Apud Eundem, " Joſephus & mater Jeſus, poſt " tres dies invenerunt Ipſum in templo, ſedentem in medio doctorum, & *au-* " *dientem illos*, & *interrogantem illos*, obſtuperunt omnes audientes Ipſum, " ſuper intelligentia & reſponſionibus Ipſius: videntes Ipſum mirati ſunt, ſed " dixit ad illos, quid quod quæſiviſtis Me, annon ſciebatis, quod in illis, " quæ Patris mei, oportet Me eſſe," ii: 46, 47, 48, 49. quod fuerit tunc " duodecim annorum, ib: v: 42. Apud Eundem, Deinceps Jeſus *pro-* " *fecit ſapientia* & ætate, & gratia apud Deum & homines," ii: 52.

1458. Quod verſus meridiem, ſignificet in bona & vera, ita in ſtatum lucidum quoad interiora, conſtat a ſignificatione meridiei; quod meridies ſignificet ſtatum lucidum, venit ex eo, quod plagæ ſicut tempora in altera vita nullæ ſint, ſed ſtatus qui per plagas & tempora ſignificantur; ſtatus intellectualium ſe habent ſicut ſtatus temporum diei & anni, tum quoque plagarum; ſtatus diei ſunt veſperæ, noctis, matutæ & meridiei; ſtatus anni ſunt autumni, hyemis, veris, æſtatis; & ſtatus plagarum ſunt ſolis verſus occidentem, ſeptentrionem, orientem & meridiem; ſimiles illis ſunt ſtatus intellectualium; & quod mirum, in cœlo illi in luce ſunt qui in ſtatu ſapientiæ & intelligentiæ, prorſus ſecundum ſtatum, inque ſumma luce qui in ſtatu ſummæ ſapientiæ & intelligentiæ, ſed ſapientia ibi eſt amoris & charitatis, & intelligentia eſt fidei in Dominum; quod lux in altera vita ſit, cui lux mundi vix comparari poteſt, ex multa experientia mihi conſtat, de qua, ex Divina

Domini Miſericordia, in ſequentibus; & quia talis correſpondentia eſt lucis & intellectualium in cœlo, in ſenſu interno hic & alibi in Verbo per meridiem non aliud ſignificatur: Meridies ſignificat hic intelligentiam, quæ comparatur per cognitiones; cognitiones ſunt veritates cœleſtes & ſpirituales, quæ ſunt totidem radiationes lucis in cœlo, & ſiſtuntur quoque viſibiles per lucem, ut dictum; quia Dominus nunc imbueretur cognitionibus, ut quoad Humanam Eſſentiam quoque fieret Ipſa Lux Cœli, hic dicitur, quod profectus eundo & proficiſcendo verſus meridiem: quod meridies ſignificet illa, conſtare poteſt a ſimilibus in Verbo, ut apud Eſaiam, "Dicam ſeptentrioni da, "& *Meridiei* ne inhibe; adduc filios meos e longinquo, & filias meas ab "extremitate terræ," XLIII: 6. ſeptentrio pro illis qui in ignorantia, meridies pro illis qui in cognitionibus; filii pro veris, & filiæ pro bonis. Apud Eundem, "Si expromiſeris famelico animam tuam, & animam afflictam ſa- "turaveris, & exorietur in tenebris *lux* tua, & caligo tua ſicut *Meridies*," LVIII: 10. expromere famelico animam, & animam afflictam ſaturare, pro bonis charitatis in genere, exorietur in tenebris lux, pro quod illis intelligentia veri, & caligo ſicut meridies, pro quod illis ſapientia boni; meridies ex calore ſignificat bonum, ex luce verum. Apud Ezechielem, "In viſionibus "Dei adduxit me in terram Iſraelis, & poſuit me ſuper monte alto valde, & "ſuper quo quaſi ſtructura civitatis a *Meridie*," XL: 2. de nova Hieroſolyma ſeu Regno Domini, quod quia in luce ſapientiæ & intelligentiæ, eſt a meridie. Apud Davidem, "Jehovah educet ſicut *lucem* juſtitiam tuam, & ju- "dicium tuum ſicut *Meridiem*," Pſalm: XXXVII: 6. Apud Eundem, "Non timebis a pavore *noctis*, a ſagitta volaverit per *diem*, a peſte in *caligine*, ambulabit, ab excidio vaſtat in *Meridie*," Pſalm: XCI: 6. non timere ab excidio quod vaſtat in meridie, pro a damnatione, quæ oritur apud eos qui in cognitionibus ſunt & illas pervertunt. Apud Ezechielem, "Fili hominis, pone "facies tuas verſus *Meridiem*, & ſtilla ad *Meridiem*, & propheta ad ſylvam "agri *Meridiei*, & dicas ſylvæ *Meridiei*, comburentur in ea omnes facies a "*Meridie* ad ſeptentrionem," XXI: 2, 3, ſylva meridiei pro illis qui in luce veritatum ſunt, & eam exſtinguunt, ita pro iis qui intra Eccleſiam tales. Apud Danielem, "Ex uno de illis exivit cornu unum exiguum, & crevit "multum ad *Meridiem*, & ad ortum, & ad decus, & crevit uſque ad exer- "citum cœlorum," VIII: 9, 10. pro illis qui oppugnant bona & vera. Apud Jeremiam, "Date Jehovæ Deo veſtro gloriam, antequam obtenebreſcere fa- "cit, & antequam offendant pedes veſtri ſuper montes crepuſculi, & ex- "ſpectabitis lucem, & ponet eam in umbram lethalem, ponet in caliginem; "*urbes Meridiei* clauſæ erunt, & non aperiens," XIII: 16, 19. urbes meri- "diei pro cognitionibus veri & boni. Apud Obadiam, "Deportati Hiero- "ſolymæ, qui in Sepharad, hæreditabunt *urbes Meridiei*," verſ: 20. urbes meridiei ſimiliter pro veris & bonis, inde pro ipſis veris & bonis, quorum hæredes; agitur ibi de Regno Domini. Quod Abram profectus eundo & proficiſcendo verſus meridiem, ſignificet, ut dictum, Domini progreſſionem in bona & vera, ita in ſtatum lucidum quoad interiora, ita ſe habet, quod cognitiones

nitiones ſint quæ aperiunt viam ad ſpectandum cœleſtia & ſpiritualia; per cognitiones aperitur via interno homini ad externum, in quo ſunt vaſa recipientia, quæ tot ſunt quot cognitiones boni & veri; in has ut in ſua vaſa influunt cœleſtia.

1459. Verſ: 10. *Et fuit fames in terra, & deſcendit Abram in Ægyptum ad peregrinandum ibi; quia gravis fames in terra.* Fuit fames in terra, ſignificat penuriam cognitionum, quæ adhuc apud Dominum, cum puer: & deſcendit Abram in Ægyptum ad peregrinandum, ſignificat inſtructionem in cognitionibus ex Verbo; Ægyptus eſt ſcientia cognitionum; peregrinari eſt inſtrui: quia gravis fames in terra, ſignificat multam penuriam apud externum Ipſius hominem.

1460. Fuit fames in terra, quod ſignificet penuriam cognitionum, quæ adhuc apud Dominum cum puer, conſtat ex illis quæ prius dicta ſunt; cognitiones apud hominem nuſquam veniunt in pueritia ex interiori, ſed ab objectis ſenſuum, cumprimis ab auditione; ſunt enim, ut dictum, apud externum hominem vaſa recipientia, quæ vocantur memoriæ, illa formantur per cognitiones, ut cuivis notum eſſe poteſt, interno homine influente & adjuvante, proinde cognitiones diſcuntur & implantantur memoriæ ſecundum influxum interni hominis; ita quoque apud Dominum cum puer, nam natus eſt ſicut alius homo, & inſtructus ut alius, ſed interiora apud Ipſum fuerunt cœleſtia, quæ aptabant vaſa ut reciperentur cognitiones, & ut cognitiones fierent dein vaſa ad recipiendum Divinum; interiora apud Ipſum erant Divina ex Jehovah Patre Ipſius, exteriora erant humana ex Maria matre Ipſius: inde conſtare poteſt, quod apud Dominum æque ſicut apud alios homines, penes Externum Ipſius hominem in pueritia fuerit penuria cognitionum. Quod fames ſignificet penuriam cognitionum, conſtat ex Verbo alibi, ut apud Eſaiam, "Opus Jehovæ "non introſpiciunt, & factum manuum Ipſius non vident, propterea exulabit po-"pulus meus ob non *cognitionem*, & gloria ejus mortales *Famis*, & multitudo il-"lius ſicca ſiti," v: 13. mortales famis pro penuria cognitionum cœleſtium, multitudo ſicca ſiti pro penuria cognitionum ſpiritualium. Apud Jeremiam, "Men-"titi ſunt in Jehovam, & dixerunt, non Ipſe, & non veniet ſuper nos malum, ac "*gladium* & *Famem* non videbimus; & prophetæ erunt in ventum, & verbum "non iis," v: 12, 13, gladius & fames pro orbari cognitionibus veri & boni; prophetæ pro iis qui docent, in quibus non verbum; quod gladio & fame conſumi, ſit orbari cognitionibus veri & boni, & quod ſint vaſtationis, gladius quoad ſpiritualia, fames quoad cœleſtia, conſtat paſſim in Verbo, ut Jerem: XIV: 13, 14, 15, 16, 18. Thren: IV: 9. & alibi; ut quoque apud Ezechielem, "Et *Fa-"mem* addam ſuper vos, & frangam vobis baculum panis; & mittam ſuper vos "*Famem*, & feram malam, & orbabunt te, & *gladium* adducam ſuper te," v: 16. fames pro orbatione cognitionum cœleſtium ſeu cognitionum boni, inde falſa & mala. Apud Davidem, "Et vocavit *Famem ſuper terram*, om-"nem baculum panis fregit," Pſalm: CV: 16. baculum panis frangere, pro privari victu cœleſti; vita enim ſpirituum bonorum & angelorum non alio cibo ſuſtentatur, quam cognitionibus boni & veri, ipſiſque bonis & veris, inde ſigni-

ſignificatio famis, & panis in ſenſu interno. Apud Eundem, "*Saturavit* animam appetentem, & animam *famelicam* implevit bono," Pſalm: cvii: 9. pro deſiderantibus cognitiones. Apud Jeremiam, "Tolle volas tuas ſuper animam infantum tuorum, qui deficiunt *Fame* in capite omnium platearum," Thren: ii: 19. fames pro defectu cognitionum, plateæ pro veritatibus. Apud Ezechielem, "Habitabunt confidenter, & non benefaciens, & ſuſcitabo illis plantam in nomen, & non erunt amplius conſumti *Fame in terra*," xxxiv: 28, 29. pro quod non amplius deſtituentur cognitionibus boni & veri. Apud Johannem, "Non *eſurient* amplius, nec ſitient amplius, Apoc: vii: 16. de Regno Domini, ubi in abundantia omnium cognitionum & bonorum cœleſtium, quod eſt non eſurire, & cognitionum ac veritatum ſpiritualium, quod eſt non ſitire. Similiter Dominus dixit, apud Johannem, "Ego ſum Panis vitæ, qui venit ad Me, *non eſuriet*, & qui credit in Me, non *ſitiet* unquam," vi: 35. Apud Lucam, "Beati *eſurientes* nunc, quia *ſaturabimini*," vi: 21. Apud Eundem, "*Eſurientes* implevit bonis," i: 53. ubi de bonis cœleſtibus & illorum cognitionibus. Quod fames ſignificet penuriam cognitionum, manifeſte dicitur apud Amos, "Ecce dies venientes, & mittam *Famem in terram*, non *Famem* ad panem, & non ſitim ad aquas, ſed ad audiendum Verba Jehovæ," viii: 11, 12.

1461. Et deſcendit Abram in Ægyptum ad peregrinandum, quod ſignificet inſtructionem in cognitionibus ex Verbo, conſtat ex ſignificatione Ægypti, & ex ſignificatione peregrinari; quod Ægyptus ſignificet ſcientiam cognitionum, & peregrinari inſtrui, videbitur in mox ſequentibus. Quod Dominus ſicut alius homo inſtructus fuerit in pueritia, conſtat ab illis apud Lucam, quæ ad verſ: præc: 9. n: 1457 adducta, tum ab illis quæ dicta mox ſupra de Externo homine, qui non aliter cum Interno homine ad correſpondentiam & concordantiam redigi poteſt, quam per cognitiones; Externus homo eſt corporeus & ſenſualis, nec aliquid cœleſte & ſpirituale recipit, niſi ei ſicut humo implantentur cognitiones, cœleſtia in his ſua recipientia vaſa poſſunt habere; ſed cognitiones erunt ex Verbo; cognitiones ex Verbo tales ſunt, ut pateant ab Ipſo Domino; ipſum enim Verbum eſt ex Domino per Cœlum, inque ejus omnibus & ſingulis eſt vita Domini, tametſi non ita in externa forma apparet; inde conſtare poteſt, quod Dominus in pueritia non alias cognitiones voluerit imbuere, quam Verbi, quod patens Ipſi fuit, ut dictum, ab Ipſo Jehovah Patre Ipſius, cum Quo uniretur, ac unus fieret; & eo magis, quia nihil in Verbo dictum, quod non Ipſum in intimis ſpectet, & quod non ab Ipſo prius venit; Humana enim Eſſentia fuit modo additamentum ad Ipſius Divinam, Quæ fuit ab æterno.

1462. Quod Ægyptus ſit ſcientia cognitionum reſpective ad Dominum, at ſcientia in communi reſpective ad omnes alios homines, conſtare poteſt a ſignificatione ejus in Verbo, de qua paſſim prius. & in ſpecie n: 1164, 1165. in Ægypto enim fuit Eccleſia Antiqua, ſicut in pluribus aliis locis, n: 1238,

&

& cum ibi Eccleſia, ſcientiæ præ cæteris ibi vigebant, inde per Ægyptum ſignificata eſt ſcientia; at poſtquam per ſcientias voluerunt intrare in myſteria fidei, & ſic ex propria potentia explorare num arcana Divina ita ſe haberent, tunc magica facta eſt, & per Ægyptum ſignificata ſcientifica, quæ pervertunt, unde falſa & ex his mala; ut conſtat apud Eſaiam, xix: 11. quod per Ægyptum ſignificentur ſcientiæ utiles, ita hic ſcientia cognitionum, quæ inſervire poteſt cœleſtibus & ſpiritualibus pro vaſis, conſtare poteſt ab his in Verbo locis: apud Eſajam, "Seduxerunt *Ægyptum*, angularem tribuum," xix: 13. ubi vocatur angularis tribuum, qui inſerviret pro fulcimento illis quæ ſunt fidei, quæ ſignificantur per Tribus: apud Eundem, "In die illo erunt quinque urbes in terra *Ægypti* loquentes labio Canaanis, & jurantes Jehovæ Zebaoth, ir cheres dicetur cuique. In die illo erit altare Jehovæ in medio terræ *Ægypti*, & ſtatua juxta terminum ejus Jehovæ, & erit in ſignum & in teſtem Jehovæ Zebaoth in terra *Ægypti*, nam clamabunt ad Jehovam propter oppreſſores, & mittet illis ſervatorem & principem, & liberabit eos, & notus fiet Jehovah *Ægypto*, & cognoſcent *Ægyptii* Jehovam in die illo, & facient ſacrificium & mincham, & vovebunt votum Jehovæ, & reddent: & percutiet Jehovah *Ægyptum* percutiendo, & ſanando, & revertentur ad Jehovam, & exorabitur illis, & ſanabit illos," xix: 18, 19, 20, 21, 22. ubi in bono ſenſu de Ægypto, pro illis qui in ſcientificis ſunt, ſeu veritatibus naturalibus, quæ ſunt vaſa veritatum ſpiritualium: apud Eundem, "In die illo erit ſemita ab *Ægypto* ad Aſchurem, & veniet Aſchur in *Ægyptum* & *Ægyptus* in Aſchurem; & ſervient *Ægyptii* Aſchuri: in die illo erit Iſrael tertius *Ægypto* & Aſchuri, benedictio in medio terræ, cui benedicet Jehovah Zebaoth, dicendo, benedictus populus meus *Ægyptus*, & opus manuum mearum Aſchur, & hæreditas mea Iſrael," xix: 23, 24, 25. ubi per Ægyptum ſignificatur ſcientia veritatum naturalium, per Aſchurem ratio ſeu rationalia, per Iſraelem ſpiritualia, quæ ſibi ſuccedunt, quare dicitur, quod in die illo erit ſemita ex Ægypto in Aſchurem, & Iſrael erit tertius Ægypto & Aſchuri. Apud Ezechielem, Byſſus in acupictura ex *Ægypto* fuit expanſio tua, ut eſſet tibi in ſignum," xxvii: 7. ubi de Tyro, per quam ſignificatur poſſeſſio cognitionum; byſſus ex acupictura pro veritatibus ſcientiarum, quæ inſerviunt; ſcientifica, quia ſunt Externi hominis, inſervire debent Interno. Apud Eundem, "Sic dixit Dominus Jehovih, a fine quadraginta annorum congregabo *Ægyptum* ex populis, quo diſperſi fuerunt, & reducam captivitatem *Ægypti*," xxix: 13, 14. pro ſimili, quod dicitur de Jehuda & Iſraele paſſim, quod congregarentur ex populis, & reducerentur e captivitate. Apud Sachariam, "Et erit, qui non aſcenderit de familiis terræ ad Hieroſolymam ad adorandum Regem Jehovam Zebaoth, non ſuper eos erit pluvia; & ſi familia *Ægypti* non aſcenderit, & non venerit," xiv: 17, 18. etiam in bono ſenſu de Ægypto, per quam ſimile intelligitur. Quod ſcientia ſeu ſapientia humana ſignificetur per Ægyptum, conſtare quoque poteſt apud Danielem, ubi ſcientiæ cœleſtium & ſpiritualium appellantur recondita auri & argenti,

tum

tum deſiderabilia *Ægypti*," xi : 43. Et de Salomone dicitur, quod, " multipli-
" cata fuerit ſapientia illius præ ſapientia omnium filiorum orientis, & præ omni
" *ſapientia Ægyptiorum*," 1 Reg: v: 10. Domus a Salomone ædificata filiæ Pharaonis nec aliud repræſentabat, 1 Reg: vii: 8, ſeq: Quod Dominus, cum infans, perductus in Ægyptum, nec aliud ſignificabat, quam quod hic per Abramum, & ſimul ut impleret omnia quæ repræſentata fuerunt de Ipſo: Migratio Jacobi & ejus filiorum in Ægyptum nec aliud in intimo ſenſu repræſentabat, quam Domini inſtructionem primam in cognitionibus ex Verbo, ut quoque ex ſequentibus patet; de Domino, ita apud Matthæum, " Angelus
" Domini apparuit in ſomnio Joſepho, dicens, experrectus aſſume Puerum,
" & matrem Illius, & fuge in *Ægyptum*, eſtoque ibi, uſque dum dixero;
" ille experrectus aſſumſit Puerum, & matrem Illius noctu, & conceſſit in
" *Ægyptum*, & erat ibi uſque ad mortem Herodis, ut impleretur quod dictum
" a Propheta, dicente, ex *Ægypto* vocavi filium meum," ii: 13, 14, 15, 19, 20, 21. de quo ita apud Hoſcheam, " Cum Puer Iſrael, & dilexi Illum, &
" ex *Ægypto* vocavi filium meum," xi: 1. inde conſtat, quod per Puerum Iſraelem Dominus intelligatur; & quod inſtructio Ipſius cum Puer, per illa quod ex Ægypto vocavi filium meum. Apud Eundem, " Per prophetam aſcendere fecit Jehovah Iſraelem ex *Ægypto*, & per prophetam cuſtoditus eſt," xii: 13, 14. ubi ſimiliter per Iſraelem intelligitur Dominus; per prophetam ſignificatur docens, ita doctrina cognitionum. Apud Davidem, " Deus Ze-
" baoth reduc nos, & lucere fac facies tuas, & ſalvabimur, vitem ex *Ægypto*
" proficiſci feciſti, expuliſti gentes, & plantaſti illam," Pſalm: lxxx: 8, 9. ubi etiam de Domino, Qui appellatur vitis ex Ægypto, quoad cognitiones, quibus inſtruebatur.

1463. Quod peregrinari ſit inſtrui, conſtare poteſt ex ſignificatione peregrinari in Verbo, quod ſit inſtrui, & hoc ex cauſa, quia peregrinatio & migratio, ſeu proceſſio a loco in locum in cœlo non aliud ſit quam mutatio ſtatus, ut oſtenſum prius, n: 1376. 1379. quare quoties in Verbo occurrit profectio, peregrinatio, & tranſlatio a loco in locum, non aliud obvenit angelis quam talis mutatio ſtatus quæ apud eos; mutationes ſtatus ſunt tam cogitationum quam affectionum, mutationes ſtatus cogitationum ſunt cognitiones, quæ in mundo ſpirituum ſiſtuntur per inſtructiones, quæ cauſa quoque fuit, quod Antiquiſſimæ Eccleſiæ homines, quia communicationem habebant cum Cœlo angelico, per peregrinationem nec aliud perciperent; ita hic quod Abram deſcenderit in Ægyptum ad peregrinandum, nihil aliud ſignificat quam inſtructionem Domini; ſimiliter per quod Jacobus & filii ejus in Ægyptum, ut apud Eſaiam, " Sic dixit Dominus Jehovih, *Ægyptum deſcendit* populus me-
" us in principio ad *peregrinandum*, & Aſchur pro nihilo oppreſſit illum," lii: 4. ubi Aſchur pro ratiociniis: inde quoque illi qui inſtruebantur in Eccleſia Judaica, dicti fuerunt *peregrini peregrinantes* in medio illorum, de quibus mandatum ut ſimiliter haberentur ſicut indigenæ, Exod: xii. 48, 49. Levit: xxiv: 22. Num: xv: 13, 14, 15, 16, 26, 29. Cap: xix: 10. de

quibus apud Ezechielem, "Dividetis terram hanc vobis juxta tribus Iſraelis, "& erit, juxta ſortem dividetis illam hæreditatem vobis & *peregrinis peregrinantibus* in medio veſtri, & erunt vobis ſicut indigena in filiis Iſraelis, vobiſcum ſortem jacient in hæreditatem in medio tribuum Iſraelis, & erit, in tribu cum qua *peregrinus peregrinatus* eſt cum illa, ibi dabitis hæreditatem "illis," XLVII : 22, 23. ubi de Nova Hieroſolyma, ſeu de Regno Domini, per peregrinos peregrinantes intelliguntur illi qui patiuntur ſe inſtrui, proinde gentes; quod pro illis qui inſtruuntur, conſtat ex eo, quod dicatur, in tribu, cum qua peregrinatus eſt, ibi daretur hæreditas; tribus pro illis quæ ſunt fidei. Per peregrinari etiam ſimile quid ſignificatur ac per proficiſci & habitare, per proficiſci vitæ inſtituta & ordo, perque habitare vivere, de quibus prius n: 1293: quare etiam terra Canaan dicitur terra peregrinationum Abrahami, Iſaci & Jacobi, Gen. XXVIII : 4. Cap: XXXVI : 7. Cap: XXXVII : 1. Exod: VI : 4. & Jacob dixit ad Pharaonem, "Dies annorum *Peregrinationum* mearum, parum & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, & non attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum, in diebus *Peregrinationum* illorum," Gen. XLVII : 9. ubi peregrinatio pro vita & inſtructionibus.

1464. Quia gravis fames in terra, quod ſignificet multam penuriam apud Externum Ipſius Hominem, conſtat a ſignificatione Famis ſupra in hoc verſu: arcana, quæ hic continentur, plura ſunt, quam ut breviter poſſint edici; potentia addiſcendi Domino fuit præ omni alio homine; ſed quia in cœleſtibus inſtruendus, prius quam in ſpiritualibus, ſecus ac alii homines, prædicatur hoc; ex cauſa etiam, quia malum hæreditarium a matre fuit, in Externo Ipſius Homine, contra quod pugnaturus, & quod evicturus; præter innumera alia.

1465. Verſ: 11. *Et factum, ut cum appropinquavit ad veniendum in Ægyptum, & dixit ad Sarai uxorem ſuam, ecce quæſo, novi quod fœmina pulchra aſpectu tu.* Et factum, ut cum appropinquavit ad veniendum in Ægyptum, ſignificat cum inciperet diſcere; Ægyptus eſt, ut dictum, ſcientia cognitionum: & dixit ad Sarai uxorem ſuam, ſignificat quod ita cogitavit de veris quibus cœleſtia adjuncta; Sarai uxor eſt verum adjunctum cœleſtibus quæ fuerunt apud Dominum: ecce quæſo novi quod fœmina pulchra aſpectu tu, ſignificat quod verum a cœleſti origine jucundum ſit.

1466. Et factum, ut cum appropinquavit ad veniendum in Ægyptum, quod ſignificet cum inciperet diſcere, conſtat ex ſignificatione Ægypti, quod ſit ſcientia cognitionum, de qua cum prædicatur appropinquare, non aliud poteſt ſignificare.

1467. Quod Ægyptus ſit ſcientia cognitionum, conſtat ex illis quæ ad verſ: præc: de Ægypto dicta & oſtenſa ſunt.

1468. Et dixit ad Sarai uxorem ſuam, quod ſignificet quod ita cogitavit de veris quibus cœleſtia adjuncta, conſtat ex ſignificatione Sarai cum nominatur uxor; uxor in ſenſu interno Verbi non aliud ſignificat quam verum conjunctum bono, nam conjunctio veri cum bono non aliter ſe habet ac conjugium; cum nominatur maritus in Verbo, tunc maritus ſignificat bonum, & uxor

uxor verum, ſed cum non nominatur maritus ſed dicitur vir, tunc ille ſignificat verum & uxor bonum, & hoc conſtanter in Verbo, ut quoque dictum prius n: 915. hic quia Abram nominatus, Sarai uxor ſignificat verum: ita dicere ad Sarai uxorem, in ſenſu interno eſt ita cogitare de veris quibus cœleſtia conjuncta. Hiſtorica vera ſunt, quod Abram ſic dixit uxori ſuæ, cum profectus in Ægyptum, ſed ut dictum, omnia hiſtorica Verbi ſunt repræſentativa, & omnia verba ſunt ſignificativa, hiſtorica non alia allata ſunt, nec alio ordine, nec verba exprimentia alia, quam quæ in ſenſu interno arcana illa exprimerent.

1469. Quod Sarai uxor ſit verum adjunctum cœleſtibus quæ fuerunt apud Dominum, conſtat ex illis quæ nunc de ſignificatione Sarai uxoris dicta ſunt. Quod dicatur verum adjunctum cœleſtibus, inde eſt, quod omne Verum apud Dominum fuit prius, cœleſte ſecum habet verum, unum inſeparabile eſt ab altero, ſicut lux a flamma, ſed reconditum fuit in Interno Ipſius homine Qui Divinus; ſcientifica & cognitiones, quæ addidicit, non ſunt vera ſeu veritates, ſed modo ſunt vaſa recipientia; ſicut quicquid eſt in memoria hominis nihil minus eſt quam verum, tametſi prædicatur, ſed in illis, ut in vaſis, eſt verum; hæc vaſa per inſtructionem in cognitionibus ex Verbo a Domino formanda erant, ſeu potius aperienda, ut non ſolum illis inſinuarentur cœleſtia, ſed ut fierent quoque cœleſtia ita Divina; Dominus enim conjunxit Divinam Eſſentiam Humanæ, ut Humana Ipſius fierent quoque Divina.

1470. Quod ecce quæſo novi, quod fœmina pulchra aſpectu tu, ſignificet quod verum a cœleſti origine jucundum ſit, conſtare poteſt a ſignificatione fœminæ pulchræ aſpectu; omne Verum quod cœleſte eſt, ſeu quod ex cœleſti producitur, eſt felix in interno homine, & jucundum in externo, non aliter percipitur Verum apud Angelos cœleſtes; aliter prorſus cum non ab origine cœleſti; ſunt duo felicia in interno homine, quibus correſpondent duo jucunda in externo homine, unum eſt boni, alterum eſt veri, felix & jucundum cœleſte eſt boni, felix & jucundum ſpirituale eſt veri; notum quoque eſt, quod ipſum verum ſecum habeat felicitatem & jucunditatem, ſed tunc eſſentialem cum a cœleſti eſt, inde ipſum verum quoque fit cœleſte, & appellatur cœleſte verum; eſtque comparative ſicut lux ſolis tempore veris, quæ in ſinu ſuo habet calorem, ex quo omnia in tellure vegetantur & quaſi animantur; cœleſte illud verum eſt ipſum pulchrum, ſeu ipſa pulchritudo; hoc verum eſt, quod dicitur hic fœmina pulchra aſpectu: quæ præterea arcana hoc involvit, patebit a ſequentibus.

1471. Verſ: 12. *Et erit, cum viderint te Ægyptii, & dicent, uxor illius hæc, & occident me, & te vivificabunt.* Et erit, cum viderint te Ægyptii, ſignificat ſcientiam cognitionum, quæ deſcribitur qualis eſt, cum cognitiones cœleſtes vident: & dicent, uxor illius hæc, ſignificat quod vocabunt illas cœleſtes: & occident me, & te vivificabunt, ſignificat quod cœleſtia non curarent, ſed modo meras cognitiones quas auferrent.

1472. Et erit, cum viderint te Ægyptii, quod ſignificet ſcientiam cognitionum, quæ deſcribitur qualis eſt, cum cognitiones cœleſtes vident, conſtare

 poteſt

poteſt a ſignificatione Ægypti quod ſit ſcientia cognitionum, ut prius oſtenſum; & inde quid ſignificet, "ſi viderint Ægyptii," quod nempe talis ſit, qualis deſcribitur in hoc verſu; ſcientia cognitionum hoc ſecum habet; & eſt quoddam naturale quod ineſt; etiam manifeſtatur apud pueros, cum primum incipiunt diſcere; nempe quo altiora ſunt, eo magis cupiant, cumque audiunt quod Cœleſtia & Divina, adhuc magis; ſed hoc jucundum eſt naturale, & oritur a cupidine quæ eſt Externi hominis: hæc cupido facit apud homines alios quod jucundum modo ponant in ſcientia cognitionum, abſque alio fine; cum tamen ſcientia cognitionum non aliud ſit, quam quoddam inſtrumentale, ob finem uſus, ut nempe inſerviant cœleſtibus & ſpiritualibus pro vaſis, & tunc primum cum inſerviunt, ſunt in uſu, & jucundum ſuum ab uſu accipiunt: unicuique conſtare poteſt, ſi attendit, quod ſcientia cognitionum in ſe nihil aliud ſit, quam ut homo fiat rationalis, & inde ſpiritualis, & tandem cœleſtis, & per illas Externus ejus homo adjungatur Interno, quod cum fit eſt in ipſo uſu, Internus homo nihil ſpectat niſi uſus; ob illum finem etiam inſinuat Dominus jucundum quod percipit pueritia & adoleſcentia in ſcientiis; cum autem homo incipit jucundum ponere in ſola ſcientia, eſt cupiditas corporea quæ aufert, & in quantum aufert ſeu ponit in ſola ſcientia, in tantum removet ſe a cœleſti, & in tantum ſcientifica ſe claudunt verſus Dominum, & fiunt materialia; quantum vero ſcientifica addiſcuntur ob finem uſus, ut propter ſocietatem humanam, propter Eccleſiam Domini in terris, propter Regnum Domini in cœlis, & magis propter Dominum, eo magis aperiuntur; quare etiam Angeli, qui in ſcientia omnium cognitionum ſunt, & quidem tali, ut vix una pars myriadis poſſit tradi ad plenum captum hominis, uſque ſcientias pro nihilo æſtimant reſpective ad uſum. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per hæc, cum viderint te Ægyptii, & dicent, uxor illius hæc, & occident me, & te vivificabunt: hoc quia novit Dominus cum Puer, & ita cogitavit, hæc dicta ſunt, nempe ſi a ſola cupidine ſcientiæ cognitionum auferretur, quod tunc ſcientia talis ſit, ut cœleſtia non magis curet, ſed modo cognitiones, quas cupido ſcientiæ auferret: de his ſequuntur plura.

1473. Et dicent, uxor illius hæc, quod ſignificet, quod vocabunt illas cœleſtes, conſtat ex ſignificatione uxoris quod ſit verum adjunctum cœleſtibus, inde uxor illius hæc, quod ſit cœleſte.

1474. Et occident me, & te vivificabunt, quod ſignificet, quod cœleſtia non curarent, ſed modo meras cognitiones, conſtat ex illis quæ mox dicta ſunt.

Verſ: 13. *Dic quæſo, ſoror mea tu, propterea ut bene fiat mihi propter te, & vivat anima mea tui cauſa.* Dic quæſo ſoror mea tu, ſignificat intellectuale verum, quod eſt ſoror: propterea ut bene fiat mihi propter te, ſignificat quod ſic cœleſte non poſſet violari: & vivat anima mea tui cauſa, ſignificat quod ſic cœleſte poſſet ſalvari.

1475. Dic quæſo ſoror mea tu, quod ſignificet intellectuale verum, quod eſt ſoror, conſtare poteſt a ſignificatione ſororis, quod ſit intellectuale verum, cum cœleſte verum eſt uxor; de qua ejus ſignificatione in ſequentibus. Hæc ita ſe habent; ſcientia talis eſt, ut nihil magis cupiat, quam ſe immittere in cœleſtia &

illa

illa explorare, ſed hoc eſt contra ordinem, ſic enim violat cœleſtia; ipſe ordo eſt, ut cœleſte per ſpirituale ſe immittat in rationale & ſic in ſcientificum, & id ſibi adaptet; qui ordo niſi obſervetur, nuſquam aliqua ſapientia. Continentur & hic illa arcana, quomodo Dominus inſtructus eſt a Patre Ipſius ſecundum omnem ordinem, & ſic quomodo Externus Ipſius Homo conjunctus ſit Interno, hoc eſt, quomodo Externus Ipſius Homo ſimiliter ac Internus factus Divinus, ſic quoad utramque Eſſentiam Jehovah; quod factum per cognitiones, quæ ſunt media; abſque cognitionibus, ut mediis, homo externus ne quidem fieri poteſt homo.

1476. Propterea ut bene fiat mihi propter te, quod ſignificet, quod ſic cœleſte non poſſet violari, conſtat ab illis quæ ſupra dicta ſunt; ordo enim eſt, ut aliquoties prius dictum, quod cœleſte influet in ſpirituale, ſpirituale in rationale, & hoc in ſcientificum, cum hic ordo eſt, tunc a cœleſti adaptatur ſpirituale, a ſpirituali rationale, & ab hoc ſcientificum, ſcientificum in communi tunc fit ultimum vas, ſeu quod idem eſt, ſcientifica in ſpecie & particulari fiunt ultima vaſa, quæ correſpondent rationalibus, rationalia ſpiritualibus, & ſpiritualia cœleſtibus; cum ille ordo eſt, tunc cœleſte non poteſt violari, alioquin violatur: quia hic agitur de inſtructione Domini in ſenſu interno, hic deſcribitur, quomodo progreſſus ſit.

1477. Quod vivat anima mea tui cauſa, ſignificet quod ſic cœleſte poſſet ſalvari, conſtare poteſt a ſignificatione animæ, quod ſit cœleſte, hoc enim eſt ipſa anima, quia ipſamet vita, inde conſtat quid ſignificat, ut vivat anima mea tui cauſa. Ex ſequentibus conſtabit, quod Cœleſtia ſeu Divina non adjuncta fuerint Domino ita ut unam Eſſentiam egerint, priuſquam ſuſtinuerit tentationes, & ſic expulerit malum hæreditarium a matre: deſcribitur hic & in verſibus ſequentibus quomodo interea ipſum cœleſte non violatum, ſed ſalvatum.

1478. Ver: 14. *Et factum, cum venit Abram in Ægyptum, & viderunt Ægyptii fœminam, quod pulchra illa valde.* Factum, cum venit Abram in Ægyptum, ſignificat cum inciperet Dominus inſtrui: & viderunt Ægyptii fœminam quod pulchra illa valde, ſignificat ſcientiam cognitionum quod talis ſit ut ſibi perplaceat.

1479. Factum cum venit Abram in Ægyptum, quod ſignificet cum inciperet Dominus inſtrui, conſtat ex repræſentatione Abrami, quod in ſenſu interno ſit Dominus cum puer; & a ſignificatione Ægypti, quod ſit ſcientia cognitionum, ut oſtenſum ſupra ad verſ: 10 hujus Capitis; inde patet, quod venire in Ægyptum, ſit inſtrui.

1480. Et viderunt Ægyptii fœminam quod pulchra illa valde, quod ſignificet ſcientiam cognitionum, quod ſibi perplaceat, conſtat ab illis quæ ſupra ad verſ: 11. dicta ſunt, quod ſcientia talis in pueritia ſit: eſt enim innatum quaſi ſcientiæ, quia homini, ut omnium primum placeat ob nullum alium finem, quam propter ſcire; unuſquiſque homo eſt talis; ſpiritus perquam delectatur ſcire, ut vix prius cupiat; eſt ejus cibus, quo ſuſtentatur & recreatur,

recreatur, ſicut externus homo a cibo terreſtri; ille victus, qui eſt ſpiritus ejus, communicatur externo homini, ob finem ut externus homo adaptetur interno: ſed cibi illi hoc ordine ſibi ſuccedunt, cibus cœleſtis eſt omne bonum amoris & charitatis a Domino, cibus ſpiritualis eſt omne verum fidei, ex his cibis vivunt angeli; exinde exiſtit cibus, qui quoque cœleſtis & ſpiritualis eſt, ſed inferior angelicus, ex quo vivunt ſpiritus angelici; ex hoc iterum cibus adhuc inferior cœleſtis & ſpiritualis, qui eſt rationis & inde ſcientiæ, ex hoc vivunt ſpiritus boni; ultimo venit cibus corporeus, qui eſt homini, cum vivit in corpore, proprius; hi cibi mirabiliter ſibi correſpondent; inde quoque patet, cur & quomodo ſibi perplacet ſcientia, ſe enim habet ſicut appetitus & guſtus, quare etiam ſcientificis in mundo ſpirituum, correſpondet eſus apud hominem, & ſcientiarum cupidini ipſe appetitus & guſtus, quod ab experientia conſtat, de qua, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

1481. Verſ: 15. *Et viderunt illam principes Pharaonis, & laudaverunt illam ad Pharaonem, & aſſumta eſt fœmina domum Pharaonis.* Viderunt principes Pharaonis, ſignificat primaria præcepta, quæ ſunt principes Pharaonis: & laudarunt illam ad Pharaonem, ſignificat quod placerent: & aſſumta eſt fœmina domum Pharaonis, ſignificat quod aucuparent animum.

1482. Viderunt principes Pharaonis, quod ſignificet primaria præcepta, quæ ſunt principes Pharaonis, conſtat ex ſignificatione principum & Pharaonis; principes in Verbo ſignificant illa quæ ſunt primaria, tam in hiſtoricis quam in propheticis Verbi; & Pharao ſignificat idem ac Ægyptus, & hic Ægyptus ſeu Pharao in optimo ſenſu, quia prædicantur de ſcientia cognitionum, quam Dominus in pueritia primum arripuit. Quod fuerint primaria præcepta ex Verbo, ex ſignificatione horum in ſenſu interno conſtat. Quod per Pharaonem in Verbo ſignificetur idem ac per Ægyptum in communi, multis confirmari poteſt, ſicut etiam per Reges aliorum regnorum nominatos idem ac per ipſa nomina regnorum: per principes autem primaria illorum, ut apud Eſaiam, "Stulti *Principes* Zoanis, ſapientes conſiliarii Pharaonis; quo-"modo dicitis ad Pharaonem, filius ſapientum ego, filius Regum antiquita-"tis, infatuati *Principes* Zoanis, decepti *Principes* Noph," XIX: 11: 13. ibi principes Zoanis, & ſapientes conſiliarii Pharaonis pro primariis ſcientificis; & quia ſapientia primitus viguit in Ægypto, ut prius dictum, vocatur filius ſapientum, & filius Regum antiquitatis: ita quoque alibi multoties in Verbo principes pro primariis.

1483. Quod laudaverunt illam ad Pharaonem, ſignificet quod placerent, conſtare poteſt abſque explicatione.

1484. Quod aſſumta fœmina domumPharaonis, ſignificet quod aucuparent animum, conſtare poteſt a ſignificatione fœminæ, & a ſignificatione domus; fœmina ſignificat verum, hic verum quod in ſcientiis, cujus delitiis captus Dominus in pueritia; delitiæ veri ſunt illæ quæ ab intellectuali vero, quod ſignificatum eſt per ſororem, venit; domus ſignificat illa quæ apud hominem, imprimis quæ ejus voluntatis ſunt, ut oſtenſum prius n: 710; hic ideo quæ animi, ſeu affectionis ſciendi & diſcendi.

1484. Verſ: 16. *Et Abramo benefecit propter illam; & fuit illi grex & armentum, & aſini & ſervi, & ancillæ & aſinæ, & cameli.* Abramo benefecit propter illam, ſignificat quod ſcientifica apud Dominum multiplicata ſint: & fuit illi grex & armentum, & aſini & ſervi, & ancillæ & aſinæ, & cameli, ſignificat omnia in genere quæ ſunt ſcientificorum.

1485. Et Abramo benefecit propter illam, quod ſignificet quod ſcientifica apud Dominum multiplicata ſint, conſtat ex ſignificatione benefacere, quod ſit locupletari: prædicatur hoc de ſcientia quæ ſignificatur per Pharaonem, quod benefecerit Abramo, hoc eſt, Domino puero, & hoc propter illam, hoc eſt, propter verum intellectuale, quod deſideravit, deſiderium veri erat, ex quo locupletatio.

1486. Et grex & armentum, & aſini & ſervi, & ancillæ & aſinæ, & cameli, quod ſignificent omnia in genere quæ ſunt ſcientificorum, conſtat a ſignificatione omnium horum in Verbo; ſed quid unumquodvis in ſpecie ſignificat, prolixum nimis foret oſtendere, ut quid hic grex & armentum, quid aſini & ſervi, quid ancillæ & aſinæ, quid cameli, quodlibet ſuam peculiarem ſignificationem habet, in genere omnia quæ ſunt ſcientiæ cognitionum, & ſcientificorum; ſcientifica in ſe ſpectata ſunt aſini & ſervi, eorum voluptates ſunt ancillæ & aſinæ, cameli ſunt ſervitia communia, grex & armentum ſunt poſſeſſiones, ita paſſim in Verbo. Omnia quæcunque apud Externum hominem ſunt, non ſunt aliud quam ſervitia, hoc eſt, ut inſerviant Interno homini; ita omnia ſcientifica, quæ non ſunt niſi quam Externi hominis; ſunt enim comparata ex terreſtribus & mundanis per ſenſualia, ut inſervire poſſent interiori ſeu rationali homini, hic ſpirituali, & hic cœleſti, & hic Domino; ita ſibi mutuo ſubordinata ſunt, ut exteriora interioribus ordine, ita omnia & ſingula ſecundum ordinem, Domino: ſcientifica itaque ſunt ultima & extima, in quibus terminantur ordine interiora, quæ quia ultima & extima, præ cæteris erunt ſervitia; quiſque ſcire poteſt, ad quæ, ſcientifica inſervire poſſint, ſi reflectat, aut apud ſe quærat, cui uſui; cum ſic reflectit ſuper uſum, capere etiam poteſt, qualis uſus; omne ſcientificum erit propter uſum, & hoc eſt ſervitium ejus.

Verſ: 17. *Et percuſſit Jehovah Pharaonem plagis magnis, & domum ejus, propter verbum Sarai uxoris Abrami.* Percuſſit Jehovah Pharaonem plagis magnis, ſignificat quod deſtructa ſint ſcientifica: & domum ejus, ſignificat quæ collegit: propter verbum Sarai uxoris Abrami, ſignificat propter verum adjungendum cœleſti.

1487. Quod percuſſit Jehova Pharaonem plagis magnis, ſignificet quod deſtructa ſint ſcientifica, conſtat ex ſignificatione Pharaonis, quod ſit ſcientia in communi, proinde ſcientifica quæ ſunt ſcientiæ; & ex ſignificatione percuti plagis, quod ſit deſtrui: ita ſe habet cum ſcientificis; comparantur in pueritia non alio fine, quam fine ſciendi, apud Dominum ex delitiis & affectione veri: ſcientifica, quæ in pueritia comparantur ſunt perplura, ſed diſponuntur a Domino in ordinem, ut inſerviant uſui, primum ut cogitare poſſit, dein ut uſui per cogitationem ſint, tandem ut fiat, nempe ut ipſa ejus vita conſiſtat in

uſu,

uſu, ſitque vita uſuum; hæc præſtant ſcientifica quæ haurit in pueritia, abſque illis nuſquam Externus ejus homo conjungi poteſt cum Interno, & ſimul fieri uſus; cum homo fit uſus, hoc eſt, dum omnia cogitat ex fine uſus, & omnia facit ob finem uſus, ſi non per manifeſtam reflexionem uſque per tacitam ex indole inde acquiſita, tunc ſcientifica, quæ inſerviverunt primo uſui, ut rationalis fiat, deſtruuntur, quia non amplius magis inſerviunt, & ſic porro: hæc ſunt, quæ hic intelliguntur, per quod Jehovah percuſſit Pharaonem plagis magnis.

1488. Et domum ejus, quod ſignificet quæ collegit, conſtare poteſt a ſignificatione domus, quod hic ſint ſcientifica quæ colliguntur; ſcientifica colligere, & per illa exſtruere Externum hominem, ac ædificare illum, non diſſimiliter ſe habet, ac domum ædificare, quare etiam per ædificare, & ædificare domos, in Verbo paſſim ſimilia ſignificantur, ut apud Eſaiam, "Ego "creans cœlos novos, & terram novam, *Ædificabunt Domos*, & inhabitabunt; "& plantabunt vineas, & comedent fructum illarum, non *Ædificabunt*, & "alius inhabitabit," LXV: 17, 21, 22. domus hic ubi ſapientia & intelligentia, ita ubi cognitiones boni & veri, nam de Regno Domini agitur, nempe de novis cœlis & nova terra: apud Jeremiam, "*Ædificate Domos*, & inha"bitate, & plantate hortos, & comedite fructus illorum," XXIX: 5. ſimiliter: apud Davidem, "Beatus vir qui timet Jehovam, præceptis Ipſius de"lectatur valde; opes & divitiæ in *Domo* illius, & juſtitia illius ſtans in per"petuum," Pſalm: CXII: 1, 3. ubi opes & divitiæ pro opibus & divitiis ſapientiæ & intelligentiæ, ita pro cognitionibus, quæ in domo ejus, hoc eſt, apud illum. Domus in contrario ſenſu, apud Zephaniam, "Viſitabo "ſuper dicentes corde ſuo, non benefecit Jehovah, & non malefecit, & erunt "opes eorum in direptionem, & *Domus* eorum in deſolationem, & *Ædifica"bunt domos*, & non inhabitabunt, & plantabunt vineas, & non bibent vi"num," I: 12, 13. apud Haggæum, "Aſcendite in montem, & addu"cite lignum, & *ædificate domum*: ſpectare ad multum, & ecce in parum; "& induxiſtis in *domum*, & difflavi id; propter quid, dictum Jehovæ, "propter Domum meam, quæ illa deſerta, & vos currentes, quilibet ad "*Domum* ſuam; propterea ſunt ſuper vobis clauſi cœli a rore," I: 8, 9, 10. domus pro ſcientificis, per quæ, media ratiocinatione, falſa: apud Eſaiam, "Væ adjungentibus *Domum domui*, agrum agro approprinquare faciunt, "uſque ut non locus, & habitetis ſoli in medio terræ: ſi non *Domus* multæ "in deſolationem erunt, magnæ, & bonæ, abſque habitatore; vinea Je"hovæ domus Iſraelis," V: 8, 9. etiam pro ſcientificis, per quæ falſitates. Apud Amos, "Ecce Jehovah præcipiens, & percutiet *Domum* magnam ri"mis, & *Domum* parvam rupturis, num current in petra equi, num ara"bit bobus, quod convertiſti in fel judicium, & fructum juſtitiæ in abſin"thium," VI: 11, 12. ſimiliter domus pro falſis & malis inde, equi pro ratiocinatione, judicium pro veris quæ convertuntur in fel, & fructus juſtitiæ pro bonis, quæ convertuntur in abſinthium. Ita paſſim in Verbo Domus pro mentibus humanis, in quibus erit intelligentia & ſapientia;

hic

hic domus Pharaonis pro Scientificis per quæ intelligentia & ſic ſapientia; ſimilia quoque ſignificata ſunt per Domum, quam ædificavit Salomo filiæ Pharaonis, 1 Reg: VII: 8. ſeq: quia domus pro mentibus, in quibus intelligentia & ſapientia, & quibus affectiones quæ ſunt voluntatis, ideo vox domus in Verbo latæ ſignificationis eſt, ſed quid ſignificat in ſpecie, conſtare poteſt ab illis de quibus prædicatur; ipſe homo quoque appellatur domus.

1489. Propter verbum Sarai uxoris Abrami, quod ſignificet propter verum adjungendum cœleſti, conſtat a ſignificatione uxoris, proinde Sarai uxoris, quod ſit verum adjungendum cœleſti, de quo ſupra ad verſ: 12. Ita ſe res habet, niſi ſcientifica, quæ uſum præſtiterunt in pueritia, ut rationalis fiat homo, deſtruantur, ſic ut nihili ſint, nuſquam poteſt verum conjungi cœleſti; ſcientifica illa prima ſunt ad plurimam partem terreſtria, corporea, mundana, utcunque præcepta ſunt Divina quæ puer haurit, uſque non aliam ideam habet de illis, quam ex talibus ſcientificis, quare quamdiu adhærent infima illa ſcientifica, ex quibus ideæ, non elevari mens poteſt: apud Dominum ſimiliter, quia natus ut alius homo, & inſtruendus ut alius, ſed ſecundum ordinem Divinum, qui talis, ut dictum: deſcribitur in his quæ de Abramo in Ægypto, ordo Divinus, quomodo Externus homo conjungitur Interno apud Dominum, ut etiam Externus fieret Divinus.

1490. Verſ: 18. *Et vocavit Pharao Abramum, & dixit, quid hoc feciſti mihi, quare non indicaſti mihi, quod uxor tua illa.* Et vocavit Pharao Abramum, ſignificat quod Dominus recordatus: & dixit quid hoc feciſti mihi, ſignificat quod Ipſi indoluit: quod uxor tua illa, ſignificat cum noſſet, quod non aliud verum habere deberet quam quod conjungeretur cœleſti.

1491. Quod vocavit Pharao Abramum, ſignificet quod Dominus recordatus, conſtare poteſt a ſignificatione Pharaonis quod ſit ſcientia; ipſa ſcientia, ſeu ipſa ſcientifica quæ Dominus hauſit cum puer, hic appellantur Pharao, ita eſt ipſa ſcientia quæ ita alloquitur Dominum, ſeu Jehovah per ſcientiam; inde patet, quod hæc ſignificent, quod Dominus recordatus; animadvertentia venit per ſcientiam, ita per Pharaonem, per quem ſignificatur, ut dictum, ſcientia.

1492. Quod dixit, quid hoc feciſti mihi, ſignificet quod Ipſi indoluit, conſtare quoque poteſt ex ipſa indignatione, in qua hæc dicta, ipſa indolentia inde ita exprimitur; ſenſus internus talis eſt, ut ipſa affectio, quæ latet in verbis, ſit, quæ internum ſenſum conſtituit, ad verba literæ non attenditur, ſunt illa ſicut nulla forent; affectio, quæ in his verbis, eſt indignatio quaſi ſcientiæ, & indolentia Domini, & quidem indolentia inde, quod deſtruerentur ita ſcientifica, quæ cum oblectamento, & delitiis hauſit; ſe habet hoc, ſicut dum infantes aliquid amant, quod parentes vident illis noxium, cum illis aufertur, quod id illis dolori ſit.

1493. Quod uxor tua illa, ſignificet quod non aliud verum habere deberet, quam quod conjungeretur cœleſti, conſtat ex ſignificatione uxoris, quod ſit verum quod conjungendum cœleſti, de qua ſupra ad verſ: 12. deſcribitur hic, ut dictum, ordo quo proceſſit Dominus ad intelligentiam, & ſic ad ſapientiam,

 pientiam,

pientiam, ut totus, ſicut erat quoad Eſſentiam Divinam, etiam fieret quoad Humanam, Ipſa Sapientia.

1494. Verſ: 19. *Quare dixiſti, ſoror mea illa, & accepiſſem illam mihi in mulierem; & nunc, ecce uxor tua, accipe & vade.* Quare dixiſti ſoror mea illa, ſignificat quod non aliud tunc noſſet, quam quod intellectuale verum haberet: & accepiſſem illam mihi in mulierem, ſignificat quod ſic violare potuiſſet verum, quod conjungeretur cœleſti: & nunc ecce uxor tua, accipe, & vade, ſignificat quod conjungeretur verum cœleſti.

1495. Quare dixiſti ſoror mea illa, quod ſignificet quod non aliud tunc noſſet, quam quod intellectuale verum haberet, conſtat ex ſignificatione ſororis, quod ſit verum intellectuale, tum ex eo quod ita dixerit, ut conſtat ex verſ: 13. quod factum ob finem, ne cœleſte violaretur, ſed ſalvaretur: ex his patet, quod Dominus puer, cum ſcientifica hauſerit, omnium primo non aliter noſſet, quam quod ſcientifica ſolum forent ob intellectualem hominem, ſeu ut ex illis vera cognoſceret, ſed quod fuiſſent, ut perveniret ad cœleſtia, poſtea detectum eſt; & hoc factum ne cœleſtia violarentur, ſed ut ſalvarentur; progreſſio eſt, dum inſtruitur homo, a ſcientificis ad vera rationalia, porro ad vera intellectualia, & demum ad vera cœleſtia, quæ ſignificantur hic per uxorem; ſi procedatur a ſcientificis & veris rationalibus ad vera cœleſtia abſque mediis veris intellectualibus, violatur cœleſte, quia non datur nexus verorum rationalium, quæ ex ſcientificis, cum veris cœleſtibus, niſi per vera intellectualia, quæ ſunt media; quid vera cœleſtia, & quid vera intellectualia, videbitur in mox ſequentibus. Ut ſciatur quomodo hæc ſe habent, aliquid de ordine dicendum; ordo eſt, quod cœleſte influet in ſpirituale & id ſibi adaptabit; ſpirituale ſic influet in rationale & id ſibi adaptabit; rationale ſic in ſcientificum & id ſibi adaptabit; cum vero homo in prima pueritia inſtruitur, tunc quidem ſimilis ordo eſt, ſed apparet aliter, nempe quod a ſcientificis progrediatur ad rationalia, ab his ad ſpiritualia, & ſic tandem ad cœleſtia; quod ita appareat, eſt cauſa, quia ita aperienda eſt via cœleſtibus, quæ ſunt intima; omnis inſtructio eſt ſolum apertio viæ, & ſicut aperitur via, ſeu quod idem eſt, ſicut aperiuntur vaſa, ita influunt, ut dictum, ordine, a cœleſtibus ſpiritualibus rationalia, in hæc cœleſtia ſpiritualia, & in hæc cœleſtia; hæc continuo occurrunt, & quoque præparant ſibi, ac formant vaſa, quæ aperiuntur; quod etiam conſtare poteſt ex eo, quod ſcientificum & rationale in ſe mortuum ſit, & quod vivere videatur, hoc habeat ab interiori vita quæ influit; hoc manifeſtum cuique poteſt eſſe a cogitatione & facultate judicandi, in his omnia arcana artis & ſcientiæ analyticæ latent, quæ tot ſunt, ut nuſquam quoad unam myriadis partem queant explorari, nec ſolum apud hominem adultum, ſed etiam apud pueros omnis eorum cogitatio & omnis inde loquela eſt illis pleniſſima, tametſi homo, etiam doctiſſimus, id neſcit, quod nuſquam eſſe potuiſſet, niſi cœleſtia & ſpiritualia, quæ intus, occurrerent, influerent, & omnia illa producerent.

1496. Quod accepiſſem illam mihi in mulierem, ſignificet quod ſic violari potuiſſet

potuiſſet verum, quod conjungeretur cœleſti, conſtare poteſt ab illis quæ nunc dicta ſunt, tum ab illis quæ ſupra ad verſ: 13. quod verum conjungeretur cœleſti, ita ſe habet; verum in ſe ſpectatum, quod a pueritia diſcitur, non eſt niſi vas aptum cui cœleſte inſinuari poſſit; verum a ſe non habet aliquam vitam, ſed a cœleſti quod influit; cœleſte eſt amor & charitas, omne verum eſt inde; & quia omne verum eſt inde, non eſt aliud quam quoddam vas; ipſa vera quoque ita perſpicua ſiſtuntur in altera vita, ibi nuſquam ſpectantur vera a veris, ſed a vita quæ in illis, hoc eſt, a cœleſtibus, quæ ſunt amoris & charitatis in veris, ex illis vera fiunt cœleſtia, & appellantur vera cœleſtia; ex his nunc conſtare poteſt, quid verum intellectuale, tum quod verum intellectuale aperuerit viam ad cœleſtia apud Dominum. Aliud eſt verum ſcientificum, aliud verum rationale, & aliud verum intellectuale, ſuccedunt ſibi; verum ſcientificum eſt ſcientiæ; verum rationale eſt verum ſcientificum ratione confirmatum; verum intellectuale eſt conjunctum cum perceptione interna quod ita ſit; hoc apud Dominum fuit in pueritia, & apud Ipſum aperuit viam ad cœleſtia.

1497. Quod nunc ecce uxor tua, accipe & vade, ſignificet quod conjungeretur verum cœleſti, conſtat ex ſignificatione uxoris, quod ſit verum quod conjungendum cœleſti, ut oſtenſum ſupra ad verſ: 11 & 12, & ex illis, quæ nunc dicta ſunt.

1498. Verſ: 20. *Et præcepit ſuper illo Pharao viris, & dimiſerunt illum, & uxorem illius, & omnia quæ illi.* Præcepit ſuper illo Pharao viris, ſignificat quod ſcientifica reliquerint Dominum: & uxorem illius, ſignificat quod vera cœleſtibus conjuncta: & omnia quæ illi, ſignificat omnia quæ verorum cœleſtium eſſent.

1499. Quod præcepit ſuper illo Pharao viris, ſignificet quod ſcientifica reliquerint Dominum, conſtat ex ſignificatione Pharaonis, quod ſit ſcientia; tum ex ſignificatione virorum, quod ſint intellectualia, ut oſtenſum prius n: 158. hic quia prædicantur de Pharaone ſeu ſcientia, viri ſignificant adæquata. Quod ſcientifica reliquerint Dominum, ita ſe habet, cum cœleſtia conjunguntur veris intellectualibus, & hæc fiunt cœleſtia, tunc omnia quæ inania ſunt, ex ſe diſſipantur, cœleſte hoc ſecum habet.

1500. Quod uxorem illius, ſignificet quod vera cœleſtibus conjuncta, nempe quod ſcientifica reliquerint illa, conſtat ex ſignificatione uxoris, quod ſit verum conjunctum cœleſti, de qua ſupra; ut & ex illis quæ modo dicta ſunt; inania ſcientifica relinquunt cœleſtia, ſicut ſolent vana ſapientiam; ſunt quaſi cruſtacea ſeu ſquammoſa, quæ ſe ſponte ſeparant.

1501. Quod omnia quæ illi, ſignificent omnia quæ verorum cœleſtium eſſent, inde nunc ſequitur.

1502. Ex his nunc patet, quod peregrinatio Abrami in Ægypto nihil aliud repræſentet & ſignificet quam Dominum, & quidem Ipſius inſtructionem in pueritia; quod confirmatur etiam per id, quod dictum apud Hoſcheam, "Ex Ægypto vocavi filium meum," xi: 1. Matth: ii: 15. adhuc ex illo, quod dicitur apud Moſen, "Habitatio filiorum Iſraelis, qui habitarunt in

" Ægypto, triginta anni & quadringenti anni: & factum eſt a fine triginta " & quadringentorum annorum; & factum in eodem die hoc, egreſſi omnes " exercitus Jehovæ e terra Ægypti," Exod: xii: 40, 41. qui anni non fuerunt ab ingreſſu Jacobi in Ægyptum, ſed a peregrinatione Abrami in Ægypto, ex qua fuerunt 430 anni; ſic per Filium ab Ægypto apud Hoſcheam xi: 1. ſignificatur hic in ſenſu interno Dominus: & adhuc per id confirmatur, quod per Ægyptum in Verbo non aliud ſignificetur quam ſcientia, ut oſtenſum n: 1164, 1165. n: 1462. Et quod hæc arcana contineantur conſtare quoque poteſt ex eo, quod ſimilia dicantur de Abramo cum peregrinatus in Philiſtæa, quod nempe uxorem ſuam dixerit ſororem, Gen: xx: 1 ad f. & ſimilia de Iſaco, cum quoque is peregrinatus in Philiſtæa, quod uxorem ſuam dixerit ſororem, Geneſ: xxvi: 6 ad 13. quæ nuſquam relata fuiſſent in Verbo, & fere cum ſimilibus circumſtantiis, niſi arcana hæc inibi recondita laterent: præter quod Verbum Domini ſit, quod nuſquam aliquam vitam habere poteſt, niſi ſenſus internus ſit, qui Ipſum ſpectat. Arcana quæ in his ut & in illis, quæ de Abramo & Iſaco in Philiſtæa, recondita latent, ſunt, quomodo Humana Domini Eſſentia conjuncta fuerit Ipſius Divinæ, ſeu quod idem, quomodo Dominus quoad Humanam Ipſius Eſſentiam quoque factus Jehovah; quodque inauguratus a pueritia, de qua inauguratione hic agitur. Præterea hæc quoque involvunt arcana plura, quam uſquam homo poſſit credere; ſed quæ dici poſſunt, ſunt tam pauca ut vix aliquid: præter arcaniſſima de Domino, etiam involvunt arcana de inſtructione & regeneratione hominis, ut fiat cœleſtis; tum quoque de inſtructione & regeneratione hominis ut fiat ſpiritualis; nec ſolum de hominis in particulari, ſed etiam de Eccleſiæ in communi: tum etiam involvunt arcana de inſtructione infantum in cœlo; verbo de omnium, qui fiunt imagines & ſimilitudines Domini: hæc nuſquam patent in ſenſu literæ, ex cauſa quia hiſtorica offundunt & obtenebrant, ſed in ſenſu interno.

Continuatio de perceptionibus; & de ſphæris in altera vita.

1504. *QUOD in altera vita cognoſcatur ad primum adventum, qualis alter eſt, tametſi nihil loquatur, dictum eſt; ex quibus ſciri poteſt, quod interiora hominis in quadam ignota activitate ſint, & quod exinde percipiatur ſpiritus, qualis eſt; quod ita ſit, conſtare potuit ex eo, quod activitatis hujus ſphæra, non ſolum in longinquum ſe extendat, ſed etiam quod quandoque, cum Dominus permittit, vario modo ſenſibilis ſiſtatur.*

1505. *Quomodo comparantur hæ ſphæræ, quæ tam ſenſibiles fiunt in*

altera vita, etiam informatus ſum; ut ad captum dicatur, ſit pro exemplo, qui de ſemet ſuaque excellentia præ aliis captavit opinionem, is imbuitur tandem tali habitu & quaſi natura, ut ubicunque vadit, & alios ſpectat, cumque iis loquitur, ſe intueatur; hoc primum manifeſte, dein non manifeſte, ut is non ſciat, ſed uſque regnat, ſicut in ſingulis ejus affectionis & cogitationis, ita in ſingulis geſtus & in ſingulis loquelæ; hoc homines in aliis poſſunt videre; tale eſt quod facit ſphæram in altera vita, quæ percipitur, ſed uſque non ſæpius, quam quoties Dominus concedit. Ita ſe habet cum aliis affectionibus, quare ſphæræ totidem ſunt, quot affectiones, & quot affectionum compoſitiones, quæ innumerabiles; eſt ſphæra quaſi imago ejus extenſa extra illum, & quidem imago omnium, quæ apud illum; ſed quod ſiſtitur videndum aut percipiendum in mundo ſpirituum, eſt modo commune quid; qualis autem eſt quoad particularia, hoc noſcitur in cælo; at qualis quoad ſingularia, nemo novit quam Dominus ſolus.

1506. *Ut ſciatur quales ſphæræ ſunt, aliqua ab experientia licet afferre. Quidam ſpiritus, qui dum vixit in corpore, mihi notus fuit, & cum eo loquutus, poſtea multoties apparuit inter malos, is quia multam de ſe opinionem habuit, ſphæram excellentiæ præ aliis ſibi comparavit; & quia talis, ſubito aufugiebant ſpiritus, ſic ut nullus appareret, quam is ſolus, qui tunc implebat totam ſphæram circumcirca, quæ fuit intuitiva ſui; mox deſtitutus quoque a ſociis in alium ſtatum lapſus eſt; qui enim a ſocietate ſua, in qua eſt, deſtituitur in altera vita, fit primum ſicut ſemimortuus, vita modo ejus tunc ſuſtinetur ab influxu cæli in interiora ejus, tunc lamentari cæpit, & cruciari: dictum poſtea ab aliis ſpiritibus, quod præſentiam ejus, quia aliis major eſſe vellet, ſufferre non potuerint; tandem aſſociatus aliis evectus in altum, & ſic viſus ſibi quod ſolus gubernaret univerſum, nam in tantum amor ſui inſufflat cum relinquitur ſibi, dein conjectus eſt inter infernales; talis ſors manet illos, qui ſe majores aliis eſſe putant; amor ſui præ omni alio amore, contrarius eſt amori mutuo, qui eſt vita cæli.*

1507. *Quidam in vita corporis magnus & ſapiens ſibi viſus præ aliis, alioquin probus, non ita alios contemnens præ ſe; ſed quia in dignitate natus, ſphæram ſupereminentiæ & auctoritatis contraxit: talis ad me venit, & diu nihil loquutus, ſed animadverti quod ſicut nimbo circumfuſus eſſet, qui progrediens ab illo obvelare incepit ſpiritus; ex quo ſpiritus cæperunt angi; inde loquuti mecum, dicebant, quod nequaquam adeſſe poſſent, ſe privari omni libertate, ſicut quod non auſint quicquam dicere; cæpit is quoque loqui, & cum illis, vocans eos ſuos filios, quandoque inſtruens, ſed cum au-*

toritate

toritate quam ſibi attraxerat: inde conſtare potuit, qualis ſphæra auctoritatis eſt in altera vita.

1508. *Multoties obſervare datum, quod, qui in mundo ſumma dignitate præditi fuerunt, inde non potuerint aliter quam ſibi auctoritatis ſphæram attrahere, ac ideo illam non occultare nec rejicere in altera vita, qui illorum fide & charitate donati fuerunt, ſphæra illorum auctoritatis cum ſphæra bonitatis mirabiliter conjungitur, ut non alicui moleſta ſit, imo etiam illis ſpecies ſubordinationis correſpondentis a ſpiritibus moratis præſtatur; ſed illis non eſt ſphæra imperandi, modo ſphæra naturalis quia tales nati, quam dein poſt temporis moram exuunt, quia boni, & exuere ſtudent.*

1509. *Fuerunt apud me per aliquot dies tales ſpiritus, qui dum vixerunt in mundo, nihil ſocietatis bono ſed ſibi ſtuduerunt, ad functiones in Republica inutiles, quique pro fine habuerunt ſolum opipare vivere, ſplendide veſtiri, diteſcere, aſſuefacti ſimulationibus & modis ſe inſinuandi varia aſſentatione & affectatione officiorum, ſolum ut viderentur, & adminiſtrarent domini bona, cum deſpectu aſpicientes omnes qui in ſeriis functionibus; quod in aulis fuerint, perceptum: illorum ſphæra fuit, quod tollerent mihi omne ſtudium, & mihi inferrent moleſtiam agendi & cogitandi ſeria, vera & bona, tam gravem, ut tandem vix ſcirem quid facerem: tales cum inter ſpiritus veniunt, iis inducunt ſimilem torporem; ſunt in altera vita inutilia membra, & rejiciuntur ubicunque veniunt.*

1510. *Unuſquiſque ſpiritus, & magis unaquævis ſocietas ſpirituum, ſuam ſphæram habet ex principiis & perſuaſionibus captis, quæ ſphæra eſt principiorum & perſuaſionum; genii mali habent ſphæram cupiditatum: ſphæra principiorum, & perſuaſionum talis eſt, ut cum agit in alium, faciat ſicut vera ſint falſa, & excitat omnia confirmantia, ſic ut inducat credere, quod falſa ſint vera, & mala ſint bona: inde conſtare potuit, quam facile homo in falſis & malis confirmari poſſit, niſi credat veris quæ a Domino; tales ſphæræ ſunt denſiores ſecundum falſitatum naturam: hæ ſphæræ nullatenus concordare poſſunt cum ſphæris ſpirituum qui in veris; ſi approximant, oritur repugnantia; ſi ſphæra falſi ex permiſſione prævalet, boni in tentationem veniunt, inque anxietatem. Percepta quoque eſt ſphæra incredulitatis, quæ talis, ut nihil credant, quæ dicuntur, vix quod iis ſiſtitur videndum: ſphæra quoque illorum, qui nihil credunt, niſi quæ ſenſibus capiunt. Viſus mihi quoque quidam, indutus obſcuro, ſedens ad molam, & quaſi molens farinam, & a latere viſa ſpecula parva, vidi poſtea quædam producta ex phantaſia ſed quæ aerea; miratus quis eſſet, ſed venit ad me, & dixit, quod is eſſet, qui ad molam ſedit, & quod habuerit*

habuerit tales ideas, quod omnia & ſingula eſſent modo phantaſiæ, & nihil reale, quare talis factus.

1511. *A multa experientia mihi notum factum eſt, ac ita notum, ut nihil notius, quod ſpiritus, qui in falſis ſunt, influant in cogitationem, & perſuadeant prorſus ſicut falſum eſſet verum, ſic ut nullatenus aliter apparere poſſit, & hoc ex ſphæra eorum. Similiter genii, qui in malis ſunt, ita influunt in voluntatem, & efficiunt prorſus ſicut malum eſſet bonum: ſic ut nullatenus aliter ſentiri poſſit, & hoc quoque ex ſphæra eorum; influxus illorum & horum millies datum percipere manifeſte, tum a quibus, ut & quomodo angeli a Domino illa removerint, præter plura quæ ſpeciatim non ita dici poſſunt. Inde, ita pro certo, ut nihil certius, mihi conſtare potuit, unde falſa & mala apud hominem; & quod ex principiis falſi, & ex cupiditatibus mali, tales ſphæræ, quæ poſt vitam corporis manent, & ſe tam evidenter manifeſtant.*

1512. *Sphæræ phantaſiarum, cum ſiſtuntur videndæ, apparent ſicut nubes, ſecundum phantaſiæ qualitatem, magis & minus denſæ: eſt nimboſa quædam petra ſub pede ſiniſtro, ubi antediluviani, ſub qua degunt; nimboſum illud oritur ex phantaſiis illorum, quo diſtinentur ab omnibus cæteris in altera vita. Ex illis, qui in odio & vindictis vixerunt, exhalant tales ſphæræ, ut deliquium cauſentur, utque vomitum excitent: ſphæræ tales ſunt quaſi venenatæ; quæ quantum venenatæ, & quam craſſæ explorari ſolet per quaſi faſcias obſcure cæruleas, ut hæ evaneſcunt, etiam ſphæra diminuitur.*

1513. *Quidam ex illis qui tepidi vocantur, ad me venit, ſe gerens tanquam reſipuerit, nec ſentiebam dolum, tametſi cogitarem quod intus reconderet; ſed ſpiritus dicebant, quod non ſufferre poſſent ejus præſentiam, & quod ſentirent apud ſe quaſi effectum, qualem ſolent homines habere ad vomitum, & quod inter tales eſſet qui exſpuendi: is poſtea nefanda loquutus, nec deſiſtere potuit, quomodocunque perſuadebatur, quod non ita loquendum.*

1514. *Sphæræ quoque ſiſtuntur ſenſibiles per odores, quos ſpiritus multo exquiſitius ſentiunt, quam homines: ſphæris enim, quod mirum, correſpondent odores. Qui ſtudio ſimulatorio indulſerunt, & inde naturam contraxerunt, cum ſphæra eorum vertitur in odorem, eſt nidor vomitalis. Qui ſtuduerunt eloquentiæ eo fine, ut omnia ſint in ſui admirationem, eorum ſphæra cum vertitur in odoriferam, eſt quaſi odor panis uſti. Qui meris voluptatibus indulſerunt, & in nulla charitate & fide fuerunt, odor ſphæræ eorum eſt excrementitius. Similiter illorum, qui in adulteriis vitam tranſegerunt, quorum odor eſt adhuc graveolentior. Qui in gravi odio & vindicta, & in crudelitate vixerunt, eorum ſphæra*

cum

cum vertitur in odores, eſt fœtor cadaveroſus. Fœtor murium ſpargitur ab illis qui ſordide avari fuerunt. Fœtor pediculorum domeſticorum ab illis, qui perſequuntur innocentes. Odores hi non ſentiri poſſunt ab aliquo homine, niſi cui apertæ ſunt ſenſationes interiores, ut ſimul cum ſpiritibus ſit.

1515. *Sphæra fœtoris percepta alicujus fœminæ, quæ poſtea ſirenibus aſſociata, & fœtor iſte exhalabat per aliquot dierum tempus ubicunque venit, ſpiritus dicebant quod fœtor quaſi lethalis eſſet, illa tamen nihil de fœtore iſto ſentiebat: Sirenum fœtor eſt ſimilis, quia interiora earum ſunt ſpurca, ſed exteriora utplurimum decora & ſpecioſa, de quibus n:* 831. *quod mirum, Sirenes in altera vita arripiunt omnia, quæ ibi ſunt, & præ aliis ſciunt quomodo res ſe habet; etiam doctrinalia, ſed omnia ob finem, ut vertant in magica, & ſibi arrogent imperium ſuper alios; in affectiones bonorum intrant ſimulatione boni & veri, ſed uſque tales ſunt: inde conſtare poteſt, quod doctrinale ſit nihil, niſi homo ita fiat ſicut docet, hoc eſt, niſi pro fine habeat vitam; præter quod multi inter infernales ſint, qui doctrinalia præ aliis calluerunt: ſed qui vitam charitatis vixerunt, omnes ſunt in cœlo.*

1516. *Loquutus cum ſpiritibus de ſenſu guſtus, quem dixerunt ſe non habere, ſed quoddam, ex quo uſque cognoſcunt, qualis guſtus eſt, quam aſſimilabant odori, quem tamen deſcribere non potuerunt: in recordationem mihi revocatum, quod guſtus & olfactus in quodam tertio conveniant, ut conſtat quoque ab animalibus, quæ olfactu explorant victum, ex quo manifeſtum iis fit, num iis ſalubris & conveniens.*

1517. *Odor vinoſus ſentitus, & informatus quod eſſet ab illis, qui ex amicitia, & amore licito, adblandiuntur, ſic ut adblandimentis quoque verum inſit: hic odor eſt cum multa varietate, eſtque ex ſphæra pulchri formalis.*

1518. *Cœleſtes angeli, cum apud cadaver mortui hominis, qui reſuſcitandus, ſunt, odor cadaveris vertitur in odorem aromaticum, quo percepto, mali ſpiritus non poſſunt approximare.*

1519. *Sphæræ charitatis & fidei, cum ſicut odores, percipiuntur, ſunt jucundiſſimæ; ſunt odores amœni, ſicut florum, liliorum, aromatum varii generis, cum indefinita varietate. Præterea etiam ſphæræ angelorum ſiſtuntur quandoque viſibiles, ſicut atmoſphæræ ſeu auræ, quæ tam pulchræ, tam amœnæ, & tam variæ ſunt, ut nuſquam deſcribi poſſint.*

1520. *Sed quæ de perceptibilitate interiorum ſpiritus per ſphæras extra illum extenſas & propagatas, ut & per odores, dicta ſunt, ſciendum quod hæc non continue exiſtant; præter quod temperentur diverſimode a Domino, ne ſpiritus ſemper pateant coram aliis, quales ſunt.*

GENESEOS,

GENESEOS,

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Luce, in qua vivunt Angeli.

1521. *QUOD Spiritibus & Angelis omnis ſenſus, præter guſtum, multo exquiſitior & perfectior ſit, quam uſquam homini, multis mihi manifeſtatum eſt; ſe non modo mutuo vident, & inter ſe converſantur, Angeli in ſumma felicitate ex amore mutuo, ſed etiam plura ſunt quæ ibi vident, quam uſquam homo poſſit credere; eſt mundus ſpirituum, & ſunt cæli, pleni repræſentativis, qualia viſa prophetis, tantis, ut ſi modo aperiretur alicui viſus, & per aliquot horas introſpiceret, non potuiſſet non obſtupeſcere. Talis eſt Lux in Cælo, ut incredibiliter ſuperet lucem ipſam meridianam mundi ſolaris; ſed illis nulla eſt lux ex hoc mundo, quia ſupra aut intra ſphæram iſtius lucis ſunt, verum eſt Lux a Domino, Qui illis eſt Sol. Lux mundi etiam meridiana eſt Angelis ſicut denſa tenebroſitas; cum datur illis ſpectare in lucem illam eſt ſicut ſpectarent meras tenebras, quod ab experientia datum ſcire; inde quæ differentia inter lucem cæli & lucem mundi ſit, conſtare poteſt.*

1522. *Lucem, in qua vivunt ſpiritus & angeli, toties vidi, ut tandem non miratus, quia familiare factum; ſed omnem experientiam adducere, nimis prolixum foret, quare licet modo hæc pauca.*

1523. *Ut ſcirem qualis lux, aliquoties abductus ſum in manſiones ubi ſpiritus boni & angelici, & ibi non ſolum illos vidi, ſed etiam illa quæ ibi: viſi etiam infantes & matres in luce tanti candoris & ſplendoris, ut candidius nuſquam dari poſſit.*

1524. *Inopinato decidit flammeum intenſum ante oculum, quem valde perſtrinxit, non ſolum oculi viſum, ſed etiam interiorem; mox apparuit obſcurum quoddam ut nubes opaca, in qua quaſi terrenum; cumque mirarer, mihi ſcire datum, quod lux apud Angelos in cælo tanta ſit reſpective ad lucem in mundo ſpirituum, tametſi ſpiritus in luce vivunt, ſed uſque quod talis differentia ſit; & quod ſicut lux, ita quoque habeat ſe intelligentia & ſapientia Angelorum præ intelligentia & ſapien-*

tia ſpirituum; & non ſolum intelligentia & ſapientia, ſed & omnia quæ ſunt intelligentiæ & ſapientiæ, ut loquela, cogitatio, gaudia, felicitates, nam hæc correſpondent luci; inde conſtare mihi quoque potuit, quantæ & quales perfectiones angelorum ſunt reſpective ad homines, qui in obſcuro ſunt præ ſpiritibus.

1525. *Oſtenſum mihi Lucidum, in quo vivunt, qui ad internam quandam faciei provinciam pertinent; erat Lucidum variatum pulchre radiis flammæ aureæ pro illis qui in affectionibus boni ſunt, & Lucidum variatum radiis lucis argenteæ pro illis qui in affectionibus veri; quandoque etiam vident cælum, ſed non hoc quod coram noſtris oculis apparet, ſed coram illis repræſentatum ſtellulis pulcherrime ornatum: quod differentia lucis ſit, cauſa eſt, quia omnes ſpiritus boni qui ſunt in primo cælo, & omnes ſpiritus angelici qui ſunt in altero cælo, & omnes angeli qui in tertio, in genere diſtinguantur in cæleſtes & ſpirituales; cæleſtes ſunt qui in amore boni, ſpirituales qui in amore veri.*

1526. *Abductus ſum ab ideis particularium ſeu corporis, ſic ut in ideis ſpiritualibus detinerer, tunc apparuit rutilatio viva lucis adamantinæ, & hoc ſatis diu, lucem non aliter poſſum deſcribere, nam ſicut adamantinum rutilans erat in ſingulis minimis; & quando tenebar in illa luce, particularia, quæ mundana & corporea erant, percipiebam tanquam infra me, & remota; ex quibus inſtructus in quanta luce ſunt, qui abducti ab ideis materialibus in ſpiritualibus ſunt. Præterea Lux ſpirituum & angelorum toties mihi viſa eſt, ut paginæ implerentur, ſi experientiæ omnes recenſerentur.*

1527. *Cum Domino beneplacet, ſpiritus boni apparent coram aliis, etiam ſibi, ſicut ſtellæ lucidæ, coruſcantes ſecundum eorum charitatis & fidei qualitatem; at ſpiritus mali inſtar globulorum ignis carbonarii.*

1528. *Vita cupiditatum & inde voluptatum apparet quandoque ſicut ignis carbonarius apud ſpiritus malos; in tale quaſi igneum vita Amoris & Miſericordiæ Domini, quæ apud eos influit, mutatur; vita autem phantaſiarum eorum apparet ſicut lumen inde, quod eſt obſcurum ad nullam diſtantiam ſe extendens; at vero approximante vita amoris mutui, igneum illud exſtinguitur & vertitur in frigus, & lumen illud obſcurum vertitur in tenebras: nam mali ſpiritus degunt in tenebris, & mirum, quod etiam quidam ament tenebras, & exoſi ſint lucem.*

1529. *In Cælo notiſſimum eſt, non ita in mundo ſpirituum, unde Lux tanta, quod nempe a Domino; & quod mirum, Dominus apparet in Cælo tertio Angelis cæleſtibus ut Sol, & Angelis ſpiritualibus ut Luna; ipſa origo lucis non eſt aliunde; at quantum cæleſte & ſpirituale apud*

Angelos,

Angelos, tantum lucis habent, & quale cæleſte & ſpirituale, talem lucem; ita ipſum cæleſte & ſpirituale Domini ſe manifeſtat per lucem coram viſu eorum externo.

1530. *Quod ita ſit, conſtare etiam potuit unicuique ex Verbo, ut, cum Dominus manifeſtatus eſt Petro, Jacobo & Johanni, nam tunc ſplenduit facies Ipſius ſicut Sol, & veſtimenta Ipſius facta ſicut Lux, Matth:* XVII: 2. *quod illis ita apparuerit, fuit modo, quia viſus eorum interior apertus eſt. Apud Prophetas idem quoque confirmatur, ut apud Eſaiam, ubi de Regno Domini in cælis agitur,* "*Erit* "*lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptupla, ſicut lux ſeptem* "*dierum,*" XXX: 26. *& apud Johannem, ubi etiam de Regno Domini, quod appellatur nova Hieroſolyma,* "*Civitas non opus habet Sole, neque Luna, ut luceant in illa; gloria enim Dei illuſtrat illa, & lucerna illius Agnus,*" *Apoc:* XXI: 23. *& alibi,* "*Nox non erit ibi,* "*neque opus habent lucerna, & luce ſolis, quia Dominus Deus illuſtrat* "*illos,*" *Apoc*: XXII: 5. *præter cum Dominus apparuit Moſi, Aharoni, Nadab, Abihu, & ſeptuaginta Senioribus,* "*quod viderint Deum Iſraelis, ſub Cujus pedibus erat quaſi opus lapidis ſapphiri, & quaſi ſubſtantia cæli quoad munditiem,*" XXIV: 10. *Quia Domini cæleſte & ſpirituale coram viſu angelorum externo apparet ut Sol & Luna, inde eſt, quod Sol in Verbo ſignificet cæleſte, & Luna ſpirituale.*

1531. *Ut confirmarer in illo, quod Dominus appareat Angelis cæleſtibus ut Sol, & Angelis ſpiritualibus ut Luna, ex Divina Domini Miſericordia, aperiebatur mihi viſus interior eo uſque, & manifeſte vidi Lunam ſplendentem, quæ erat pluribus lunulis minoribus cincta, quarum lumen erat pæne ſolare, ſecundum illa apud Eſaiam,* "*Erit lux Lunæ ſicut lux Solis,*" *Cap:* XXX: 26. *ſed Solem non videre datum: Luna antrorſum ad dextrum apparuit.*

1532. *Ex luce Domini in Cælo apparent mirabilia, & tam innumera ut nuſquam poſſint edici, ſunt repræſentativa continua Domini & Ipſius Regni, qualia apud Prophetas, & apud Johannem in Apocalypſi, præter ſignificativa alia; homo nuſquam oculis corporis illa videre poteſt, ſed illico dum a Domino aperitur alicui viſus interior, qui eſt viſus ejus ſpiritus, ſimilia poſſunt ſiſti videnda; viſiones Prophetarum non aliæ fuerunt quam aperitiones viſus eorum interioris, ſicut quod Johannes vidit Candelabra aurea, Apoc:* I: 12, 13. *& Civitatem ſanctam ut purum aurum, & Luminare illius ſimile lapidi pretioſiſſimo, Apoc:* XXI: 2, 10. *præter multa apud Prophetas, ex quibus ſciri*

 poteſt,

poteſt, quod Angeli non ſolum in ſumma luce vivant, ſed & quod indefinita ibi ſint, quæ nuſquam aliquis credere poſſit.

1533. *De innumerabilibus, quæ in altera vita apparent, antequam viſus mihi apertus fuit, vix potui aliam, ac alii, fovere ideam, nempe quod lux, & talia quæ exiſtunt ex luce, præter ſenſitiva, nullatenus dari potuiſſent in altera vita, & hoc ex Eruditorum capta phantaſia de Immateriali, quod prædicant tantopere de ſpiritibus, & de omnibus quæ ſunt vitæ illorum, ex quo non alius conceptus haberi potuit, quam quod, quia Immateriale, eſſet vel tale obſcurum, ut nuſquam capi aliqua idea poſſet, vel eſſet nullum, nam Immateriale tale involvit, cum tamen prorſus contrarium eſt; niſi enim Spiritus organici eſſent, & Angeli ſubſtantiæ organicæ, nec loqui potuiſſent, nec videre, nec cogitare.*

1534. *Quod in altera vita beneficio Lucis ab origine cæleſti & ſpirituali a Domino, coram ſenſu viſus ſpirituum & angelorum, ſiſtantur videnda mirificiſſima, ut Paradiſiaca, Urbes, Palatia, Habitacula, Atmoſphæræ pulcherrimæ, præter alia, in continuatione de Luce, ad finem hujus Capitis, videatur.*

CAPUT XIII.

1. ET aſcendit Abram ex Ægypto, ipſe & uxor illius, & omne quod illi, & Loth cum illo, verſus meridiem.

2. Et Abram gravis valde pecore, argento & auro.

3. Et ivit ſecundum itinera ſua a meridie & uſque Bethelem, uſque ad locum, ubi fuit tentorium illius in initio, inter Bethel & inter Ai.

4. Ad locum altaris quod fecit ibi in principio; & invocavit ibi Abram nomen JEHOVÆ.

5. Et etiam Lotho eunti cum Abramo, fuit grex & armentum, & tentoria.

6. Et non ferebat illos terra ad habitandum ſimul, quia fuit acquiſitio illorum magna, & non potuerunt habitare ſimul.

7. Et fuit lis inter paſtores pecoris Abrami, & inter paſtores pecoris Lothi: & Canaanita & Periſita tunc habitans in terra.

8. Et dixit Abram ad Lothum, ne quæſo ſit contentio inter me & inter te, & inter paſtores meos & inter paſtores tuos, quia viri fratres nos.

9. Nonne

9. Nonne tota terra coram te, ſeparare quæſo a me, ſi ad ſiniſtram & ibo dextram, ſi ad dextram & ibo ſiniſtram.

10. Et ſuſtulit Loth oculos ſuos, & vidit omnem planitiem Jardenis, quod tota ea irrigua, antequam perdidit Jehovah Sodomam & Amoram, ſicut hortus Jehovæ, ſicut terra Ægypti veniendo Zoar.

11. Et elegit ſibi Loth omnem planitiem Jardenis; & profectus Loth ab oriente, & ſeparabantur vir a fratre ſuo.

12. Abram habitabat in terra Canaanis, & Loth habitavit in urbibus planitiei, & tentoriavit uſque Sodomam.

13. Et viri Sodomæ mali & peccatores Jehovæ valde.

14. Et Jehovah dixit ad Abram, poſtquam ſeparatus Loth ab illo, tolle quæſo oculos tuos, & vide e loco quo tu ibi, verſus ſeptentrionem, & verſus meridiem, & verſus orientem, & verſus occidentem.

15. Quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo illam, & ſemini tuo uſque in æternum.

16. Et ponam ſemen tuum ſicut pulverem terræ, quod ſi poſſit quis numerare pulverem terræ, etiam ſemen tuum numerabitur.

17. Surge, ambula per terram, ſecundum longitudinem ejus, & ſecundum latitudinem ejus, quia tibi dabo illam.

18. Et tentoriavit Abram, & venit & habitavit in quercetis Mamre quæ in Chebron, & ædificabat ibi altare Jehovæ.

CONTENTA.

1535. IN hoc Capite agitur de Externo Homine apud Dominum, qui conjungeretur Ipſius Interno, Externus homo eſt Humana Eſſentia, Internus eſt Divina: Ille repræſentatur hic per Lothum, Hic autem per Abramum.

1536. Deſcribitur hic ſtatus Externi hominis qualis fuit in pueritia, cum primum ſcientificis & cognitionibus imbutus, quod pergeret inde magis & magis ad conjunctionem cum Interno, verſ: 1, 2, 3, 4.

1537. Sed quod adhuc plura in Externo Ipſius Homine adeſſent, quæ impedirent conjunctionem, verſ: 5, 6, 7. a quibus tamen ſeparari vellet, verſ: 8, 9.

1538. Quod apparuerit Domino Externus Homo qualis eſt in ſua pulchritudine, quando conjunctus Interno: tum quoque qualis eſt, cum non conjunctus, verſ: 10, 11, 12, 13.

1539. Promiſſio, quando Externus Homo conjunctus Interno, ſeu Eſſentia

Eſſentia Humana conjuncta Eſſentiæ Divinæ Domini, quod Ipſi daretur omnis poteſtas, 14, 15, 16, 17.

De perceptione Domini interiori, verſ: 18.

SENSUS INTERNUS.

1540. Hiſtorica vera Verbi, inchoata ſunt, ut dictum, Capite præcedente XII; illuc uſque, ſeu potius ad Eberum, fuerunt Hiſtorica facta: quæ nunc de Abramo continuantur, in Senſu Interno ſignificant Dominum, & quidem primam Ipſius vitam, qualis fuit, antequam Externus Ipſius Homo conjunctus fuit cum Interno adeo ut unam rem agerent, hoc eſt, antequam Externus Ipſius Homo ſimiliter Cœleſtis & Divinus factus ſit. Hiſtorica ſunt, quæ Dominum repræſentant, ipſa verba ſunt ſignificativa illorum, quæ repræſentantur: ſed quia Hiſtorica ſunt, mens legentis non aliter poteſt quam teneri in illis, cumprimis hodie, cum plerique & fere omnes non credant dari Senſum Internum, minus in ſingulis verbis; & forte nec agnituri adhuc, tametſi ita manifeſte huc uſque oſtenſum eſt; ex eo quoque, quod ſenſus internus appareat ita recedere a ſenſu literæ, ut vix cognoſcatur; ſed ſcire poſſunt ſolum inde, quod Hiſtorica nuſquam poſſint eſſe Verbum, quia in illis ſeparatis a ſenſu interno, non plus Divini eſt, quam in alio quodam Hiſtorico; at ſenſus internus facit, ut Divinum ſit. Quod Senſus Internus ſit ipſum Verbum, conſtat a multis quæ revelata ſunt, ut "Ex Ægypto vocavi filium meum," Matth: II: 15. præter plura alia; Ipſe etiam Dominus poſt Reſurrectionem docuit diſcipulos, quid apud Moſen & Prophetas ſcriptum fuiſſet de Ipſo, Luc: XXIV: 27. ita quod nihil in Verbo ſcriptum, quod non Ipſum ſpectet, Ipſius Regnum, & Eccleſiam; hæc ſunt ſpiritualia & cœleſtia Verbi; at quæ ſenſus literæ habet, ſunt utplurimum mundana, corporea, & terreſtria, quæ nuſquam facere poſſunt Verbum Domini. Hodie tales ſunt, ut nihil niſi quam talia percipiant, quid ſpiritualia & cœleſtia vix ſciunt; aliter Antiquiſſimæ & Antiquæ Eccleſiæ homo, qui ſi hodie vixiſſet, & legiſſet Verbum, nihil attenderet ad ſenſum literæ, quem videret ſicut nullum, ſed ad ſenſum internum; mirantur valde, quod aliquis aliter percipiat Verbum: quare etiam omnes Antiquorum Libri ita ſcripti ſunt, ut aliter ferrent in ſenſu interiori, quam in litera.

1541. *Et aſcendit Abram ex Ægypto, ipſe & uxor illius, & omne quod illi, & Loth cum illo, verſus meridiem.* Hæc & ſequentia hujus Capitis, in ſenſu interno etiam repræſentant Dominum, eſtque continuatio Ipſius vitæ a pueritia. Aſcendit Abram ex Ægypto, ſignificat quod a ſcientificis, quæ Dominum reliquerunt; Abram in ſenſu interno eſt Dominus, hic cum adhuc puer; Ægyptus, hic ut prius, ſcientia: ipſe & uxor illius, ſignificat cœleſtia vera quæ

quæ tunc apud Dominum: & omne quod illi, ſignificat omnia quæ cœleſtium eſſent: & Loth cum illo, ſignificat ſenſuale: verſus meridiem, ſignificat in lucem cœleſtem.

1542. Quod hæc & ſequentia hujus Capitis in ſenſu interno etiam repræſentent Dominum, & quod ſit continuatio Ipſius vitæ a pueritia, conſtare poteſt ex illis, quæ in Capite præc: dicta & oſtenſa ſunt, tum ex illis quæ ſequuntur, cumprimis ex eo quod Verbum Domini ſit, & ab Ipſo per cœlum deſcenderit, & ſic quod ne quidem minimum vocis ſcriptum ſit, quod non arcana cœleſtia involvat; quod a tali origine, nequaquam poteſt aliter eſſe: quod in ſenſu interno actum ſit de Domini inſtructione, dum puer, oſtenſum eſt. Sunt bina apud hominem, quæ faciunt ut cœleſtis nequeat fieri, unum ad intellectualem ejus partem, alterum ad voluntariam, pertinet; quod ad intellectualem, ſunt ſcientifica inania quæ in pueritia & adoleſcentia haurit; quod ad voluntariam, ſunt voluptates e cupiditatibus, quibus favet; illa & hæc ſunt quæ impediunt, quin poſſit ad cœleſtia pervenire; hæc primum diſcutienda ſunt, & cum diſcuſſa ſunt, tunc primum intromitti poteſt in lucem cœleſtium, & tandem in lucem cœleſtem. Quia Dominus natus fuit ſicut alius homo, & informandus ſicut alius, ſcientifica addiſcere quoque debuit, quod repræſentatum & ſignificatum eſt per Abrami peregrinationem in Ægypto; & quod ſcientifica inania tandem Ipſum reliquerint etiam repræſentatum eſt, per quod Pharao præceperit ſuper illo viris, & dimiſerunt illum, & uxorem illius, & omnia quæ illi, Cap: præc: verſ: 20: quod autem voluptates, quæ ſunt voluntariorum, & conſtituunt ſenſualem hominem ſed extimum, etiam Ipſum reliquerint, in hoc Capite repræſentatur per Lothum, quod ſeparaverit ſe ab Abramo; Lothus enim repræſentat hominem talem.

1543. Quod aſcendit Abram ex Ægypto, ſignificet quod a ſcientificis, quæ Dominum reliquerunt, conſtat a ſignificatione Abrami, quod per illum repræſentetur Dominus; tum a ſignificatione Ægypti, quod ſit ſcientia; etiam a ſignificatione aſcendere, nam aſcendere prædicatur, cum ab inferioribus, quæ ſunt ſcientifica, emergit ad ſuperiora quæ ſunt cœleſtia, quare in Verbo, aſcendere ab Ægypto in terram Canaan, quod ſæpe occurrit, ſimilia involvit.

1544. Quod Abram in ſenſu interno ſit Dominus, hic cum adhuc puer, & quod Ægyptus ſit ſcientia, oſtenſum eſt.

1545. Ipſe & uxor illius, quod ſignificet cœleſtia vera quæ tunc apud Dominum, conſtare poteſt a ſignificatione Ipſius, nempe Abrami quod ſit Dominus, & quia Dominus, eſt cœleſte apud Ipſum; quod homo ſit, hoc habet ab illis quæ apud illum, Dominus a cœleſtibus, nam Solus Cœleſtis fuit, ſic ut Ipſum cœleſte, quare per Abramum, & magis per Abrahamum, ſignificantur cœleſtia: dein conſtare poteſt a ſignificatione uxoris, quod ſit verum adjunctum cœleſti, ut oſtenſum prius n: 1468: quod ſint cœleſtia vera, ſeu vera quæ a cœleſtibus, conſtat ex eo quod *Ipſe* primum nominetur, & *uxor illius* poſtea; aliud enim eſt cœleſte verum, & aliud verum cœleſte; cœleſte

verum

verum eſt quod originem ducit a cœleſti, Verum cœleſte eſt quod a vero, quod implantatur cœleſti per cognitiones.

1546. Et omne quod illi, quod ſignificet omnia quæ cœleſtium eſſent, inde nunc conſtat.

1547. Et Loth cum illo, quod ſignificet ſenſuale, paucis indicatum eſt prius n: 1428. hic quia agitur in ſpecie de Lotho, ſciendum quid is repræſentat apud Dominum; Pharao repræſentavit ſcientifica, quæ tandem dimiſerunt Dominum; Loth autem ſenſualia, per quæ intelligitur Externus homo & ejus voluptates quæ ſenſualium ſunt, ita quæ extima ſunt, & hominem in pueritia ſolent captare & abducere a bonis; quantum enim homo indulget voluptatibus oriundis a cupiditatibus, tantum abſtrahitur a cœleſtibus quæ ſunt amoris & charitatis, ineſt enim illis amor ex ſe & ex mundo, cum quibus amor cœleſtis concordare nequit; ſed ſunt quoque voluptates, quæ prorſus concordant cum cœleſtibus, quæ quoque externa ſpecie ſimiles apparent, de quibus videantur quæ prius n: 945, 994, 995, 997. voluptates autem oriundæ a cupiditatibus coercendæ ſunt & abſtergendæ, quia aditum ad cœleſtia præcludunt; de his voluptatibus, non de illis, agitur in hoc Capite, per Lothum, quod ſe ſeparaverit ab Abramo: & hic quod tales adeſſent, quæ ſignificantur per Loth cum illo: in genere autem per Lothum ſignificatur Externus homo, ut patebit ex ſequentibus.

1548. Verſus meridiem, quod ſignificet in lucem cœleſtem, conſtat a ſignificatione meridiei, quod ſit ſtatus lucidus quoad interiora, de qua prius n: 1458. Sunt bini ſtatus, ex quibus lux cœleſtis; primus eſt, in quem introducitur homo ab infantia; notum enim eſt, quod infantes in innocentia & in bonis amoris ſint, quæ ſunt cœleſtia, in quæ primum introducuntur a Domino, & quæ reconduntur ei in uſum ſequentis ejus ætatis, inque uſum ejus cum venit in alteram vitam; hæc ſunt quæ appellantur primæ reliquiæ, de quibus paſſim prius: alter ſtatus eſt, quod in ſpiritualia & cœleſtia introducatur per cognitiones, quæ implantari debent cœleſtibus ab infantia donatis: hæc apud Dominum Ipſius cœleſtibus primis implantata ſunt; inde Ipſi Lux, quæ hic appellatur Meridies.

1549. Verſ: 2. *Et Abram gravis valde pecore, argento & auro.* Abram gravis valde pecore, ſignificat bona quibus Dominus tunc ditatus: argento, ſignificat vera: & auro, ſignificat bona ex veris.

1550. Quod Abram gravis valde pecore, ſignificet bona, conſtat a ſignificatione pecoris & gregis, quod ſit bonum, de qua prius, n: 343 & 415.

1551. Argento, quod ſignificet vera, conſtat a ſignificatione argenti quod ſit verum: Antiquiſſimi compararunt bona & vera apud hominem Metallis, Bona intima ſeu cœleſtia, quæ ſunt amoris in Dominum, Auro; Vera quæ inde, Argento; Bona autem inferiora ſeu naturalia, Æri; Vera autem inferiora, Ferro; nec ſolum comparabant, ſed ita quoque appellabant; inde derivatum, quod Tempora quoque aſſimilata fuerint eiſdem Metallis, & appellata Sæcula Aurea, Argentea, Ærea, & Ferrea; nam ita ſibi ſucceſſerunt; Sæculum Aureum fuit tempus Antiquiſſimæ Eccleſiæ, quæ Cœleſtis Homo; Sæculum

culum Argenteum fuit tempus Antiquæ Eccleſiæ, quæ Spiritualis Homo; Sæculum Æris fuit tempus Eccleſiæ ſequentis; cui ſucceſſit ſæculum Ferreum. Similia quoque ſignificata ſunt per Statuam in ſomnio viſam Nebuchadnezari, "Cujus Caput de *Auro bono*; pectus & brachia de *Argento*; venter & femora de *Ære*; tibiæ de *Ferro*," Dan: II: 32, 33. quod ita ſucceſſura, aut quod ita ſucceſſerint tempora Eccleſiæ, apud eundem Prophetam in Capite illo conſtat. Quod Argentum ſignificet in ſenſu interno Verbi, ubicunque nominatur, Verum, & in oppoſito ſenſu Falſum, conſtat ex his locis; apud Eſaiam, "Pro *Ære* adducam *Aurum*, & pro *Ferro* adducam *Argentum*; "& pro lignis Æs; & pro lapidibus, Ferrum; & ponam cenſum tuum, "pacem, & exactores tuos juſtitiam," LX: 17. ubi patet, quid unumquodvis metallum; ibi de adventu Domini, & Ipſius Regno & Eccleſia cœleſti agitur; pro ære aurum eſt pro bono naturali bonum cœleſte; pro ferro argentum eſt pro vero naturali verum ſpirituale; pro ligno æs eſt pro corporeo bono naturale bonum; pro lapidibus ferrum eſt pro ſenſuali vero naturale verum. Apud Eundem, "Heu omnis ſitiens, ite ad aquas, & cui non ei *Argentum*, ite, emite, & comedite," LV: 1. cui non argentum eſt qui in ignorantia veri, & tamen in bono charitatis, ſicut plures intra Eccleſiam, & Gentes extra Eccleſiam: apud Eundem, "Me inſulæ exſpectabunt, & "naves Tharſchiſch in principio, ad adducendum filios tuos e longinquo, "*Argentum* eorum, & *Aurum* eorum cum illis, Nomini Jehovæ Dei tui, & "Sancto Iſraelis," LX: 9. ibi de Eccleſia nova ſeu gentium in ſpecie, de Regno Domini in univerſali, naves de Tharſchiſch pro cognitionibus, argentum pro veris, aurum pro bonis, quæ ſunt quæ adducent nomini Jehovæ. Apud Ezechielem, "Accepiſti vaſa ornatus tui ex *Auro* meo, & ex *Argento* "meo, quæ dederam tibi, & feciſti tibi imagines maſculi," XVI: 17. ibi aurum pro cognitionibus cœleſtium, argentum pro ſpiritualium. Apud Eundem, "Ornata es *Auro* & *Argento*, & veſtis tua byſſus & ſericum, & acupictum," XVI: 13. de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia Domini, cujus ornatus ita deſcribitur. Apud Eundem, "Ecce ſapiens tu, ullum "occultum non latuerunt te, in ſapientia tua, & in intelligentia tua feciſti tibi "opes, & feciſti *Aurum* & *Argentum* in theſauris tuis," XXVIII: 3, 4. de Tyro, ubi manifeſte quod aurum ſint opes ſapientiæ, & argentum opes intelligentiæ. Apud Joelem, "*Argentum* meum, & *Aurum* meum ſumſiſtis, & "deſiderabilia mea bona intuliſtis in templa veſtra," IV: 5. de Tyro, Zidone & Philiſtæa, per quas ſignificantur cognitiones, quæ ſunt aurum & argentum, quod intulerunt in templa ſua. Apud Haggæum, "Venient electio om"nium Gentium, & implebo Domum hanc gloria, Mihi *Argentum*, & Mihi "*Aurum*, magna erit gloria Domus hujus poſterioris præ prioris," II: 8, 9. ubi de Eccleſia Domini, de qua prædicatur aurum & argentum. Apud Malachiam, "Sedebit conflans & emundans *Argentum*, & purificabit filios "Levi, III: 3. ubi de Adventu Domini. Apud Davidem, "Sermones "Jehovæ, ſermones puri, *Argentum* conflatum in catino terræ, fuſum ſep"ties," Pſalm: XII: 7. argentum purificatum ſepties pro veritate Divina.

Quod mandatum filiis Iſraelis, cum exirent Ægypto, quod "peteret mulier "a vicina ſua, & ab hoſpita domus ſuæ, *vaſa Argenti*, & *vaſa Auri*, & "veſtes, & ponerent ſuper filiis ſuis, & ſuper filiabus ſuis, & ſpoliarent "Ægyptios," Exod: III: 22. Cap: XI: 2, 3. Cap: XII: 35, 36. quiſque videre poteſt, quod nuſquam filiis Iſraelis dictum fuerit ita furari, & ſpoliare Ægyptios, niſi repræſentarent aliqua arcana; at quæ arcana, conſtare poteſt a ſignificatione argenti, & auri, & veſtium, & Ægypti, & quod ſimile quid repræſentaverint, ac quod hic Abramus, quod gravis argento & auro ex Ægypto. Sicut argentum ſignificat verum, ita in ſenſu oppoſito ſignificat falſum, nam qui in falſo ſunt, putant falſum eſſe verum, ut quoque conſtat apud Prophetas; apud Moſen, "Non concupiſces gentium *Argentum* & *Aurum*, & accipias tibi, ne forte illaqueeris illo, quia abominatio Jehovæ "Dei tui illud, deteſtando deteſtaberis illud," Deut: VII: 25, 26. gentium aurum pro malis, & earum argentum pro falſis. Apud Eundem, "Non facietis Mecum, deos *Argenti*, & deos *Auri* non facietis vobis," Exod: XX: 23. per quæ in ſenſu interno nihil aliud ſignificantur, quam falſitates & cupiditates, falſitates ſunt dii argenti, & cupiditates ſunt dii auri. Apud Eſaiam, "Die illo reprobabunt quiſque *idola Argenti* ſui, & *idola Auri* ſui, quæ fe-"cerunt vobis manus veſtræ, peccatum," XXXI: 7. idola argenti & idola auri pro ſimilibus, quod fecerint manus veſtræ pro quod ex proprio. Apud Jeremiam, "Infatuantur & ſtulteſcunt, diſciplina vanitatum lignum illud, "*Argentum* extenſum de Tharſchich, adfertur, & *Aurum* de Uphaſo, opus "fabri & manuum conflatoris; hyacinthinum & purpura veſtis eorum, opus "ſapientum tota," X: 8, 9. pro ſimilibus, ut manifeſte conſtat.

1552. Et auro, quod ſignificet bona ex veris, conſtat ex ſignificatione auri, quod ſit cœleſte bonum, ſeu bonum ſapientiæ & amoris, ut conſtat ex nunc oſtenſis, tum ab illis quæ prius n: 113. hic quod bona ex veris, ſequitur ex illis, quæ in Capite præced: quod Dominus conjunxerit vera intellectualia cœleſtibus.

1553. Verſ: 3. *Et ivit ſecundum itinera ſua, a meridie & uſque Bethelem, uſque ad locum, ubi fuit tentorium illius in initio, inter Bethel & inter Ai.* Ivit ſecundum itinera ſua, ſignificat ſecundum ordinem: a meridie & uſque Bethelem, ſignificat a luce intelligentiæ in lucem ſapientiæ: uſque ad locum ubi fuit tentorium illius prius, ſignificat ad ſancta quæ fuerunt antequam cognitionibus imbutus: inter Bethel & inter Ai, ſignificat, hic ut prius, cœleſtia cognitionum & mundana.

1554. Ivit ſecundum itinera ſua, quod ſignificet ſecundum ordinem, conſtare poteſt ex ſignificatione itinerum, ſeu profectionum, quod ſint progreſſiones ulteriores, de qua n: 1457, quæ quia factæ ſunt ſecundum ordinem, hic itinera non aliud ſignificant. Dominus a prima infantia ſecundum omnem ordinem Divinum progreſſus eſt ad cœleſtia, & in cœleſtia, qui ordo qualis ſit, deſcribitur per Abramum in ſenſu interno. Secundum talem ordinem quoque feruntur omnes, qui e novo creantur a Domino; qui tamen ordo apud homines eſt varius, ſecundum cujuſvis naturam & genium; ſed ordinem, quo fertur homo, dum regeneratur, nemo mortalium novit, ne quidem angeli niſi umbratiliter, ſed Solus Dominus.

1555. A meridie & uſque Bethelem, quod ſignificet a luce intelligentiæ in lucem ſapientiæ, conſtat a ſignificatione meridiei, quod ſit lux intelligentiæ, ſeu quod idem, ſtatus lucidus quoad interiora, de qua prius n: 1458, & ex ſignificatione Bethelis, quod ſit lux cœleſtis oriunda a cognitionibus, de qua prius n: 1453. Lux intelligentiæ dicitur illa, quæ comparatur per cognitiones veritatum & bonitatum fidei; Lux autem ſapientiæ eſt vitæ, quæ inde comparatur; lux intelligentiæ ſpectat partem intellectualem ſeu intellectum, lux autem ſapientiæ partem voluntariam ſeu vitam. Pauci, ſi ulli, norunt, quomodo homo ad veram ſapientiam perducitur, intelligentia non eſt ſapientia, ſed ducit ad ſapientiam, nam intelligere quid verum & bonum non eſt eſſe verus & bonus, ſed ſapere eſt eſſe; ſapientia prædicatur ſolum de vita, quod homo talis ſit; ad ſapientiam ſeu vitam introducitur per ſcire & noſſe, ſeu per ſcientias & cognitiones: apud unumquemvis hominem ſunt binæ partes, voluntas & intellectus, voluntas eſt primaria pars, intellectus eſt ſecundaria, vita ejus poſt mortem eſt ſecundum partem ejus voluntariam, non ſecundum intellectualem; voluntas apud hominem formatur a Domino ab infantia ad pueritiam, quod fit per inſinuatam innocentiam, & charitatem erga parentes, nutrices, infantes ſimilis ætatis, & per plura, quæ homo neſcit, quæ ſunt cœleſtia; niſi cœleſtia illa primum inſinuarentur homini dum infans & puer, nuſquam fieri poſſet homo; *ſic formatur primum planum.* Sed quia homo non eſt homo, niſi quoque intellectu præditus ſit, voluntas ſola non facit hominem, ſed intellectus cum voluntate; & intellectus non comparari poteſt niſi per ſcientias & cognitiones, quare a pueritia per gradus illis imbuendus, *ſic formatur alterum planum.* Cum intellectualis pars inſtructa eſt ſcientiis & cognitionibus, cumprimis cognitionibus veri & boni, tunc primum regenerari poteſt; cumque regeneratur, tunc a Domino vera & bona per cognitiones implantantur ejus cœleſtibus quibus ab infantia a Domino donatus, ſic ut intellectualia ejus unam rem faciant cum cœleſtibus, quæ cum dominus ita conjunxit, donatur charitate e qua incipit agere, quæ eſt conſcientiæ, ita primum novam vitam accipit, & hoc per gradus; lux hujus vitæ appellatur ſapientia, quæ tunc primas agit & præeſt intelligentiæ, *ſic formatur tertium planum.* Cum talis factus eſt homo in vita corporis, in altera vita continuo perficitur: inde conſtare poteſt, quid lux intelligentiæ, & quid lux ſapientiæ.

1556. Uſque ad locum, ubi fuit tentorium illius prius, quod ſignificet ſancta, quæ fuerunt antequam cognitionibus imbutus, conſtat a ſignificatione tentorii, quod ſint ſancta fidei, de qua prius n: 414. 1452, & ex illis quæ nunc dicta ſunt: ita ad cœleſtia, quæ habuit Dominus antequam ſcientiis & cognitionibus imbutus, ut conſtat ab illis quæ in Cap: præc: "& tranſtulit "Abram inde in montem ab oriente Betheli, & tetendit tentorium," verſ: 8. quod fuit antequam profectus in Ægyptum, hoc eſt, antequam Dominus ſcientiis & cognitionibus imbutus fuit.

1557. Inter Bethel & inter Ai, quod ſignificet cœleſtia cognitionum & mundana, conſtat a ſignificatione Bethelis, quod ſit lux ſapientiæ per cognitiones, n: 1453, & ex ſignificatione Ai, quod ſit lux ex mundanis, de qua quo-

que n: 1453: ex illis quæ ibi dicta ſunt conſtare poteſt, qualis tunc Domini ſtatus fuit, nempe quod puerilis, qui talis eſt ut mundana adſint; mundana enim non diſcuti queunt, priuſquam verum & bonum implantatur cœleſtibus per cognitiones, nam homo nuſquam poteſt diſtinguere inter cœleſtia & mundana, priuſquam ſcit & novit quid cœleſte, & quid mundanum; cognitiones ideam communem & obſcuram faciunt diſtinctam, & quo diſtinctior idea fit per cognitiones, eo magis ſeparari poſſunt mundana; ſed ſtatus ille puerilis eſt uſque ſanctus quia innocens, ignorantia nuſquam demit ſanctitatem cum in illa eſt innocentia, nam ſanctitas habitat in ignorantia quæ innocens; apud omnes homines præter apud Dominum, ſanctitas non habitare poteſt niſi in ignorantia, niſi in ignorantia non eſt ſanctitas; apud ipſos Angelos, qui in ſumma luce intelligentiæ & ſapientiæ ſunt, etiam ſanctitas habitat in ignorantia, norunt enim & agnoſcunt, quod nihil norint ex ſe, ſed quicquid norunt quod ſit a Domino; norunt etiam & agnoſcunt, quod omnis illorum ſcientia, intelligentia & ſapientia ſit ſicut nihil reſpective ad infinitam Domini, ita quod ſit ignorantia; qui non agnoſcit quod infinita ſint quæ non novit, præ illis quæ novit, is non poteſt eſſe in ſanctitate ignorantiæ, in qua ſunt angeli: ſanctitas ignorantiæ non eſt, quod in ignorantia ſit præ aliis, ſed quod in agnitione quod nihil ex ſe ſciat, & quæ non ſcit reſpective ad illa quæ ſcit, quod infinita ſint; imprimis quod parvi faciat ſcientifica & intellectualia reſpective ad cœleſtia, ſeu illa quæ ſunt intellectus reſpective ad illa quæ ſunt vitæ. Quod Dominum attinet, Ipſe quia conjungeret humana Divinis, progreſſus eſt ſecundum ordinem, & nunc primum pervenit ad illum ſtatum cœleſtem, qualem habuit cum puer, in quo ſtatu etiam mundana adſunt, inde pergendo in ſtatum magis cœleſtem, tandem in ſtatum cœleſtem infantiæ, in quo Humanam Eſſentiam plene conjunxit Divinæ.

1558. Verſ: 4. *Ad locum altaris, quod fecit ibi in principio, & invocavit ibi Abram nomen Jehovæ.* Ad locum altaris, ſignificat ſancta cultus: quod fecit in principio, ſignificat quæ habuit cum puer: & invocavit ibi Abram nomen Jehovæ, ſignificat cultum internum in illo ſtatu.

1559. Ad locum altaris, quod ſignificet ſancta cultus, conſtat a ſignificatione altaris, quod ſit principale repræſentativum cultus, de qua n: 921.

1560. Quod fecit in principio, quod ſignificet quæ habuit cum puer, conſtat ex illis quæ dicta ſunt in Cap: præc: ad verſ: 8. in principio hic dicitur, & in verſ: præc: in initio, quia fuit antequam Dominus ſcientificis & cognitionibus imbutus fuit; ſtatus omnis antequam inſtruitur homo eſt initium, & cum incipit inſtrui eſt principium.

1561. Et invocavit ibi Abram nomen Jehovæ, quod ſignificet cultum internum in illo ſtatu, conſtat a ſignificatione invocare nomen Jehovæ, de qua prius n: 440 & 1455. quod hic quoque memoretur de altari, & quod dicatur quod invocaverit nomen Jehovæ, ſimiliter ac in Cap: præc: verſ: 8. cauſa eſt, quod ſimiles ſtatus ſint, cum differentia, quod hic lucidus reſpective ad illum; cognitiones cum implantantur priori ſtatui, de quo dictum, faciunt illum lucidum: quando conjungitur verum & bonum per cognitiones cœleſti

priori,

priori, tunc activum illius deſcribitur ita, ipſe cultus non eſt niſi activum quoddam exiſtens ex cœleſti quod eſt intus; ipſum cœleſte nuſquam poteſt eſſe abſque activo, cultus eſt activum primum, nam ita ſe expromit, quia in illo gaudium percipit; omne bonum amoris & charitatis eſt ipſum activum eſſentiale.

1562. Verſ: 5. *Et etiam Lotho eunti cum Abramo, fuit grex & armentum, & tentoria.* Et etiam Lotho eunti cum Abramo, ſignificat externum hominem, qui apud Dominum: fuit grex & armentum & tentoria, ſignificat illa quibus externus homo abundat; grex & armentum, ſunt poſſeſſiones externi hominis; tentoria ſunt ejus cultus, quæ ſe ſeparabant ab interno.

1563. Et etiam Lotho eunti cum Abramo, quod ſignificet Externum hominem qui apud Dominum, conſtat a repræſentatione Lothi, quod ſit ſenſualis homo, ſeu quod idem eſt, externus. Quod internum & externum ſit apud unumquemvis hominem, ſeu quod idem, quod homo internus & externus ſit, unicuique intra Eccleſiam notum eſt, de quibus videantur quæ prius n: 978, 994, 995, 1015. Externus homo vitam ſuam principaliter accipit ab Interno, hoc eſt, a ſpiritu ſeu ab anima ejus, inde eſt ipſamet ejus vita in communi, quæ vita non ſingulariter ſeu diſtincte recipi poteſt ab externo homine, niſi ejus organica vaſa aperiantur, quæ erunt recipientia particularium & ſingularium interni hominis; vaſa illa organica, quæ erunt recipientia, non aperiuntur niſi mediis ſenſibus, qui imprimis ſunt auditus & viſus, & ſicut aperiuntur ita influere poteſt internus homo cum particularibus & ſingularibus; aperiuntur mediis ſenſibus illa per ſcientifica & cognitiones, tum per voluptates & jucunditates, per illa quæ intellectus ſunt, per hæc quæ voluntatis: ex his conſtare poteſt, quod nuſquam aliter fieri queat, quam quod apud externum hominem tunc ſe inſinuent ſcientifica & cognitiones quæ non concordare poſſunt cum veris ſpiritualibus, & quod ſe inſinuent voluptates & jucunditates, quæ non concordare poſſunt cum bonis cœleſtibus, ſicut omnia illa quæ ſpectant corporea, mundana & terreſtria ut fines, quæ cum ſpectantur ut fines, tunc trahunt externum hominem extrorſum & deorſum, & ſic removent ab interno; quare niſi talia prius diſcutiuntur, nequaquam poteſt internus homo concordare cum externo, ideo antequam concordare poteſt internus homo cum externo, talia prius removenda ſunt. Hæc quod remota aut ſeparata ſint apud Dominum, repræſentatur & ſignificatur per Lothi ſeparationem ab Abramo.

1564. Fuit grex & armentum & tentoria, quod ſignificet illa quibus externus homo abundat, conſtare poteſt a ſignificatione gregis, armenti & tentoriorum, de quibus mox infra; hic ſignificant poſſeſſiones Externi hominis; nam per Lothum, ut dictum, repræſentatur Domini Externus homo: ſunt bina apud Externum hominem, nempe quæ concordare poſſunt cum interno, & quæ non concordare; per gregem, armentum, & tentoria hic ſignificantur illa, quæ non concordare poſſunt, ut conſtat ex illis quæ ſequuntur, "Et "fuit lis inter paſtoris pecoris Abrami, & inter paſtores pecoris Lothi," Verſ: 7.

1565. Quod

1565. Quod grex & armentum ſint poſſeſſiones externi hominis, conſtare poteſt a ſignificatione gregis & armenti, quod ſint bona, de qua n: 343 & 415; ſed hic quod ſint illa quæ ſeparanda, ita non bona, quia prædicantur de Lotho, qui ſeparabatur ab Abramo; quod grex & armentum etiam ſint non bona, conſtare poteſt ab his in Verbo locis, apud Zephaniam, "Perdere faciam in te, ut ſine habitatore, & erit tractus maris, habitacula effoſſionis, "& caulæ *Gregis*," II: 5. 7. apud Jeremiam," Diſpergam in te paſtorem & *Gregem*, & diſpergam in te agricolam & jugalem ejus, LI: 23. apud Eundem, "Aſcendite ad Arabiam, & devaſtate filios orientis; *tentoria* eorum, "& *Greges* eorum ſument," XLIX: 28, 29.

1566. Quod tentoria ſint ejus cultus, qui ſe ſeparabat ab interno, conſtare poteſt ex ſignificatione tentorii, quod ſit ſanctum cultus, n: 414. tum a repræſentatione Lothi quod ſit externus homo, de quo tentoria ſeu cultus prædicantur; quod tentoria in ſenſu oppoſito ſignificent cultum non ſanctum, conſtare quoque ab his in Verbo locis poteſt; apud Hoſcheam, "Urtica hæreditabit ea, vepris in *Tentoriis* eorum;" IX: 6. Apud Habakuk, "Vidi "*Tentoria* Kuſchanis, commotæ ſunt cortinæ terræ Midianis; fluviis ſuccenſuit Jehovah," III: 7, 8. Apud Jeremiam, "Ad filiam Zionis venient "paſtores & greges eorum, figent contra eam *Tentoria* circumcirca, depaſcent quiſque ſpatium ſuum," VI: 3. Apud Davidem, "Percuſſit omne "primogenitum in Ægypto, principium roborum in *Tentoriis* Chami," Pſalm: LXXVIII: 51. Apud Eundem, "Elegi ad limen ſtare in domo Dei mei, "præ habitare in *Tentoriis* impietatis, Pſalm: LXXIV: 11.

1567. Verſ: 6. *Et non ferebat illos terra ad habitandum ſimul, quia fuit acquiſitio illorum magna, & non potuerunt habitare ſimul.* Non ferebat illos terra ad habitandum ſimul, ſignificat quod illa quæ ſunt cœleſtium internorum non poſſent ſimul eſſe cum illis: quia fuit acquiſitio illorum magna & non potuerunt habitare ſimul, ſignificat quæ acquiſita ſunt ab interno homine cum illis quæ acquiſita in externo, non poſſent concordare.

1568. Quod non ferebat illos terra ad habitandum ſimul, ſignificet quod illa quæ ſunt cœleſtium internorum non poſſent ſimul eſſe cum illis, nempe cum illis quæ per Lothum hic ſignificantur; Abram, ut dictum, repræſentat Dominum, hic Internum Ipſius Hominem, Lothus autem Externum, hic quæ ab Externo homine ſeparanda, cum quibus Interna cohabitare non poſſent: ſunt in Externo homine plura cum quibus Internus poteſt cohabitare, ſicut affectiones boni & inde oriundæ jucunditates & voluptates, nam hæ ſunt effectus bonorum Interni hominis & ejus gaudiorum & felicitatum, quæ cum ſunt effectus, prorſus correſpondent, & tunc ſunt Interni hominis non Externi, nam effectus, ut notum, non eſt effectus ſed cauſæ efficientis, ut pro exemplo, charitas quæ elucet ex facie, non eſt faciei ſed eſt charitatis quæ intus & ſic format faciem, & ſiſtit effectum; aut ſicut innocentia apud infantes, quæ in illorum vultu, geſtibus, & ſic in ludis mutuis inter ſe, non eſt vultus aut geſtuum, ſed eſt innocentiæ a Domino, quæ per animam illorum influit; ita ſunt effectus; ſic in omnibus reliquis; ex his conſtat, quod multa dentur

apud

apud Externum hominem, quæ cohabitare ſeu concordare poſſunt cum Interno: ſed ſunt quoque plura quæ non concordant, ſeu cum quibus cohabitare nequit Internus homo; ut ſunt omnia quæ ſcaturiunt ab amore ſui, & ab amore mundi; nam omnia quæ ſunt inde, ſpectant ſe ut finem, & mundum ut finem; cum his cœleſtia quæ ſunt amoris in Dominum, & amoris erga proximum, concordare nequeunt, quippe hæc ſpectant Dominum ut finem, & Regnum Ipſius, & omnia quæ ſunt Ipſius & Regni Ipſius, ut fines: fines amoris ſui & amoris mundi ſpectant extrorſum aut deorſum; fines autem amoris in Dominum, & amoris erga proximum, ſpectant introrſum aut ſurſum; ex quibus conſtare poteſt, quod tantum diſcordent, ut nuſquam poſſint ſimul eſſe: ut ſciatur, quid facit correſpondentiam & concordantiam Externi hominis cum Interno, & quid facit diſcordantiam, reflectatur ſolum ſuper fines qui regnant, ſeu quod idem eſt, ſuper amores qui regnant, nam amores ſunt fines, quicquid enim amatur hoc ſpectatur ut finis, ita conſtabit qualis vita eſt, & qualis futura poſt mortem, nam ex finibus, ſeu quod idem eſt, ex amoribus qui regnant, formatur vita; vita cujuſvis hominis nuſquam aliud eſt: quæ diſcordant cum vita æterna, hoc eſt, cum vita ſpirituali & cœleſti, quæ eſt vita æterna, ſi non removentur in vita corporis, removenda ſunt in altera vita, quæ ſi non removeri poſſunt, nuſquam poteſt homo aliter quam infelix eſſe in æternum. Hæc nunc dicta ſunt, ut ſciatur, quod in Externo homine ſint quæ cum Interno concordant, & quæ diſcordant, & quod illa quæ concordant nuſquam poſſint ſimul eſſe cum illis quæ diſcordant; tum quod illa, quæ in Externo homine concordant, ſint ab Interno homine, hoc eſt, per Internum hominem a Domino, ſicut facies quæ elucet a charitate, ſeu facies charitatis, aut innocentia in infantum vultu & geſtibus, ut dictum; at quæ diſcordant ſunt hominis & ejus proprii; inde ſciri poteſt, quid ſignificat, quod non ferret illos terra ad habitandum ſimul. Hic in ſenſu interno de Domino agitur, & quia de Domino, etiam de omni Ipſius ſimilitudine & imagine, nempe, de Regno Ipſius, de Eccleſia, de omni homine Regni ſeu Eccleſiæ, quare ſiſtuntur hic illa quæ apud homines; quæ apud Dominum, antequam ex propria potentia vicerit malum, hoc eſt, diabolum & infernum, ac ita Cœleſtis, Divinus, & Jehovah quoque factus quoad Humanam Eſſentiam, ſe habent prædicate ad ſtatum, in quo fuit.

1569. Quia fuit acquiſitio illorum magna, & non potuerunt habitare ſimul, quod ſignificent quæ acquiſita ſunt ab interno homine cum illis quæ acquiſita in externo non poſſent concordare, conſtare poteſt ab illis, quæ nunc dicta ſunt.

1570. Verſ: 7. *Et fuit lis inter paſtores pecoris Abrami, & inter paſtores pecoris Lothi: & Canaanita & Periſita tunc habitans in terra.* Fuit lis inter paſtores pecoris Abrami, & inter paſtores pecoris Lothi, ſignificat quod internus homo & externus non concordarent; paſtores pecoris Abrami ſunt cœleſtia; paſtores pecoris Lothi ſunt ſenſualia: & Canaanita & Periſita tunc habitans in terra, ſignificant mala & falſa in externo homine.

1571. Quod fuit lis inter paſtores pecoris Abrami, & inter paſtores pecoris Lothi,

Lothi, ſignificet quod Internus homo & Externus non concordarent, conſtat a ſignificatione paſtorum pecoris, quod ſint qui docent, ita quæ cultus ſunt, ſicut cuivis notum eſſe poteſt; quare illis confirmandis e Verbo non immorandum: hæc ſpectant illa quæ in Verſ: præc: 5. dicta ſunt tentoria, quæ quod ſignificent cultum, ibi indicatum eſt; quæ dicuntur in verſ: mox præc: 6. ſpectant illa quæ in verſ: 5. dicta ſunt grex & armentum, quæ quod ſint poſſeſſiones ſeu acquiſitiones, etiam ibi indicatum eſt: hic quoniam agitur de cultu nempe Interni hominis & Externi, qui quia nondum concordarunt, hic dicitur, quod lis fuit inter paſtores, Abram enim repræſentat Internum Hominem & Lothus Externum: in cultu imprimis noſcitur quæ & qualis diſcrepantia eſt inter hominem internum & externum, imo in ſingulis cultus, in quo cum Internus homo vult ſpectare fines Regni Dei, & Externus vult ſpectare fines mundi, inde diſcrepantia, quæ in cultu ſe manifeſtat, & quidem in tantum, ut diſcrepantiæ minimum animadvertatur in cœlo: hæc ſunt quæ ſignificantur per litem inter paſtores pecoris Abrami, & paſtores pecoris Lothi: cauſa quoque adjungitur, nempe quod Canaanita & Periſita eſſet in terra.

1572. Quod paſtores pecoris Abrami ſint cœleſtia, quæ ſunt Interni hominis, & quod paſtores pecoris Lothi ſint ſenſualia, quæ ſunt Externi hominis, conſtat ab illis quæ prius dicta: per cœleſtia, quæ ſunt paſtores pecoris Abrami, intelliguntur cœleſtia in cultu, quæ ſunt Interni hominis; per paſtores pecoris Lothi intelliguntur ſenſualia quæ in cultu, quæ ſunt Externi hominis, quæ non concordant cum cœleſtibus cultus Interni hominis; hæc quomodo ſe habent, conſtat ab illis quæ prius oſtenſa ſunt.

1573. Et Canaanita & Periſita tunc habitans in terra, quod ſignificet mala & falſa in Externo homine, conſtare poteſt a ſignificatione Canaanitæ, quod ſit malum a matre hæreditarium in Externo Homine, de qua prius, n: 1444; & ex ſignificatione Periſitæ, quod ſit falſum inde, de qua in ſequentibus: quod hæreditarium a matre malum fuerit apud Dominum in Externo Ipſius Homine, prius dictum videatur, n: 1414, & 1444, quod inde falſum, ſequitur; ubi malum hæreditarium, ibi quoque falſum, hoc naſcitur ab illo, ſed falſum a malo non poteſt naſci, priuſquam homo ſcientificis & cognitionibus imbutus eſt, malum non habet aliud in quod operetur aut influat, niſi in ſcientifica & cognitiones, ita malum quod eſt partis voluntariæ vertitur in falſum in parte intellectuali, quare hoc falſum etiam fuit hæreditarium, quia natum ab hæreditario, non autem falſum ex principiis falſi; ſed erat in Externo Homine, quod Internus Homo videre potuit quod falſum: & quia malum hæreditarium a matre fuit antequam Dominus imbutus fuit ſcientificis & cognitionibus, ſeu antequam Abram peregrinatus in Ægypto, dicitur quod Canaanita fuit in terra, non autem Periſita, Cap: præc: verſ: 6; hic autem poſtquam ſcientificis & cognitionibus imbutus, dicitur quod Canaanita & Periſita habitarent in terra, ex quibus conſtat, quod per Canaanitam ſignificetur malum, & per Periſitam falſum; inde etiam conſtat, quod memoratio Canaanitæ & Periſitæ non ſit in ſerie aliqua hiſtorica, nam in antecedentibus & ſequentibus

quentibus nihil agitur de illis, ita quoque Cap: præc: verſ: 6. ubi memoratur Canaanita; ex quo patet, quod arcanum quoddam hic lateat, quod ſciri non poteſt, niſi a ſenſu interno. Quiſque mirari poteſt, quod dicatur malum hæreditarium a matre fuerit apud Dominum, ſed quia hic ita manifeſte dicitur, & in ſenſu interno de Domino agitur, inde non dubitari poteſt, quin ita fuerit: nuſquam enim aliquis homo naſci poteſt, a quodam homine, niſi trahat inde malum; ſed aliud eſt malum hæreditarium quod ducitur a patre, & aliud quod a matre, hæreditarium malum a patre eſt interius & manet in æternum, nam nuſquam eradicari poteſt, tale non fuit Domino, quoniam a Patre Jehovah natus, ita Divinus ſeu Jehovah quoad interna; ſed hæreditarium malum a matre, eſt hominis externi, quod apud Dominum, & vocatur Canaanita in terra, & falſum inde Periſita. Ita natus Dominus ſicut alius homo, & infirmitates habuit ſicut alius homo. Quod malum hæreditarium ex matre traxerit, conſtat evidenter ex eo, quod tentationes ſubierit; nuſquam aliquis tentari poteſt, cui nullum eſt malum, eſt malum apud hominem quod tentat, & per quod tentatur: quod Dominus tentatus, & graviores tentationes ſubierit, quam uſquam aliquis homo quoad unam myriadis partem ſuſtinere poſſit, & quod Solus ſuſtinuerit, ac malum, ſeu diabolum & totum infernum propria potentia evicerit, etiam conſtat; de quibus Tentationibus ita apud Lucam, "Jeſus ductus in ſpiritu in deſertum, "quadraginta dies tentatus a diabolo ita ut non comederit in diebus iſtis: "poſtquam autem abſolvit omnem Tentationem diabolus, deſtitit ab Ipſo ad "tempus; inde reverſus in virtute ſpiritus in Galilæam," IV: 1, 2, 13, & "apud Marcum, "Spiritus Jeſum impellens fecit exire in deſertum, & erat "in deſerto dies quadraginta, tentatus, & erat cum beſtiis," I: 12, 13. ubi per beſtias ſignificatur infernum; præter quod uſque ad mortem tentatus, ut ſudores eſſent guttæ ſanguinis, "Cumque eſſet in angore, intenſius oravit; "factus vero eſt ſudor Ipſius, ut guttæ ſanguinis deſcendentes ſuper terram," Luc: XXII: 44. Nuſquam aliquis Angelus poteſt tentari a diabolo, quia dum eſt in Domino, mali ſpiritus ne quidem e longinquo approximare poſſunt, illico corripiuntur horrore & terrore; multo minus potuiſſet infernum ad Dominum, ſi natus fuiſſet Divinus, hoc eſt, abſque malo adhærente a matre. Quod etiam Dominus portaverit iniqua & mala generis humani, eſt quoque communis prædicatorum formula; ſed in ſe derivare iniqua & mala, niſi per viam hæreditariam, nuſquam fieri poteſt; Divinum non eſt ſuſceptibile mali: quapropter ut vinceret malum propriis viribus, quod nuſquam aliquis homo potuit, nec poteſt, & ſic fieret Juſtitia Solus, voluit naſci ſicut alius homo: alioquin nec opus fuiſſet, ut naſceretur; nam Humanam Eſſentiam potuit Dominus aſſumere abſque nativitate, ſicut etiam quandoque aſſumſit, cum viſus Antiquiſſimæ Eccleſiæ, ut & Prophetis; ſed ideo, ut quoque malum indueret, contra quod pugnaret, & quod vinceret, in mundum venit, & ſic in Se conjungeret Eſſentiam Divinam Eſſentiæ Humanæ. Sed Domino nullum malum actuale ſeu proprium fuit, ſicut Ipſe quoque dicit apud Johannem, "Quis ex vobis arguet Me de peccato," VIII: 46. Ex his nunc manifeſte patet, quid ſignificatur per, quod lis fuit inter

paſtores pecoris Abrami, & inter paſtores pecoris Lothi, quæ incontinenter præcedunt; cauſa erat, quia Canaanita & Periſita habitabat in terra.

1574. Quod Canaanita ſignificet malum a matre hæreditarium in Externo Homine, oſtenſum eſt prius, n: 1444, quod autem Periſita ſignificet falſum ex malo, conſtat ex aliis locis in Verbo, ubi Periſita nominatur, ut de Jacobo, "Dixit Jacobus ad Schimeonem & ad Levi, perturbaſtis me, fætere faciendo "me apud habitatorem terræ, apud *Canaanitas*, & apud *Periſitas*, & ego "mortales numeri, & congregabunt ſe ſupra me, & percutient me, & perdar "ego & domus mea," Gen: XXXIV: 30. ubi ſimiliter per Canaanitam ſignificatur malum, & per Periſitam falſum. Apud Joſuam, "Dixit ad filios "Joſephi Joſua, ſi populus multus tu, aſcende tibi in ſylvam, & exſcindas "tibi ibi in terra *Periſæi*, & *Rephaim*, ſi anguſtus tibi mons Ephraim," XVII: 15. ubi per Periſæos ſignificantur principia falſi, per Rephaim perſuaſiones falſi, quæ exſtirparent, nam mons Ephraim in ſenſu interno eſt intelligentia: in Libro Judicum, "Poſt mortem Joſuæ, & interrogaverunt filii Iſraelis Je-"hovam, dicendo, quis aſcendet nobis ad *Canaanitam*, in initio ad pugnan-"dum contra eum, & dixit Jehovah, Jehuda aſcendet, ecce dedi terram in "manum ejus: & dixit Jehuda Schimeoni fratri ſuo, aſcende mecum in ſor-"tem meam, & pugnemus contra *Canaanitam*, & ibo etiam ego tecum in "ſortem tuam, & ivit cum illo Schimeon, & aſcendit Jehuda, & dedit Je-"hovah *Canaanitam* & *Periſitam* in manum illorum," I: 2. 3. 4. 5. ubi per Jehudam quoque repræſentatur Dominus quoad cœleſtia, per Schimeonem quoad ſpiritualia inde; Canaanita eſt malum, Periſita eſt falſum, quod evictum; hoc erat reſponſum ſeu oraculum divinum, quod ita intelligitur.

1575. Verſ: 8. *Et dixit Abram ad Lothum, ne quæſo ſit contentio inter me & inter te, & inter paſtores meos, & inter paſtores tuos, quia viri fratres nos.* Dixit Abram ad Lothum, ſignificat quod ita internus homo dixerit ad externum: ne quæſo ſit contentio inter me & inter te, & inter paſtores meos & inter paſtores tuos, ſignificat quod nulla diſcordia debeat eſſe inter utrumque: quia viri fratres nos, ſignificat quod in ſe uniti.

1576. Quod dixit Abram ad Lothum, ſignificet quod ita internus homo dixerit ad externum, conſtat a repræſentatione Abrami hic quod ſit Internus homo, & a repræſentatione Lothi quod Externus qui ſeparandus; quod Abram repræſentet Internum hominem, cauſa eſt, quia eſt reſpective ad Lothum, qui eſt illud in Externo homine quod ſeparandum: in Externo homine ſunt, ut dictum, quæ concordant, & ſunt quæ diſcordant, quæ diſcordant, hic eſt Lothus, quare quæ concordant ſunt Abramus, etiam quæ in externo homine, nam illa unam rem conſtituunt cum Interno, & ſunt Interni.

1577. Quod ne quæſo ſit contentio inter me & inter te, ſignificet quod nulla diſcordia debeat eſſe inter utrumque, conſtare poteſt ab illis quæ prius dicta ſunt. Quod concordiam ſeu unionem Interni Hominis cum Externo attinet, plura arcana ſunt quam ut uſquam edici queant; Internus Homo & Externus nuſquam apud ullum hominem uniti ſunt, nec uniri potuerunt, nec uniri poſſunt, ſolum apud Dominum, quare etiam in mundum venit: apud homines

homines qui regenerati ſunt, apparet tanquam uniti ſint; ſed ſunt Domini, nam quæ concordant ſunt Domini, quæ autem diſcordant ſunt hominis. Sunt duo apud Internum Hominem, nempe cœleſte & ſpirituale, quæ duo unum conſtituunt cum ex cœleſti eſt ſpirituale; vel quod idem, ſunt duo apud Internum Hominem, bonum & verum, hæc duo unum conſtituunt cum ex bono verum; vel quod etiam eſt idem, ſunt duo apud Internum Hominem, amor & fides, hæc duo unum conſtituunt cum ex amore fides; vel quod etiam eſt idem, ſunt duo apud Internum Hominem, voluntas & intellectus, hæc duo unum conſtituunt, cum ex voluntate intellectus; manifeſtius adhuc capi poteſt per ſolem ex quo lux, ſi ex ſole luci ineſt & calor & lumen ſicut tempore veris, tunc omnia inde vegetantur & vivunt, at ſi ex ſole luci non ineſt calor, ut tempore hyemis, tunc omnia inde torpent & moriuntur: inde conſtat, quid Internum Hominem conſtituit; quid autem Externum, inde patet; apud Externum hominem omne eſt naturale, ipſe enim Externus homo eſt idem ac Naturalis homo; tunc dicitur Internus Homo uniri Externo, quando cœleſte ſpirituale Interni Hominis influit in naturale Externi, & facit ut unum agant, inde naturale etiam fit cœleſte & ſpirituale, ſed inferius cœleſte & ſpirituale, ſeu quod idem, inde Externus homo etiam fit cœleſtis & ſpiritualis, ſed exterius cœleſtis & ſpiritualis: Internus homo & Externus ſunt prorſus diſtincti, quia cœleſtia & ſpiritualia ſunt quæ afficiunt Internum Hominem, ſed naturalia Externum; verum tametſi diſtincti, uſque ſunt uniti, nempe cum cœleſte ſpirituale Interni Hominis influit in naturale Externi, & hoc diſponit ut ſuum: apud Dominum Solum unitus fuit Internus Homo Externo, ſed apud nullum alium hominem, niſi quantum Dominus uniit & unit; ſolum amor & charitas, ſeu bonum eſt quod unit, & nuſquam aliquis amor & charitas, hoc eſt, aliquod bonum niſi a Domino: talis unio eſt, quæ per hæc verba Abrami intenditur, "ne quæſo ſit contentio inter me & inter te, & inter paſtores meos & "inter paſtores tuos, quia viri fratres nos;" quod dicatur inter me & inter te, & inter paſtores meos & inter paſtores tuos, ita ſe habet, ſicut in Interno Homine ſunt duo, nempe cœleſte & ſpirituale, quæ, ut dictum, unum conſtituent, ita quoque in Externo homine, cœleſte ejus appellatur Bonum naturale, ſpirituale ejus appellatur Verum naturale; ne ſit contentio inter me & inter te, ſpectat Bonum, ne ſcilicet Interni Hominis Bonum ab Externi hominis bono diſſideat; & ne contentio ſit inter paſtores meos & inter paſtores tuos, ſpectat Verum, ne ſcilicet Interni Hominis Verum ab Externi hominis Vero diſſideat.

1578. Quod viri fratres nos, ſignificet quod in ſe uniti, conſtat a ſignificatione viri fratris, quod ſit unio, & quidem unio veri & boni.

1579. Verſ. 9. *Nonne tota terra coram te, ſeparare quæſo a me, ſi ad ſiniſtram, & ibo dextram, & ſi ad dextram & ibo ſiniſtram.* Nonne tota terra coram te, ſignificat omne bonum: ſeparare quæſo a me, ſignificat quod apparere nequeat niſi, quod diſcors eſt, nullum fiat: ſi ad ſiniſtram, & ibo dextram & ſi ad dextram ibo ſiniſtram, ſignificat ſeparationem.

1580. Nonne tota terra coram te, quod ſignificet omne bonum, conſtat a ſignificatione terræ in bono ſenſu, & hic terræ Canaanis, quod ſit cœleſte, proinde quod ſit bonum, de qua prius n: 566, 620, 636, 662. Alloquitur hic Internus Homo Externum, ſed illa quæ apud Externum diſcordant, ſicut ſolet homo cum appercipit malum quoddam apud ſe, a quo ſeparari vult, ut fit in tentationibus & pugnis; notum enim eſt illis, qui fuerunt in tentationibus & pugnis, quod appercipiant apud ſe quæ diſcordant, a quibus, quamdiu eſt pugna, ſeparari nequeunt, ſed uſque deſiderant ſeparationem, imo quandoque adeo ut iraſcantur malo, & velint id expellere; hæc ſunt quæ hic ſignificantur.

1581. Quod ſeparare quæſo a me, ſignificet quod apparere nequeat niſi, quod diſcors eſt, nullum fiat, conſtat ab illis quæ nunc dicta ſunt, quod nempe Internus Homo velit, ut illud ſe ſeparet in Externo homine quod diſcordat, nam, antequam ſeparatum eſt, non apparere poteſt bonum quod continue influit ab Interno Homine, hoc eſt, per Internum hominem a Domino: quod autem ſeparationem attinet, ſciendum, quod non ſit ſeparatio, ſed quod ſit quieſcentia; malum quod in Externo homine, apud nullum hominem, præter apud Dominum, ſeparari poteſt, quicquid ſemel acquiſivit homo, remanet; ſed ſeparari videtur cum quieſcit, ſic enim ut nullum apparet; nec quieſcit ita, ut ſicut nullum appareat, niſi a Domino, & cum quieſcit ita, tunc primum influunt bona a Domino, & afficiunt Externum hominem: talis eſt ſtatus Angelorum, illi nec ſciunt aliter, ac quod malum ſeparatum ſit ab illis, ſed eſt ſolum detentio a malo, ita quieſcentia ut ſicut nullum appareat, proinde eſt apparentia, quod etiam ſciunt Angeli cum reflectunt.

1582. Si ad ſiniſtram & ibo dextram, & ſi ad dextram & ibo ſiniſtram, quod ſignificet ſeparationem, conſtat a ſignificatione dextræ & ſiniſtræ; dextrum & ſiniſtrum eſt nihil aliud quam reſpectivum quoddam, non eſt certa plaga, nec eſt certus locus, ut conſtare poteſt ex eo quod tam oriens quam occidens, tam meridies quam ſeptentrio, poſſit eſſe a dextris, etiam a ſiniſtris, ſecundum hominis aſpectum; ſimiliter ſe habet cum loco; terra Canaan nec dici potuit a dextra nec a ſiniſtra, niſi reſpective: ubicunque Dominus eſt, ibi eſt centrum, inde dextrum & ſiniſtrum; ita Abramus, per quem repræſentatus Dominus, ſive huc ſive illuc receſſerit, uſque tamen repræſentativum fuit apud illum, & quoque terra; ſicut quod perinde fuerit, ſi Abramus fuerit in terra Canaane, vel ſi fuerit alibi; comparative ſicut digniſſimus ad menſam, locus ubi ſedet eſt ſupremus, inde loca ad dextram & ſiniſtram; quare ire ad dextram aut ſiniſtram erat formula optionis, qua ſignificata ſeparatio.

1583. Verſ: 10. *Et ſuſtulit Loth oculos ſuos, & vidit omnem planitiem Jardenis, quod tota ea irrigua, antequam perdidit Jehovah Sodomam & Amoram, ſicut hortus Jehovæ, ſicut terra Ægypti veniendo Zoar.* Et ſuſtulit Loth oculos ſuos, ſignificat quod Externus homo illuminatus ab Interno: & vidit omnem planitiem Jardenis, ſignificat illa bona & vera quæ apud Externum hominem: quod tota ea irrigua, ſignificat quod creſcere ibi poſſint: ante-

quam

quam perdidit Jehovah Sodomam & Amoram, ſignificat hominem externum cupiditatibus mali & perſuaſionibus falſi deſtructum: ſicut hortus Jehovæ, ſignificat ejus rationalia: ſicut terra Ægypti veniendo Zoar, ſignificat ſcientifica ab affectionibus boni. Hæc ſignificant, quod apparuerit Domino Externus Homo, qualis eſt in ſua pulchritudine, cum Interno conjunctus.

1584. Quod ſuſtulit Loth oculos ſuos, ſignificet quod Externus homo illuminatus ab Interno, conſtat a ſignificatione tollere oculos, quod eſt videre, in ſenſu interno percipere, hic illuminari, quia prædicatur de Lotho ſeu Externo Homine, qui cum percipit qualis Externus homo eſt cum conjunctus Interno, ſeu qualis in ſua pulchritudine, tunc eſt illuminatus ab Interno, eſtque tunc in Viſione Divina, de qua hic agitur; nec dubitari poteſt, quin Dominus cum puer, quoad Externum Hominem multoties in tali Divino viſu fuerit, quia Ipſe Solus conjungeret Externum Hominem Interno; Externus Homo fuit Humana Ipſius Eſſentia, Internus autem Divina.

1585. Et vidit omnem planitiem Jardenis, quod ſignificet illa bona & vera, quæ apud Externum hominem, conſtat a ſignificatione planitiei & Jordanis, planities circa Jordanem in ſenſu interno ſignificat Externum hominem quoad omnia ejus bona & vera: quod planities Jordanis hæc ſignificet, inde eſt, quia Jordanes erat terminus terræ Canaanis; Terra Canaan, ut prius dictum eſt oſtenſum eſt, ſignificat Regnum & Eccleſiam Domini, & quidem cœleſtia & ſpiritualia ejus, quare etiam appellata eſt Terra Sancta, & Canaan cœleſtis; & quia Regnum & Eccleſiam Domini, ſignificat in ſenſu ſupremo Ipſum Dominum, Qui eſt omne in omnibus ſui Regni & ſuæ Eccleſiæ; inde omnia, quæ in terra Canaane, repræſentativa fuerunt; quæ in medio terræ, ſeu quæ intima fuerunt, repræſentabant Internum Ipſius Hominem, ut Mons Zionis & Hieroſolyma, ille cœleſtia, hæc ſpiritualia; quæ inde diſtabant longius repræſentabant remotiora ab internis; quæ ultima erant ſeu quæ termini, repræſentabant Externum hominem; termini Canaanis fuerunt plures, in genere bini fluvii Euphrates & Jordanes, tum quoque Mare, inde Euphrates & Jordanes repræſentabant Externa; hic ideo planities Jordanis ſignificat, ſicut repræſentat, omnia quæ apud Externum hominem; ſimiliter ſe habet, cum Terra Canaan prædicatur de Regno Domini in Cœlis, ſimiliter cum de Eccleſia Domini in terris, ſimiliter cum de Homine Regni ſeu Eccleſiæ, ſimiliter cum abſtracte de cœleſtibus amoris, ac ita porro: inde eſt, quod pæne omnes urbes, imo omnes montes, colles, valles, fluvii, & alia, in terra Canaane repræſentarent: quod fluvius Euphrates, quia erat terminus, repreſentaret ſenſualia & ſcientifica, quæ ſunt Externi hominis, oſtenſum eſt prius, n: 120; quod etiam Jordanes, & planities Jordanis, ex his locis conſtare poteſt; apud Davidem, "Deus mi, ſuper me anima mea incurvat ſe, propterea recordabor Tui e *Terra Jordanis*, & Chermonim e monte exiguitatis," Pſalm: XLII: 7. ubi terra Jordanis pro illo quod eſt humile, & ſic quod diſtat a cœleſti, ſicut externa hominis ab internis. Quod filii Iſraelis tranſirent Jordanem cum intrarent in Terram Canaanem, & quod tunc diviſus eſſet, repræſentabat quoque aditum ad Internum Hominem per Externum, etiam hominis in Regnum Domini, præter plura, Joſ: III: 14 ad f. Cap: IV: 1 ad f. Et quia Externus homo continue

tinue impugnat Internum, & dominium affectat, formula prophetica facta eſt, *ſuperbia* aut *elatio Jordanis*, ut apud Jeremiam, " Quomodo parem te præ-" ſtabis cum equis, & in terra pacis tu confidens, & quomodo facis in *Elatione Jordanis*;" XII: 5, elatio Jordanis pro illis quæ ſunt Externi hominis, quæ inſurgunt & dominari ſuper Internum volunt, ut ſunt ratiocinia, quæ hic ſunt equi, & inde confidentia: apud Eundem, " Erit Edomus in deſolationem; " ecce ſicut leo aſcendit e *ſuperbia Jordanis* ad habitaculum Ethanis," XLIX: 17, 19. ſuperbia Jordanis pro Externi hominis elatione contra Interni bona & vera: apud Sachariam, " Ejula abies, quia cecidit cedrus, quia magnifici va-" ſtati ſunt, ejulate quercus Baſchanis, quia deſcendit ſylva munita; vox eju-" latus paſtorum, quia vaſtata eſt magnificentia eorum; vox rugitus leonum " juvenum, quod vaſtata ſit *Elatio Jordanis*," XI: 2, 3. Quod Jordanes fuerit terminus terræ Canaanis, conſtat Num: XXXIV: 12. & quod terræ Jehudæ verſus orientem, Joſ: XV: 5.

1586. Quod tota ea irrigua, ſignificet quod creſcere ibi poſſint, nempe bona & vera, conſtare poteſt ex ſignificatione irrigui, videantur quæ prius, n: 108.

1587. Antequam perdidit Jehovah Sodomam & Amoram, quod ſignificet hominem externum cupiditatibus mali & perſuaſionibus falſi deſtructum, conſtare poteſt a ſignificatione Sodomæ quod ſint cupiditates mali, & a ſignificatione Amoræ quod ſint perſuaſiones falſi; hæc enim duo ſunt quæ deſtruunt Externum hominem, & ſeparant ab Interno; & hæc duo fuerunt quæ deſtruxerunt Antiquiſſimam Eccleſiam ante diluvium; cupiditates mali ſunt voluntatis, & perſuaſiones falſi ſunt intellectus, quæ duo cum regnant, totus Externus homo eſt deſtructus, qui cum deſtructus etiam ſeparatus eſt ab Interno, non quod Anima ſeu ſpiritus ſeparetur a corpore, ſed quod bonum & verum ab anima ſeu ſpiritu ejus ſeparata ſint, ut non influant niſi remote, de quo influxu, ex Divina Domini Miſericordia, alibi: & quia in Genere humano Externus homo ita deſtructus fuit, & diſruptum ejus vinculum cum Interno, hoc eſt, cum bono & vero, Dominus in mundum venit, ut conjungeret & uniret Externum hominem Interno, hoc eſt, Humanam Eſſentiam Divinæ. Qualis ſit Externus homo, cum conjunctus Interno, hic deſcribitur, nempe antequam perdidit Jehovah Sodomam & Amoram, quod fuerit ſicut hortus Jehovæ, ſicut terra Ægypti veniendo Zoar.

1588. Quod ſicut hortus Jehovæ, ſignificet ejus rationalia, conſtat a ſignificatione horti Jehovæ, quod ſit intelligentia, de qua n: 100, proinde rationale, quod medium eſt inter hominem internum & externum; rationale eſt hominis externi intelligentia; hortus Jehovæ dicitur, cum Rationale cœleſte eſt, hoc eſt, ex origine cœleſti, ut fuit apud Antiquiſſimam Eccleſiam, de quo ita apud Eſaiam, " Conſolabitur Jehovah Zionem, conſolabitur omnes vaſti-" tates illius, & ponet deſertum illius tanquam Eden, & ſolitudinem illius ſi-" cut *Hortum Jehovæ*; gaudium & lætitia invenietur in ea, confeſſio & vox " cantus," LI: 3. at Hortus Dei dicitur, cum Rationale eſt ſpirituale, hoc eſt, ex origine ſpirituali, ut apud Eccleſiam Antiquam, de quo apud Ezechi-

elem,

elem, “ Plenus ſapientia, & perfectus pulchritudine, in Eden *Horto Dei* fu-“ iſti,” xxviii : 3. Rationale hominis comparatur Horto ex repræſentativo, quod ſiſtitur in Cœlo ; eſt Rationale hominis, in quod cum influit Cœleſte ſpirituale a Domino, quod non aliter apparet ; imo etiam inde ſiſtuntur viſibiles paradiſi, quæ omnem imaginationis humanæ ideam magnificentia & pulchritudine excedunt, quod eſt effectus influxus lucis cœleſtis ſpiritualis a Domino, de quo prius, n: 1042, 1043. nec ſunt amœnitates & pulchritudines paradiſiacæ quæ afficiunt, ſed ſunt cœleſtia ſpiritualia, quæ in illis vivunt.

1589. Sicut terra Ægypti veniendo Zoar, quod ſignificet ſcientifica ab affectionibus boni, conſtare poteſt a ſignificatione Ægypti, de qua n: 1164, 1165. in bono ſenſu, n: 1462, quod ſit ſcientia ; & a ſignificatione Zoar, quod ſit affectio boni ; Zoar erat urbs non procul a Sodoma, quo etiam fugit Loth cum per Angelos ereptus incendio Sodomæ, de quo Geneſ: xix : 20, 22, 30 ; & præterea Zoar nominatur Gen : xiv : 2, 8. Deut : xxxiv : 3. Eſai : xv : 5. Jerem : xlviii : 34. ubi quoque ſignificat affectionem ; & quia affectionem boni, etiam in ſenſu oppoſito, quod commune, affectionem mali. Sunt tria quæ Externum hominem conſtituunt, nempe Rationale, Scientificum, & Senſuale externum, Rationale eſt interius, Scientificum eſt exterius, Senſuale hoc eſt extimum ; Rationale eſt, per quod Internus Homo conjungitur Externo ; quale eſt Rationale, talis eſt conjunctio ; Senſuale externum eſt hic viſus & auditus ; ſed Rationale in ſe nullum eſt, niſi affectio influat in illud, & faciat illud activum, utque vivat ; inde ſequitur quod tale ſit Rationale qualis Affectio ; cum Affectio boni influit, tunc fit affectio boni in rationali affectio veri ; contrarium, cum affectio mali ; quia ſcientificum ſe applicat rationali, & eſt ejus inſtrumentale, ſequitur etiam quod affectio influat in ſcientificum, & diſponat ; nam nuſquam aliquid vivit apud Externum hominem, quam affectio, cauſa eſt, quia Affectio boni deſcendit ex cœleſti, hoc eſt ab amore cœleſti, qui vivificat omne in quod influit, imo etiam vivificat affectiones mali, ſeu cupiditates ; bonum enim amoris a Domino continue influit, & quidem per Internum hominem in Externum ; ſed homo qui in affectione mali ſeu cupiditate eſt, is pervertit bonum ; ſed uſque manet inde vita ; quod ut percipiatur, comparative videatur ex objectis quæ recipiunt ſolis radios, quædam ſunt, quæ pulcherrime recipiunt, & in pulcherrimos colores vertunt, ſicut Adamas, Rubinus, Hyacinthus, Sapphirus, & alii lapides pretioſi, at ſunt quæ non ita recipiunt, ſed in turpiſſimos colores vertunt ; conſtare quoque ab ipſis hominum geniis poteſt, ſunt qui bona alius cum omni affectione recipiunt, & ſunt qui vertunt in mala : inde conſtare poteſt quid ſit ſcientia ab affectionibus boni, quæ ſignificatur per terram Ægypti veniendo Zoar, cum rationale eſt ſicut hortus Jehovæ.

1590. Quod hæc ſignificent, quod apparuerit Domino Externus Homo, qualis eſt in ſua pulchritudine cum Interno conjunctus, conſtare poteſt ex ſenſu interno, in quo Dominus quoad InternumHominem repræſentatur per Abramum, & quoad Externum per Lothum. Qualis pulchritudo eſt Externi

terni Hominis cum is conjunctus Interno, non deſcribi poteſt, quia non datur apud ullum hominem, præter apud Solum Dominum; quod apud hominem & angelum, eſt a Domino; duntaxat aliquantulum conſtare poteſt ex imagine Domini quoad Externum Ipſius Hominem in cœlis, videatur n: 553 & 1530: Tres cœli ſunt imagines Externi Hominis Domini, quorum pulchritudo nuſquam deſcribi poteſt per aliquod, quod ſiſtat ideam, qualis eſt, ad captum alicujus; ſicut apud Dominum omne eſt Infinitum, ita in Cœlo omne eſt Indefinitum; Indefinitum cœli eſt imago Infiniti Domini.

1591. Verſ: 11. *Et elegit ſibi Loth omnem planitiem Jardenis; & profectus Loth ab oriente, & ſeparabantur vir a fratre ſuo.* Elegit ſibi Loth omnem planitiem Jardenis, ſignificat externum hominem, quod talis: & profectus eſt Loth ab oriente, ſignificat illa apud externum hominem, quæ recedunt ab amore cœleſti: & ſeparabantur vir a fratre, ſignificat quod illa ſeparent.

1592. Elegit ſibi Loth omnem planitiem Jardenis, quod ſignificet externum hominem quod talis, conſtat a ſignificatione planitiei Jordanis, de qua in verſ: præc: quod ſit Externus homo. Externi hominis pulchritudo deſcribitur in verſ: præc: cum conjunctus eſt Interno; at ejus turpitudo deſcribitur ab hoc verſu & in binis ſequentibus, cum disjunctus.

1593. Et profectus Loth ab oriente, quod ſignificet illa apud Externum hominem quæ recedunt ab amore cœleſti, conſtat ex ſignificatione Orientis, quod ſit Dominus, ita omne cœleſte, de qua prius n: 101: & quia per Oriens ſignificatur Dominus, inde ſequitur quod Oriens hic ſit Internus Domini Homo, Qui Divinus: ita quod Externus homo recederet ab Interno, ſignificatur hic per quod Loth profectus ab oriente.

1594. Quod ſeparabantur vir a fratre, ſignificet quod illa ſeparent, ſequitur inde: quid vir frater, dictum eſt ſupra ad: verſ: 8, nempe quod ſit unio, quare ſeparari vir a fratre eſt diſunio. Quid diſunit Externum hominem ab Interno, homo neſcit, & hoc ex multiplici cauſa, tam quod non ſciat, aut ſi audiverit, non credat, dari Internum hominem; quam quod non ſciat aut ſi audiverit, non credat, amorem ſui & ejus cupiditates eſſe quæ diſuniunt, tum amorem mundi & ejus cupiditates, ſed non tantum ac amor ſui. Quod non ſciat, & ſi audiverit, non credat, dari Internum hominem, eſt ex cauſa, quia in corporeis & ſenſualibus vivit, quæ nuſquam videre poſſunt quid interius eſt, interiora poſſunt videre quod exterius, ſed nuſquam exteriora quod interius; ſicut viſus, viſus internus videre poteſt quid viſus externus, nuſquam viſus externus quid viſus internus; aut, intellectuale & rationale poteſt percipere quid & quale eſt ſcientificum, non autem viciſſim; tum ex eo, quod non credat dari ſpiritum qui ſeparatur a corpore dum moritur, & vix dari vitam internam, quam vocant animam, quia dum ſenſualis & corporeus homo cogitat de ſpiritu ſeparando a corpore, obvenit ei tanquam impoſſibile, quia ponit vitam in corpore, ſeque confirmat ex eo quod etiam bruta animalia vivant, & uſque non vivunt poſt mortem, præter plura alia; hæc omnia ex cauſa, quia in corporeis & ſenſualibus vivit, quæ vita in ſe ſpectata vix aliud eſt, quam vita brutorum animalium, cum ſola differentia, quod homo cogitare poſſit, & de rebus obviis

ratiocinari,

ratiocinari, ſuper quam facultatem præ brutis animalibus, nec tunc reflectit; ſed hæc cauſa non ita diſunit Externum hominem ab Interno, nam maxima pars hominum in tali incredulitate eſt, & doctiſſimi præ ſimplicibus: ſed quod diſunit, eſt principaliter amor ſui, tum quoque amor mundi, ſed non tantum ac amor ſui; quod homo hoc neſciat, cauſa eſt, quia in nulla charitate vivit, & cum in nulla charitate vivit, tunc ei non apparere poteſt quod vita amoris ſui & ejus cupiditatum tam contraria ſit amori cœleſti; eſt etiam in amore ſui & ejus cupiditatibus tunc flammeum quoddam, & inde jucundum, quod ita afficit vitam, ut vix aliud ſciat, quam quod ipſa felicitas æterna in eo conſiſtat, quare etiam plures ponunt felicitatem æternam in eo, ut poſt vitam corporis magni fiant, & ſerviantur ab aliis etiam ab angelis, cum ii nulli ſervire velint, niſi ob cauſam occultam propter ſe ut ſerviantur; quod dicant ſe ſervire tunc velle Domino ſoli, hoc falſum eſt, nam qui in amore ſui ſunt, volunt ut etiam Dominus illis ſerviat, & quantum non fit, recedunt, ita in corde ſuo ferunt, quod ipſi Domini velint fieri & regnare ſuper univerſum; quale regimen hoc foret, cum plures tales ſunt, imo cum omnes, quiſque cogitare poteſt, annon regimen infernale, ubi unuſquiſque ſe amat præ alio; hoc latet in amore ſui; inde conſtare poteſt qualis eſt amor ſui, etiam ex eo quod recondat in ſe odium contra omnes qui ſe non ſubjiciunt ei ut ſervos, & quia odium, etiam vindictas, crudelitates, dolos, & plura nefanda. Amor autem mutuus, qui ſolus cœleſtis, in eo conſiſtit, quod ſe non ſolum dicat, ſed agnoſcat & credat, quod indigniſſimus ſit, & quod vile quoddam & ſpurcum, quod Dominus ex Infinita Miſericordia, continue ab inferno, in quod continue ſe præcipitare conatur, imo cupit, ſubtrahat & detineat; quod agnoſcet & credet, eſt quia verum eſt, non quod Dominus, nec aliquis angelus, velit, ut id agnoſcat & credat ob cauſam ut ſe ſubmittat, ſed ne efferat ſe cum uſque talis, ſicut quod excrementum diceret quod ſit purum aurum, aut muſca latrinæ quod ſit avis paradiſiaca; quantum itaque homo agnoſcit & credit quod ſit talis qualis eſt, tantum recedit ab amore ſui & ejus cupiditatibus, & tantum ſe abhorret; quantum hoc fit, tantum a Domino accipit amorem cœleſtem, hoc eſt, amorem mutuum, qui eſt, ut omnibus ſervire velit; hi ſunt, qui intelliguntur per minimos, qui in Regno Domini fiunt maximi, Matth: xx: 26, 27, 28. Luc: ix: 46, 47, 48. Ex his conſtare poteſt, quid disjungit Externum hominem ab Interno, nempe quod principaliter amor ſui; & quod principaliter unit Externum hominem Interno, eſt amor mutuus, qui nuſquam dabilis eſt, priuſquam amor ſui recedit; nam prorſus contrarii ſunt. Internus homo nihil aliud eſt, quam amor mutuus; ipſe hominis ſpiritus ſeu anima, eſt homo interior, qui vivit poſt mortem, eſtque organicus, nam adjunctus eſt corpori, cum homo vivit in mundo; homo hic interior, ſeu anima ejus aut ſpiritus, non eſt Internus homo, ſed Internus homo eſt in illo, cum in illo amor mutuus; quæ ſunt Interni hominis, ſunt Domini, ſic ut dici queat quod Internus homo ſit Dominus; ſed quia Dominus dat Angelo ſeu homini, dum vivit in amore

mutuo, proprium cœleſte, ſic ut ei non appareat aliter, quam quod is faciat bonum a ſe, inde Internus homo prædicatur de homine, ſicut ejus foret; ſed qui in amore mutuo eſt, is agnoſcit & credit, quod omne bonum & verum non ejus ſit, ſed Domini; & quod amare poſſit alium ſicut ſe, & magis, ſi ſicut angeli, quod amare poſſit alium pluſquam ſe, quod ſit donum Domini, a quo dono & ejus felici tantum recedit, quantum ab agnitione, quod Domini ſit.

1595. Verſ: 12. *Abram habitabat in terra Canaanis, & Loth habitavit in urbibus planitiei, & tentoriavit uſque ad Sodomam.* Abram habitabat in terra Canaanis, ſignificat internum hominem, quod eſſet in cœleſtibus amoris: & Loth habitavit in urbibus planitiei, ſignificat externum hominem quod eſſet in ſcientificis: & tentoriavit uſque ad Sodomam, ſignificat extenſionem ad cupiditates.

1596. Abram habitabat in terra Canaanis, quod ſignificet internum hominem, quod eſſet in cœleſtibus amoris, conſtat a ſignificatione terræ Canaanis, quod ſint cœleſtia amoris, de qua aliquoties prius.

1597. Et Loth habitabat in urbibus planitiei, quod ſignificet externum hominem quod eſſet in ſcientificis, conſtat a repræſentatione Lothi, quod ſit Externus homo, & a ſignificatione urbis ſeu urbium, quod ſint doctrinalia, quæ in ſe non aliud ſunt quam ſcientificà, quando prædicantur de Externo homine, cum hic ſeparatus eſt ab Interno; quod urbes ſignificent doctrinalia tam vera quam falſa, oſtenſum eſt prius, n: 402.

1598. Et tentoriavit uſque ad Sodomam, quod ſignificet extenſionem ad cupiditates, conſtat ex ſignificatione Sodomæ, de qua ſupra ad verſ: 10. quod ſit cupiditas: hæc correſpondent illis, quæ in verſ: præc: 10. dicta ſunt, quod planities Jordanis tota irrigua ſicut hortus Jehovæ, ſicut terra Ægypti veniendo Zoar, ubi actum de Externo homine cum unitus Interno; & per terram Ægypti veniendo Zoar, ſignificata ſcientifica ab affectionibus boni; hic autem quod Loth habitavit in urbibus planitiei & tentoriavit uſque ad Sodomam, ſignificatur Externus homo cum non unitus Interno, & per hæc ſignificata ſcientifica ab affectionibus mali ſeu cupiditatibus; deſcripta enim ibi erat pulchritudo Externi hominis cum unitus Interno, hic autem turpitudo ejus cum non unitus, & adhuc magis in ſequente verſu, ubi dicitur, "Et viri Sodomæ mali & peccatores Jehovæ valde." Qualis turpitudo Externi hominis eſt quando ſeparatus ab Interno, unicuique conſtare poteſt ab illis quæ dicta ſunt de amore ſui & ejus cupiditatibus, quæ principaliter diſuniunt; quanta eſt pulchritudo Externi hominis cum unitus Interno, tanta turpitudo eſt ejus cum diſunitus; nam Externus homo in ſe ſpectatus nihil aliud eſt quam ut inſerviat Interno, eſt quoddam inſtrumentale, ut fines fiant uſus, & uſus ſiſtantur in effectu, & ſic perfectio ſit omnium; contrarium fit, cum Externus homo ſe ſeparat ab Interno, & ſibi ſoli inſervire vult, imo magis cum dominari vult ſuper Internum, quod principaliter fit ex amore ſui & ejus cupiditatibus, ut oſtenſum.

1599. Ver: 13. *Et viri Sodomæ mali & peccatores Jehovæ valde.* Viri Sodomæ mali & peccatores Jehovæ valde, ſignificat cupiditates ad quas ſcientifica ſe extendebant.

1600. Viri Sodomæ mali & peccatores Jehovæ valde, quod ſignificet cupiditates ad quas ſcientifica ſe extendebant, conſtare poteſt ex ſignificatione Sodomæ, de qua prius, quod ſint cupiditates; & ex ſignificatione virorum, quod ſint intellectualia & rationalia, hic ſcientifica, quia prædicantur de Externo homine cum ſeparatus ab Interno; quod viri ſignificent intellectualia ſeu rationalia, oſtenſum quoque eſt prius, n: 265, 749, 1007. Scientifica dicuntur tunc extendere ſe ad cupiditates, cum diſcuntur non alio fine, quam ut magnus fiat, non ut inſerviant illi uſui, ut inde fiat bonus; omnia ſcientifica ſunt ob finem, ut homo poſſit fieri rationalis & ſic ſapiens, utque ſic inſervire poſſit Interno Homini.

1601. Verſ: 14. *Et Jehovah dixit ad Abram, poſtquam ſeparatus Loth ab illo, tolle quæſo oculos tuos, & vide e loco quo tu ibi, verſus ſeptentrionem, & verſus meridiem, & verſus orientem, & verſus occidentem.* Jehovah dixit ad Abram ſignificat quod Jehovah ita loquutus ad Dominum: poſtquam ſeparatus Loth ab illo, ſignificat cum cupiditates externi hominis remotæ eſſent ut non impedirent: tolle quæſo oculos tuos, & vide e loco quo tu ibi, ſignificat ſtatum in quo tunc Dominus, e quo percipere poſſet ventura: verſus ſeptentrionem, & verſus meridiem, & verſus orientem, & verſus occidentem, ſignificat omnes quotcunque ſunt in univerſo.

1602. Quod Jehovah dixit ad Abram, ſignificet quod Jehovah ita loquutus ad Dominum, conſtare poteſt ex ſenſu interno Verbi, in quo Dominus per Abramum intelligitur; tum quoque ex ipſo ſtatu in quo tunc fuit, qui hic quoque deſcribitur, quod nempe externa, quæ impedirent, remota ſint, quæ ſignificantur per hæc, " poſtquam ſeparatus eſt Loth ab illo:" Dominus quoad Internum Hominem fuit Divinus, quia natus a Jehovah, quare cum nihil impediret a parte Externi Hominis, ſequitur quod viderit omnia ventura: & quod hoc apparuerit tunc ſicut loquutus Jehovah, eſt quia coram Externo homine; quoad Internum Hominem Unus erat cum Jehovah, ſicut Ipſe Dominus docet apud Johannem, " Dixit Philippus, monſtra nobis Patrem, " dixit ei Jeſus, tantum temporis vobiſcum ſum, non noſti Me, Philippe, " qui videt Me, videt Patrem, quomodo ergo tu dicis, monſtra nobis Pa- " trem, nonne credis, quod Ego in Patre, & Pater in Me ſit; credite Mihi, " quod Ego in Patre, & Pater in Me," xiv: 6, 8, 9, 10, 11.

1603. Poſtquam ſeparatus Loth ab illo, quod ſignificet cum cupiditates Externi hominis remotæ eſſent, ut non impedirent, conſtat a repræſentatione Lothi, quod ſit Externus homo, aque illis quæ præcedunt, quod ſeparatus, hoc eſt, illa quæ impedirent; quæ cum remota fuerunt, Internus Homo ſeu Jehovah unum agebat cum Externo, ſeu cum Humana Domini Eſſentia; ſunt modo externa non concordantia, de quibus dictum, quæ impediunt, quin Internus Homo, dum agit in Externum, faciat ut unum ſit; Externus homo nihil aliud eſt quam inſtrumentale quoddam, aut organicum, in ſe nullam vi-

 tam

tam habens, ex Interno homine accipit vitam, & tunc apparet ſicut Externus homo vitam haberet ex ſe: apud Dominum autem, poſtquam expulit malum hæreditarium, & ſic purificavit Humanæ Eſſentiæ organica, etiam hæc vitam acceperunt, ita ut Dominus, ſicut quoad Internum Hominem fuit Vita, etiam quoad Externum Hominem factus Vita; hoc eſt quod ſignificat Glorificatio, apud Johannem, "Dicit Jeſus, nunc glorificatus eſt Filius Hominis, & Deus glorificatus in Ipſo; ſi Deus glorificatus eſt in Ipſo, etiam Deus glorificabit Ipſum in Se Ipſo, & ſtatim glorificabit Ipſum," xiii: 31, 32. apud Eundem, "Pater, venit hora, glorifica Filium tuum, ut etiam Filius tuus glorificet Te: nunc ergo glorifica Me Tu Pater, apud Te Ipſum, gloria, quam habui, antequam mundus eſſet, apud Te," xvii: 1, 5. apud Eundem, "Jeſus dixit, Pater glorifica tuum Nomen; exiit igitur vox e cœlo, & glorificavi, & rurſus glorificabo," xii: 28.

1604. Tolle quæſo oculos tuos, & vide e loco quo tu ibi, quod ſignificet ſtatum, in quo tunc Dominus, conſtat ex ſignificatione tollere oculos & videre, quod ſit illuminatus eſſe & percipere, de qua ſupra ad verſ: 10. & ex ſignificatione loci in ſenſu interno, quod ſit ſtatus; quod locus non aliud ſit quam ſtatus, oſtenſum n: 1274, 1376, 1377, 1378, 1379.

1605. Verſus ſeptentrionem, & verſus meridiem, & verſus orientem, & verſus occidentem, quod ſignificet omnes quotcunque ſunt in univerſo, conſtat a ſignificatione horum; ſeptentrio, meridies, oriens & occidens in Verbo ſignificant unumquodvis per ſe aliquid; Septentrio illos qui ſunt extra Eccleſiam, qui nempe in tenebris quoad veritates fidei ſunt, tum quoque ſignificat tenebras apud hominem; Meridies autem ſignificat illos qui intra Eccleſiam ſunt, qui nempe in luce quoad cognitiones ſunt, ſimiliter etiam ipſam lucem: Oriens ſignificat illos qui antea fuerunt, tum quoque amorem cœleſtem, ut prius oſtenſum; Occidens autem ſignificat illos qui venturi, ſimiliter qui non in amore; quid ſignificent, ex ſerie in ſenſu interno conſtat: cum autem omnes dicuntur, ut hic, ſeptentrio, meridies, oriens & occidens, ſignificant omnes qui in univerſo terrarum orbe qui vivunt, tum quoque qui fuerunt, & qui venturi; ſignificant etiam ſtatus humani generis quoad amorem & fidem.

1606. Verſ: 15. *Quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo illam, & ſemini tuo uſque in æternum.* Quia omnem terram, quam tu vides, dabo illam, ſignificat Regnum cœleſte, quod Domini eſſet: & ſemini tuo uſque in æternum, ſignificat illos qui fidem in Ipſum haberent.

1607. Quia omnem terram quam tu vides tibi dabo illam, quod ſignificet Regnum cœleſte quod Domini eſſet, conſtat a ſignificatione Terræ, & hic Terræ Canaanis, quia dicitur, terra quam tu vides, quod ſit Regnum cœleſte; per terram enim Canaanem repræſentatum fuit Regnum Domini in cœlis, ſeu Cœlum, & Regnum Domini in terra, ſeu Eccleſia, de qua Terræ ſignificatione prius aliquoties actum eſt: Quod Domino datum ſit Regnum in cœlis & in terris, ex Verbo paſſim conſtat, ut apud Eſaiam, "Puer natus eſt, Filius "datus eſt nobis, & erit Principatus ſuper humero Ipſius, & appellabitur "Nomen Ipſius, Mirabilis, Conſiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, "Princeps

"Princeps pacis," IX: 5. Apud Danielem, "Videns fui in viſionibus "noctis, & ecce cum nubibus cœlorum, ſicut Filius hominis, veniens fuit, "& uſque ad Antiquum dierum pervenit, & coram Ipſo appropinquare fe-"cerunt Ipſum: & Huic datum eſt dominium, & gloria, & regnum, & "omnes populi, gentes & linguæ Ipſi ſervient; dominium Ipſius, domini-"um æternum, quod non tranſibit, & regnum Ipſius, quod non peribit," VII: 13, 14. Ipſe Dominus hoc quoque dicit; apud Matthæum, "Omnia "Mihi tradita ſunt a Patre meo," XI: 27. & apud Lucam, Cap: X: 22. Apud Matthæum alibi, "Data eſt Mihi poteſtas in cœlo & in terra," XXVIII: 18. Apud Johannem, "Dediſti Filio poteſtatem omnis carnis, ut omne, "quod dediſti Ipſi, det illis vitam æternam," XVII: 2, 3, quod etiam ſigni-ficatur per ſedere a dextris, ut apud Lucam, "Exhinc nunc erit Filius Ho-"minis ſedens a dextris virtutis Dei," XXII: 69. Quod data ſit Filio hominis omnis poteſtas in cœlis & in terris, ſciendum, quod Domino fuerit poteſtas ſuper omnia in cœlis & in terris, antequam venit in mundum, nam fuit Deus ab æterno & Jehovah, ſicut ipſe clare dicit, apud Johannem, "Nunc glori-"fica Me, Tu Pater, apud Te Ipſum, gloria, quam habui, antequam mun-"dus eſſet, apud Te," XVII: 5. & apud Eundem, "Amen, Amen, dico vobis, priuſquam Abrahamus fuit, Ego fui," VIII: 58. fuit enim Jehovah & Deus Antiquiſſimæ Eccleſiæ quæ ante diluvium, & illis viſus; fuit etiam Jehovah & Deus Antiquæ Eccleſiæ, quæ poſt diluvium; & fuit Quem re-præſentabant omnes ritus Eccleſiæ Judaicæ, & Quem colerent; at quod Ipſe dicit, quod data Ipſi omnis poteſtas in cœlo & in terra, tanquam tunc pri-mum, eſt, quia per Filium Hominis intelligitur Humana Ipſius Eſſentia, quæ cum unita fuit Divinæ, etiam Jehovah fuit, & Ipſi ſimul poteſtas, quod fieri non potuit, antequam glorificatus eſt, hoc eſt, antequam Humana Ipſius Eſſentia per unitionem cum Divina etiam vitam haberet in Se, & ſic ſimiliter facta Divina & Jehovah, ut Ipſe dicit apud Johannem, "Quemadmodum "Pater habet vitam in Se Ipſo, etiam dedit Filio vitam habere in Se Ipſo," V: 27. Humana Ipſius Eſſentia ſeu Externus Homo eſt, qui quoque apud Danielem in loco citato appellatur Filius Hominis; & apud Eſaiam in loco citato, Puer natus eſt, & Filius datus eſt nobis: quod Ipſi daretur Regnum cœleſte, & omnis poteſtas in cœlis & in terris, Ipſi nunc viſum & promiſſum eſt, & ſignificatur per hæc verba, "omnem terram, quam tu vides, tibi dabo "illam, & ſemini tuo poſt te in æternum," quod erat antequam Humana Ipſius Eſſentia unita fuit Ipſius Divinæ, quæ unita fuit, cum diabolum & infernum evicit, nempe cum propria potentia, & propriis viribus, expulit omne malum, quod ſolum diſunit.

1608. Et ſemini tuo uſque in æternum, quod ſignificet illos qui fidem in Ipſum haberent, conſtat ex ſignificatione ſeminis, quod ſit fides, & quidem fides charitatis, de qua prius, n: 255, 256, 1025. Quod ſemini Ipſius, hoc eſt fidem habentibus in Ipſum daretur regnum cœleſte, conſtat manifeſte ex Ipſius Domini Verbis apud Johannem, "Pater amat filium, & omnia dedit in manum Ipſius: qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui vero

"non

"non credit Filio non videbit vitam," III: 35, 36. & apud Eundem, Quot-
"quot receperunt Ipſum, dedit illis poteſtatem, ut filii Dei eſſent credentibus in
"Nomen Ipſius, qui non ex ſanguinibus, neque e voluntate carnis, neque e vo-
"luntate viri," I: 12, 13. ex his conſtat, quid ſit fides, ſeu credere in Ipſum, nempe apud illos qui recipiunt Ipſum, & credunt in Ipſum, non ex voluntate carnis, nec e voluntate viri, voluntas carnis eſt quod eſt contrarium amori & charitati, nam id ſignificatur per carnem, n: 999: & voluntas viri eſt quod eſt contrarium fidei ex amore ſeu charitate, hoc eſt quod ſignificatur per virum; voluntas enim carnis & voluntas viri ſunt quæ disjungunt, ſed amor & inde fides ſunt quæ conjungunt; quare apud quos amor & inde fides, illi ſunt qui ex Deo nati; & quia illi ex Deo nati, appellantur filii Dei, & ſunt ſemen Ipſius, quibus Regnum cœleſte; quæ ſignificantur per hæc in hoc verſu, "Omnem ter-
"ram quam tu vides, tibi dabo, & *ſemini* tuo uſque in æternum". Quod regnum cœleſte non dari queat illis qui in fide abſque charitate ſunt, hoc eſt, illis qui ſe dicunt habere fidem, & odio habent proximum, unicuique, ſi modo reflectere velit, conſtare poteſt, nam nulla vita poteſt fidei tali ineſſe, cum vitam facit odium, hoc eſt, infernum; nam infernum non niſi ex odiis conſiſtit, non ex odiis, quæ homo hæreditario accepit, ſed ex odiis quæ ipſe actuali vita ſibi comparavit.

1609. Verſ: 16. *Et ponam ſemen tuum ſicut pulverem terræ, quod ſi poſſit quis numerare pulverem terræ, etiam ſemen tuum numerabitur.* Ponam ſemen tuum ſicut pulverem terræ, ſignificat multiplicationem in immenſum: quod ſi poſſit quis numerare pulverem terræ etiam ſemen tuum numerabitur, ſignificat affeverationem.

1610. Ponam ſemen tuum ſicut pulverem terræ, quod ſignificet multiplicationem in immenſum, conſtat abſque explicatione; hic dicitur quod poneretur ſemen ſicut pulvis terræ; alibi in Verbo, ſicut pulvis maris; alibi ſicut ſtellæ cœlorum; unumquodvis ſuam peculiarem ſignificationem habet; pulvis terræ ſpectat illa quæ ſunt cœleſtia; nam terra, ut oſtenſum prius, ſignificat cœleſte amoris; pulvis maris ſpectat illa quæ ſunt ſpiritualia, nam mare, ut quoque oſtenſum, ſignificat ſpirituale amoris; ſicut ſtellæ cœlorum, ſignificat utrumque in ſuperiori gradu; quæ quia innumerabilia ſunt, facta inde formula ſolennis per illa exprimere fructificationem & multiplicationem in immenſum. Quod ſemen multiplicaretur in immenſum, hoc eſt, fides amoris ſeu amor, in ſupremo ſenſu ſignificat Dominum, & quidem Humanam Ipſius Eſſentiam, nam Dominus quoad Humanam Eſſentiam appellatur ſemen mulieris, de quo n: 256; & cum Humana Domini Eſſentia, intelligitur per multiplicationem in immenſum, infinitum cœleſte & ſpirituale: cum autem per ſemen ſignificatur fides charitatis ſeu charitas in genere humano, intelligitur quod ſemen in unoquovis, qui in charitate vivit, multiplicaretur in immenſum; quod etiam fit apud unumquemvis qui in charitate vivit, in altera vita, apud illum tantum multiplicatur charitas & inde fides & cum his felicitas, ut non niſi quam per immenſum & ineffabile deſcribi poſſit: cum per ſemen ſignificatur genus humanum, ejus multiplicatio in Regno Domini etiam in immenſum

menſum eſt, non ſolum ex illis qui intra Eccleſiam ſunt & eorum infantibus, ſed etiam ex illis qui extra Eccleſiam & eorum infantibus, inde Regnum Domini ſeu cœlum eſt immenſum, de cujus immenſitate, ex Divina Domini Miſericordia, alibi dicetur.

1611. Verſ: 17. *Surge, ambula per terram, ſecundum longitudinem ejus, & ſecundum latitudinem ejus, quia tibi dabo illam.* Surge, ambula per terram, ſignificat ut pervideret Regnum cœleſte: ſecundum longitudinem ejus, & ſecundum latitudinem ejus, ſignificat illius cœleſte & ſpirituale: quia tibi dabo illam, ſignificat quod illius eſſet.

1612. Surge, ambula per terram, quod ſignificet ut pervideret Regnum cœleſte, conſtat ex ſignificatione terræ, quod ſit Regnum cœleſte, de qua aliquoties prius: ſurgere & ambulare per terram eſt in ſenſu literæ explorare & videre qualis eſt, quare in ſenſu interno, in quo per terram ſeu terram Canaanem ſignificatur Regnum Dei in cœlis ſeu cœlum, & Regnum Dei in terris ſeu Eccleſia, ſignificatur pervidere, ut & percipere.

1613. Secundum longitudinem ejus & ſecundum latitudinem ejus, quod ſignificet cœleſte & ſpirituale, vel quod idem, bonum & verum; quod longitudo ſignificet bonum, & latitudo verum, dictum videatur prius, n: 650: cauſa eſt, quia Terra ſignificat Regnum cœleſte ſeu Eccleſiam, de quibus nulla longitudo & latitudo prædicari poteſt, ſed illa quæ ſunt adæquata & correſpondentia, quæ ſunt bona & vera; cœleſte ſeu bonum, quia eſt primarium, comparatur longitudini, ſpirituale autem ſeu verum quia eſt ſecundarium comparatur latitudini; quod latitudo ſit verum, conſtat ſatis manifeſte in Verbo prophetico, ut apud Habakuk, “ Ego ex-
“ ſuſcitans Chaldæos, gentem amaram & celerem, *ambulantem in Latitudi-*
“ *nes terræ*,” I: 6. Chaldæi pro illis qui in falſo, ambulare in latitudines terræ, pro deſtruere vera, nam prædicatur de Chaldæis. Apud Davidem,
“ Jehovah non concluſiſti me in manum inimici, ſtare feciſti in *Latitudine*
“ pedes meos,” Pſalm: XXXI: 9. ſtare in latitudine pro in vero: apud Eun-
“ dem, “ Ex anguſtia invocavi Jah, reſpondet mihi in *Latitudine*,” Pſalm: CXVIII: 5. reſpondere in latitudine pro in veritate. Apud Hoſcheam, “ Pa-
“ ſcet eos Jehovah ſicut agnum in *Latitudine*,” IV: 16. paſcere in latitudine pro docere verum. Apud Eſaiam, “ Aſchur ibit per Jehudam, inundabit &
“ tranſibit, uſque ad collum pertinget, & erunt extenſiones alarum ejus ple-
“ nitudo *Latitudinis terræ*,” VIII: 8. Aſchur pro ratiocinatione, quæ inundatura terram ſeu Eccleſiam, alæ pro ratiociniis unde falſa, plenitudo latitudinis pro quod plena falſis ſeu contrariis vero: quia longitudo terræ ſignificabat bonum, & latitudo ejus verum, nova “ Hieroſolyma dicitur menſu-
“ rata, & jacere quadrangularis, & *longitudo* ejus tanta eſſe, quanta *latitudo*,” Apoc: XXI: 16. ex quo quiſque videre poteſt, quod longitudo & latitudo non aliud ſignificet, quoniam Nova Hieroſolyma non aliud eſt quam Regnum Domini in cœlis & terris. Ex ſignificatione rerum in ſenſu interno, loquutiones de cœleſtibus & ſpiritualibus per talia quæ in terris, ut per longitudines

&

& latitudines, olim familiares factæ ſunt, ſicut etiam altitudo & profunditas hodie in familiari ſermone, cum prædicatur de ſapientia.

1614. Quia tibi dabo illam, quod ſignificet quod Ipſius eſſet, conſtat abſque explicatione. Quod Terra ſeu Regnum cœleſte ſit ſolius Domini, conſtat ab illis quæ pluries oſtenſa ſunt, quod nempe non alius ſit Dominus cœli; & quia eſt Dominus cœli, etiam eſt Dominus Eccleſiæ; conſtat etiam ex eo, quod omne cœleſte & ſpirituale, ſeu bonum & verum, a Solo Domino, ex quibus Dominus eſt omne in omnibus ſui cœli, & quidem in tantum, ut qui non appercipit bonum & verum a Domino, non amplius ſit in cœlo; hæc ſphæra eſt quæ regnat in univerſo cœlo; hæc quoque eſt anima cœli, & hæc eſt vita quæ influit in omnes qui in bono ſunt.

1615. Verſ: 18. *Et tentoriavit Abram, & venit, & habitavit in quercetis Mamre, quæ in Chebron, & ædificabat ibi altare Jehovæ.* Tentoriavit Abram & venit & habitavit in quercetis Mamre, quæ in Chebron, ſignificat quod Dominus venit ad perceptionem adhuc interiorem; eſt hic ſextus ſtatus: & ædificabat ibi altare Jehovæ, ſignificat cultum ex illo ſtatu.

1616. Quod tentoriavit Abram & venit & habitavit in quercetis Mamre, quæ in Chebron, ſignificet quod Dominus pervenit ad perceptionem adhuc interiorem, conſtat a ſignificatione tentoriare, ſeu tentorium movere & figere, quod ſit conjungi: tentorium enim eſt ſanctum cultus, quod oſtenſum prius n: 414. 1452, quo conjungitur Externus homo Interno; exque ſignificatione querceti, quod ſit perceptio, de qua prius n: 1442. 1443, ubi quercetum Moreh, quod eſt prima perceptio, hic autem querceta Mamre in plurali, quæ ſignificant perceptionem plurem; hoc eſt, interiorem, hæc perceptio appellatur querceta Mamre quæ in Chebron; Mamre memoratur etiam alibi, ut Gen: XIV: 13. Cap: XVIII: 1. Cap: XXIII: 17, 18, 19. Cap. XXXIV: 27. Tum quoque Chebron, Gen: XXXV: 27. Cap: XXXVII: 14. Joſ: X: 36, 39. Cap: XIV: 13, 14, 15. Cap: XV: 13, 54. Cap: XX: 7. Cap: XXI: 11, 13. Jud: I: 10, 20, & alibi; ſed qua ſignificatione, ibi, ex Divina Domini Miſericordia, videbitur. Quod querceta Mamre quæ in Chebron, ſignificent perceptionem adhuc interiorem, ita ſe habet; quemadmodum illa quæ ſunt Externi hominis conjunguntur cœleſtibus Interni Hominis, ita perceptio creſcit & fit interior; conjunctio cum cœleſtibus dat perceptionem; nam in cœleſtibus quæ ſunt amoris in Jehovam, eſt ipſa vita Interni Hominis, ſeu quod idem, in cœleſtibus quæ ſunt amoris, hoc eſt, in amore cœleſti eſt Jehovah præſens, quæ præſentia non percipitur in Externo homine, priuſquam conjunctio facta; ex conjunctione eſt omnis perceptio. Ex ſenſu interno hic conſtat, quomodo cum Domino ſe habuit, quod nempe Externus Ipſius homo, ſeu Eſſentia Humana, per gradus ſecundum multiplicationem & fructificationem cognitionum conjuncta fuerit Eſſentiæ Divinæ; nuſquam aliquis, quatenus homo, conjungi poteſt Jehovæ ſeu Domino, niſi per cognitiones, nam per cognitiones homo fit homo; ita Dominus, quia natus ſicut alius homo, & inſtructus ſicut alius homo, ſed cognitionibus Ipſius ut receptaculis jugiter inſinuabantur cœleſtia, ſic ut cognitiones factæ continue vaſa recipientia

pientia cœleſtium, ac hæc ipſa quoque cœleſtia; continue ſic ad cœleſtia infantiæ perrexit; nam, ut prius dictum, cœleſtia, quæ ſunt amoris, inſinuantur a prima infantia uſque ad pueritiam, etiam ad adoleſcentiam, ſicut homo eſt, tunc & poſtea imbuitur ſcientiis & cognitionibus; ſi homo talis eſt ut regenerari poſſit, ſcientiæ illæ & cognitiones implentur cœleſtibus, quæ ſunt amoris & charitatis, & ſic implantantur cœleſtibus quibus ab infantia ad pueritiam & adoleſcentiam donatus eſt, ac ita conjungitur Externus ejus Homo Interno; primum implantantur cœleſtibus quibus donatus in adoleſcentia, dein quibus in pueritia, demum quibus in infantia, tunc eſt Infans, de quo Dominus, quod talium ſit Regnum Dei; hæc implantatio fit a ſolo Domino, quare nihil cœleſte apud hominem datur, nec dari poteſt, quod non ſit a Domino, & quod non ſit Domini. Dominus autem ex propria potentia conjunxit Externum ſuum hominem Interno, & cognitiones implevit cœleſtibus, & implantavit cœleſtibus & quidem ſecundum ordinem Divinum, primum cœleſtibus pueritiæ, dein cœleſtibus ætatis inter pueritiam & infantiam, demum cœleſtibus Ipſius ſuæ Infantiæ, ita factus ſimul quoad Humanam Eſſentiam Ipſa Innocentia & Ipſe Amor, a Quo omnis innocentia & omnis amor in cœlis & in terris: talis Innocentia eſt vera Infantia, quia eſt ſimul Sapientia; innocentia vero infantiæ, niſi per cognitiones fiat innocentia ſapientiæ, nulli uſui eſt, quare infantes in altera vita imbuuntur cognitionibus. Sicut Dominus implantavit cognitiones cœleſtibus, ita perceptionem habuit, nam, ut dictum, ex conjunctione omnis perceptio; primam perceptionem, cum ſcientifica pueritiæ implantavit, quæ perceptio ſignificatur per quercetum Moreh; alteram, de qua hic, quæ eſt interior, cum cognitiones implantavit, quæ perceptio ſignificatur per querceta Mamre quæ in Chebron.

1617. Quod hic ſit ſextus ſtatus, conſtat ab illis, quæ in Capite præcedente.

1618. Et ædificabat ibi altare Jehovæ, quod ſignificet cultum ex illo ſtatu, conſtat a ſignificatione Altaris, quod ſit repræſentativum omnis cultus in genere, de qua prius n: 921. Per cultum in ſenſu interno intelligitur omnis conjunctio per amorem & charitatem, homo in cultu eſt continue cum eſt in amore & charitate, cultus externus eſt ſolum effectus; Angeli in tali cultu ſunt, quare apud illos eſt perpetuum ſabbathum, inde quoque ſabbathum in ſenſu interno ſignificat Regnum Domini: ſed homo, cum in mundo eſt, non debet aliter quam eſſe quoque in cultu externo, ab externo enim cultu excitantur interna, & per externum cultum tenentur externa in ſanctitate ut influere poſſint interna; præter quod imbuatur homo ſic cognitionibus, & præparetur ad recipienda cœleſtia, ut & donetur ſtatibus ſanctitatis, quod ipſe neſcit, qui ſtatus ſanctitatis a Domino ei conſervantur in uſum vitæ æternæ; omnes enim ejus vitæ ſtatus redeunt in altera vita.

Continuatio de Luce, in qua vivunt angeli; deque illorum Paradiſiacis, & Habitaculis.

1619. *CUM interior viſus aperitur homini, qui eſt viſus ejus ſpiritus, tunc apparent illa quæ in altera vita, quæ nuſquam coram viſu corporis ſiſti poſſunt videnda; Prophetarum Viſiones non aliud fuerunt: ſunt in cælo, ut dictum, continua repræſentativa Domini & Ipſius Regni, & ſunt ſignificativa, imo adeo, ut nihil uſquam coram viſu Angelorum exiſtat, quod non repræſentativum & ſignificativum ſit; inde repræſentativa & ſignificativa in Verbo, nam Verbum eſt per Cælum a Domino.*

1620. *Quæ in mundo ſpirituum & cælo ſiſtuntur videnda, plura ſunt quam ut edici poſſint; hic quia de Luce agitur, licet referre quæ immediate ex Luce ſunt, ut Atmoſphæræ, Paradiſiaca, Iridea, Palatia & Habitacula, quæ ibi coram viſu Spirituum & Angelorum externo tam lucida & viva ſunt, & ſimul omni ſenſu percipiuntur, ut dicant, illa eſſe realia, at quæ in mundo, reſpective non realia.*

1621. *Quod Atmoſphæras, quæ lucis ſunt, quia ex luce illa, attinet, in quibus vivunt beati, ſunt innumerabiles, & tanta pulchritudine & amænitate, ut deſcribi non poſſint: ſunt Atmoſphæræ adamantinæ, quæ fulgurant in omnibus minimis, ſicut a diamantinis ſphærulis: ſunt Atmoſphæræ rutilationi omnium lapidum pretioſorum ſimiles: ſunt Atmoſphæræ ſicut unionum a centris pellucentium & radiatæ coloribus nitidiſſimis: ſunt Atmoſphæræ flammantes ſicut ex auro, tum ex argento, etiam ex auro & argento adamantino: ſunt Atmoſphæræ florum diverſicolorum, qui in minimis & inconſpicuis formis ſunt; tales implent cælum infantum cum innumerabili varietate: imo etiam ſiſtuntur Atmoſphæræ ſicut ludentium infantum in minimis inconſpicuis, ſed perceptibilibus modo intima idea, formis, ex quibus infantes ideam capiunt quod omnia circum eos vivant, ſintque in vita Domini, quæ intima illorum afficit felicitate: præter plures, nam varietates ſunt innumerabiles, etiam ineffabiles.*

1622. *Quod Paradiſiaca attinet, illa ſtupenda ſunt, ſiſtuntur in conſpectum Horti paradiſiaci immenſæ extenſionis ex omnis generis arboribus, tanta pulchritudine & amænitate, ut omnem cogitationis ideam excedant;*

ac

ac ita vive coram viſu eorum externo, ut videant non ſolum, ſed etiam percipiant ſingula vividius multo, quam viſus oculi capit talia in tellure: ne dubitarem de eo, perductus quoque ſum illuc, eſt antrorſum paulo ſuperius ad angulum oculi dextri, ubi illi ſunt qui Paradiſiacam vitam vivunt, & vidi; apparent omnia & ſingula ut in ſuo pulcherrimo Vere & flore cum ſtupenda magnificentia & varietate, vivunt omnia & ſingula ex repræſentativis, nam nihil non repræſentat & ſignificat aliquod cæleſte & ſpirituale, ita non ſolum afficiunt viſum amœnitate, ſed etiam mentem felicitate. Quædam Animæ recentes e mundo, quæ ex principiis captis, dum vixerunt, dubitabant, quod ſimilia exiſtere poſſent in altera vita ubi non lignum & lapis, illuc ſublati, & inde mecum loquuti, ex ſtupore, in quo fuerunt, dicebant, quod ineffabile, & quod ineffabilitatem nuſquam aliqua idea repræſentare poſſent, quodque jucunditates & felicitates elucerent ex ſingulis, & hoc cum varietatibus ſuccedentibus. Animæ quæ in cælum introducuntur, feruntur utplurimum omnium primo ad Paradiſiaca: Sed Angeli ſpectant illa oculis aliis, non delectant illos paradiſi, ſed repræſentativa, ita cæleſtia & ſpiritualia, ex quibus ſunt. Ex illis Antiquiſſima Eccleſia ſua Paradiſiaca habuit.

1623. *Quod Iridea attinet, eſt quaſi cælum irideum, ubi tota atmoſphæra ex minimis iridibus continua apparet, ſunt ibi qui ad provinciam oculi interioris pertinent, ad dextrum antrorſum paulo ſuperius; ibi univerſa atmoſphæra ſeu aura ex talibus fulgurationibus conſtat, radiata ſic in ſingulis quaſi originibus: circum eſt Iridis maximæ forma circumcingens, pulcherrima, ex ſimilibus minoribus conflata, quæ majoris pulcherrimæ imagines ſunt: unuſquiſque color conſtat ita a radiis innumeris, ſic ut myriades conſtituant unum commune perceptibile, quod eſt quaſi modificatio originum lucis a cæleſtibus & ſpiritualibus quæ producunt, & ſimul ideam repræſentativam ſiſtunt coram viſu. Iridum varietates & variationes ſunt indefinitæ, aliquas videre datum; utque capi aliqua idea poſſit quali varietate ſunt, utque conſtet, ex quam innumeris radiis unum viſibile conſiſtit, licet modo unam & alteram deſcribere.*

1624. *Viſa mihi eſt forma cujuſdam iridis major, ut inde ſcire poſſem quales ſunt in formis ſuis minimis: erat lux candidiſſima cincta quadam circumferentia, in cujus centro obſcurum quaſi terrenum, circumfuſum lucidiſſimo, quod lucidiſſimum variabatur & diſcriminabatur alio lucido cum punctulis flaveſcentibus ſicut ſtellulis; præter variegationes inductas per flores diverſicolores intrantes in lucidiſſimum, quorum colores effluebant non a lucido candido ſed a flammeo, quæ omnia erant repræſentativa cæleſtium & ſpiritualium. Omnes colores viſibiles in altera vita repræſentant*

tant

tant cæleſte & ſpirituale, colores ex flammeo illa quæ ſunt amoris & affectionis boni, colores ex lucido candido illa quæ ſunt fidei & affectionis veri, ex illis originibus omnes colores in altera vita; qui ideo ita fulgent, ut colores mundi illis æquiparari nequeant: dantur colores quoque nuſquam viſi in mundo.

1625. *Viſa etiam forma iridis, in cujus medio viride quoddam herbaceum, & perceptum inſtar ſolis, qui inconſpicuus, a latere, illuminans & infundens lucem ita candidam, ut deſcribi nequeat: ad circumferentiam erant variationes colorificæ venuſtiſſimæ in plano lucido margaritico. Ex his & aliis conſtare potuit, quales formæ iridum in ſuis minimis ſunt, & quod variationes dentur indefinitæ, & hoc ſecundum charitatem & inde fidem ejus cui repræſentantur, & qui ſicut Iris eſt illis, quibus in decore & gloria ſua ſiſtitur videndus.*

1626. *Præter Paradiſiaca hæc, ſiſtuntur etiam videndæ Urbes cum palatiis magnificis, contiguis, ſplendidis ex coloribus, ſupra omnem artem architectonicam: quod nec mirum, ſimiles quoque viſæ ſunt Prophetis, quando viſus interior illis apertus, & quidem tam manifeſte, ut non manifeſtius in mundo; ut Johanni Nova Hieroſolyma, quæ quoque ab illo deſcribitur his verbis, "Abſtulit me* in ſpiritu *ſuper montem magnum & altum, & oſtendit mihi Civitatem magnam, Sanctam Hieroſolymam, habentem murum magnum & altum, habentem portas duodecim; erat ſtructura muri Jaſpis, & Civitas aurum purum ſimilis vitro aureo; fundamenta muri omni lapide pretioſo exornata, fundamentum primum Jaſpis, ſecundum Sapphirus, tertium Chalcedonius, quartum Smaragdus, quintum Sardonyx, ſextum Sardius, ſeptimum Chryſolithus, octavum Beryllus, nonum Topazius, decimum Chryſopraſus, undecimum Hyacinthus, duodecimum Amethyſtus," Apoc:* XXI: 10, 12, 18, 19, 20. *præter a Prophetis: innumerabilia talia ab Angelis & Spiritibus angelicis videntur in clara die, &, quod mirum, percipiuntur omni ſenſu; quod nuſquam aliquis, qui exſtinxit ideas ſpirituales per philoſophiæ humanæ terminos & definitiones, perque ratiocinationes, credere poteſt, cum tamen veriſſima ſunt; quod vera, inde capere potuiſſent, quod Sanctis toties viſa ſint.*

1627. *Præter urbes & palatia, etiam quandoque decoramenta mihi videre datum, ut quæ ſunt Graduum & Portarum, & illa ſe moventia ſicut viva, & ſe variantia cum nova ſemper pulchritudine & ſymmetria; & informatus quod ita perenniter ſuccedere poſſint variationes, ſi vel foret in æternum, cum nova harmonia continue, ipſa ſucceſſione etiam harmoniam formante; & dictum, quod hæc eſſent inter minima.*

1628.

1628. *Omnes Angeli habent ſua Habitacula, ubi ſunt, quæ ſunt magnifica, fui ibi, & vidi aliquoties, & miratus, & ibi cum illis loquutus, ſunt tam manifeſta & conſpicua, ut non dari queat magis manifeſtum & conſpicuum; habitacula in terris vix quicquam ſunt reſpective; vocant etiam ea quæ ſunt in tellure mortua & non realia, ſed ſua viva & vera, quia a Domino; Architectura eſt talis ut ipſa ars inde, cum indefinita varietate; dixerunt, ſi darentur illis omnia palatia in univerſo terrarum orbe, pro ſuo non mutarent; quod lapideum, luteum & ligneum, illis eſt mortuum, at quod a Domino, ipſaque vita & luce, eſt vivum, & eo magis quia illis omni ſenſu fruuntur; nam quæ ibi, prorſus adæquata ſunt ſenſibus ſpirituum & angelorum, quæ enim in luce mundi ſolaris ſpiritus ne hilum videre poſſunt ſuo viſu; lapidea vero & lignea adæquata ſunt ſenſibus hominum in corpore; Spiritualia Spiritualibus correſpondent, & corporea corporeis.*

1629. *Habitacula ſpirituum bonorum & ſpirituum angelicorum communiter habent porticus ſeu atria longa, arcuata, quandoque duplicata, ubi illorum ambulacra, quorum parietes formantur multa varietate, etiam decorantur per flores & florum ſerta mirabiliter contexta, præter per plura ornamenta, quæ variantur & ſuccedunt, ut dictum; nunc viſa illis in clariore luce, nunc in minore, ſemper cum delectatione interiore: domicilia eorum quoque mutantur in pulchriora, ſicut ſpiritus perficiuntur; cum mutantur, apparet quoddam feneſtram repræſentans a latere, quod dilatatur, fitque obſcurius intus, & patet aliquid quaſi cœli cum ſtellis, & quædam nubes, quod indicium eſt, quod habitacula eorum mutentur in amœniora.*

1630. *Indignantur valde ſpiritus, quod homines nullam opinionem habeant de Spirituum & Angelorum vita, & quod putent eos eſſe in ſtatu obſcuro, qui non poſſet eſſe quam triſtiſſimus, & quaſi in vacuo & inani, cum tamen in ſumma luce ſunt, & in fruitione omnium bonorum quoad omnes ſenſus, & quidem ad perceptionem eorum intimam. Fuerunt etiam Animæ, quæ recentes e mundo venerunt, ſecum habentes ex principiis ibi captis, quod talia non darentur in altera vita, quare introducti ad Angelorum domicilia, & ibi cum illis loquuti & viderunt illa, cum redirent, dicebant, quod perceperint ita eſſe, & quod illa realia ſint, quodque hoc in vita corporis nuſquam crediderint, nec credere potuerint; & quod hæc non poſſint non eſſe inter mirabilia, quæ non creduntur, quia non capiuntur, ſed quia experientia ſenſus eſt, ſed ſenſus interioris, & hoc illis dicitur, quod uſque non ideo dubitaturi, quia non capiunt; ſi enim nihil*

crederetur

crederetur niſi quod capitur, nihil crederetur de illis quæ ſunt interioris naturæ, minus quæ ſunt vitæ æternæ: inde eſt inſania noſtri ſæculi.

1631. *Qui divites fuerunt in vita corporis, & in magnificis palatiis habitarunt, in talibus ſuum cælum ponendo, & abſque conſcientia & charitate, alios ſub varia ſpecie ſuis bonis ſpoliarunt, illi dum veniunt in alteram vitam, primum, ut prius dictum, introducuntur in ipſiſſimam ſuam vitam, quam habuerunt in mundo, etiam illis tunc quandoque datur habitare ſimiliter in palatiis, ut in mundo; ſunt enim principio omnes in altera vita accepti ſicut hoſpites & novi advenæ, quibus quoad interiora & fines vitæ nondum detegendis gratificantur & benefaciunt angeli a Domino; ſed mutatur ſcena, palatia ſenſim diſſipantur, & fiunt domunculæ, ſucceſſive viliores, tandem nullæ; & tunc circumeunt, ſicut qui ſtipem quærunt, petuntque ut recipiantur; ſed quia tales ſunt, e ſocietatibus expelluntur; & tandem fiunt excrementitii, & ſphæram fœtoris dentium exhalant.*

1632. *Loquutus ſum cum Angelis de repræſentativis, quod nempe in Regno Vegetabili in tellure, nihil ſit quod non aliquo modo repræſentet Regnum Domini, dixerunt, quod omnia pulchra & decora, quæ in regno vegetabili ſunt, originem ducant per cælum a Domino; & cum cæleſtia & ſpiritualia Domini influunt in naturam, quod actualiter talia ſiſtantur, quodque inde anima ſeu vita vegetativa; inde repræſentativa; hoc quia neſcitur in mundo, dictum eſt arcanum cæleſte.*

1633. *Qualis etiam influxus eſt in vitas animalium, quæ omnes diſſipantur poſt mortem, etiam plene informatus ſum; de qua re, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.*

GENESEOS,

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Loquela Spirituum & Angelorum.

1634. *NOtum eſt ex Verbo Domini, quod plures olim loquuti ſint cum Spiritibus & Angelis, quodque audiverint & viderint plura quæ in altera vita; ſed quod poſtea quaſi clauſum ſit cælum, uſque adeo, ut hodie vix credatur, quod Spiritus & Angeli ſint, minus quod aliquis cum illis loqui poſſit, putantes quod loqui cum inconſpicuis, & quos in corde ſuo negant, ſit impoſſibile: ſed quia ex Divina Domini Miſericordia, conceſſum eſt mihi nunc per aliquot annos pæne continue ſociare cum illis ſermones, & cum illis in conſortio eſſe ſicut unus eorum, quid de loquela illorum inter ſe, ſcire datum eſt, licet nunc referre.*

1635. *Loquela ſpirituum mecum, tam diſtincte audita & percepta eſt, ſicut loquela cum homine; imo quando cum illis loquutus ſum in medio conſortio hominum, tunc obſervatum, quod ſicut audiverim homines ſonore, ita quoque ſpiritus, uſque adeo, ut quandoque mirati ſint ſpiritus, quod loquela eorum mecum non audita aliis; nam nulla prorſus differentia interceſſit quoad auditum: ſed quia influxus in organa auditus interna eſt alius, quam eſt influxus ſermonis cum hominibus, non potuit aliis audiri quam mihi, cui, ex Divina Domini Miſericordia, illa aperta fuerunt; ſermo humanus illabitur per aurem, via externa, medio aere; ſed ſermo ſpirituum non per aurem, nec medio aere, verum via interna, in eadem capitis ſeu Cerebri organa; inde ſimilis auditus.*

1636. *Quam ægre homines poſſint adduci ad credendum, quod ſpiritus & angeli ſint, & minus, quod aliquis cum illis loqui poſſit, conſtare mihi potuit ex hoc exemplo; erant quidam ſpiritus, inter doctiores cum vixerunt in corpore, tunc mihi noti; (loquutus enim ſum fere cum omnibus quos cognovi in vita corporis eorum, cum quibuſdam per aliquot ſeptimanas, cum quibuſdam per annuum tempus, prorſus ſicut in corpore vixiſſent) illi adducti ſemel in ſimilem cogitationis ſtatum, quem habuerunt, cum vixerunt in mundo, quod facile fit in altera vita, tunc inſinuatum iis, num credant quod aliquis homo cum ſpiritibus loqui*

loqui poſſet, dicebant tunc in illo ſtatu, quod phantaſia ſit tale quid credere, & hoc ſatis conſtanter aſſeverabant; inde datum ſcire, quam difficile adduci queat homo ad credendum, quod aliqua loquela poſſit dari homini cum ſpiritibus, ex cauſa quia non credunt ſpiritus dari, minus ſe inter ſpiritus venturos poſt mortem, quod etiam iidem maximopere tunc mirati; & uſque erant inter doctiores, & multum coram populo loquuti de altera vita, deque cœlo & angelis; ſic ut iis id ſcientifice notiſſimum fuiſſe autumari potuiſſet, imprimis ex Verbo, ubi id frequenter occurrit.

1637. *Inter mirabilia, quæ in altera vita exiſtunt, eſt quod loquela ſpirituum cum homine, ſit in ejus vernacula, quam tam expedite & ſolerter loquuntur, ac ſi nati fuiſſent in eadem terra, & educati eadem lingua; & hoc ſive ex Europa ſint, ſive ex Aſia, ſive ex alia parte Orbis; ſimiliter illi qui vixerunt ante millia annorum, antequam lingua illa exſtiterat; imo ſpiritus non aliter ſciunt, quam quod lingua, qua cum homine loquuntur, ſit eorum propria & patria; ſimiliter fit cum aliis linguis, quas callet homo; ſed præter illas, ne voculam alterius linguæ poſſunt, niſi hoc iis immediate datum ſit a Domino, producere: etiam infantes, qui antequam edocti aliquam linguam, deceſſerunt, ſimiliter loquuntur: ſed cauſa eſt, quia Lingua, quæ ſpiritibus familiaris eſt, non eſt lingua vocum, ſed eſt lingua idearum cogitationis; quæ Lingua eſt univerſalis omnium linguarum; & cum apud hominem ſunt, ideæ eorum cogitationis illabuntur in voces quæ ſunt apud hominem, & hoc tam correſpondenter & adaptate, ut ſpiritus non aliter ſciant quam quod ipſæ voces ſint eorum, & quod ipſi loquantur lingua ſua, cum tamen loquuntur lingua hominis: de his aliquoties cum ſpiritibus loquutus ſum: hac dote donantur omnes Animæ, ut primum in alteram vitam veniunt, quod intelligere poſſint loquelas omnium, qui in univerſo terram orbe ſunt, prorſus ſicut in illis nati fuiſſent, nam percipiunt quicquid homo cogitat; præter alias facultates quæ adhuc excellentiores ſunt: inde eſt, quod Animæ poſt mortem corporis, cum omnibus, cujuſcunque regionis & linguæ fuerint, colloqui & converſari poſſint.*

1638. *Voces quibus loquuntur, hoc eſt, quas excitant ſeu depromunt e memoria hominis, & putant eſſe ſuas, ſunt electæ & claræ, ſenſu plenæ, diſtincte pronuntiatæ, ad rem applicabiles, & mirum, melius & promptius ſciunt eligere voces quam ipſe homo, imo quod oſtenſum, vocum varias ſignificationes norunt, quas momento applicant, abſque ulla præmeditatione, ex cauſa, ut dictum, quia influunt ideæ eorum linguæ non niſi quam in eas voces, quæ aptabiles ſunt: ſe habet hoc pæne ſicut dum homo loquitur, & nihil cogitat de vocibus, ſed ſolum eſt*

eſt in ſenſu vocum, tunc ſecundum illum cadit cogitatio prompte & ſponte in voces, eſt ſenſus internus qui producit voces; in ſenſu tali interno adhuc ſubtiliori & excellentiori conſiſtit loquela ſpirituum, per quem homo, quamvis hoc neſcit, communicat cum ſpiritibus.

1639. *Loquela vocum, ut dictum, eſt loquela propria hominum, & quidem memoriæ ejus corporeæ, at loquela idearum cogitationis eſt loquela ſpirituum, & quidem memoriæ interioris, quæ eſt memoria ſpiritus; hanc homines non ſciunt ſe habere, quia memoria particularium ſeu materialium, quæ corporea eſt, omne facit & obfuſcat interiorem, cum tamen homo abſque memoria interiori, ejus ſpiritus propria, nihil poteſt cogitare; ex hac memoria ſæpius loquutus ſum cum ſpiritibus, ita lingua eorum propria, hoc eſt, per ideas cogitationis; quæ lingua quam univerſalis & copioſa ſit, conſtare poteſt ex eo, quod unaquævis vox habeat ideam multæ extenſionis, nam notum eſt, quod una vocis idea multis exponi poſſit, magis idea unius rei, & magis adhuc plurium, quæ conferri poſſunt in unam compoſitam, apparentem uſque ut ſimplicem; ex quibus conſtare poteſt, qualis eſt loquela naturalis ſpirituum inter ſe, & per quam loquelam homo conjungitur ſpiritibus.*

1640. *Datum eſt percipere, non ſolum diſtincte illa quæ ſpiritus mecum loquuti ſunt, ſed etiam ubinam tunc eſſent, ſive ſupra caput, ſive infra, ſive ad latus dextrum, ſive ad ſiniſtrum, ad aurem, vel alibi juxta aut intra corpus, ad quam diſtantiam, remotius aut propinquius; nam ex vario loco aut ſitu, in quo fuerunt ſecundum ſitum in Maximo Homine, hoc eſt, ſecundum ſtatum ſuum, mecum loquuti ſunt. Percipere etiam datum, quando venirent, & quando abirent, quo, & quouſque; ſique plures aut pauciores eſſent, præter alia: tum quoque ex loquela eorum quales eſſent, nam ex loquela, ſimiliter ac ex ſphæra eorum, patet manifeſte quo genio, & qua indole ſunt, tum qua perſuaſione & qua affectione; ut ſi doloſi, tametſi cum loquuntur nullus dolus tunc, uſque genus & ſpecies doli ex ſingulis vocibus & ideis percipitur; ita omnes reliquæ malignitates & cupiditates, adeo ut non opus ſit ut multis explorentur, eſt in quavis voce & idea, imago ejus. Percipitur etiam, num idea loquelæ eorum ſit clauſa, vel num aperta; tum quoque quid a ſemet, quid ab aliis, quid a Domino; ſe habet hoc fere ſicut vultus apud hominem, ex quo abſque loquela, cognoſci ſolet, num ſimulatum ſit, num doloſum, num lætum, num hilare a natura vel arte, num amicum ex corde, num verecundum, etiam num inſanum; quandoque tale apparet ex ſono loquelæ ejus; quid non in altera vita, ubi perceptio multis excedit apper-*

 ceptionem

ceptionem talem: imo antequam loquitur ſpiritus, noſcitur ex ſola cogitatione quid loqui intendit, influit enim cogitatio citius & prius quam loquela.

1641. *Spiritus in altera vita inter ſe colloquuntur, ſicut homines in terra; & qui boni ſunt, cum omni familiaritate amicitiæ & amoris, quod multoties audivi, & hoc loquela ſua, qua exprimunt plura minuto, quam homo poteſt intra horam temporis, nam loquela eorum, eſt, ut dictum, univerſalis omnium linguarum, per ideas, primitivas vocum; loquuntur de rebus ita acute & perſpicaciter, per tot ſeries rationum conſequentium ordine, & perſuadentium, ut ſi homo ſciret, obſtupeſceret; perſuaſionem & affectionem adjungunt, & ſic animant; etiam quandoque ſimul per repræſentationes ad viſum, ita ad vivum; ut pro exemplo, ſi loquela de Pudore, num dari queat abſque Reverentia, apud hominem hoc diſcuti nequit niſi per multa ratiocinia ab argumentis & exemplis, & uſque manet in dubio, at apud ſpiritum intra minutum per ſtatus affectionis Pudoris variatos ordine, tum Reverentiæ, & ſic per convenientias & diſconvenientias perceptas, & ſimul perſpectas in repræſentativis adjunctis loquelæ, ex quibus illico percipiunt concluſum, ita ex ſe fluens ex diſſenſibus ſic in conſenſum redactis; ſimiliter in omnibus reliquis: in hanc facultatem veniunt Animæ ſtatim poſt mortem: nec tunc plus amant boni ſpiritus, quam inſtruere novitios & ignaros. Ipſi ſpiritus non ſciunt quod inter ſe loquantur tam præſtante loquela, & inſtructi tam excellente dote, niſi illis datur a Domino reflectere ſuper id, nam loquela illa eſt illis naturalis & tunc inſita; ſe habet hoc, ſicut cum homine, cum animum tenet in ſenſu rerum, non in vocibus & loquela, quod abſque reflexione, quandoque nec ſciat qua loquela loquitur.*

1642. *Hæc nunc eſt Loquela Spirituum, ſed Loquela Spirituum Angelicorum adhuc univerſalior & perfectior eſt; & Loquela Angelorum adhuc univerſalior & perfectior; nam tres Cæli ſunt, ut prius dictum, Primum eſt ubi Spiritus boni, Secundum ubi Spiritus Angelici, & Tertium ubi Angeli; perfectiones aſcendunt ita ſicut exteriora ſe habent ad interiora, pæne, ut ex comparatione ſciatur, ſicut auditus ſe habet ad viſum, & viſus ad cogitationem, nam quod per loquelam haurire poteſt auditus per horam, hoc poteſt coram viſu ſiſti intra minutum, ſicut, pro exemplo, proſpectus campeſtrium, palatiorum, & urbium; & quod videri poteſt oculo per plures horas, hoc poteſt cogitatione comprehendi intra minutum; in tali ratione ſe habet loquela Spirituum, ad loquelam Spirituum angelicorum, & loque-*

loquela horum ad loquelam Angelorum; Spiritus enim Angelici una idea loquelæ aut cogitationis, plus diſtincte comprehendunt, quam Spiritus per aliquot mille, & Angeli ſimiliter reſpective ad Spiritus Angelicos; quid tunc apud Dominum, a Quo omnis vita affectionis, cogitationis & loquelæ, & Qui Solus eſt Sermo & Verbum.

1643. *Loquela Spirituum Angelicorum eſt incomprehenſibilis; ut paucis de loquela eorum, ſed modo repræſentativa dicatur; ipſa res ſiſtitur repræſentative in forma mirabili, quæ abſtracta eſt a ſenſuum objectis, & per repræſentativa amœniſſima & pulcherrima innumeris modis variatur, cum continuo influxu affectionum ex felici amoris mutui influente per cælum ſuperius a Domino, ex quo influxu ſicut vivunt omnia & ſingula; unaquævis res ita ſiſtitur, & hoc per continuas ſeries; unum ſolum repræſentativum in ſerie aliqua, nuſquam ad intellectum deſcribi poteſt: hæc ſunt quæ influunt in ideas ſpirituum, ſed his non apparent niſi ut commune quid afficiens influens abſque diſtincta perceptione illorum, quæ diſtincte percipiuntur apud Spiritus angelicos.*

1644. *Sunt ſpiritus mali interiores permulti, qui nec loquuntur ſicut ſpiritus, ſed ſunt quoque in principiis idearum, ita ſubtiliores ſpiritibus; multa copia talium ſpirituum datur; ſed ſeparati prorſus ſunt a ſpiritibus angelicis, ne quidem approximare ad eos poſſunt; illi ſpiritus mali ſubtiliores, alligant quoque ideas ſuas objectis & rebus abſtracte, ſed ſpurcis, & inibi repræſentant ſibi diverſa, ſed ſpurca, ſuaſque ideas talibus involvunt; ſunt quaſi fatui: loquela eorum mihi nota facta, tum etiam repræſentata per quiſquilias immundas ex vaſe; & intellectuale eorum loquelæ repræſentatum eſt per equi poſteriora, cujus anteriora non apparebant; nam Intellectuale repræſentatur in mundo ſpirituum per Equos. At Loquela Spirituum Angelicorum repræſentata eſt per Virginem albeſcente veſte concinne ad pectorale quoddam adpropriata, decore indutam, habitu corporis decente.*

1645. *Loquela autem Angelorum eſt ineffabilis, longe ſupra loquelam Spirituum, quia ſupra Spirituum angelicorum, & nuſquam homini aliquo modo intelligibilis, quamdiu in corpore vivit; ſpiritus in mundo ſpirituum nec ſibi ideam ejus ſiſtere poſſunt, nam eſt ſupra eorum cogitationis perceptibilitatem: Loquela illorum non eſt rerum repræſentatarum per aliquas ideas quales ſpirituum & ſpirituum angelicorum, ſed eſt finium & inde uſuum, qui ſunt principalia & eſſentialia rerum; illis Angelicæ cogitationes inſinuantur, & ibi variantur cum indefinita varietate; & in omnibus & ſingulis illius*

 loque-

loquelæ eſt jucundum interius & felix ex bono amoris mutui a Domino, ac pulchrum & delectabile a vero fidei inde; fines & inde uſus ſunt quaſi recipientia leniſſima, & ſubjecta delitioſa indefinitarum variationum, & hoc per formas incomprehenſibiles cœleſtes & ſpirituales; in his tenentur a Domino, nam Regnum Domini non eſt niſi finium & uſuum: quare etiam Angeli, qui apud hominem, ad nihil aliud attendunt, quam ad fines & uſus, & nihil aliud ab hominis cogitatione elimant, cætera quæ ſunt idealia & materialia nihil curant, quia hæc ſunt longe infra eorum ſphæram.

1646. *Loquela Angelorum quandoque apparet in Mundo ſpirituum, & ſic coram viſu interiori, ſicut vibratio lucis aut flammæ ſplendentis, & hoc cum variatione ſecundum ſtatum affectionum loquelæ eorum; ſunt modo communia eorum loquelæ quoad ſtatus affectionis ex diſtinctis innumerabilibus oriunda, quæ ſic repræſentantur.*

1647. *Loquela Cæleſtium Angelorum eſt diſtincta a loquela Spiritualium Angelorum, & adhuc magis ineffabilis & inexpreſſibilis; finium cæleſtia ac bona ſunt, quibus eorum cogitationes inſinuantur, ſuntque ideo in ipſa felicitate; &, quod mirum, eſt Loquela illorum multo abundantior, nam in ipſis fontibus & originibus vitæ cogitationis & loquelæ ſunt.*

1648. *Eſt Loquela Spirituum bonorum, & Spirituum angelicorum, ſimultanea plurium, cumprimis in Gyris ſeu Choris, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus; quæ in Choris, ſæpius mihi audita, eſt labens ſicut rhytmica, nihil cogitant de vocibus aut ideis, ſenſa ſponte fluunt in illas, nullæ voces aut ideæ influunt quæ ſenſum multiplicant aut aliunde abſtrahunt, & quibus adhæret aliquid artificiale, aut quod elegans ſibi videtur ex ſe aut ex ſui amore, quæ illico diſturbarent, nulli voci inhærent, cogitant ſenſum, voces ſunt ſpontaneæ ipſius ſenſus ſequelæ; deſinunt in unitates, utplurimum ſimplices, dum in compoſitas, per accentum volvunt ſe in ſequentem: hæc inde veniunt, quia in ſocietate cogitant & loquuntur, inde forma loquelæ ſecundum ſocietatis connexionem & unanimitatem labens: talis forma Canticorum olim fuit, & talis eſt Pſalmorum Davidis.*

1649. *Quod mirum, Loquutio labens ſicut rhytmica ſeu harmonica Canticorum, eſt naturalis Spirituum, loquuntur ita inter ſe, tametſi id neſciunt; in ipſum habitum ſic loquendi veniunt Animæ ſtatim poſt mortem; in ſimilem initiatus ſum, & tandem familiaris eſt facta. Cauſa quod talis, eſt quia in ſocietate loquuntur, quod utplurimum neſciunt; clariſſimum indicium, quod omnes in ſocietates diſtincti ſint, & quod omnia inde in ſocietatum formas.*

1650. *Con-*

1650. *Continuatio de Loquela Spirituum, & ejus diverſitatibus, videatur in fine hujus Capitis.*

CAPUT XIV.

1 ET fuit in diebus Amraphelis regis Schinear, Arjochi regis Ellaſar, Kedorlaomeri regis Elam, & Thidealis regis Gojim.

2 Fecerunt bellum cum Bera rege Sodomæ, & cum Birſcha rege Amoræ, Schineab rege Admæ, & Schemeber rege Zeboim, & rege Belæ, hæc Zoar.

3. Omnes hi congregati ſunt ad vallem Siddim, hæc mare ſalis.

4. Duodecim annis ſerviverunt Kedorlaomero; & tertio decimo anno rebellarunt.

5. Et in quarto decimo anno venit Kedorlaomer, & reges qui cum illo, & percuſſerunt Rephaim in Aſteroth Karnajim, & Suſimos in Ham, & Emim in Schave Kirjathaim.

6. Et Choritas in monte eorum Seir, uſque Elparan, quæ ſuper in deſertum.

7. Et reverſi ſunt & venerunt ad En miſchpath, hæc Kadeſch, & percuſſerunt omnem agrum Amalekitarum, & etiam Emorræum habitantem in Chazezon Thamar.

8. Et exivit rex Sodomæ, & rex Amoræ, & rex Admæ, & rex Zeboim, & rex Belæ, hæc Zoar, & ordinaverunt cum illis prælium in valle Siddim.

9. Cum Kedorlaomero rege Elam, & Thideale rege Gojim, & Amraphele rege Schinear, & Arjocho rege Ellaſar; quatuor reges cum quinque.

10. Et vallis Siddim putei putei bituminis, & fugerunt rex Sodomæ & Amoræ, & ceciderunt ibi, & reſidui in montem fugerunt.

11. Et ſumſerunt omnes opes Sodomæ & Amoræ, & omnem cibum eorum, & abiverunt.

12. Et ſumſerunt Lothum, & acquiſitionem ejus, filium fratris Abrami, & abiverunt; & is habitans in Sodoma.

13. Et venit evaſor, & indicavit Abramo Hebræo, & is habitans in quercetis Mamre Emorræi, fratris Eſcholi, & fratris Aneri, & hi viri fœderis Abrami.

14. Et

14. Et audivit Abram, quod captivus factus frater ejus, & expedivit initiatos ſuos, natos domus ſuæ, octodecim & trecentos, & perſecutus eſt uſque Dan.

15. Et diſtribuit ſe ſuper eos noctu ille & ſervi illius, & percuſſit eos, & perſecutus eſt eos uſque Chobam, quæ a ſiniſtra Damaſco.

16. Et reduxit omnem acquiſitionem, & etiam Lothum fratrem ſuum, & acquiſitionem ejus, reduxit, & etiam mulieres & populum.

17. Et exivit rex Sodomæ obviam illi, poſtquam reverſus eſt ille a percutiendo Kedorlaomerum, & reges qui cum illo, ad vallem Schaveh, hæc vallis regis.

18. Et Malkizedech Rex Schalem eduxit panem & vinum, & ille Sacerdos DEO ALTISSIMO.

19. Et benedixit illi, & dixit, benedictus Abram DEO ALTISSIMO Poſſeſſori cœlorum & terræ.

20. Et benedictus DEUS ALTISSIMUS, Qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam: & dedit illi decimas de omnibus.

21. Et dixit rex Sodomæ ad Abramum, da mihi animam, & acquiſitionem accipe tibi.

22. Et dixit Abram ad regem Sodomæ, elevavi manum meam ad JEHOVAM DEUM ALTISSIMUM, Poſſeſſorem cœlorum & terræ.

23. Si a filo & uſque ad corrigiam calcei, & ſi accepero ab ullo quod tibi, ne dicas, ego ditavi Abramum.

24. Præter tantum, quod comederunt pueri, & portionem virorum, qui iverunt mecum, Aner, Eſcol & Mamre, hi accipient portionem ſuam.

CONTENTA.

1651. IN hoc Capite agitur de pugnis tentationum Domini, quæ per bella hic deſcripta repræſentantur & ſignificantur.

1652. Bona & vera, quæ apud Externum Hominem, ſed apparentia ut bona & vera, fuerunt, ex quibus Dominus in pueritia pugnavit contra mala & falſa. Bona & vera apparentia ſignificantur per Reges nominatos, verſ: 1. at mala & falſa, contra quæ pugnatum, ſignificantur per reges nominatos, verſ: 2. & quod hæc immunda eſſent, verſ: 3.

1653. Quod mala & falſa illa, contra quæ pugnavit, non apparuerint priuſquam in pueritia, & quod tunc eruperint, quod ſignificatur per quod ſerviverint Kedorlaomero, verſ: 4.

1654. Quod

1654. Quod Dominus tunc debellaverit & evicerit perſuaſionum falſi genera omnia, quæ ſunt Rephaim, Suſimi, Emim, Choritæ, verſ: 5, 6. dein ipſa falſa & mala, quæ ſunt Amalekita & Emorræus, verſ: 7. poſtea cætera falſa & mala, quæ ſunt reges nominati, verſ: 8, 9, 10, 11.

1655. Quod vera & bona apparentia, quæ in ſe non vera & bona ſunt, occupaverint Externum Hominem, verſ: 12. & quod Rationalis Homo, qui eſt Abram Hebræus, id percipiens, vindicaverit illum & liberaverit, verſ: 13, 14, 15, 16.

1656. Poſt pugnas illas quod malum & falſum ſe ſubmiſerit, verſ: 17.

1657. Internus Domini Homo in Interiori, ſeu Divinum in Rationali, eſt Malkizedech, a quo benedictio poſt pugnas, verſ: 18, 19, 20. Decimæ ſunt reliquiæ, ſeu ſtatus boni & veri ex pugnis, n: 20.

1658. Quod victi mali & infernales ſpiritus petierint vitam, & cætera non curarent; ſed quod a Domino nihil iis ablatum, quia Ipſi a malis & falſis eorum nullum robur: ſed quod dati in poteſtatem ſpiritibus bonis & angelis, ſignificantur per illa, quæ in verſ: 21, 22, 23, 24.

SENSUS INTERNUS.

1659. QUÆ in hoc Capite continentur, apparent ſicut non forent repræſentativa, nam agitur ſolum de bellis inter plures Reges, & de vindicatione Lothi per Abramum, & tandem de Malchizedecho, ita tanquam non aliquid arcanum cœleſte intus haberent; ſed uſque hæc, ſicut omnia reliqua, in ſenſu interno recondunt arcaniſſima, quæ quoque in continua ſerie conſequuntur ab illis quæ præcedunt, & ſe in continua ſerie connectunt cum illis quæ ſequuntur: in illis quæ præcedunt, actum eſt de Domino, ac Ipſius inſtructione, tum de Externo Ipſius Homine, qui mediis ſcientiis & cognitionibus conjungendus eſſet Interno; ſed quia Externus Ipſius Homo talis erat, ut dictum, quod ex hæreditario a matre habuerit in ſe illa quæ impedirent conjunctionem, quæ uſque prius per pugnas & tentationes expellenda eſſent, antequam Externus Ipſius Homo uniri poſſet Interno, ſeu Humana Ipſius Eſſentia Divinæ, quare in hoc Capite agitur de pugnis illis, quæ in ſenſu interno repræſentantur & ſignificantur per Bella, de quibus hic agitur: intra Eccleſiam notum eſt, quod Malchizedechus repræſentaverit Dominum, & quod ſic de Domino in ſenſu interno, ubi de Malchizedecho, agatur, inde quoque concludi poteſt, quod non ſolum illa, ſed etiam cætera repræſentent, nam ne verbulum in Verbo poteſt ſcriptum eſſe, quod non demiſſum ſit e cœlo, & con-

ſequenter, in quo non Angeli videant cœleſtia: antiquiſſimis temporibus etiam plura repræſentabantur per bella, quæ vocabant Bella Jehovæ, quæ nihil aliud ſignificabant quam pugnas Eccleſiæ, & illorum qui fuerunt ab Eccleſia, hoc eſt, illorum tentationes, quæ non aliud ſunt quam pugnæ & bella cum malis apud ſe, proinde cum turba diabolica quæ mala excitat, & conatur deſtruere Eccleſiam & hominem Eccleſiæ: quod per Bella in Verbo nihil aliud intelligatur, conſtare manifeſte ex eo poteſt, quod in Verbo nihil niſi de Domino, & Ipſius Regno, & Eccleſia, agi poſſit, quia eſt Divinum non humanum, proinde cœleſte non mundanum, quare per bella, quæ in ſenſu literæ, non alia in ſenſu interno, poſſunt intelligi; quod melius a ſequentibus conſtare poteſt.

1660. Verſ: 1, 2. *Et fuit in diebus Amraphelis Regis Schinear, Arjochi Regis Ellaſar, Kedorlaomeri Regis Elami, & Thidealis Regis Goiim. Fecerunt bellum cum Bera Rege Sodomæ, & cum Birſcha Rege Amoræ, Schineab Rege Admæ, & Schemeber Rege Zeboim, & Rege Belæ, hæc Zoar.* Fuit in diebus Amraphelis Regis Schinear, Arjochi Regis Ellaſar, Kedorlaomeri Regis Elami, & Thidealis Regis Gojim, ſignificant totidem genera bonorum & verorum apparentium, quæ in ſe non bona & vera ſunt, apud Domini Externum hominem; ſinguli reges, & ſingulæ gentes aliquod tale bonum & verum: Fecerunt bellum cum Bera Rege Sodomæ, & cum Birſcha Rege Amoræ, Schineab Rege Admæ, & Schemeber Rege Zeboim, & Rege Belæ, hæc Zoar, ſignificant totidem genera cupiditatum mali, & perſuaſionum falſi, contra quas Dominus pugnavit.

1661. Et fuit in diebus regis Schinear, Arjochi regis Ellaſar, Kedorlaomeri regis Elami, & Thidealis regis Gojim, quod ſignificent totidem genera bonorum & verorum apparentium, quæ in ſe non bona & vera ſunt, apud Domini Externum hominem, conſtare poteſt ab omnium horum ſignificatione in ſenſu interno; tum a ſequentibus; agitur enim de pugna Domini contra mala & falſa, hic de prima Ipſius pugna, quæ fuit in Ipſius pueritia & prima adoleſcentia; quam tunc primum iniit & ſuſtinuit, cum ſcientiis & cognitionibus imbutus fuit, quare hic dicitur in diebus horum. Nuſquam aliquis pugnare poteſt contra mala & falſa, priuſquam novit quid malum & falſum, quare non priuſquam inſtructus eſt; quid malum non ſcit homo, minus quid falſum, antequam intellectu & judicio pollet, quæ cauſa eſt, quod homo in tentationes non veniat, priuſquam ad ætatem adultam venerit; ſic omnis homo in ætate ſua virili, Dominus autem in puerili: omnis homo omnium primo pugnat ex bonis & veris, quæ per cognitiones accepit, & ex illis & per illa judicat de malis & falſis; omnis etiam homo, cum primum incipit pugnare, putat bona illa & vera, ex quibus pugnat, eſſe ſua, hoc eſt, ſibi tribuit illa, & ſimul ſibi tribuit potentiam qua reſiſtit; hoc quoque permittitur, nam homo tunc nihil aliud ſcire poteſt; antequam aliquis regeneratus eſt, nuſquam ſcire poteſt, uſque ut dicere poſſit quod norit, agnoſcat & credat, quod nihil boni & veri a ſemet, ſed omne bonum & verum a Domino; tum quod non ex propria potentia reſiſtere alicui malo & falſo poſſit; non enim novit, quod ſpiritus mali excitent

excitent & infundant mala & falſa, minus quod per ſpiritus malos communicet cum inferno, & quod infernum ita incumbat, ſicut mare ſolet ſingulis partibus aggeris, cui nequaquam homo poteſt ſuis viribus reſiſtere; ſed quia uſque, antequam regeneratus eſt, non aliter putare poteſt, quam quod ſuis viribus, etiam permittitur, & ſic introducitur in pugnas ſeu in tentationes; poſtea autem magis & magis illuſtratur: cum homo in tali ſtatu eſt, quod putet bonum & verum eſſe a ſemet, & potentiam reſiſtendi eſſe ſuam, tunc bona & vera, ex quibus contra mala & falſa pugnat, non ſunt bona & vera, tametſi ita apparent, nam proprium ineſt, & meritum ſui ponit in victoria, & gloriatur ſicut is vicerit malum & falſum, cum tamen Dominus ſolus eſt, Qui pugnat & vincit; quod ita ſe res habeat, non ſcire poſſunt niſi illi qui per tentationes regenerantur. Dominus quia in prima pueritia in graviſſimas pugnas contra mala & falſa introductus eſt, nec aliter tunc potuit autumare, & hoc tam quia ſecundum ordinem Divinum fuit, ut Eſſentia Ipſius Humana per continuas pugnas & victorias introduceretur ad Eſſentiam Divinam & Ipſi uniretur, quam quod bona & vera ex quibus pugnavit contra mala & falſa, Externi hominis eſſent; & quia bona & vera illa non ſic fuerunt prorſus Divina, quare vocantur apparentia boni & veri: Divina Ipſius Eſſentia ita introducebat Humanam, ut ex propria potentia vinceret: ſed arcana hic plura ſunt, quam ut uſquam deſcribi queant; verbo, in primis pugnis fuerunt bona & vera apud Dominum, ex quibus pugnavit, imbuta hæreditariis ex matre, & quantum imbuta hæreditariis ex matre, tantum non Divina fuerunt, ſed per gradus, ut evicit malum & falſum, purificata ſunt & facta Divina.

1662. Quod ſinguli reges, & ſingulæ gentes, ſignificent tale bonum & tale verum, conſtare poteſt a ſignificatione illarum in ſenſu interno, applicate ad rem, de qua agitur; unaquævis enim gens, & unaquævis terra, ſignificat aliquod certum in communi, & hoc in ſenſu proprio & oppoſito; ſed communis ſignificatio ſe applicat ad rem de qua agitur: quod bona & vera apparentia ſignificentur per nomina horum regum & harum gentium, multis confirmari poteſt, ſed hoc toties prius confirmatum eſt, & quia hic tot nomina occurrunt, prolixum foret omnia ita ſingillatim exponere.

1663. Fecerunt bellum cum Bera rege Sodomæ, & cum Birſcha rege Amoræ, Schineab rege Admæ, & Schemeber rege Zeboim, & rege Belæ, hæc Zoar, quod ſignificent totidem genera cupiditatum mali & perſuaſionum falſi, contra quæ Dominus pugnavit, conſtare quoque poteſt a ſignificatione horum regum, & harum gentium, quæ nominantur, ut & a ſequentibus; quænam cupiditates mali & quænam perſuaſiones falſi per ſingulas ſignificentur, etiam prolixum nimis foret exponere; de ſignificatione Sodomæ & Amoræ, tum Admæ & Zeboim, ut & Zoar, paucis prius actum eſt; ſunt genera comuniſſima ſeu maxime univerſalia malorum & falſorum, quæ in ſenſu interno ſignificata hic ſua ſerie ſequuntur. Quod Dominus præ omnibus in univerſo graviores aut graviſſimas tentationes ſubierit & ſuſtinuerit, non ita notum eſt ex Verbo, ubi ſolum memoratur, quod in deſerto fuerit quadraginta dies, & tentatus a Diabolo; ipſæ tentationes, quas tunc habuit, non deſcriptæ ſunt, quam

paucis, quæ tamen pauca involvunt omnia, ſicut quod memoretur apud Marcum, Cap: I: 12, 13, quod ibi fuerit cum beſtiis, per quas ſignificantur peſſimi ab infernali turba; & quæ dein memorantur, quod a diabolo ductus ſuper pinnas templi, & ſuper montem altum, ſunt nihil aliud quam repræſentativa graviſſimarum tentationum, quas habuit in deſerto, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.

1664. Quod Bella hic nihil aliud ſignificent in ſenſu interno, quam pugnas ſpirituales ſeu tentationes, prius in præmiſſis dictum; per Bella in Verbo, imprimis apud Prophetas nec aliud ſignificatur; bella humana, non poſſunt eſſe quicquam in Verbi internis, nam talia non ſunt ſpiritualia & cœleſtia, quæ unice ſunt Verbi: quod per Bella in Verbo ſignificentur pugnæ cum diabolo, ſeu quod idem, cum inferno, conſtare poteſt ab his locis, præter a multis aliis; apud Johannem, "Sunt ſpiritus dæmonum, facientes ſigna ad exeun-"dum ad reges terræ & orbis terrarum totius, ad congregandum illos in *Bel-"lum* diei illius magni Dei Omnipotentis," Apoc: XVI: 14. ubi quiſque videre poteſt, quod non bellum aliud die magno Dei Omnipotentis ſignificetur: apud Eundem, "Beſtia, quæ aſcendit ex abyſſo, faciet *Bellum*, Apoc: XI: 7. ubi abyſſus eſt infernum: apud Eundem, "Iratus draco contra mulie-"rem, & abivit ut faceret *Bellum* cum reliquis ſeminis ejus, qui tenebant "mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti," Apoc: XII: 17. Datum "ei eſt facere *Bellum* cum ſanctis," Apoc: XIII: 7. quæ bella omnia ſunt pugnæ, quales tentationum. *Bella* regum meridiei & ſeptentrionis, & cætera apud Danielem, Cap: X: & XI: tum quæ de Michaele Dan: X: 13, 21. Cap: XII: 1. Apoc XII. 7, nec alia ſunt: quod Bella non aliud ſignificent, ex cæteris prophetis quoque conſtat, ut apud Ezechielem, "Non aſcendiſtis in "rupturas, & ſepiviſtis ſepem pro domo Iſraelis, ad ſtandum in *Bello* in die "Jehovæ," XIII: 5. ubi de prophetis: apud Eſaiam, "Contundent gladios "in ligones, & haſtas ſuas in falces, non tollet gens contra gentem gladium, "& non diſcent amplius *Bellum*," II: 4. ubi manifeſte quod alia bella non ſignificentur, conſequenter quod per inſtrumenta belli, ut per gladios, haſtas, clypeos & plura, nihil aliud in Verbo, quam quæ ſunt talium bellorum: apud Eundem, "Obviam ſitienti adferte aquas, habitatores terræ Thema, "cum pane ejus prævenite vagantem, nam coram gladiis vagabuntur, coram "gladio extenſo, & coram arcu extento, & coram gravitate *Belli*," XXI: 14, 15: apud Jeremiam, "Ad filiam Zionis venient paſtores, & greges eorum, "figent ad illam tentoria circumcirca, depaſcent quiſque ſpatium ſuum; ſa-"crate contra illam *Bellum*, ſurgite & aſcendamus in meridie," VI: 3, 4, 5. ubi non aliud bellum, quia contra filiam Zionis, hoc eſt, Eccleſiam: apud Eundem, "Quomodo non relicta eſt urbs laudis, urbs gaudii mei, ideo ca-"dent juvenes ejus in plateis ejus, & omnes *viri Belli* exſcindentur in die "illo," XLIX: 25, 26 urbs laudis & gaudii pro illis quæ Eccleſiæ; viri belli pro illis qui pugnant: apud Hoſcheam, "Feriam illis fœdus "in die illo cum fera agri, & cum ave cœlorum, & reptili humi, "& arcum, & gladium, & *Bellum* frangam de terra, & cubare faciam "illos confidenter," II: 18. ubi ſimiliter ſicut bellum pro pugnis, arma

arma belli varia pro illis quæ ſunt pugnæ ſpiritualis, quæ franguntur, cum homo cupiditatibus & falſitatibus ceſſantibus in tranquillitatem pacis venit: apud Davidem, "Videte opera Jehovæ, Qui ponit ſolitudines in terra, ceſſare "faciens *Bella* uſque ad extremitatem terræ, arcum frangit, & amputat ha-"ſtam, currus comburit igne," Pſalm: XLVI: 9, 10, ſimiliter: apud Eundem, "Eſt in Schalem habitaculum Dei, & habitatio Ipſius in Zione, ibi fregit "jacula ignita arcus, ſcutum, & gladium, & *Bellum*," Pſalm: LXXVI: 3, 4. Quia ſacerdotes repræſentabant Dominum, Qui ſolus pugnat pro homine, munus illorum appellatur *Militia*, Num: IV: 23, 35, 39, 43, 47. Quod Solus Jehovah, hoc eſt, Dominus pugnet & vincat diabolum apud hominem, cum in pugnis tentationum eſt, tametſi non ita apparet homini, veritas conſtans eſt; nam ne quidem minimum a malis ſpiritibus inferri poteſt homini, quod non ex permiſſione, & ne hilum averti per angelos niſi ex Domino, ſic ut Dominus Solus ſit, Qui ſuſtinet omnem pugnam, & vincit, quod etiam paſſim repræſentatum eſt per bella quæ filii Iſraelis geſſerunt contra gentes; quod Solus, dictum quoque, apud Moſen, "Jehovah Deus veſter ambulans "ante vos, *Ipſe pugnabit* vobis," Deut: I: 30. apud Eundem, "Jehovah "Deus veſter, ambulans vobiſcum, ad *pugnandum* vobis cum hoſtibus veſtris "ad ſalvandum vos," Deut: XX: 4. tum apud Joſuam, ut Cap: XXIII: 3, 5. Bella enim ibi, quæ fiebant contra incolas idololatras terræ Canaanis, omnia repræſentabant pugnas Domini cum inferno, tum inde Eccleſiæ Ipſius, & hominum Eccleſiæ; ſecundum hæc quoque apud Eſaiam, "Quemadmodum "rugit leo, & juvenis leo, ſuper rapina ſua, cum accurrit contra illum ple-"nitudo paſtorum, a voce quorum non conſternatur, & a tumultu eorum "non affligitur; ita deſcendet Jehovah Zebaoth ad *militandum* ſuper monte "Zionis, & ſuper colle ejus," XXXI: 4. quare etiam Jehovah ſeu Dominus Vir belli dictus, ut apud Moſen, "Jehovah *Vir belli*, Jehovah nomen Ipſius," Exod: XV: 3. apud Eſaiam, "Jehovah ſicut Heros exibit, ſicut *Vir bello-*"*rum* ſuſcitabit zelum, vociferabitur, etiam clamabit, ſuper hoſtes ſuos præ-"valebit," XLII: 13. inde quoque eſt, quod multa quæ ſunt belli tribuantur Domino, ut hic vociferari & clamare: etiam ſpiritus & angeli ut viri belli apparent, cum fit repræſentatio, ut apud Joſuam, "Joſua ſuſtulit oculos ſuos, "& vidit, & ecce Vir ſtans e regione illius, & *gladius illius evaginatus in ma-*"*nu illius*, dixit ad Joſuam, Ego *Princeps Exercitus Jehovæ*; & cecidit Jo-"ſua ſuper facies ſuas ad terram," V: 13, 14. hæc ita viſa, quia repræſentativa; quare etiam Jacobi poſteri Bella ſua vocabant *Bella Jehovæ:* ſimiliter in Antiquis Eccleſiis, apud quos Libri, qui quoque appellati, *Bella Jehovæ*, ut conſtat apud Moſen, "dicitur in Libro *Bellorum Jehovæ*," Num: XXI: 14, 15, quæ nec diſſimiliter ſcripta, ac ſunt Bella de quibus in hoc Capite, ſed ſignificata Bella Eccleſiæ: talis mos ſcribendi fuit illis temporibus familiaris, nam tunc interiores homines fuerunt, & ſublimiora cogitabant.

1665. Verſ: 3. *Omnes hi congregati ſunt ad vallem Siddim, hæc mare ſalis:* Omnes hi congregati ſunt ad vallem Siddim, ſignificat quod in immundis cupiditatum eſſent: hæc mare ſalis, ſignificat turpia falſitatum inde.

1666. Quod omnes congregati ſunt ad vallem Siddim, ſignificet quod in immundis cupiditatum eſſent, conſtare poteſt a ſignificatione vallis Siddim, de qua infra verſ: 10, "quod vallis Siddim putei putei bituminis, ſeu quod "plena puteis bituminis eſſet," per quos ſignificantur ſpurca & immunda cupiditatum, n: 1299; ſimiliter ex eo, quod per Sodomam, Amoram, Admam & Zeboim, ſignificatæ ſint cupiditates mali, & perſuaſiones falſi, quæ in ſe immundæ ſunt: quod immundæ ſint, cuivis intra Eccleſiam conſtare poteſt; etiam actualiter hoc conſtat in altera vita, ſpiritus tales nihil potius cupiunt quam in ſtagneis, cænoſis, & excrementiis, degere, ſic ut natura illorum talia ſecum ferat; immunda talia ex illis ad ſenſum exhalant, cum ad ſphæram bonorum ſpirituum appropinquant, imprimis quando bonos infeſtare cupiunt, hoc eſt, congregari ad impugnandum illos; ex his patet, quid vallis Siddim. Hæc mare ſalis, quod ſignificet turpia falſitatum inde, conſtare poteſt a ſignificatione Maris ſalis, quod quaſi idem eſt cum valle Siddim, nam dicitur, vallis Siddim hæc mare ſalis, ſed adjectum eſt hoc ideo, quia mare ſalis ſignificat falſitates quæ ex cupiditatibus prorumpunt; nuſquam enim aliqua cupiditas eſt quæ non producit falſitates; vita cupiditatum aſſimilari poteſt igni carbonario, falſitates lumini obſcuro inde; ſicut ignis nuſquam poteſt eſſe ſine lumine, ita nec cupiditas abſque falſitate; omnis cupiditas eſt amoris cujuſdam fœdi, nam cupitur quod amatur, inde vocatur cupiditas, inque ipſa cupiditate eſt continuum amoris iſtius; quicquid favet aut aſſentitur amori iſti ſeu cupiditati, hoc vocatur falſitas; inde patet cur mare ſalis adjectum hic ſit valli Siddim. Quia cupiditates & falſitates ſunt quæ vaſtant hominem, hoc eſt, deprivant omni vita amoris boni, & affectione veri, vaſtatio deſcribitur paſſim per ſalſuginoſum, "ſicut apud Jeremiam," Qui ponit carnem brachium "ſuum, erit ſicut virgultum nudatum in ſolitudine, & non videbit cum "venit bonum, & habitabit *exuſtis locis* in deſerto, *terra ſalſuginoſa*, & non "habitatur," XVII: 6. apud Ezechielem, "Cænoſa ejus, & paludes ejus, & "non ſanantur, in *ſalem* dabuntur," XLVII: 11. apud Davidem, "Jehovah "ponit fluvios in deſertum, & exitus aquarum in ſiccitatem, *terram fructus* "*in ſalſuginoſam*, ob malitiam habitantium in ea," Pſalm: CVII: 33, 34. apud Zephaniam, "Moab ſicut *Sodoma* erit, & filii Ammonis ſicut *Amora*, locus "derelictus urticæ, & *fovea ſalis*, ac deſolatio in æternum," II: 9. apud Moſen, "*Sulphur* erit & *Sal*, combuſtio tota terra, non feretur, & non germinabit, nec aſcendet in ea ulla herba, juxta everſionem *Sodomæ* & *Amoræ*, "*Admæ* & *Zeboim*," Deut: XXIX: 22. ſulphur & ſal, combuſtio tota terra, pro vaſtatis bonis & veris, ſulphur pro vaſtatione boni, ſal pro vaſtatione veri, æſtuoſum enim & ſalſuginoſum ita deſtruunt terram & terræ producta, ſicut cupiditas deſtruit bona, & falſitas vera: quia ſal vaſtationem ſignificabat, etiam ſolitum erat urbes, quas deſtruxerunt, ne reædificarentur, conſerere ſale, ut Jud: IX: 45. Sal etiam in contrario ſenſu accipitur, ſignificans id quod fertilitatem dat, & quod quaſi ſaporem.

Verſ: 4. *Duodecim annis ſervi verunt Kedarlaomero, & tertio decimo anno rebellarunt,*

bellarunt. Duodecim annis ſerviverunt Kedorlaomero, ſignificant quod mala & falſa non apparuerint in pueritia, ſed quod ſerviverint bonis & veris apparentibus: & tertiodecimo anno rebellarunt, ſignificant principium tentationum in pueritia.

1667. Quod duodecim annis ſerviverunt Kedorlaomero, ſignificent quod mala & falſa non apparuerint in pueritia, ſed quod ſerviverint bonis & veris apparentibus, conſtat ex repræſentatione & ſignificatione Kedorlaomeri, tum ex illorum, qui ſerviverunt, de quibus ſupra verſ: 1. ut & ex ſignificatione duodecim: Kedorlaomer cum illis qui nominantur ſupra verſ: 2, ſignificat bona & vera apparentia apud Dominum, ita Externum hominem quoad illa, hic Kadorlaomer in complexu pro omnibus qui nominantur verſ: 2. ut quoque ex ſequentibus conſtat, tum ex eo quod fuerit rex Elami, de cujus ſignificatione prius actum eſt, nempe quod ſit fides ex charitate, hic ideo verum & bonum, nam fides & quæ fidei, non ſunt niſi vera, & charitas & quæ charitatis ſunt bona; hic autem bona infantiæ, quæ tametſi bona apparent, non ſunt bona, quamdiu hæreditarium malum illa contaminat, eſt ex amore ſui & ex amore mundi quod inhæret & adhæret; quicquid eſt amoris ſui & amoris mundi apparet tunc ſicut bonum, ſed non eſt bonum, at uſque bonum dicendum, quamdiu eſt apud infantem ſeu puerum, qui adhuc neſcit quid vere bonum; ignorantia excuſat, & innocentia facit ut ſicut bonum appareat; ſed aliter ſe res habet, cum inſtructus eſt homo, & novit quid bonum & malum; tale bonum & verum, quale apud puerum antequam inſtructus, ſignificatur per Kedorlaomerum. Quod ſerviverunt duodecim annis, ſignificat omne tempus quamdiu tale bonum & verum eſt, nam duodecim ſignificant in ſenſu interno omnia quæ ſunt fidei charitatis, ſeu fidei ex charitate, ſimiliter ac Elam, Geneſ: x: verſ: 22, & quamdiu bonum & verum tale eſt apud hominem, ſive ſit in ejus pueritia, ſive in reliqua ejus ætate, mala & falſa nihil poſſunt efficere, hoc eſt, mali ſpiritus non hiſcunt aliquid facere, aut inferre aliquod malum, ſicut ſatis manifeſtum eſt apud infantes, pueros probos, & ſimplices corde, apud quos tametſi ſpiritus mali, ſeu ex turba diabolica peſſimi afforent, uſque ne hilum poſſent efficere, ſed ſunt ſubjugati, quod hic ſignificatur per quod duodecim annis ſerviverint Kedorlaomero; cauſa, quod tunc ſubjugati ſint, & ſerviant, eſt quod homo nondum acquiſiverit ſibi ſphæram cupiditatum & falſitatum; non enim operari licet malis ſpiritibus & geniis niſi in illa, quæ homo ſibi actualiter comparavit, non in illa, quæ ex hæreditario ſunt; quare antequam homo comparat ſibi tales ſphæras, mali ſpiritus ſerviunt; ſed ut primum comparat, illi apud eum ſe infundunt, & dominari conantur, nam tunc in ipſamet ſua ſphæra ſunt, & ibi jucundum quoddam, ſeu ipſam ſuam vitam, inveniunt; ubi cadaver ibi aquilæ.

1668. Et tertio decimo anno rebellarunt, quod ſignificet principium tentationum in pueritia, conſtat a ſignificatione tertii decimi anni, & a ſignificatione rebellare; tertius decimus annus eſt intermedius inter duodecim &

quatuor-

quatuordecim; quid per duodecim ſignificatur, dictum eſt, & quid per quatuordecim ſequitur, intermedium inter nullam tentationem & tentationem eſt tredecim: quid rebellare ſignificat, conſtare poteſt, cum prædicatur de malis apud hominem, aut de malis ſpiritibus, quando ſubjugati ſunt aut ſerviunt, ac incipiunt exſurgere & infeſtare; mala ſeu mali ſpiritus in tantum rebellant, in quantum homo, qui in bonis & veris eſſe vult, confirmat apud ſe aliqua mala & falſa, ſeu in quantum ejus bonis & veris ſe inſinuant cupiditates & falſitates, in his eſt vita ſpirituum malorum, in bonis autem & veris eſt vita Angelorum, inde infeſtatio & pugna; hoc apud omnes qui conſcientiam habent, & adhuc magis apud Dominum, cum puer, Qui perceptionem; apud illos qui habent conſcientiam, oritur inde dolor mutus, at apud illos qui perceptionem, dolor acutus, & quo interior perceptio, eo acutior; inde qualis Tentatio Domini præ hominum fuerit, conſtare poteſt, Qui perceptionem interiorem & intimam habuit.

1669. Verſ: 5. *Et in quartodecimo anno venit Kedorlaomer, & reges qui cum illo, & percuſſerunt Rephaim in Aſteroth Karnaim, & Suſimos in Ham, & Emim in Schave Kirjathaim.* In quartodecimo anno, ſignificat primam tentationem: venit Kedorlaomer, ſignificat bonum apparens in Externo Homine: & reges qui cum illo, ſignificant verum apparens quod eſt boni illius: & percuſſerunt Rephaim in Aſteroth Karnaim, & Suſimos in Ham, & Emim in Schave Kirjathaim, ſignificant perſuaſiones falſi, ſeu inferna talium, quæ Dominus evicit.

1670. In quartodecimo anno, quod ſignificet primam tentationem, conſtare poteſt a ſignificatione quatuordecim, ſeu finis ſecundæ ſeptimanæ, de qua n: 728. ubi tempus ſeptem dierum ſeu unius ſeptimanæ ſignificat tentationis principium; quatuordecim, ſeu duarum ſeptimanarum, idem; hic quatuordecim quia ſpectant duodecim quæ præcedunt, quibus ſignificatum tempus pueritiæ, ut dictum.

1671. Venit Kedorlaomer, quod ſignificet bonum apparens in Externo Homine, conſtat ex ſignificatione Kedorlaomeri, de qua in verſu mox præcedente, quod ſit bonum & verum apparens, hic modo bonum, quia dicitur, etiam, & Reges qui cum illo, per quos ſignificatur verum.

1672. Et reges qui cum illo, quod ſignificent verum apparens quod eſt boni illius, conſtat ex ſignificatione Regum in Verbo; Reges, Regna, & Populi in hiſtoricis & propheticis Verbi ſignificant vera, & quæ veritatum ſunt, quod multis confirmari poteſt; in Verbo accurate diſtinguitur inter Populum & Gentem, per Populum ſignificantur vera, per Gentem bona, ut oſtenſum prius n: 1259, 1260. reges prædicantur de populis, non ita de gentibus; filii Iſraelis antequam Reges ambiebant, fuerunt Gens, & repræſentabant Bonum ſeu cœleſte, at poſtquam cupiverunt Regem, & acceperunt, facti ſunt populus, & non repræſentabant Bonum ſeu cœleſte, ſed Verum ſeu Spirituale, quæ cauſa fuit, quod hoc illis imputatum ſit in vitium, 1 Sam: VIII: 7. ad f. de qua re, ex Divina Domini Miſericordia, alibi: hic quia nominatur Kedorlaomer, & additur, "Reges qui cum illo," ſignificatur tam bonum quam verum,

verum, per Kedorlaomerum bonum, per Reges verum, ſed quale fuit Bonum & Verum in principio tentationum Domini, ſupra dictum.

1673. Et percuſſerunt Rephaim in Aſteroth Karnaim, & Suſimos in Ham, & Emim in Schave Kirjathaim, quod ſignificent perſuaſiones falſi, ſeu inferna talium, quæ Dominus evicit, conſtat ex ſignificatione Rephaim, Suſimorum, & Emim, quod ſint ſimilis generis ac Nephilim, qui memorantur, Geneſ: VI: 4. qui quod ſignificent perſuaſiones falſi, ſeu illos qui ex perſuaſione ſuæ altitudinis & præeminentiæ nihili fecerunt omnia ſancta & vera, & qui falſitates infuderunt cupiditatibus, oſtenſum ſatis ſuperque eſt ibi, videatur n: 581. & ex locis ibi adductis, Num: XIII: 33. Deut: II: 10. Eſai: XIV: 9. Cap: XXVI: 14, 19. Pſalm: LXXVIII: 11. ſunt hic genera perſuaſionum falſi, quæ per hos tres, tum per Choritas in monte Seir, ſignificantur; nam plura genera perſuaſionum falſi ſunt, non modo ſecundum falſitates, ſed etiam ſecundum cupiditates, quibus adjunguntur aut infunduntur, aut a quibus profluunt & producuntur; quales perſuaſiones falſi ſunt, nuſquam conſtare poteſt alicui homini, qui vix plus novit, quam quod perſuaſio falſi & cupiditas mali detur, at in altera vita in ſua genera & in ſuas ſpecies diſtinctiſſime diſpoſitæ ſunt: diriſſimæ perſuaſiones falſi fuerunt apud eos, qui ante diluvium vixerunt, imprimis apud eos qui Nephilim dicti; hi tales fuerunt, ut perſuaſionibus ſuis in altera vita omnem facultatem cogitandi adimant ſpiritibus ad quos alluunt, ut hi videantur ſibi vix vivere, minus aliquid verum poſſe cogitare; eſt enim, ut oſtenſum, communicatio omnium cogitationum in altera vita, quare cum perſuaſivum tale influit, non poteſt aliter, quam quaſi necare omnem cogitationis aliorum potentiam: tales nefandæ gentes fuerunt, contra quas Dominus in prima pueritia pugnavit, & quas evicit; quas niſi Dominus per Adventum ſuum in mundum eviciſſet, nuſquam aliquis homo hodie in tellure hac ſupereſſet, nam omnis homo regitur per ſpiritus a Domino: hodie iidem ex phantaſiis ſuis circumdati ſunt quaſi nimboſa petra, e qua jugiter exſurgere conantur, ſed incaſſum, de quibus videatur n: 1265 ad 1272, & prius multoties; qui quoque, & tales, intellecti ſunt per Eſaiam, "Mortui non vi-"vent, *Rephaim* non ſurgent, eo quod viſitaſti, & deleviſti eos, & perdi-"diſti omnem memoriam eorum," XXVI: 14. & apud Davidem, "Num "mortuis facies miraculum, num *Rephaim* ſurgent, confitebuntur Tibi," Pſalm: LXXVIII: 11. ubi per mortuos non intelliguntur mortui, ſed damnati. Sunt quoque hodie, ex orbe imprimis Chriſtiano, quibus quoque perſuaſiones ſunt, ſed non tam diræ, quales fuerunt antediluvianis; perſuaſiones falſi ſunt aliæ, quæ partem & voluntariam & intellectualem hominis occupant, tales fuerunt antediluvianorum, & horum quæ ſignificantur per Rephaim, Suſimos & Emim; at ſunt perſuaſiones falſi aliæ quæ ſolum partem intellectualem occupant, ex principiis falſi apud ſe confirmatis oriundæ, hæ non ita fortes ſunt, nec necativæ ſicut illorum, ſed uſque in altera vita ſpiritibus multum incommodi inferunt, & quoad partem, eorum cogitandi facultatem auferunt; ſpiritus, qui tales ſunt, apud hominem excitant mera confirmantia falſi, ſic ut homo non aliter videat quam quod falſum ſit verum, & malum ſit bonum;

eſt

eſt ſphæra eorum quæ talis; ut primum aliquid veri evocatur ab Angelis, illi ſuffocant & exſtinguunt; homo poteſt appercipere num a talibus regitur, per id ſolum, ſi vera Verbi putat falſa eſſe, & ſe confirmat, ut non aliter poſſit videre; tunc ſatis certus eſſe poteſt, quod tales ſpiritus apud illum ſint, & quod dominentur; ſimiliter illi, qui ſibi perſuadent, omne emolumentum proprium eſſe bonum commune, & non aliud pro communi bono reputant, quam quod etiam proprium ſit, ſpiritus mali apud eum tot confirmantia ſuggerunt, ut non aliter videat; qui tales ſunt, ut omne proprium ſpectant ut commune bonum, aut obvelant ſpecie, quod ſit commune bonum, in altera vita ſimiliter faciunt quoad commune bonum ibi: quod talis ſit influxus ſpirituum apud hominem, ex continua experientia ad vivum, datum eſt noſſe.

1674. Verſ: 6. *Et Choritas in monte eorum Seir, uſque Elparan, quæ ſuper in deſertum.* Choritas in monte eorum Seir, ſignificat perſuaſiones falſi ex amore ſui: uſque Elparan quæ ſuper in deſertum, ſignificat extenſionem.

1675. Choritas in monte eorum Seir, quod ſignificet perſuaſiones falſi quæ ex amore ſui, conſtat ex ſignificatione Choritarum, & ex ſignificatione Seir; quod Choritas attinet, fuerunt illi qui habitarunt in monte Seir, ut conſtat ex Geneſ: XXXVI: 8, 20. ſeq: ubi Eſavus qui dictus Edom; per Eſavum ſeu Edomum ſignificatur in genuino ſenſu Dominus quoad Humanam Ipſius Eſſentiam, & quoque per Eſavum ſeu Edomum repræſentatur, ut multis conſtare poteſt tam ex hiſtoricis quam ex propheticis Verbi, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentbus; & quia per Choritas repræſentabantur illi qui in perſuaſionibus falſi ſunt, & repræſentativa illo tempore actualiter exiſtebant, ideo quoque ſimile repræſentatum fuit per id, quod Eſavi poſteri expulerint Choritas e monte Seir, de quibus apud Moſen ita, "Terra *Rephaim* reputatur etiam hæc, *Rephaim* "habitarunt in ea prius, & Amnonitæ vocant eos *Samſumim*; populus "magnus & multus & excelſus ſicut Enakim; & perdidit eos Jehovah a "coram illis, & poſſiderunt eos, & habitaverunt loco eorum. Quemadmo-"dum fecit *filiis Eſavi* habitantibus in *Seir*, quod perdidit *Choritas* a coram "illis, & poſſiderunt eos, & habitarunt loco eorum," Deut: II: 20, 21, 22. hæc repræſentant & ſignificant idem quod hic de Kedorlaomere, nempe quod Kedarlaomer & reges cum illo percuſſerint Choritas in monte Seir, nam per Kedorlaomerum, ut dictum, repræſentatur Domini Bonum & Verum in pueritia, ita Domini Humana Eſſentia quoad Bonum & Verum tunc, quo deſtruxit perſuaſiones falſi, hoc eſt, inferna tali diaboli turba impleta, quæ perſuaſionibus falſi mundum ſpirituum, & conſequenter genus humanum, aggreſſa eſt perdere: & quia Eſavus ſeu Edomus Dominum quoad Humanam Eſſentiam repræſentabat, etiam Mons Seir, ut & Paran, repræſentabant illa quæ Humanæ Ipſius Eſſentiæ eſſent, nempe Cœleſtia amoris, ut conſtat ex Benedictione Moſis, "Jehovah de Sinai venit, & exortus eſt de *Seir* illis, ex-"ſplenduit de monte *Paran*, & venit ex myriadibus ſanctitatis, e dextra Ipſius "ignis legis illis, etiam amans populos," Deut: XXXIII: 2, 3. quod Jehovah exortus e monte Seir, & exſplenduit de monte Paran, non aliud ſignificat quam Humanam Domini Eſſentiam; quiſque ſcire poteſt, quod exoriri de

monte

monte Seir, & exſplendere de monte Paran non ſignificet montes nec incolas, ſed res Divinas, ita cœleſtia Humanæ Domini Eſſentiæ, ex Qua prædicatur quod Jehovah exortus & exſplenduerit: quod Seir, ex Cantico Deboræ & Baraki in Libro Judicum, "Jehovah, cum exiviſti e *Seir*, cum egreſſus es ex "*agro Edomi*, terra contremuit, etiam Cœli ſtillarunt, etiam nubes ſtillarunt "aquas, montes defluxerunt, hic Sinai coram Jehovah Deo Iſraelis," v: 4, 5. ubi exire e Seir & egredi ex agro Edomi, nec aliud ſignificat. Adhuc manifeſtius in prophetia Bileami, qui fuit unus ex filiis orientis ſeu ex Syria, ubi Antiquæ Eccleſiæ reſiduum fuit, apud Moſen, "Video Ipſum, & non jam, "conſpicio Ipſum, & non propinquus, orietur ſtella e Jacobo, & ſurget ſcep-"trum ex Iſraele, & erit *Edomus* hæreditas, & erit hæreditas *Seir*, hoſtium illius," Num: xxiv: 17, 18. ubi videre Ipſum & non jam, conſpicere Ipſum, & non propinquus, eſt adventus Domini in mundum, cujus Humana Eſſentia dicitur ſtella e Jacobo, quæ oritura, tum Edomus & Seir; quod non Edomus & Seir fieret hæreditas, unicuique conſtare poteſt; quod hæreditas Seir hoſtium illius, ſeu mons hoſtium illius, eſt idem ac multoties alibi, quod expellendi hoſtes, & poſſidenda terra eorum. Quod etiam mons Paran ſeu Elparan idem ſignificet, qui in hoc verſu nominatur, conſtat quoque apud Habakuk, "Deus a Themane veniet, & Sanctus de *monte Paran*, ſelah, texit "cælos honor Ipſius, & laude Ipſius impleta eſt terra," iii: 3. ſed ſciendum, quod montes & terræ, ſignificationem habeant &accipiant ab habitatoribus qui ibi, quando Choritæ ibi habitarunt, a Choritis, & quando expulſi, ab illis qui expulerunt, ſicut ab Eſavo ſeu Edomo, & quoque aliunde, quare in utroque ſenſu, in genuino & oppoſito; in genuino pro Humana Domini Eſſentia, in oppoſito pro amore ſui; Humana Domini Eſſentia eſt Ipſe Amor cœleſtis; Amori cœleſti oppoſitum eſt amor ſui; ita Choritæ hic ſignificant perſuaſiones falſi ex amore ſui. Sunt perſuaſiones falſi ex amore ſui, & perſuaſiones falſi ex amore mundi, illæ perſuaſiones nempe quæ ex amore ſui, ſunt fœdiſſimæ; at perſuaſiones ex amore mundi, non ita fœdæ; illæ ſeu perſuaſiones falſi ex amore ſui, ſunt oppoſitæ cœleſtibus amoris, hæ ſeu perſuaſiones falſi ex amore mundi, ſunt oppoſitæ ſpiritualibus amoris; perſuaſiones ex amore ſui ſecum ferunt, quod imperare velint ſuper omnia, & quantum eis relaxantur vincula tantum ruunt, uſque ut imperare velint ſuper univerſum, & quod quoque oſtenſum, ſuper Jehovam; quare perſuaſiones illius generis nuſquam tolerantur in altera vita; at perſuaſiones ex amore mundi non eo uſque ruunt, inde modo inſaniæ quod non contenti ſint ſua ſorte, ſed affectent vane gaudium cœleſte, & ſibi appropriare velint aliorum bona, non ita animo imperandi; ſed differentiæ illarum perſuaſionum ſunt innumerabiles.

1676. Uſque Elparan, quæ ſuper in deſertum, quod ſignificet extenſionem, conſtare poteſt ex eo, quod Choritæ percuſſi ſint, & profugati eo uſque; deſertum Paran memoratur, Gen: xxi: 21. Num: x: 12. Cap: xii: 16. Cap: xiii: 3, 26. Deut i: 1. Quid per Elparan, quæ in deſerto, hic ſignificatur, non ita poteſt exponi, modo quod prima Domini victoria ſuper Inferna per iſtas gentes ſignificata, adhuc non ulterius ſe extenderit; ſed

 quouſque

quouſque ſe extendit, ſignificatur per Elparan ſuper in deſertum. Cui arcana cœleſtia non ſcire datum, is putare poteſt, quod non opus fuiſſet adventu Domini in mundum ad pugnandum cum infernis, & per tentationes in ſe admiſſas illa debellare & vincere, cum uſque ex Omnipotentia Divina potuiſſent ſubjugari, & in infernis ſuis includi; ſed uſque quod ita ſe res habeat, conſtans eſt veritas; ipſa arcana evolvere ſolum quoad communiſſima, foret integrum opus, tum quoque foret dare occaſiones ad ratiocinia de myſteriis Divinis, quæ mentes humanæ, utcunque evolverentur, non caperent, & plerique non capere vellent: quare ſatis eſt, ut ſciant, & quia ita eſt, ut credant, quod veritas æterna ſit, niſi Dominus veniſſet in mundum, & per tentationes in ſe admiſſas ſubjugaverit & evicerit inferna, quod periiſſet genus humanum, & quod non ſalvari aliter potuiſſent, etiam qui in tellure hac fuerunt a tempore Antiquiſſimæ Eccleſiæ.

1677. Verſ: 7. *Et reverſi ſunt & venerunt ad En Miſchpath, hæc Kadeſch, & percuſſerunt omnem agrum Amalekitarum, & etiam Emorræum habitantem in Chazezon Thamar.* Reverſi ſunt & venerunt ad En Miſchpath, hæc Kadeſch, ſignificat continuationem: & percuſſerunt omnem agrum Amalekitarum, ſignificat genera falſorum: & etiam Emorræum habitantem in Chazezon Thamar, ſignificat genera malorum, quæ inde.

1678. Reverſi ſunt & venerunt in En Miſchpath, hæc Kadeſch, quod ſignificet continuationem, conſtat ab illis quæ præcedunt, & ab illis quæ ſequuntur; agitur hic nunc de falſis & malis inde; falſa ſignificantur per Amalekitam, & mala inde per Emorræum in Chazezon Thamar: per Kadeſch ſignificantur vera, tum quoque contentiones de veris; hic quia de falſis, & de malis inde, agitur, quæ evicit Dominus in prima ſua pugna, hic nominatur En Miſchpath, hæc Kadeſch, quia contentio fuit de veris. Quod Kadeſch ſignificet vera de quibus contenditur, conſtat apud Ezechielem, ubi termini Terræ Sanctæ deſcribuntur, "Angulus meridiei verſus auſtrum, a *Thamar* uſque ad "aquas Meriboth (: contentionum:) *Kadeſchum*, hæreditatem ad mare magnum, & angulum auſtri verſus meridiem," XLVII: 19. Cap: XLVIII: 28. ubi meridies pro luce veritatis, terminus ejus quo ſignificatur contentio de veris, dicitur Kadeſch. *Kadeſch* quoque fuit, ubi Moſes percuſſit petram, e qua exiverunt aquæ, quæ aquæ vocatæ ſunt Meribah ex contentione, Num: XX: 1, 2, 11, 13. per petram, ut notum, ſignificatur Dominus, per aquas in ſenſu interno Verbi, ſpiritualia, quæ ſunt vera, aquæ Meribah dictæ quia de illis contentio: quod etiam dictæ aquæ contentionis Kadeſch, conſtat apud Moſen, "Rebellaſtis ori meo in deſerto Zin, in contentione concionis, ut ſanctificaretis Me per aquas in oculis eorum, hæ aquæ *contentionis Kadeſch* deſerti "Zin," Num: XXVII: 14. Deut: XXXII: 51. Similiter fuit in *Kadeſch*, quo reverſi exploratores e terra Canaane, & ubi murmurarunt & contenderunt, non volentes intrare in terram, Num: XIII: 26. Ex his conſtat, quod En Miſchpath ſeu fons judicii aut fons Miſchpath Kadeſch ſignificet contentionem de veris, & ſic continuationem. Quia hic hiſtorica vera ſunt, ac ita factum, apparere poteſt, ſicut non talia repræſentata ſint & ſignificata

per

per loca quo venit, & per gentes, quas percuſſit Kedorlaomer; ſed hiſtorica omnia in Verbo ſunt repræſentativa & ſignificativa, tam quoad loca, quam quoad gentes, ut & quoad facta, ut manifeſte conſtare poteſt ab omnibus tam in Hiſtoricis Verbi quam in Propheticis.

1679. Et percuſſerunt omnem agrum Amalekitarum, quod ſignificet genera falſorum, conſtat a repræſentatione & ſignificatione gentis Amalekitæ; per omnes gentes quæ fuerunt in terra Canaane repræſentata ſunt genera falſorum & malorum, ut ex ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, conſtabit; per Amalekitas ſignificata ſunt falſa, per Emorræos in Chazezon Thamar mala ex falſis; quod per Amalekitas falſa, quibus oppugnantur vera, conſtare poteſt ab illis quæ de Amalekitis memorantur Exod: XVII: 13 ad f. Num: XIII: 29. Cap: XXIV: 20. Deut: XXV: 17, 18, 19. Jud: V: 13, 14. 1 Sam: XV: 1 ad f. Cap: XXVII: 8. Pſalm: LXXXIII: 8, 9. Per Rephaim, Suſimos, Emim, Choritas, de quibus in verſ: 5, 6, ſignificatæ ſunt perſuaſiones falſi, oriundæ ex cupiditatibus mali, hoc eſt, ex malis, hic autem per Amalekitas & Emorræum in Chazezon Thamar ſignificantur falſa ex quibus mala; aliud eſt falſum ex malo, & aliud falſum & inde malum; falſa ſcaturiunt vel ex cupiditatibus, quæ ſunt voluntatis, vel ex principiis captis quæ ſunt intellectus; falſa ex cupiditatibus quæ ſunt voluntatis, ſunt fœda, nec ita exſtirpari ſe patiuntur, quia ipſi vitæ hominis cohærent; ipſa vita hominis eſt quod cupit, hoc eſt, quod amat, dum confirmat apud ſe hanc vitam, ſeu cupiditatem aut amorem, omnia confirmantia ſunt falſa, & implantantur ejus vitæ; tales fuerunt antediluviani: falſa autem ex principiis captis, quæ ſunt intellectus, non ita radicari poſſunt in parte voluntaria hominis; ſicut ſunt doctrinalia falſa aut hæretica, hæc ab origine extra voluntatem inchoant, & ab imbuitione talium ab infantia, & dein a confirmatione in ætate adulta; at quia falſa ſunt, non poſſunt aliter quam producere mala vitæ; ut qui credit mereri ſalutem per opera, & ſe confirmat in eo, ipſum meritum, juſtificatio ſui, & confidentia, ſunt mala quæ inde; & viciſſim, qui credit, pietatem vitæ non dari poſſe niſi meritum ponatur in operibus, malum inde eſt quod exſtinguat apud ſe omnem pietatem vitæ, & ſe dedat cupiditatibus & voluptatibus; ſimiliter in aliis multis: talia falſa & inde mala ſunt, de quibus in hoc verſu agitur.

1680. Et etiam Emorræum habitantem in Chazezon Thamar, quod ſignificet genera malorum quæ inde, conſtat ex illis quæ nunc dicta ſunt, tum a repræſentatione & ſignificatione Emorræorum, de qua in Cap: ſeq: XV ad verſ: 16. Quod mala & falſa attinet, contra quæ Dominus pugnavit, ſciendum, quod fuerint infernales ſpiritus qui in malis & falſis, hoc eſt, quod fuerint Inferna talibus impleta, quæ continue infeſtabant genus humanum; infernales non aliud cupiunt quam perdere unumquemque, nec plus voluptatis percipiunt, quam dum cruciant: diſtinguuntur in altera vita omnes ſpiritus ex eo; qui malum cupiunt contra alios, ſunt ſpiritus infernales ſeu diabolici; qui autem bonum aliis volunt, ſunt ſpiritus boni & angelici; homo poteſt ſcire, inter quos eſt, num inter infernales vel inter angelicos; ſi

 proximo

proximo intendit malum, de illo non niſi malum cogitat, & cum poteſt etiam actualiter facit, & in eo delectatur, is eſt inter infernales, & fit etiam infernalis in altera vita; at qui proximo intendit bonum, & de illo non niſi bonum cogitat, & cum poteſt actualiter facit, is eſt inter Angelicos, & fit etiam Angelus in altera vita; hoc characteriſticon eſt, examinet quiſque ſe ſecundum hoc, qualis eſt: nihil eſt, quod non malum faciat cum non poteſt nec audet, & nihil eſt quod bonum faciat ſui cauſa, hæc ſunt externa quæ removentur in altera vita, homo eſt ibi ſicut cogitat & intendit; ſunt plures qui ex habitu in mundo bene loqui poſſunt, ſed appercipitur illico num mens ſeu intentio conſentit, ſi non, rejicitur inter infernales ſui generis & ſpeciei.

1681. Verſ: 8, 9. *Et exivit Rex Sodomæ, & Rex Amoræ, & Rex Admæ, & Rex Zeboim, & Rex Belæ hæc Zoar, & ordinaverunt cum iis prælium in valle Siddim; cum Kedorlaomero Rege Elam, & Thideale Rege Goiim, & Amraphele Rege Schinear, & Arjocho Rege Ellaſar; quatuor Reges cum quinque.* Exivit rex Sodomæ, & rex Amoræ, & rex Admæ, & rex Zeboim, & rex Belæ hæc Zoar, ſignificant, ut prius, mala & falſa communiter regnantia: & ordinaverunt cum iis prælium, ſignificant quod aggreſſi: in valle Siddim, ſignificat, hic ut prius, immundum: cum Kedorlaomero rege Elam, & Thideale rege Goiim, & Amraphele rege Schinear, & Arjocho rege Ellaſar, ſignificant vera & bona in Externo Homine; Kedorlaomer rex Elam, vera; Thideal rex Goiim, bona; cæteri, quæ inde: quatuor reges cum quinque, ſignificat horum unionem, & illorum diſunionem.

1682. Exivit rex Sodomæ, & rex Amoræ, & rex Admæ, & rex Zeboim, & rex Belæ, hæc Zoar, quod ſignificent mala & falſa communiter regnantia, conſtat ab illis quæ dicta ſupra ad verſ: 2 de iiſdem, quod ſint cupiditates mali, & perſuaſiones falſi; ibi in genere per eoſdem reges ſignificata ſunt omnia mala, & omnia falſa, ſeu quod idem eſt, cupiditates mali, & perſuaſiones falſi, quare dictum quod cum illis bellum factum; poſtea agitur de bello cum Rephaim, Suſimis, Emim, & Choritis; tum cum Amalekita & Emorræo, demum cum his regibus, qui principio nominati ſunt, hic ideo per eoſdem reges ſignificantur ſolum mala & falſa regnantia, quæ ſunt minoris gradus.

1683. Quod ordinaverunt cum iis prælium, ſignificet quod aggreſſi, conſtat ex ſignificatione ordinare prælium, quod ſit oppugnare, nam quod ii rebellaverint, dicitur ſupra verſ: 3: patet quoque ex eo, quod mali ſpiritus ſint qui aggrediuntur; ita enim ſe res habet, Dominus nuſquam cum aliquo inferno inchoavit pugnam, ſed Inferna Ipſum aggreſſa ſunt; ut fit quoque apud unumquemvis hominem qui in tentatione eſt, ſeu in pugna cum malis ſpiritibus, apud eum nuſquam angeli aggrediuntur, ſed ſemper & continue mali ſeu infernales ſpiritus; angeli ſolum avertunt & defendunt; hoc venit a Domino, qui nuſquam alicui, ſi vel foret omnium peſſimus & infenſiſſimus hoſtis, malum inferre vult, aut eum detrudere in infernum, ſed is eſt qui ſibi malum infert, & præcipitat in infernum: hoc quoque ſequitur a natura mali, & a natura boni; natura mali eſt, ut unumquemvis laceſſere velit; natura boni eſt,

eſt, ut nullum; mali in ipſamet ſua vita ſunt, cum aggrediuntur, continue enim cupiunt perdere; boni in ipſamet ſua vita ſunt, cum neminem aggrediuntur, & cum uſum præſtare poſſunt alios a malis defendendo.

1684. In valle Siddim, quod ſignificet immundum, conſtat ab illis quæ ſupra ad verſ: 3, de valle Siddim, & mari ſalis, dicta ſunt.

1685. Cum Kedorlaomero rege Elam, & Thideale rege Goiim, & Amraphele rege Schinear, & Arjocho rege Ellaſar, quod ſignificet vera & bona in Externo Homine, conſtat ex ſignificatione eorundem in verſ: 1. hujus capitis.

Quod Kedorlaomer rex Elam ſignificet vera, & Thideal rex Goïim bona, & cæteri quæ inde, conſtat ex eo, quod hic alio ordine recenſeantur iidem Reges ac ſupra verſ: 1. ibi tertio loco, hic primo Kedorlaomer rex Elam; & ibi quarto loco, hic ſecundo Thideal rex Goiim: eſt Verum quod primum eſt pugnæ, ex Vero enim pugnatur, nam ex Vero noſcitur quid falſum & quid malum, quare pugnæ tales nuſquam exiſtunt antequam homo imbutus eſt ſcientiis & cognitionibus veri & boni, inde per Kedorlaomerum, qui primo loco hic nominatur, ſignificatur Verum quod fuit apud Dominum; quod quoque conſtat ex ſignificatione Elami, quod ſit fides ex charitate, quod idem eſt ac verum, ut oſtenſum prius eſt Cap: x: ad verſ: 22. inde ſequitur, quod Thideal rex Gojim, ſeu gentium, ſignificet Bonum; & quod cæteri reges vera & bona, quæ ſunt inde.

1686. Quatuor reges cum quinque, quod ſignificet horum unionem, & illorum diſunionem, conſtare poteſt a ſignificatione quatuor, & a ſignificatione quinque; quatuor ſignificant unionem quia paria, ſicut quoque duo cum ſpectant conjugia rerum, ut quoque obſervatum n: 720; quinque autem diſunionem quia parum, ut oſtenſum n: 649, ſe habent omnia prædicate ad rem de qua agitur.

1687. Verſ: 10. *Et vallis Siddim putei putei bituminis; & fugerunt rex Sodomæ & Amoræ, & ceciderunt ibi, & reſidui in montem fugerunt.* Vallis Siddim putei putei bituminis, ſignificat immundum falſitatum & cupiditatum: & fugerunt rex Sodomæ & Amoræ & ceciderunt ibi, ſignificat quod mala & falſa illa victa: & reſidui in montem fugerunt, ſignificat quod non omnes; mons eſt amor ſui & mundi.

1688. Vallis Siddim putei putei, ſeu plena puteis bituminis, quod ſignificet immundum falſitatum & cupiditatum, conſtat a ſignificatione Siddim, quod ſit immundum, de qua ſupra ad verſ: 3: tum a ſignificatione puteorum, quod ſint falſitates, & bituminis quod ſint cupiditates; putei vocantur falſitates ex immunda aqua, & bitumen cupiditates ex fædo ſulphureo nidore in tali aqua.

1689. Quod fugerunt rex Sodomæ & Amoræ, & ceciderunt ibi, ſignificet quod mala & falſa illa victa, conſtat ex ſignificatione Sodomæ & Amoræ, quod ſint mala cupiditatum, & falſa perſuaſionum, de qua ſupra; hic rex Sodomæ & Amoræ pro omnibus malis & falſis etiam per cæteros reges ſignificatis: tum ex ſignificatione fugere & cadere, quod ſit vinci.

1690.

1690. Quod reſidui in montem fugerunt, ſignificet quod non omnes, conſtat abſque explicatione, ex eo quod reſidui facti, qui aufugerunt. In ſenſu interno agitur de Tentationibus, quos ſuſtinuit Dominus in pueritia, de qua nihil memoratur in Verbo Novi Teſtamenti, ſolum de Tentatione in deſerto, ſeu mox poſtquam venit ex deſerto, & denique de ultima Tentatione in Gethſemane, & porro: quod Domini Vita a prima pueritia uſque ad ultimam horam vitæ in mundo fuerit continua Tentatio & continua Victoria, conſtat a pluribus in Verbo Veteris Teſtamenti, & quod non ceſſaverit cum Tentatione in deſerto, conſtat ab his apud Lucam, "Poſtquam abſolvit omnem tentationem diabolus, *deſtitit ab Ipſo ad tempus*," IV: 13. tum ex eo quod uſque ad mortem crucis tentatus ſit, ſic ad ultimam horam vitæ in mundo; inde patet quod tota Domini vita in mundo a prima pueritia fuerit continua Tentatio & continua Victoria, ultima fuit cum ſuper cruce oravit pro inimicis, ita pro omnibus in univerſo terrarum orbe. In verbo vitæ Domini, apud Evangeliſtas, non memoratur, præter ultimam, quam Tentatio Ipſius in deſerto; plura diſcipulis non detecta ſunt; quæ detecta, ſecundum ſenſum literæ tam levia apparent, ut vix aliquid, nam ita dicere & ita reſpondere, non eſt aliqua tentatio, cum tamen gravior fuit, quam uſquam aliqua mens humana capere & credere poſſit; nemo ſcire poteſt quid tentatio, niſi qui in illa fuit; Tentatio quæ memoratur apud Matth: IV: 1 ad 11. Marc: I: 12, 13. Luc: IV: 1 ad 13. continet in ſumma Tentationes, nempe quod ex amore erga univerſum genus humanum pugnaverit contra amores ſui & mundi, quibus repleta fuerunt Inferna: omnis tentatio fit contra amorem in quo eſt homo, in quali gradu eſt amor in tali fit tentatio; ſi non contra amorem, nulla eſt tentatio; amorem alicujus deſtruere, eſt ipſam vitam, nam amor eſt vita; Domini vita fuit Amor erga univerſum genus humanum, & quidem tantus & talis, ut non niſi quam purus Amor; contra hanc Ipſius vitam admiſſæ ſunt Tentationes continuæ, ut dictum, a prima pueritia ad ultimam horam in mundo: Amor, qui fuit ipſiſſima Domini vita, ſignificatur per "quod eſuriverit, & quod diabolus dixerit; ſi Filius es Dei, dic lapidi huic, ut fiat panis, & quod reſponderit Jeſus, ſcriptum eſt, quod non per panem ſolum victurus ſit homo, ſed per omne verbum Dei," Luc: IV: 2, 3, 4. Matth: IV: 2, 3, 4. Quod pugnaverit contra amorem mundi, ſeu omnia quæ ſunt amoris mundi, ſignificatur per quod "deduxerit Ipſum diabolus in montem altum, & monſtraverit Ipſi omnia regna orbis terrarum in momento temporis, & quod dixerit, tibi dabo poteſtatem hanc omnem, & gloriam eorum, quia mihi data eſt, & cui voluero, do eam; tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tibi omnia; ſed reſpondens Ipſi Jeſus dixit, abi poſt Me ſatana, ſcriptum namque eſt, adorabis Dominum Deum tuum, & Illi Soli ſervies," Luc: IV: 5, 6, 7, 8. Matth: IV: 8, 9, 10. Quod contra amorem ſui, & omnia quæ ſunt amoris ſui, ſignificatur per hæc, "Aſſumſit Ipſum diabolus in ſanctam urbem, & ſtatuit Ipſum ſuper pinnulam templi, & dixit ipſi, ſi Filius es Dei, mitte Te Ipſum deorſum, ſcriptum enim eſt, angelis ſuis præcipiet de te, "&

" & ſuper manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum; " dixit ei Jeſus, iterum ſcriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum," Matth: IV: 5, 6, 7. Luc: IV: 9, 10, 11, 12. Continua Victoria ſignificatur per hæc, quod poſt Tentationem, " Angeli acceſſerint & miniſtrave- " rint Ipſi," Matth: IV: 11. Marc: I: 13. In ſumma, Dominus a prima pueritia uſque ad ultimam horam vitæ in mundo, ab omnibus infernis oppugnatus eſt, quæ continue ab Ipſo expugnata, ſubjugata & victa, & hoc unice ex Amore erga univerſum genus humanum, qui amor quia non fuit humanus ſed Divinus, & quantus amor tanta tentatio, conſtare poteſt, qualis pugnarum gravitas fuit, & a parte infernorum quanta ferocia: quod hæc ita ſe habuerint, pro certo ſcio.

1691. Quod mons ſit amor ſui & amor mundi, conſtare poteſt a ſignificatione montis, de qua mox. Omne malum & falſum, exiſtit ab amore ſui & amore mundi, non alia origo illorum eſt; amor enim ſui & mundi ſunt oppoſita amori cœleſti & ſpirituali; & quia oppoſita, ſunt ii qui cœleſtia & ſpiritualia Regni Dei deſtruere continue conantur; ex amore ſui & mundi exiſtunt omnia odia, ex odiis omnes vindictæ & crudelitates, ex illis & his omnes doli, in ſumma omnia inferna. Quod per montes in Verbo ſignificetur amor ſui & mundi, conſtare poteſt ab his locis; apud Eſaiam, " Oculi " ſuperbiæ hominis humiliabitur, & deprimetur altitudo hominum; dies Je- " hovæ Zebaoth ſuper omnem ſuperbum & altum, ſuper omnes *Montes* altos, " & ſuper omnes *colles* elatos, & ſuper omnem *turrim excelſam*," II: 11, 12, 14, 15. manifeſte montes alti pro amore ſui, & colles elati pro amore mundi: apud Eundem, " Omnis vallis extolletur, & omnis *Mons* & *collis* humi- " liabuntur," XL: 4. etiam manifeſte pro amore ſui & mundi: apud Eundem, " Vaſtabo *Montes* & *colles*, & omnem herbam eorum arefaciam," XLII: " 15: ſimiliter montes pro amore ſui, & colles pro amore mundi: apud " Ezechielem, " Diruentur *Montes*, & cadent gradus, & omnis murus in " terram cadet," XXXVIII: 20: apud Jeremiam, " Ecce Ego contra te, *Mons* " perdens, perdens univerſam terram, & extendam manum meam contra te, " & devolvam te de *petris*, & dabo te in *Montem combuſtionis*," LI: 25. ubi " de Babele & Chaldæa, per quas quod amor ſui & mundi ſignificetur, prius oſtenſum: in Cantico Moſis, " Ignis accenſus eſt in ira mea, & arde- " bit uſque ad *infernum infimum*, & comedet terram & proventum ejus, & in- " flammabit fundamenta *Montium*," Deut: XXXII: 22. fundamenta montium pro infernis, ut manifeſte dicitur, fundamenta montium vocantur, quia amor ſui & amor mundi ibi regnant, & inde ſunt: apud Jonam, " Circumdede- " runt me aquæ uſque ad animam, abyſſus circumcinxit me, alga alligata ca- " piti meo; ad *exciſiones Montium* deſcendi; terræ vectes ſuper me in æter- " num, at aſcendere feciſti e fovea vitas meas, Jehovah Deus Mi," II: 6, 7. tentationes Domini contra inferna per Jonam, cum erat in ventre piſcis magnæ, prophetice ita deſcribuntur; ut quoque alibi in Verbo, cumprimis apud Davidem; qui in tentationibus eſt, in infernis eſt; in infernis eſſe, nihil facit locus, ſed ſtatus. Quia Montes & Turres ſignificant amo-

rem

rem ſui & mundi, inde conſtare poteſt, quid ſignificatur per id, quod Dominus ductus a diabolo ſuper montem altum & ſuper pinnam templi, nempe in omnium extremas tentationum pugnas contra amores ſui & mundi, hoc eſt, contra inferna. Montes etiam in oppoſito ſenſu, ut ſolitum, ſignificant amorem cœleſtem & ſpiritualem, ut oſtenſum prius, n: 795, 796.

1692. Quid Tentationes ſeu pugnæ tentationum efficiunt, vix aliquis ſcire poteſt; ſunt illa media quibus reſolvuntur & diſcutiuntur mala & falſa, & quibus inducitur pro illis horror, & non modo datur ſed etiam corroboratur conſcientia, & ſic regeneratur homo; quæ cauſa eſt, quod, qui regenerantur, mittantur in pugnas, & ſubeant tentationes; & qui non in vita corporis, illi in altera vita, ſi tales ſint ut regenerari queant; quare Eccleſia Domini vocatur pugnans: ſed Solus Dominus ex propriis viribus ſeu ex propria potentia ſuſtinuit pugnas tentationum crudeliſſimas, nam omnibus infernis circumfuſus fuit, & continue illa evicit: Solus Dominus etiam eſt, qui pugnat apud homines qui in pugnis tentationum ſunt, & Qui vincit; homo ex propria potentia ne hilum efficere poteſt contra malos ſeu infernales ſpiritus, nam cohærent cum infernis ita, ut ſi unum ſuperaretur, alterum ſuperirrueret, & ſic in æternum; ſunt ſicut Mare quod incumbit ſingulis partibus aggeris, ſi perrumperetur agger rima ſeu foſſula, nuſquam mare deſineret, quin perrumperet & inundaret uſque dum nihil ſuperſtes ſit; ita ſe haberet, niſi Dominus Solus ſuſtineret pugnas tentationum apud hominem.

1693. Verſ: 11: *Et ſumſerunt omnes opes Sodomæ & Amoræ, & omnem cibum eorum, & abiverunt.* Sumſerunt omnes opes Sodomæ & Amoræ, ſignificat quod deprivati potentia malum agendi: & omnem cibum eorum, ſignificat quod potentia falſum cogitandi: & abiverunt, ſignificat quod ita relicti.

1694. Quod ſumſerunt omnes opes Sodomæ & Amoræ, ſignificet quod deprivati potentia malum agendi, conſtat a ſignificatione ſumere opes alicujus; per opes Sodomæ & Amoræ in ſenſu interno non aliud intelligitur, quam malum & falſum, malum hic ſignificatur per opes, & falſum per cibum: opes & divitiæ ſpirituales reſpective ad bonos, non ſunt aliud quam bona & vera, quibus donantur & ditantur a Domino; ita opes & divitiæ reſpective ad malos, non ſunt aliud quam mala & falſa, quæ ſibi ipſis acquiſiverunt; talia etiam per opes in Verbo ſignificantur: ex his conſtat, quod ſumere opes Sodomæ & Amoræ, ſit privare eos potentia malum agendi.

1695. Quod omnem cibum eorum, ſignificet quod potentia falſum cogitandi, conſtat a ſignificatione cibi; quid cibus cœleſtis, ſpiritualis & naturalis, quo fruuntur in altera vita, oſtenſum eſt prius, n: 56, 57, 58, 680, 681. hæc quoque correſpondent cibo corporis, ideo quoque repræſentantur in Verbo per cibum, & appellantur cibus; cibus autem ſpirituum malorum & infernalium eſt quod contrarium eſt ſapientiæ, intelligentiæ, & veræ ſcientiæ, quod eſt omne falſum; hoc cibo etiam ſuſtentantur, quod mirum, ſpiritus mali; quod ſuſtententur, cauſa eſt, quia vita eorum eſt; niſi detur iis copia vituperandi verum, imo blaſphemandi, non poſſunt vivere; at uſque non datur iis licentia cogitandi & loquendi falſum, niſi quod ex malo eorum, non autem

tem

tem quod contra eorum malum proprium, nam hoc eſt dolus; quantum enim ex malo ſuo loquuntur falſum, tantum ex vita ſua, & quoque tunc ignoſcitur iis, quia tales ſunt, ut aliter vivere nequeant. Quod deprivati ſint potentia malum agendi & falſum cogitandi, ita ſe res habet; in pugnis tentationum permittitur malis ſpiritibus depromere omne malum & falſum quod eſt apud hominem, & ex malo & falſo hominis pugnare; cum autem victi ſunt, tunc non amplius licet eis id facere, nam percipiunt illico apud hominem, quod bonum & verum confirmatum eſt; talis perceptio datur ſpirituum præ homine; ex ipſa ſphæra hominis confirmati in vero & bono, noſcunt illico, quomodo ſe habet, quid reſponſum habituri, & plura; hoc conſtat manifeſte apud hominem regeneratum ſpiritualem, apud quem æque ſunt ſpiritus mali, ac apud non regeneratum, ſed ſubjugati ſunt & ſerviunt: hæc ſignificantur per quod potentia malum agendi & falſum cogitandi deprivati ſint.

1696. Quod abiverunt, ſignificet quod relicti, conſtat abſque explicatione.

1697. Verſ: 12. *Et ſumſerunt Lothum, & acquiſitionem ejus, filium fratris Abrami, & abiverunt; & is habitans in Sodoma.* Sumſerunt Lothum & acquiſitionem ejus filium fratris Abrami & abiverunt, ſignificat, quod bona & vera apparentia, quæ in ſe non bona & vera ſunt, occupaverint Externum hominem, & omnia quæ ibi eſſent: & is habitans in Sodoma, ſignificat ſtatum illius.

1698. Quod ſumſerunt Lothum & acquiſitionem ejus, filium fratris Abrami, & abiverunt, ſignificet quod bona & vera apparentia, quæ in ſe non bona & vera ſunt, occupaverint Externum hominem, & omnia quæ ibi eſſent, conſtat a ſignificatione Lothi, qui quod ſignificet apud Dominum, Senſualem ſeu Externum Hominem, prius aliquoties dictum & oſtenſum eſt, & quidem hic Externum Hominem quoad bona & vera apparentia, quæ hic ſunt acquiſitio Lothi; quod bona & vera illa apparuerint ut bona & vera in prima pueritia, & non in ſe ita fuerint, prius explicatum eſt, ſed quod per gradus purificata ſint, & quidem per pugnas tentationum, ex illis quæ de tentationibus dicta ſunt, conſtare poteſt.

1699. Et is habitans in Sodoma, quod ſignificet ſtatum illius, conſtat a ſignificatione Sodomæ.

1700. Verſ: 13. *Et venit evaſor, & indicavit Abramo Hebræo, & is habitans in quercetis Mamre Emorræi, fratris Eſchkoli, & fratris Aneri; & hi viri fœderis Abrami.* Venit evaſor & indicavit Abramo Hebræo, ſignificat quod perciperet Dominus ex interiori Ipſius Homine; Abram Hebræus eſt Interior Homo cui adjunctus Internus ſeu Divinus: & is habitans in quercetis Mamre Emorræi, ſignificat ſtatum perceptionis ex Rationali homine: Eſchkoli & fratris Aneri, & hi viri fœderis Abrami, ſignificat ſtatum Rationalis hominis quoad Externum, ejus bona & vera qualia eſſent.

1701. Quod venit evaſor & indicavit Abramo Hebræo, ſignificet quod perciperet Dominus ex Interiori Ipſius Homine, conſtat ex ſignificatione Abrami Hebræi, quod ſit Interior Homo conjunctus Interno, de qua mox infra; & quia in interno ſenſu prædicantur hæc de Domino, & hiſtorica ſunt

repræſentativa, patet quod, "Venit evaſor & indicavit," non aliud ſignificet, quam quod Dominus perceperit: quod in Externo Homine peragitur, Interior Homo percipit ſicut foret quaſi quis indicaret; Dominus, Qui perceptionem omnium, quæ fiebant, habuit, manifeſte novit qualia & unde illa, quæ apud Ipſum exiſtebant; ut ſi quid mali occuparet Externi hominis affectiones, aut ſi quid falſi ejus cognitiones; non potuit non noſſe quale eſſet, & unde, ſed etiam quinam ſpiritus mali excitarent illa, & quomodo excitarent, præter plura; nam talia & innumerabilia alia non latent Angelos, & vix homines qui perceptionem cœleſtem habent, minus Dominum.

1702. Quod Abram Hebræus ſit Interior homo, cui adjunctus Internus ſeu Divinus, conſtare poteſt a ſignificatione Abrami Hebræi, ſeu a cognominatione Abrami, quod hic dicatur Hebræus, in præcedentibus & in ſequentibus, ubi de Abramo, non appellatur Hebræus, hic ſolum, quare diſtinctum quid apud Dominum repræſentatur & ſignificatur per Abramum Hebræum; quid repræſentatur & ſignificatur, conſtare poteſt a ſenſu interno, nempe quod ſit Interior Homo adjunctus Interno ſeu Divino, ut quoque conſtare poteſt a ſerie rerum in ſenſu interno; Hebræi in Verbo nominantur, cum ſignificatur aliquid ſervitii, qualecunque ſit, ut a ſequentibus conſtare poteſt; Interior Homo talis eſt, quod inſerviat Interno ſeu Divino, quare hic Interior homo appellatur Abram Hebræus. Quid Interior homo, vix aliquis novit, quare paucis dicendum; Interior Homo eſt medius inter Internum & Externum; per Interiorem Hominem communicat Internus cum Externo, abſque illo medio, nuſquam dari poteſt aliqua communicatio; cœleſte eſt diſtinctum a naturali, & adhuc magis a corporeo, niſi ſit medium per quod communicatio, nuſquam cœleſte poteſt operari in naturale, minus in corporeum; Interior Homo eſt qui dicitur Rationalis homo, qui homo, quia eſt medius, communicat cum Interno, ubi eſt ipſum bonum & verum, & quoque communicat cum exteriori, ubi eſt malum & falſum; per communicationem cum Interno poteſt homo cogitare de cœleſtibus & ſpiritualibus ſeu ſpectare ſurſum, quod beſtiæ nequeunt; per communicationem cum Exteriori poteſt homo cogitare de mundanis & corporeis, ſeu ſpectare deorſum, vix aliter ac beſtiæ quæ ſimiliter ideam terreſtrium habent; verbo, Interior ſeu medius homo eſt Ipſe Rationalis Homo, qui ſpiritualis aut cœleſtis eſt cum ſpectat ſurſum, at animalis cum ſpectat deorſum: notum eſt, quod homo ſcire poſſit, quod aliter loquatur quam cogitat, & aliter faciat quam vult, & quod ſimulatio ac dolus detur, tum quod ratio ſeu rationale ſit, quodque hoc interius quia diſſentire poſſit; ut & quod apud regenerandum aliquid interius ſit quod pugnat cum exteriori; hoc interius, quod aliter cogitat & aliter vult & quod pugnat, eſt interior homo; in interiori hoc homine eſt conſcientia apud ſpiritualem hominem, & eſt perceptio apud cœleſtem: Interior hic Homo conjunctus Interno Divino apud Dominum, eſt qui hic appellatur Abram Hebræus.

1703. Quod Hebræus in Verbo prædicetur de illis quæ ſunt alicujus ſervitii, conſtat a ſequentibus locis; apud Moſen, "Quando vendetur tibi frater "tuus *Hebræus* aut *Hebræa*, & *ſerviet* tibi ſex annos, & in anno ſeptimo di-"mittes eum liberum a tecum," Deut: xv: 12. ubi Hebræus & Hebræa dicitur,

citur, quia de ſervitio agitur: apud Jeremiam, "A fine ſeptem annorum di-
" mittetis quiſque fratrem ſuum *Hebræum*, qui venditus fuerit tibi, & *ſervi-
" verit* tibi ſex annos," XXXIV: 9. 14. ubi ſimiliter Hebræus dicitur, quia de ſervitio; alioquin filii Jacobi apud Prophetas non Hebræi vocantur: apud Samuelem, " Philiſtæi dicebant, confortamini & eſtote in viros, ne *ſerviatis* " *Hebræis*, ſicut *ſerviverunt* vobis," 1 Sam: IV: 9. ſimiliter: apud Moſen, " Dixit Jehovah ad Moſen, intra ad Pharaonem, & loquaris ad eum, " ſic dixit Jehovah Deus *Hebræorum*, dimitte populum meum, ut *ſer-* " *viant* Mihi," Exod: IX: 1: 13. Cap: X: 3. ubi quoque ex ſervitio vocati ſunt Hebræi. Potipharis uxor de Joſepho, " Clamavit ad viros " domus ſuæ, & dixit eis, videte, adduxit nobis virum *Hebræum*, ad il- " ludendum nobis," Gen: XXXIX: 14. Hebræus dicitur, quia ibi erat ſervus: princeps pincernarum ad Pharaonem, " Nobiſcum erat puer *Hebræus*, *ſervus* " principis ſatellitum, & interpretatus eſt nobis ſomnia, Gen: XLI: 12, & " præterea Ægyptii vocabant filios Iſraelis *Hebræos*, quia erant ſervi, ſeu in ſervitute, ut notum, Exod: 1: 15, 16, 19. & alibi.

1704. Et is habitans in quercetis Mamre Emorræi, quod ſignificet ſtatum perceptionis ex rationali homine, conſtat ex ſignificatione querceti, & quercetorum Mamre Emorræi, de qua prius, n: 1442, 1443, 1616.

1705. Fratris Eſchkoli & fratris Aneri, & hi viri fœderis Abrami, quod ſignificent ſtatum Rationalis hominis quoad Externum, ejus bona & vera qualia eſſent, conſtare poteſt a ſignificatione illorum, de quibus infra ad verſ: 24, ubi quoque nominantur: ut paucis dicatur, per Mamre, Eſchkol & Anerum repræſentantur & ſignificantur angeli qui apud Dominum, cum in prima pueritia pugnavit, qui adæquati fuerunt bonis & veris tunc apud Dominum; ex bonis & veris nominantur; nuſquam aliquis angelus in cœlo aliquod nomen habet, ſed ſunt bona & vera, ex quibus prædicantur nomina, ſicut Michael & alii Angeli in Verbo, nuſquam tales ſunt, ſed ita nominantur ex officio qualicunque ſunt: hic Mamre, Eſchkol & Aner ſimiliter, ſed repræſentative.

1706. Verſ: 14. *Et audivit Abram, quod captivus factus frater ejus, & expedivit initiatos ſuos, natos domus ſuæ, octodecim & trecentos, & perſequutus eſt uſque Dan.* Audivit Abram, quod captivus factus frater ejus, ſignificat quod perceperit Interior Homo in quali ſtatu eſſet Externus: & expedivit initiatos ſuos, natos domus ſuæ, ſignificat illa bona apud Externum Hominem, quæ nunc liberata a jugo ſervitutis: octodecim & trecentos, ſignificat qualitatem illorum: & perſequutus uſque Dan, ſignificat purificationis initium.

1707. Quod audivit Abram quod captivus factus frater ejus, ſignificet quod perceperit Interior Homo in quali ſtatu eſſet Externus, conſtat a ſignificatione Abrami in verſu mox præced: quod ſit Interior Homo cui adjunctus Internus ſeu Divinus; & ex ſignificatione Lothi quod ſit Externus Homo, ut prius oſtenſum eſt; tum ex ſignificatione audire quod captivus frater ejus, quod ſit percipere in quali ſtatu eſſet, nempe ut in verſ: 12. dictum, quod bona & vera apparentia occupaverint illum: hæc ita ſe habent; Interior Homo per Abramum Hebræum intellectus, cum perciperet quod

bona & vera, ex quibus pugnatum, non eſſent bona & vera niſi apparenter, & quod illa occupaverint totum Externum Hominem per Lothum filium fratris ſignificatum, tunc Interior Homo, ſeu Internus Divinus per Interiorem Hominem purificavit illa; hoc quomodo fit, nuſquam aliquis ſcire poteſt, niſi cui revelatum eſt, influxus enim Interni Hominis per Interiorem ſeu Medium in Externum, eſt arcanum, cumprimis hoc tempore, cum pauci, ſi ulli, norunt quid Interior Homo, minus quid Internus; quid Internus & Interior Homo, vide mox ſupra ad verſ: 13; ſed hic qualis influxus ſit, paucis dicetur; Internus Homo apud unumquemvis hominem eſt ſolius Domini, nam ibi recondit Dominus bona & vera, quibus donat hominem ab infantia, inde per illa influit in Interiorem ſeu Rationalem, & per hunc in Exteriorem, ſic datur Homini cogitare, & eſſe homo: ſed influxus ab Interno Homine in Interiorem ſeu Medium & ſic in Exteriorem eſt duplex, vel per cœleſtia vel per ſpiritualia, ſeu quod idem eſt, vel per bona vel per vera, per cœleſtia ſeu bona influit ſolum apud homines regeneratos, qui vel perceptione, vel conſcientia donati ſunt, ita per perceptionem vel per conſcientiam, quare influxus per cœleſtia non datur niſi apud eos qui in amore in Dominum & in charitate erga proximum ſunt; per ſpiritualia autem aut vera, influit Dominus apud unumquemvis hominem, qui influxus niſi foret, non potuiſſet homo cogitare, ita nec loqui; quando homo talis eſt, ut pervertat bona & vera, & cum nihil curat cœleſtia & ſpiritualia, tunc nullus eſt influxus cœleſtium ſeu bonorum, ſed eſt via pro cœleſtibus & bonis clauſa, & uſque eſt influxus ſpiritualium ſeu verorum, quæ via continue aperta tenetur; exinde conſtare poteſt, qualis eſt Interior ſeu Medius, hoc eſt, Rationalis Homo. Hic per Abramum ſignificatur Internus Homo in Interiori ſeu Medio; cum cœleſtia ſeu bona ab Interno Homine influunt in Interiorem, tunc Internus appropriat ſibi Interiorem ſeu medium, & ſuum facit, ſed uſque eſt Interior ſeu medius homo diſtinctus ab Interno; ſimiliter fit, cum Internus Homo per Interiorem ſeu Medium influit in Exteriorem, tunc quoque appropriat ſibi eum, & ſuum facit, ſed uſque eſt Exterior Homo diſtinctus ab Interiori: ita nunc, cum percepit Internus in Interiore ſeu Medio, quod talis ſtatus eſſet Externi Hominis, quod nempe hic captivus factus, hoc eſt, quod bona & vera non genuina ſed apparentia occupaverint eum, a quibus contra tot hoſtes pugnavit, tunc influxit, & omnia in ordinem redegit, & liberavit illum ab illis quæ infeſtarunt, & ſic purificavit, ut nempe non bona & vera apparentia eſſent, ſed bona & vera genuina, & ſic conjuncta Interno ſeu Divino, & hoc, ut dictum, per Interiorem ſeu Medium: in illo Dominus non ſimilis fuit alicui homini, quia Interior Ipſius Homo quoad cœleſtia ſeu Bona, Divinus fuit, & ab ipſa nativitate adjunctus Interno; Internus cum hoc Interiori fuit Ipſe Jehovah Pater Ipſius; at in illo ſimilis fuit aliis hominibus, quod Interior Ipſius Homo quoad ſpiritualia ſeu vera, adjunctus fuerit Externo, & ſic Humanus; ſed hic quoque per pugnas tentationum & victorias continuas ex propria potentia, factus quoque Divinus, hoc eſt, Jehovah. Externus Homo eſt qui appellatur Lothus, ſed is in priori ſtatu dicitur filius fratris, in hoc autem frater Abrami; tunc enim dictus eſt filius fratris cum vera & bona

bona apparentia illum occuparent, at frater cum genuina bona & genuina vera.

1708. Et expedivit initiatos ſuos, natos domus ſuæ, quod ſignificet illa bona quæ apud Externum hominem, quæ nunc liberata a jugo ſervitutis, conſtat a ſignificatione initiatorum, tum natorum domus Abrami; initiati ſeu novitii Abrami in ſenſu interno, ſunt illa bona apud Externum Hominem, quæ conjungi poſſunt Interiori Homini; nati domus in ſenſu interno ſunt eadem bona ut & vera, quod propria ſint; ſed hæc plura arcana continent, quam ut poſſint edici, illa imprimis, quomodo bona apparentia poſt pugnas tentationum fiunt bona genuina, & quod tunc poſſint conjungi Interiori ſeu Medio Homini, & per hunc Interno, & ſimiliter fieri Divina; Dominus enim per gradus adjunxit Humanam Eſſentiam Divinæ, & hoc per pugnas tentationum & victorias, ut dictum; hæc bona quæ genuina facta, ſunt, quæ appellantur initiati ſeu novitii Abrami, nam initiata & novitia fuerunt; & quia propria potentia comparata ſunt, appellantur nati domus.

1709. Octodecim & trecentos viros, quod ſignificet qualitatem eorum, nempe quod ſint ſancta pugnæ, numerus octodecim hoc involvit, tum quoque numerus trecentorum, ſunt enim hi numeri compoſiti ex tribus & ſex, *Tria* ſignificant ſanctum, ut oſtenſum n: 720. 901. & *Sex* pugnam, ut oſtenſum 737, 900. Quod Abram tot expediverit, hiſtoricum verum eſt, ſed uſque repræſentativum fuit, ſicut omne Hiſtoricum Verbi in Libris quinque Moſis, in Joſuæ, in Judicum, in Samuelis, in Regum, in Danielis, inque Jonæ, ubi ſimiliter numeri involvunt arcana; nam nihil in Verbo ſcriptum eſt quod non fuit tale, aliter non foret Verbum, & aliter nuſquam memoratum, quod Abram 318 expediverit, tum quod illi fuiſſent initiati & nati domus, præter plura quæ in hoc Capite dicuntur.

1710. Et perſecutus uſque ad Dan, quod ſignificet purificationis ſtatum, conſtat a ſerie rerum in ſenſu interno; perſequi hoſtes hic eſt expellere mala & falſa, quæ erant apud bona & vera, & faciebant ut apparerent ſicut bona & vera, & ſic liberare illa & purificare; uſque ad Dan ſignificat ad ultimum terminum Canaanis, ſic ad extremos fines quo fugerant; quod Dan ſignificet ultimos terminos ſeu extremos fines Canaanis, conſtat paſſim a Verbo, ut apud Samuelem, " Ad transferendum Regnum a domo Saulis, & ad erigen-
" dum ſolium Davidis ſuper Iſraelem & ſuper Jehudam, a *Dan* & uſque Beer-
" ſchebam," II Sam: III: 10. apud Eundem, " Congregando congregabi-
" tur univerſus Iſrael a *Dan* uſque Beerſchebam," II Sam: XVII: 11. apud Eundem, " Dixit David ad Joabum, pervagare omnes Tribus Iſraelis a *Dan* uſ-
" que Beerſchebam," II Sam: XXIV: 2, 15. In Libro Regum, " Habitavit
" Jehudah & Iſrael in ſecuritate, quiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua a *Dan*
" & uſque Beerſchebam, " I Reg: V: 5. ex quibus patet, quod Dan fuerit ultimus terminus Canaanis, quouſque perſequutus hoſtes, qui infeſtabant bona & vera Externi Hominis; ſed quia Dan erat terminus Canaanis ſic intra Canaanem, & ne ibi eſſent, ulterius profugavit, nempe ad Chobam a ſiniſtra Damaſco, ut conſtat ab illis in Verſ: mox ſequente, ac ita purificavit; per

terram

terram Canaanem, in ſenſu ſancto, ut dictum prius, ſignificatur Regnum Domini, ita cœleſte amoris ſeu bonum, principaliter Bonum apud Dominum.

1711. Verſ: 15. *Et diſtribuit ſe ſuper eos noctu, ille & ſervi illius, & percuſſit eos, & perſequutus eſt eos uſque ad Chobam, quæ a ſiniſtra Damaſco.* Diſtribuit ſe ſuper eos noctu, ſignificat umbram in qua fuerunt bona & vera apparentia: ille & ſervi illius, ſignificat Rationalem hominem, & quæ in Externo obediverunt: & percuſſit eos, ſignificat vindicationem: & perſequutus eſt eos uſque ad Chobam quæ a ſiniſtra Damaſco, ſignificat extenſionem quouſque.

1712. Diſtribuit ſe ſuper eos noctu, quod ſignificet umbram in qua fuerunt bona & vera apparentia, conſtat a ſignificatione noctis, quod ſit ſtatus umbræ: ſtatus umbræ dicitur, cum ignoratur, num ſit bonum & verum apparens, vel bonum & verum genuinum; quiſque dum in bono & vero apparente eſt, putat eſſe bonum & verum genuinum; eſt illud malum & falſum, quod eſt in bono & vero apparente, quod inumbrat, & facit ut appareat genuinum; qui in ignorantia ſunt, non aliter ſcire poſſunt quam quod bonum quod faciunt ſit illorum, & verum quod cogitant ſit illorum; ſimiliter qui ſibi tribuunt bona quæ faciunt, & in illis ponunt meritum, neſcientes tunc quod non bona ſint, tametſi ita apparent, & quod proprium & meritum ſui, quod ponunt in illis, ſint mala & falſa, quæ obſcurant & obtenebrant; ita in multis aliis; quale malum & falſum, & quantum mali & falſi in illis reconditum latet, nuſquam ita videri poteſt in vita corporis, ſicut in altera vita, tunc prorſus ſicut in clara luce ſiſtuntur videnda; ſed aliter eſt, ſi hoc fit ex ignorantia non confirmata, tunc mala illa & falſa facile diſcutiuntur; at ſi ſe confirmant in eo, quod propriis viribus poſſint facere bonum, & reſiſtere malo, & quod mereantur ſic ſalutem, tunc manet hoc adjunctum, & facit ut bonum ſit malum, & verum ſit falſum; ſed uſque talis eſt ordo, ut homo tanquam ex ſe bonum faciat, & ideo non remittere debeat manum, cogitando, ſi nihil boni a me facere poſſum, quod exſpectare debeam immediatum influxum, & ſic in ſtatu paſſivo manere, hoc quoque contra ordinem eſt, ſed facere oportet bonum tanquam ex ſe, at cum reflectit ſuper bonum quod facit vel fecerat, tunc cogitet, agnoſcat & credat, quod Dominus apud ſe hoc operatus eſt; ſi ſe remittit ita cogitando, ut dictum, tunc non eſt ſubjectum in quod Dominus operari poteſt; non poteſt influere in aliquem, qui ſe deprivat omni tali, in quod vires infundendæ ſunt; eſt ſicut quis nihil diſcere vellet niſi ei revelatio; aut ſicut quis nihil docere, niſi voces ei inderentur; aut ſicut quis nihil conari, niſi ageretur ſicut abſque voluntate; quod ſi fieret, indignaretur adhuc plus, quod ſicut inanimatum quid eſſet, cum tamen quod a Domino animatur apud hominem eſt id quod apparet tanquam foret ab illo: ſicut, quod homo non vivit a ſe, quod eſt veritas æterna, niſi appareret ſicut viveret ex ſe, nuſquam vivere poſſet.

1713. Ille & ſervi illius quod ſignificet Rationalem hominem, & quæ in Externo obediverunt, conſtat a ſignificatione Illius, hoc eſt, Abrami, quod ſit Interior homo, de qua ſupra, & a ſignificatione ſervorum, quod ſint quæ obediunt.

diunt. Omnia quæ in Externo Homine, antequam hic liberatus eſt & vindicatus, dicuntur ſervi, nam non aliter ac obediunt Interiori; ut pro exemplo, apud Exteriorem hominem ſunt affectiones & ſunt ſcientifica, illæ ſunt ex bonis Hominis Interioris, hæc ſunt ex veris ejuſdem; cum aguntur ut concurrant cum Interiori Homine, dicuntur ſervire & obedire; quare hic per ſervos non alia ſignificantur, quam quæ obediverunt in Externo Homine.

1714. Quod percuſſit eos, ſignificet vindicationem, conſtare poteſt ex ſerie, & abſque explicatione.

1715. Et perſequutus eſt eos uſque ad Chobam, quæ a ſiniſtra Damaſco, quod ſignificet extenſionem quouſque, conſtare poteſt a ſignificatione Chobæ quæ a ſiniſtra Damaſco; ubi Choba, non ſcitur, quia amplius non memoratur in Verbo, ſed Damaſcus erat urbs principalis Syriæ, ut conſtat II Sam: VIII: 5, 6. Eſai: VII: 8. per quam pæne idem ſignificatur ac per Syriam, de qua prius Cap: x. ad verſ: 22. terminus ultimus terræ Canaanis, ſed ultra Danem, deſcribitur per Damaſcum, ut apud Amos, "Suſcepiſtis Siccuth regem veſtrum, & Kijun imagines veſtras, ſtellam deorum veſtrorum, quos feciſtis vobis, & migrare faciam vos ultra *Damaſcum*," V: 26, 27. terminus terræ ſanctæ ſeu Regni Domini verſus ſeptentrionem dicitur quoque *terminus Damaſci*, Ezech: XLVII: 16, 17, 18. Cap: XLVIII: 1. hic cum dicitur quod percuſſi & profugati uſque ad Chobam quæ a ſiniſtra Damaſco, ſignificatur extenſio quouſque bona & vera apparentia purificata ſunt; at niſi ſciatur qualia illa bona & vera apparentia fuerunt, & a quibus purificata ut facta genuina, non explicari poteſt, quid proprie hic intelligitur per Chobam a ſiniſtra Damaſco, ſolum in genere quod purificata ſint.

1716. Verſ: 16. *Et reduxit omnem acquiſitionem; & etiam Lothum fratrem ſuum, & acquiſitionem ejus, reduxit, & etiam mulieres & populum.* Reduxit omnem acquiſitionem, ſignificat quod Interior Homo redegit omnia quæ in Externo Homine in ſtatum convenientem: & etiam Lothum fratrem ſuum, & acquiſitionem ejus reduxit, ſignificat Externum Hominem, & omnia quæ illius: mulieres & populum, ſignificat tam bona quam vera.

1717. Quod reduxit omnem acquiſitionem, ſignificet quod Interior Homo redegit omnia quæ in Externo Homine in ſtatum convenientem, conſtare poteſt a ſignificatione reducere omnem acquiſitionem; acquiſitio hic ſunt, quæ Kedorlaomer & reges cum illo ſumſerunt ab hoſtibus, de quibus in præcedentibus; per Kedorlaomerem & reges cum illo, ſignificata ſunt bona & vera Exterioris Hominis, illorum acquiſitio ex hoſtibus nihil aliud fuit, quam quod privati ſint potentia malum agendi & falſum cogitandi, quod ſignificatum eſt per opes Sodomæ & Amoræ, & per omnem cibum quem ſumſerunt, de quibus ſupra ad verſ: 11. Quomodo hoc ſe habet, eſt tale quod non paucis exponi poteſt, ut tamen notio ejus habeatur, hæc ſint; qui in pugnis tentationum eſt, & qui vincit, ille ſibi magis & magis acquirit poteſtatem ſuper malos ſpiritus ſeu ſuper turbam diabolicam, uſque tandem ut nihil auſint tentare; ſed quoties victoria obtinetur, toties reducit Dominus in ordinem bona & vera, ex quibus pugnatum, & ſic toties purificantur illa, & quantum purificantur,

tantum

tantum cœleſtia amoris inſinuantur Exteriori Homini, & fit correſpondentia; hæc ſunt quæ ſignificantur per reducere omnem acquiſitionem. Qui autumat, quod Externus Homo poſſit reduci in correſpondentiam abſque pugnis tentationum, fallitur, tentationes enim ſunt media diſſipandi mala & falſa, tum inducendi bona & vera, & reducendi illa quæ Externi Hominis ſunt in obedientiam, ut inſerviat Interiori ſeu Rationali, & per hunc Interno, hoc eſt Domino per Internum Hominem operanti: quod per tentationes illa efficiantur, nemo ſcire poteſt, niſi qui per tentationes regeneratus eſt; at quomodo id fit, vix poteſt quoad communiſſima deſcribi, nam fit, præter quod homo ſciat unde & quomodo, eſt enim Divina Domini operatio.

1718. Et etiam Lothum fratrem ſuum & acquiſitionem ejus reduxit, quod ſignificet Externum Hominem, & omnia quæ illius, conſtat a ſignificatione Lothi, quod ſit Externus Homo, de qua aliquoties: quid Externus Homo, vix hodie noſcitur, putatur enim, quod illa quæ corporis ſunt, ſolum conſtituant Externum Hominem, ſicut ejus ſenſualia, nempe tactus, guſtus, olfactus, auditus & viſus, tum appetitus & voluptates, ſed hæc conſtituunt Extimum, qui mere corporeus eſt: Externum Hominem proprie conſtituunt ſcientifica quæ ſunt memoriæ, & affectiones quæ ſunt amoris, quo imbutus eſt homo, tum ſenſualia quæ ſunt propria ſpiritus, cum voluptatibus quæ etiam apud ſpiritus ſunt; quod hæc proprie conſtituant Externum vel Exteriorem Hominem, conſtare poteſt ab hominibus in altera vita, ſeu a ſpiritibus, hi ſimiliter illum habent, & ſimiliter Interiorem, & conſequenter Internum; corpus eſt modo quaſi tegumentum ſeu quaſi cruſta, quæ diſſolvitur, ut vere homo vivat, utque omnia ejus excellentiora fiant.

1719. Mulieres & populum, quod ſignificet tam bona quam vera, conſtare poteſt a ſignificatione uxorum & filiarum, quod ſint bona, de qua prius, n: 489, 490, 491, 568, 915. hic pro uxoribus & filiabus mulieres; & ex ſignificatione populi, quod ſit verum, de qua etiam prius, n: 1259. 1260.

1720. Verſ: 17. *Et exivit rex Sodomæ obviam illi, poſtquam reverſus eſt ille a percutiendo Kedorlaomerum, & reges qui cum illo, ad vallem Schaveh, hæc vallis regis.* Exivit rex Sodomæ obviam illi, ſignificat malum & falſum quod ſe ſubmiſerit: poſtquam reverſus eſt ille a percutiendo Kedorlaomerum & reges qui cum illo, ſignificat liberationem & vindicationem bonorum & verorum apparentium: ad vallem ſchaveh, hæc vallis regis, ſignificat ſtatum Externi Hominis quoad bona & vera tunc.

1721. Exivit rex Sodomæ obviam illi, quod ſignificet malum & falſum quod ſe ſubmiſerit, conſtat a ſignificatione regis Sodomæ, quod ſit malum & falſum, contra quod pugnatum; & ex ſignificatione exire obviam, quod ſit ſe ſubmittere: quia in ſerie eſt, quod malum & falſum ſe ſubmiſerit, hic de rege Sodomæ dicitur, ſed in verſ: 21: ſeq: de illo agitur.

1722. Poſtquam reverſus eſt ille a percutiendo Kedorlaomerum, & reges qui cum illo, quod ſignificet liberationem & vindicationem bonorum & verorum apparentium, conſtat ab illis quæ præcedunt, & quæ ſupra de Kedorlaomero & regibus qui cum illo, dicta ſunt.

1723. Ad vallem Schaveh, hæc vallis Regis, quod ſignificet ſtatum Externi Hominis quoad bona & vera tunc, conſtare poteſt a ſignificatione vallis Schaveh, tum vallis Regis; vallis Schaveh ſignificat Externi Hominis bona, vallis Regis ejuſdem vera: Externus Homo dicitur vallis ex eo quod infra ſit, quod exterius, id quoque eſt inferius, ſicut quod interius id quoque eſt ſuperius: quod Rex ſignificet verum, dictum eſt prius, n: 1672.

1724. Verſ: 18. *Et Malkizedech, Rex Schalem, eduxit panem & vinum, & ille Sacerdos Deo Altiſſimo.* Malkizedech ſignificat cœleſtia interioris hominis apud Dominum: Rex Schalem, ſignificat ſtatum pacis quoad interiora ſeu rationalia: eduxit panem, ſignificat cœleſtia, & recreationem inde: & vinum, ſignificat ſpiritualia, & recreationem inde: & ille Sacerdos, ſignificat ſanctum amoris: Deo Altiſſimo, ſignificat Internum Hominem, Qui Jehovah.

1725. Malkizedech quod ſignificet cœleſtia Interioris Hominis apud Dominum, conſtare poteſt a ſignificatione Malkizedechi, de qua mox; tum ab illis quæ præcedunt, & ab illis quæ conſequuntur. Quid Internus Homo, & quid Interior Homo, & quid Externus ſit, ſupra ſatis oſtenſum eſt; tum quod Internus Homo influat per Interiorem in Externum; ut & quod Internus Homo influat in Interiorem vel per Cœleſtia, vel per Spiritualia; per Cœleſtia apud omnem hominem regeneratum, hoc eſt, apud illos qui in amore in Dominum, & in amore erga proximum, vivunt; at per Spiritualia apud omnem hominem, qualiſcunque ſit, inde lux ejus e cœlo, hoc eſt, quod poſſit cogitare & loqui, & eſſe homo; de his videantur quæ prius, n: 1707. Cœleſtia Interioris Hominis ſunt omnia quæ amoris cœleſtis ſunt, ut ſæpius prius dictum; hæc cœleſtia apud Interiorem Hominem Domini, ſeu Interior Homo Domini quoad hæc cœleſtia, appellatur Malkizedech: Internus Homo in Domino fuit Ipſe Jehovah; Interior Homo, quando poſt tentationum pugnas purificatus eſt, etiam factus eſt Divinus & Jehovah, ſimiliter etiam Externus; nunc autem cum in ſtatu pugnarum tentationis fuit, & nondum ita per pugnas tentationum purificatus, quoad cœleſtia appellatur Malkizedech, hoc eſt, Rex ſanctitatis & juſtitiæ: quod ita ſe res habeat, conſtare quoque poteſt apud Davidem, ubi ſimiliter de pugnis tentationum Domini agitur, & tandem Interior Ipſius Homo quoad Cœleſtia dicitur Malkizedech; ita apud Davidem, "Dictum Jehovæ ad Dominum meum, ſede ad dextram meam, "donec poſuero hoſtes tuos ſcabellum pedibus tuis; ſceptrum roboris mittet "Jehovah e Zione; dominare in medio hoſtium tuorum; populus tuus "promptitudinum, in die fortitudinis tuæ, in honoribus ſanctitatis; ex utero "ab aurora tibi ros nativitatis tuæ; juravit Jehovah, & non pænitebit Ipſum, "Tu *Sacerdos in æternum*, juxta verbum meum *Malkizedech*, Dominus ad "dextram tuam, percuſſit in die iræ ſuæ reges," Pſalm: cx: 1, 2, 3, 4, 5. agitur hic de pugnis tentationum Domini cum infernis, ſicut in hoc Capite, ut a ſingulis verbis conſtare poteſt; quod de Domino hic agatur, Ipſe docet, Matth: xxii: 41, 42, 43. Marc: xii: 36. Luc: xx: 42, 43, 44. ponere inimicos ſcabellum pedum, dominari in medio hoſtium, dies

fortitudinis, *percutere* in die iræ ſuæ *reges*, ſignificant pugnas tentationum & victorias.

1726. Rex Schalem, quod ſignificet ſtatum Pacis quoad interiora ſeu rationalia, conſtat a ſignificatione Schalem; Schalem in Lingua originali ſignificat Pacem, ut & Perfectionem, ita ſtatum Pacis & ſtatum Perfectionis: ſtatus Pacis eſt ſtatus Regni Domini, in illo ſtatu ſunt Cœleſtia & Spiritualia Domini, ſicut in ſua aurora & ſuo vere, nam ſe habet Pax ſicut matutino tempore Aurora, & verno tempore Ver; aurora & ver faciunt, ut omnia quæ tunc ſenſus contingunt, ſint gaudii & lætitiæ plena, trahunt ſingula affectionem a communi auroræ & veris; ita ſe habet cum ſtatu Pacis in Regno Domini, in ſtatu Pacis omnia cœleſtia & ſpiritualia in ſuo quaſi auroræ aut verno flore & riſu ſunt, hoc eſt, in ipſa ſua felicitate; ſtatus pacis afficit ita ſingula, nam Dominus eſt Ipſa Pax; quod etiam per Schalem apud Davidem intelligitur, "Notus in Jehuda Deus, in Iſraele magnum nomen Ipſius, & eſt in *Schalem* tabernaculum Ipſius, & habitaculum Ipſius in Zione," Pſalm: LXXVI: 2, 3. Cum homo in pugnis tentationum eſt, a Domino donatur per vices ſtatu pacis, & ſic recreatur; ſtatus pacis hic ſignificatur per Schalem, & mox quoque per panem & vinum, per quæ ſignificantur cœleſtia & ſpiritualia, ita ſtatus cœleſtium & ſpiritualium in pace, qui ſtatus eſt ipſa recreatio.

1727. Eduxit panem, quod ſignificet cœleſtia, & recreationem inde, & vinum quod ſignificet ſpiritualia & recreationem inde, conſtat ex ſignificatione *Panis* quod ſit Cœleſte, de qua n: 276, 680: & a ſignificatione *Vini*, tum vitis & vineæ, quod ſit ſpirituale, de qua: n: 1069, 1071. & quia Panis ſignificat cœleſtia, & Vinum ſpiritualia, etiam ſymbola in Sacra Cœna facta ſunt: hic quod Malkizedech produxerit Panem & Vinum, ſimile ſignificat, quia Panis in Antiqua Eccleſia fuit repræſentativum omnium cœleſtium, & Vinum repræſentativum omnium ſpiritualium, ita hic Ipſius Domini, a Quo omne cœleſte & omne ſpirituale.

1728. Et ille Sacerdos, quod ſignificet ſanctum amoris, conſtat a ſignificatione Sacerdotis in Verbo: ſunt duo quæ prædicantur de Domino, nempe quod ſit Rex & quod ſit Sacerdos; Rex ſeu Regium ſignificat ſanctum verum, Sacerdos ſeu Sacerdotium ſignificat ſanctum bonum; illud eſt Divinum ſpirituale, hoc Divinum cœleſte. Dominus ut Rex gubernat omnia & ſingula in univerſo ex Divino Vero, ac ut Sacerdos ex Divino Bono: Divinum verum eſt ipſe ordo univerſi Regni Ipſius, cujus omnes Leges ſunt Vera, ſeu Veritates æternæ; Divinum Bonum eſt ipſum eſſentiale ordinis, cujus omnia ſunt Miſericordiæ; utrumque prædicatur de Domino; ſi modo Divinum Verum, nullus mortalium ſalvari poſſet, nam veritates condemnant unumquemvis ad infernum; at Divinum Bonum, quod eſt Miſericordiæ, elevat ab inferno ad cœlum. Hæc ſunt quæ repræſentarunt Reges & Sacerdotes in Eccleſia Judaica; & quæ quoque repræſentavit Malkizedech, ut Rex Schalem, & Sacerdos Deo Altiſſimo.

1729. Deo Altiſſimo, quod ſignificet Internum Hominem, Qui Jehovah, conſtat ab illis quæ ſupra aliquoties de Interno Homine Domini dicta ſunt, quod

quod ſit Ipſe Jehovah, ita quod Dominus ſit idem cum Jehovah Patre, ſicut Ipſe dicit apud Johannem, " Ego ſum via & veritas, & vita; dicit Philip-" pus, monſtra nobis Patrem, dicit ei Jeſus, tantum temporis vobiſcum ſum, " non noſti Me, Philippe, qui vidit Me, vidit Patrem, quomodo ergo tu " dicis, monſtra nobis Patrem; nonne credis quod Ego in Patre, & Pater in " Me; credite Mihi, quod Ego in Patre, & Pater in Me," xiv: 6, 8, 9, 10, 11. Humana Domini Eſſentia eſt Quæ appellatur Filius Hominis, quæ quoque poſt pugnas tentationum unita fuit Eſſentiæ Divinæ, ita ut Ipſa quoque facta ſit Jehovah; quare in Cœlo non alium Jehovam Patrem norunt, quam Dominum, vide prius, n: 15: apud Dominum eſt omne Jehovah, non ſolum Internus Ipſius Homo & Interior, ſed etiam Externus, ipſumque Corpus, quare Solus eſt Qui reſurrexit in cœlum etiam corpore, ut ſatis conſtat apud Evangeliſtas, ubi de reſurrectione Ipſius agitur; tum ab Ipſius Domini verbis, " Quare cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris, videte manus meas & pedes " meos, quia Ipſe Ego ſum; palpate Me, & videte, nam ſpiritus carnem & " oſſa non habet, ſicut Me videtis habere; hocque cum dixiſſet, oſtendit illis " manus & pedes," Luc: xxiv: 38, 39, 40.

1730. Verſ: 19. *Et benedixit illi, & dixit, benedictus Abram Deo Altiſſimo, poſſeſſori cælorum & terræ.* Benedixit illi, ſignificat fruitionem cœleſtium & ſpiritualium: & dixit, benedictus Abram Deo Altiſſimo, ſignificat Interiorem Hominem Domini, quod fruitio bonorum ab Ipſius Interno: poſſeſſori cœlorum & terræ, ſignificat Interni Hominis, ſeu Jehovæ, conjunctionem cum Interiori & Exteriori.

1731. Benedixit illi, quod ſignificet fruitionem cœleſtium & ſpiritualium, conſtare poteſt a ſignificatione Benedicere, quod ſit frui omnibus bonis, de qua n: 981, 1096: fruuntur omnibus bonis, qui bonis cœleſtibus & ſpiritualibus, nam inde omnia bona cujuſcunque nominis. Hæc quæ in hoc verſu continentur, annuntiant & prædicant conjunctionem Eſſentiæ Humanæ Domini cum Divina Ipſius, ipſa Benedictio illud involvit.

1732. Benedictus Abram Deo Altiſſimo, quod ſignificet Interiorem Hominem Domini, quod fruitio bonorum ab Ipſius Interno, conſtat ſimiliter a ſignificatione Benedictionis, quod ſit fruitio bonorum, ut dictum; tum a ſignificatione Abrami hic, quod ſit Interior ſeu Rationalis Homo, de qua ſupra ad verſ: 13; tum a ſignificatione Dei Altiſſimi, quod ſit Internum Domini, de qua re etiam prius: per Abramum ſignificatur, ut dictum, Interior ſeu Rationalis Homo, qui Interno ſeu Jehovæ uniendus, & hoc per pugnas tentationum & victorias: ita enim ſe habet cum Interiore Homine, Interior Homo, ut dictum, eſt medius inter Internum & Externum, & facit ut Internus influere poſſit in Externum, abſque illo nulla communicatio; communicatio fit cœleſtium & ſpiritualium; cum communicatio cœleſtium, Interior Homo appellatus eſt Malkizedech, cum autem communicatio ſpiritualium appellatur Abram Hebræus.

1733. Poſſeſſori cœlorum & terræ, quod ſignificet Interni Hominis ſeu Jehovæ, conjunctionem cum Interiori & Exteriori, conſtat ex ſignificatione

cœli & terræ; cœlum appellatur illud quod interius eſt in Homine, & terra illud quod exterius; quod cœlum ſignificet illud quod interius eſt in Homine, cauſa eſt, quia Homo quoad interiora eſt imago cœli, & ſic exiguum quoddam cœlum, Interior Domini Homo principaliter eſt Cœlum, quia Dominus eſt omne in omnibus Cœli, ita ipſum Cœlum: quod Exterior Homo appelletur Terra, inde ſequitur; quare etiam per novos cœlos & novam terram, de quibus apud prophetas & in Apocalypſi, nihil aliud intelligitur quam Regnum Domini, & unuſquiſque qui eſt Regnum Domini, ſeu in quo eſt Regnum Domini; quod Cœlum & Terra illa ſignificent, videatur de Cœlo n: 82, 911, & de Terra n: 82, 620, 636, 913. Quod hic Deus Altiſſimus poſſeſſor cœlorum & terræ, ſignificet Interni Hominis conjunctionem cum Interiori & Exteriori apud Dominum, conſtare poteſt ex eo, quod Dominus quoad Internum Hominem fuerit Ipſe Jehovah, & quia Internus Homo ſeu Jehovah duxit & inſtruxit Externum, ut Pater Filium, ideo dicitur quoad Externum Hominem reſpective ad Jehovam, Filius Dei, at reſpective ad matrem Filius hominis; Internus Domini Homo, qui Ipſe Jehovah, eſt Qui hic dicitur Deus Altiſſimus, & antequam conjunctio plenaria ſeu unio facta, dicitur Poſſeſſor cœlorum & terræ, hoc eſt, Poſſeſſor omnium, quæ apud Interiorem & Exteriorem Hominem, qui hic per cœlos & terram intelliguntur, ut dictum.

1734. Verſ. 20. *Et benedictus Deus Altiſſimus, Qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam: & dedit Illi decimas de omnibus.* Benedictus Deus Altiſſimus, ſignificat Internum Hominem Domini: Qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam, ſignificat victoriam: & dedit Illi decimas de omnibus, ſignificat reliquias ex victoria.

1735. Benedictus Deus Altiſſimus, quod ſignificet Internum Hominem Domini, conſtat ex illis, quæ mox ſupra de Interno Homine dicta ſunt. Deus Altiſſimus dictus eſt Jehovah in Antiqua Eccleſia, ex cauſa quia Altitudo repræſentabat & ideo ſignificabat Internum, ita Altiſſimus Intimum; inde Cultus Antiquæ Eccleſiæ ſuper Excelſis, Montibus, Collibus; Intimum etiam ad Exterius & Extimum nec aliter ſe habet quam Altiſſimum ad Inferius & Infimum; Altiſſimum ſeu Intimum eſt Cœleſte Amoris, ſeu Ipſe Amor, Jehovah ſeu Internum Domini erat ipſum Cœleſte Amoris, hoc eſt, ipſe Amor, cui nulla alia attributa competunt quam quæ ſunt puri Amoris, ita puræ Miſericordiæ erga univerſum Genus humanum, quæ eſt, ut omnes ſalvare & felices facere in æternum, & omnia ſui in illos transferre, velit; ita ex pura Miſericordia omnes, qui ſequi volunt, ad cœlum, hoc eſt, ad Se, vi forti amoris, trahere: Ipſe Amor Ille, eſt Jehovah, de nulla alia re prædicari poteſt Sum aut Eſt, quam de Amore; ex Amore illo, quia in Amore, ſeu ipſius Amoris, eſt Eſſe omnis vitæ, hoc eſt, ipſa vita; & quia Jehovah Solus eſt Eſſe vitæ, ſeu ipſa Vita, quia Solus Amor, omnia & ſingula inde ſuum eſſe & ſuam vitam habent, nec quiſquam poteſt eſſe & vivere a ſe, quam ſolus Jehovah, hoc eſt, Solus Dominus; & quia non quiſquam eſſe & vivere poteſt a ſe quam ſolus Dominus, fallacia ſenſus eſt, quod videantur

antur ſibi homines vivere a ſe; Angeli manifeſte percipiunt, quod non vivant a ſe, ſed a Domino, quia vivunt in Eſſe vitæ Domini, quia in Amore Ipſius; ſed uſque illis datur apparentia, ſicut vivant ex ſe, præ omnibus aliis, cum felicitate ineffabili: hoc itaque eſt vivere in Domino, quod nuſquam dabile eſt, niſi vivatur in Amore Ipſius, hoc eſt, in Charitate erga proximum.

1736. Quod Dominus ſit Jehovah, Qui hic appellatur Deus Altiſſimus, conſtat manifeſte ex Verbo; apud Eſaiam, "*Jehovah Zebaoth nomen Ipſius*, & "Redemptor tuus, Sanctus Iſraelis, *Deus totius terræ* appellatur," LIV: 5. ubi manifeſte, quod Redemptor & Sanctus Iſraelis, Qui Solus Dominus, ſit Jehovah Zebaoth, & Deus totius terræ: apud Eundem, "Sic dixit *Jehovah Redemptor* tuus, Sanctus Iſraelis, *Ego Jehovah Deus* tuus," XLVIII: 17. apud Eundem, "Ego auxilior tibi, dictum Jehovæ, *Redemptor* tuus, Sanctus "Iſraelis," XLI: 14. Sanctus Iſraelis & Deus Iſraelis, multoties dicitur; quod Dominus, ſit Sanctus Iſraelis & Deus Iſraelis, conſtat manifeſte, "Quod viderint *Deum Iſraelis*, ſub pedibus Ipſius ſicut opus lapidis ſapphiri, & ſicut "ſubſtantia cœli quoad puritatem," Exod: XXIV: 10. Eccleſia Judaica nec alium agnovit & appellavit Jehovam, quia unum Deum Jehovam coluit; & hoc eo magis, quod pleriſque eorum ignotum, quia omnes ritus Eccleſiæ Ipſum repræſentabant; & omnia Verbi in ſenſu interno Ipſum ſignificabant: apud Eſaiam, "Abſorbebit mortem in ſempiternum, & abſterget *Dominus Jehovih* "lachrymam deſuper omnibus faciebus; & dicet in die illo, ecce *Deus noſter* "*hic*, exſpectavimus Ipſum, & ſalvabit nos; *Hic Jehovah*, Quem exſpectavimus, exultemus & lætemur in ſalute Ipſius," XXV: 8, 9. ubi de adventu "Domini: apud Eundem, "Ecce *Dominus Jehovih* in forti veniet, & brachium Ipſius dominans Ipſi; ſicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachium "ſuum colliget, agnellos in gremio ſuo portabit, lactentes ducet," XL: 10, 11. ubi manifeſte de Domino, Qui Dominus Jehovih; in forti veniet & brachium Ipſius dominans Ipſi, pro quod propria potentia victurus inferna; paſcere gregem, in brachium colligere, agnellos in gremio portare, lactentes ducere, prædicantur de Amore ſeu Miſericordia Ipſius: apud Eundem, "Sic dixit *Jehovah*, creans cœlos *Ipſe Deus*, formans terram, & faciens illam, Ipſe firmans "illam, non inanitatem creavit illam, ad habitandum formavit illam; *Ego* "*Jehovah & non præterea.* Nonne *Ego Jehovah & non præterea Deus præter* "*Me*, *Deus* juſtus, & Salvator non præter Me; reſpicite ad Me, & ſalvemini omnes fines terræ; quia *Ego Deus & non præterea*," XLV: 18, 21, 22. ubi manifeſte de Domino, quod Solus Jehovah & Deus; quod creare cœlos & formare terram ſit regenerare, ita Creator cœli & terræ ſit Regenerator, videatur n: 16, 88, 472. & alibi; quare Dominus paſſim appellatur Creator, "Formator, Factor: apud Eundem, "Tu *Pater noſter*, quia Abraham non cognoſcit nos, & Iſrael non agnoſcit nos, Tu *Jehovah*, *Pater* "*noſter*, Redemtor noſter, a ſæculo *Nomen tuum*," LXIII: 15, 16. ubi manifeſte de Domino, Qui ſolus Redemptor. Apud Moſen, "Caveto tibi a faciebus "Ipſius, & audi vocem Ipſius, ne exacerbes Ipſum, quia non ſuſtinebit "prævaricationem veſtram, quoniam *Nomen meum in medio Ipſius*," Exod: XXIII: 21.

21. quod nomen ſit Eſſentia, videatur n: 144. 145; & in medio ſit intimum, n: 1074. apud Eſaiam, "Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, "& erit Principatus ſuper humero Ipſius, vocabitur *Nomen Ipſius*, Mirabilis, "Conſiliarius, Deus, Heros, *Pater æternitatis*, Princeps pacis," IX: 5, 6. manifeſte quod Dominus: apud Jeremiam, "Ecce dies venientes & ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & regnabit Rex, & intelligenter aget, & faciet "judicium & juſtitiam in terra; in diebus Ipſius ſalvabitur Jehudah, & "Iſrael habitabit confidenter; & hoc *Nomen Ipſius quod appellabunt Ipſum,* "*Jehovah Juſtitia noſtra*," XXIII: 5, 6. manifeſte quod Dominus: apud "Sachariam, "Erit *Jehovah in Regem* ſuper totam terram; *in die illo erit Jehovah unus, & Nomen Ipſius unum*," XIV: 9. manifeſte de Domino: Nomen pro Eſſentia.

1737. Qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam, quod ſignificet victoriam, conſtare poteſt abſque explicatione. Conjunctio Eſſentiæ Humanæ cum Divina, comparata eſt & facta a Domino per continuas pugnas tentationum & victorias, & hoc ex propria potentia: qui aliter capit conjunctionis & unionis modum, multum fallitur; inde Ipſe Juſtitia factus: conjunctio ſeu unio facta eſt cum cœleſti amoris, hoc eſt, cum ipſo Amore, qui eſt, ut dictum, Jehovah. Conjunctio hominum cum Domino etiam fit per tentationes, & per implantationem fidei in amorem; niſi implantetur fides in amorem, hoc eſt, niſi homo per illa quæ ſunt fidei, accipiat fidei vitam, hoc eſt, charitatem, nuſquam conjunctio; hoc ſolum eſt *ſequi Ipſum*, nempe ita conjungi Domino, ſicut Dominus quoad Humanam Eſſentiam Jehovæ, inde quoque omnes illi appellantur filii Dei a Domino Qui unicus Filius Dei, & fiunt imagines Ipſius.

1738. Et dedit illi decimas de omnibus, quod ſignificet reliquias ex victoria, conſtat ex ſignificatione Decimarum, quod ſint Reliquiæ, de qua prius n: 576; quid autem Reliquiæ, videatur n: 468. 530. 560. 561. 661. 1050, nempe quod ſint omnes ſtatus amoris & charitatis, proinde omnes ſtatus innocentiæ & pacis, quibus donatur homo; hi ſtatus donantur homini ab infantia, ſed minus per gradus ut homo in adultam ætatem pergit; at cum regeneratur homo, tunc præter priores etiam novas Reliquias accipit, ita novam vitam; nam homo a reliquiis ſeu per reliquias habet, ut ſit homo; homo enim abſque ſtatu amoris & charitatis, & abſque ſtatu innocentiæ, qui ſe inſinuant cæteris ejus vitæ ſtatibus, non eſt homo, ſed pejor omni fera: Reliquiæ acquiſitæ in pugnis tentationum ſunt quæ hic intelliguntur; hæ Reliquiæ ſunt, quæ per Decimas datas Malkizedecho ab Abramo ſignificantur, ſuntque omnia cœleſtia amoris quæ Dominus ſibi comparavit per continuas pugnas & victorias, per quas continue uniebatur Eſſentiæ Divinæ, uſque dum Eſſentia Ipſius Humana ſimiliter facta eſt Amor, ſeu Eſſe vitæ, hoc eſt, Jehovah.

1739. Verſ: 21. *Et dixit rex Sodomæ ad Abramum, da mihi animam, & acquiſitionem accipe tibi.* Dixit rex Sodomæ, ſignificat malum & falſum quod victum: ad Abramum, ſignificat rationale Domini; da mihi animam, & acquſitionem

quiſitionem accipe tibi, ſignificat ut daret illis vitam, & cætera non curarent.

1740. Dixit rex Sodomæ, quod ſignificet malum & falſum quod victum, conſtat a ſignificatione Sodomæ quod ſit malum & falſum, ut ſupra in hoc Capite eſt oſtenſum; ſupra verſu 17 dicitur, quod exivit rex Sodomæ obviam Abramo, quo ſignificatum quod malum & falſum ſe ſubmiſerit, hic nunc continuatur, quod ſupplex ſit. Quod malum & falſum ſit victum, ſeu quod mala & falſa vincantur per pugnas tentationum, & ſic bona & vera induantur, inde eſt, quia ſic mala & falſa diſſipantur, quibus diſſipatis bona & vera ſuccedunt, quæ dein magis & magis confirmantur, & ſic corroborantur; ſunt enim mali ſpiritus qui excitant mala & falſa; quæ niſi excitentur, vix novit homo quod mala & falſa ſint, ſed tunc patent, quoque diutius pugnæ tentationum perſtant, eo magis patent, uſque tandem ut mala & falſa horreantur: & prout mala & falſa diſſipantur, ita ſuccedunt bona & vera; & quo plus horroris pro malis & falſis contrahitur, eo plus amoris inſinuatur a Domino pro bonis & veris; quoque plus horroris fit pro malis & falſis, eo minus accedere audent mali ſpiritus, quia averſationem & horrorem pro malis & falſis, in quibus eorum vita conſiſtit, non ſufferre poſſunt, quandoque ad primam approximationem corripiuntur terrore; & quo plus amoris pro bonis & veris, eo magis angeli amant apud hominem eſſe, & cum angelis cœlum, nam in ſuamet vita ſunt, cum in bonis amoris & veris fidei.

1741. Ad Abramum, quod ſignificet rationale Domini, conſtat a repræſentatione Abrami; in binis Capitibus quæ præcedunt, repræſentavit Abram Dominum ſeu Statum Ipſius in pueritia, hic ſeu in hoc Capite repræſentat Rationale Domini, & tunc appellatur Abram Hebræus, ut conſtat ab illis quæ ſupra ad verſ: 13 dicta & oſtenſa ſunt; hic ſimiliter, nam non alius Abram in hoc Capite, quam Abram Hebræus intelligitur. Spirituale Domini quod adjunctum Interno Homini eſt Abram Hebræus, at Cœleſte quod adjunctum Interno, hoc repræſentatum & ſignificatum eſt per Malkizedech, ut dictum.

1742. Da mihi animam, & acquiſitionem accipe tibi, quod ſignificet ut daret illis vitam, & cætera non curarent, conſtat ex ſignificatione animæ, quod ſit vita, de qua prius n: 1000. 1005. 1040, & ex ſignificatione acquiſitionis, quod ſint cætera, quæ non ita proprie ſunt vitæ, de quibus in mox ſequentibus. Vita, quam ſpiritus mali habent, & perdite amant, eſt vita cupiditatum amoris ſui & mundi, inde vita odiorum, vindictarum & crudelitatum, in nulla alia vita jucundum dari putant; ſunt ſicut homines, nam homines fuerunt, & a vita cum fuerunt homines hoc retinent, qui in jucundo talium cupiditatum omnem vitam ponunt, non ſcientes aliter quam quod illa vita ſit unica, & cum illam amittunt, quod prorſus morituri; ſed qualis vita ſit, quam amant, conſtat a talibus in altera vita, vertitur illa in fœtidam & excrementitiam, & mirum, fœtorem iſtum ut jucundiſſimum percipiunt, ut conſtare poteſt ab illis quæ ab experientia n: 820. 954: ſimiliter ac dæmones, qui cum a Domino ejicerentur ex maniaco, ex timore vitæ rogabant ut mitterentur in porcos: Marc: v: 7 ad 13, quod fuerint ii, qui in

in vita corporis fœdæ avaritiæ dediti fuerunt, conſtare poteſt exinde, quod tales videantur ſibi in altera vita inter porcos degere, ex eo quod porcorum vita avaritiæ correſpondeat, & ideo illis jucunda, ut conſtat ex illis quæ ab experientia, n: 939.

1743. Verſ: 22. *Et dixit Abram ad regem Sodomæ, elevavi manum meam ad Jehovam Deum Altiſſimum, poſſeſſorem cœlorum & terræ.* Dixit Abram ad regem Sodomæ, ſignificat reſponſum: elevavi manum meam ad Jehovam, ſignificat mentem qualis erat apud Dominum: poſſeſſorem cœlorum & terræ, ſignificat conjunctionem.

1744. Dixit Abram ad regem Sodomæ, quod ſignificet reſponſum, conſtat abſque explicatione.

1745. Elevavi manum meam ad Jehovam, quod ſignificet mentem qualis erat apud Dominum, conſtat a ſignificatione elevare manus; elevatio manus ad Jehovam eſt geſtus corporis correſpondens mentis affectioni, ut notum eſt; in ſenſu literæ exprimuntur illa quæ interiora ſeu mentis ſunt per externa quæ correſpondent, ſed in ſenſu interno ſunt interna quæ intelliguntur; hic ideo elevatio manus eſt mens ſeu affectio mentis. Quamdiu Dominus fuit in ſtatu tentationum, loquutus eſt cum Jehovah ſicut cum alio, ſed quantum Eſſentia Ipſius Humana unita fuit Ipſius Divinæ, tantum loquutus eſt cum Jehovah ut cum Semet; quod conſtat a multis apud Evangeliſtas, tum quoque a multis apud Prophetas, & apud Davidem; cauſa manifeſte conſtat ex illis quæ prius dicta ſunt de hæreditario a matre, quantum ex hoc manſit, tantum fuit quaſi abſens a Jehovah, at quantum hoc exſtirpatum, tantum fuit præſens & Ipſe Jehovah. Illuſtrari hoc poteſt a conjunctione Domini cum Angelis, Angelus quandoque loquitur non a ſe ſed a Domino, & tunc non aliter ſcit, quam quod is Dominus ſit, ſed tunc quieſcunt illius externa; aliter cum externa operantur; cauſa eſt, quod Internus illorum homo ſit poſſeſſio Domini, & quantum tunc non propria impediunt, tantum eſt Domini, imo Dominus. Sed apud Dominum facta eſt conjunctio plenaria ſeu unio æterna cum Jehovah, ſic ut ipſa Humana Ipſius Eſſentia ſit quoque Jehovah.

1746. Poſſeſſorem cœlorum & terræ, quod ſignificet conjunctionem, conſtat ab illis quæ ſupra ad verſ: 19. dicta ſunt, ubi eadem verba, & eadem ſignificatio.

1747. Verſ: 23. *Si a filo & uſque ad corrigiam calcei, & ſi accepero ab ullo quod tibi, ne dicas, ego ditavi Abramum.* Si a filo & uſque ad corrigiam calcei, ſignificat omnia quæ immunda naturalia & corporea eſſent: ſi accepero ab ullo quod tibi, ſignificat quod nihil tale apud amorem cœleſtem: ne dicas, ego ditavi Abramum, ſignificat, quod inde nihil uſquam roboris Domino.

1748. Si a filo uſque ad corrigiam calcei, quod ſignificet omnia quæ immunda naturalia & corporea eſſent, conſtat a ſignificatione corrigiæ calcei: in Verbo planta pedis & calcaneum ſignificat ultimum naturale, ut oſtenſum eſt prius, n: 259; calceus eſt qui inveſtit plantam pedis & calcaneum, quare calceus ſignificat naturale adhuc ulterius, ita ipſum corporeum; ſignificatio calcei ſe habet ſecundum ſubjecta, cum prædicatur de bonis, accipitur in bono ſenſu, cum de malis in malo, ut hic ubi agitur de acquiſitione regis Sodomæ,

domæ, per quem ſignificatur malum & falſum, ideo per corrigiam calcei ſignificantur immunda naturalia & corporea; per filum calcei ſignificatur falſum, & per corrigiam calcei, malum, & hoc quia in diminutivo, omnium viliſſimum: quod illa per calceum ſignificentur, conſtat quoque ab aliis locis in Verbo; ut cum Jehovah apparuit Moſi e medio rubi, & dixit ad Moſen, "Ne appropinques huc, *exue Calceos* tuos a ſuper pedibus tuis, quia locus, "ſuper quo tu ſtas, terra ſanctitatis eſt," Exod: III: 5. ſimiliter Princeps Exercitus Jehovæ ad Joſuam, "*Exue Calceum* tuum a ſuper pede tuo, quia "locus ſuper quo tu ſtas, ſanctitas ille," Joſ: V: 15. ex quo quiſque videre poteſt, quod calceus nihil de ſanctitate auferret, modo homo in ſe ſanctus foret, ſed quod ideo dictum, quia calceus repræſentabat ultimum naturale & corporeum, quod exuendum. Quod immundum naturale & corporeum, conſtat quoque apud Davidem, "Moabus pelvis lotionis meæ, ſuper Edomum "mittam *calceum* meum," Pſalm: LX: 10. Simile involvit, quod mandatum diſcipulis, "Quiſquis non exceperit vos, neque audiverit verba veſtra, "egredientes e domo aut urbe iſta, excutite *pulverem pedum veſtrorum*," Matth: X: 14: Marc: VI: 11: Luc: IX: 5. ubi pulvis pedum ſimile ac calceus, quia planta pedis ultimum naturale, ſignificat, nempe immundum ex malo & falſo; & quia tunc temporis in repræſentativis erant, & in illis ſolis arcana cœleſtia recondi putabant, non in nudis veritatibus, ideo mandatum illis ut ſic facerent. Quia calceus ſignificabat ultimum naturale, etiam exuitio calcei, ſeu diſcalceatio, ſignificabat quod exueretur ultimis naturæ; ſicut qui leviratum non volebat præſtare, de quo apud Moſen, "Qui non leviratum "vellet præſtare; accedet fratria ejus ad eum in oculis ſeniorum, & *extrahet* "*calceum* ejus a ſuper pede ejus, & exſpuet in facies ejus; & reſpondebit, & "dicet, ſic fiet viro, qui non ædificat domum fratris ſui, & vocabitur nomen "ejus in Iſraele, domus *exuti Calceum*," Deut: XXV: 5 ad 10. pro quod abſque omni charitate naturali. Quod calceus ſignificet ultimum naturale etiam in bono ſenſu, conſtat quoque a Verbo, ut apud Moſen de Aſchere, "Bene"dictus præ filiis Aſcher, ſit acceptus fratribus ſuis, & intingens in oleo pe"dem ſuum, ferrum & æs *Calceus* ejus, "Deut: XXXIII: 24, 25, ubi calceus pro ultimo naturali, calceus ferrum pro vero naturali, calceus æs pro bono naturali, ut conſtat a ſignificatione ferri & æris, n: 425, 426. & quia calceus ſignificabat ultimum naturale & corporeum, formula inde facta, qua ſignificabatur omnium minimum & viliſſimum, nam ultimum naturale & corporeum eſt viliſſimum omnium quæ apud hominem, quod intellectum a Johanne Baptiſta, cum dixit, "Venit fortior me, cujus ego non idoneus ſum ſolvere "*corrigiam calceorum* Ipſius," Luc: III: 16. Marc: I: 7. Joh: I: 27.

1749. Quod ſi accepero ab ullo quod tibi, ſignificet quod nihil tale apud amorem cœleſtem, conſtare poteſt ex eo, quod Abram dixerit ſe nihil accipere velle a rege Sodomæ, Abram repræſentabat Dominum nunc victorem, ita illa quæ erant amoris cœleſtis, quæ ſibi per victorias comparavit; & rex Sodomæ repræſentabat malum & falſum, ex quibus nihil apud Dominum victorem ſeu amorem cœleſtem. Quid per hæc intelliguntur in ſenſu interno, non

conſtare poteſt, niſi ſciatur, quomodo ſe res habeat in altera vita; apud malos & infernales ſpiritus regnat amor ſui & mundi, inde putant ſe eſſe deos univerſi, & multum poſſe; cum victi ſunt, tametſi appercipiunt, quod prorſus nihil poſſint, uſque manet opinio poteſtatis & dominii, & putant ſe multum contribuere poſſe ad poteſtatem & dominium Domini; quare etiam, ut regnare ſimul poſſint, offerunt apud bonos ſpiritus ſervitia ſua; ſed quia nihil niſi malum & falſum eſt, per quæ ſe efficere quid poſſe putant, at apud Dominum ſeu amorem cœleſtem, nihil niſi bonum & verum eſt, hic reſpondetur regi Sodomæ, per quem tales repræſentantur, quod nihil tale apud Dominum, ſeu quod nulla potentia Domino a malo & falſo: Dominium ex malo & falſo prorſus contrarium eſt Dominio ex bono & vero; Dominium ex malo & falſo eſt omnes ſervos velle facere, Dominium ex bono & vero, eſt omnes liberos velle facere; Dominium ex malo & falſo, eſt omnes perdere, at Dominium ex bono & vero eſt omnes ſalvare; ex quibus conſtat, quod Dominium ex malo & falſo ſit diaboli, at Dominium ex bono & vero ſit Domini; quod Dominia ſint prorſus contraria, conſtare poteſt ex Domini verbis apud Matth: XII: 24 ad 30. & quod nemo poſſit duobus dominis ſervire, Matth: VI: 24. Luc: XVI: 13.

1750. Quod ne dicas, ego ditavi Abramum, ſignificet quod inde nihil uſquam roboris Domino, conſtare poteſt a ſignificatione ditari, quod ſit acquirere potentiam & robur: hæc quomodo ſe habent, conſtat ab illis quæ nunc dicta ſunt.

1751. Verſ: 24. *Præter tantum quod comederunt pueri, & portionem virorum, qui iverunt mecum, Aner, Eſckol & Mamre, hi accipient portionem ſuam.* Præter tantum quod comederunt pueri, ſignificat bonos ſpiritus: & portionem virorum qui iverunt mecum, ſignificat illa quæ apud eos: hi accipient portionem ſuam, ſignificat quod dati ſint in illorum poteſtatem.

1752. Præter tantum quod comederunt pueri, quod ſignificet bonos ſpiritus, conſtat ab illis quæ præcedunt, & ab illis quæ conſequuntur; ab illis quæ præcedunt, ſupra ad verſ: 13. memorantur Mamre, Eſckol & Aner, quod fuerint ſocii fœderis Abrami, quibus ſignificatus ſtatus Rationalis hominis quoad Externum Domini, ejus bona & vera qualia eſſent, & ſic quod per illos ſignificati ſint Angeli, qui fuerunt cum Domino cum pugnavit, ut ab explicatione ibi patet: idem conſtat ex illis quæ conſequuntur, ut mox pateſcet: hic qui iverunt cum Abramo, dicuntur pueri, per quos non alii intelliguntur, quam Spiritus boni, at per viros, de quibus mox, Angeli: quod fuerint cum Domino Angeli, cum pugnavit contra Inferna, conſtat ex Verbo, tum ex eo, quod cum in pugnis tentationum eſſet, non potuerit aliter, quam quod Angeli adeſſent, quibus Dominus ex propria potentia dedit vim & quaſi potentiam ſimul pugnandi, nam omnis potentia Angelis eſt a Domino. Quod Angeli pugnent contra malos, conſtare poteſt ab illis quæ prius paſſim dicta ſunt de Angelis apud hominem, quod tutentur hominem, & avertant mala, quæ infernales ſpiritus intentant, de quibus prius, n: 50, 227, 228, 697, 968. ſed om-

nis

nis potentia illorum eſt a Domino: boni ſpiritus ſunt quidem etiam Angeli, ſed inferiores, nam ſunt in primo Cœlo, Spiritus autem angelici in Secundo, at Angeli proprie dicti in Tertio, de quibus n: 459, 684. talis eſt forma regiminis in altera vita, quod Spiritus boni ſint ſubordinati Spiritibus angelicis, & Spiritus angelici ipſis Angelis, ſic ut unam ſocietatem angelicam conſtituant: Spiritus boni, & Spiritus angelici ſunt qui hic dicuntur pueri, at ipſi Angeli viri.

1753. Et portionem virorum qui iverunt mecum, quod ſignificet Angelos, conſtat ex illis quæ nunc dicta ſunt; præter quod Angeli, cum apparuerint coram hominibus, in Verbo dicantur Viri.

1754. Aner, Eſckol & Mamre, quod ſignificent illa quæ apud eos, conſtat ab illis quæ ſupra hoc Capite ad verſ: 13. de iiſdem dicta ſunt; nempe quod per nomina horum ſignificentur bona & vera, ex quibus pugnatum, non ita angeli, quia angeli intellecti ſunt per pueros & viros, ut dictum; Angelis enim nuſquam aliquod nomen eſt, ſed dignoſcuntur ex bonis & veris, quales ſunt, quare nec per Nomen in Verbo aliud ſignificatur quam Eſſentia; & ejus qualitas, ut oſtenſum prius, n: 144, 145, 340. ut quoque conſtare poteſt apud Eſaiam, ubi de Domino, "*Vocabitur Nomen Ipſius*, Mirabilis, "Conſiliarius, Deus, Heros, Pater æternitatis, Princeps pacis," IX: 5, 6. ubi per Nomen intelligitur qualis eſt, nempe quod mirabilis, conſiliarius, Deus, heros, pater æternitatis, princeps pacis: apud Jeremiam, ubi etiam de Domino, "*Hoc Nomen Ipſius, quod appellabunt Ipſum*, Jehovah juſtitia noſtra," XXIII: 5, 6. ubi quod nomen ſit Juſtitia, manifeſte conſtat: tum apud Moſen, ubi etiam de Domino, "Non ſuſtinebit prævaricationem veſtram, quo-"niam *Nomen meum* in medio Ipſius," Exod: XXIII: 21. ubi nomen quoque pro Eſſentia, quod Divina; præter a multis locis in Verbo, ubi dicitur quod *invocaverint Nomen Jehovæ*; quod non in vanum acciperent *Nomen Jehovæ*; & in Oratione Domini, *ſanctificatum ſit Nomen tuum:* ſimiliter ſe habet cum nominibus Angelorum; & ſimiliter hic cum nominibus Eſckol, Aner & Mamre qui repræſentant Angelos, quod ſignificentur illa, quæ apud Angelos.

1755. Quod hi accipient portionem ſuam, ſignificet quod dati ſint in illorum poteſtatem, conſtat ex illis quæ ſupra ad verſ: 21, 22, 23. dicta ſunt, quod nempe Dominus nihil ab illis habere vellet, quia nihil roboris Domino inde: quod dati ſint in poteſtatem Angelis ita ſe habet; Angeli ſunt qui dominantur ſuper ſpiritus malos & infernales, ut a multa experientia mihi conſtitit, Dominus autem prævidet ac videt omnia & ſingula, & providet ac diſponit omnia & ſingula, ſed quædam ex permiſſione, quædam ex admiſſione, quædam ex venia, quædam ex beneplacito, quædam ex voluntate; ipſum dominari velle eſt aliquod proprium humanum diverſum ab illis quæ accipiunt a Domino; ſed uſque omne dominium eſt Amoris & Miſericordiæ abſque velle dominari: verum hæc, quia arcaniora ſunt, non ad intellectum dici poſſunt paucis; ſatis eſt ſcire, quod ſpiritus mali & infernales dati ſint in poteſtatem

Angelis, & quod Dominus omnia & ſingula, etiam ſingulariſſima gubernet; de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus, ubi de Providentia & Permiſſionibus.

1756. Hæc ſunt, quæ in genere illa involvunt in ſenſu interno, ſed ipſa ſeries rerum & ejus pulchritudo, non poteſt apparere, cum omnia & ſingula ſecundum ſignificationem vocum explicantur, ac ſi una idea caperentur; cum omnia una idea capiuntur, tunc apparent illa quæ ſparſa ſunt, pulchre cohærentia & connexa: ſe habet hoc, ſicut qui loquentem audit, & attendit ad voces, tunc ideam loquentis non ita capit, ac ſi nihil attendit ad voces aut ſignificationem earum; nam pœne ſimiliter ſe habet ſenſus internus Verbi ad externum ſeu literalem, ſicut loquela, cujus voces vix audiuntur, minus attenduntur, cum mens in ſolo ſenſu rerum ſignificatarum per voces loquentis tenetur. Antiquiſſimus modus ſcribendi fuit Repræſentativus rerum per perſonas & per voces, per quas prorſus alia intelligebant; prophani ſcriptores tunc ita ſua hiſtorica concinnabant, etiam res quæ fuerunt vitæ civilis & moralis, & quidem ita, ut nihil prorſus tale eſſet, quod ſcriptum, quoad literam, ſed aliud ſub illis intellectum, uſque adeo ut affectiones quaſcunque ſicut deos & deas ſiſterent, quibus Ethnici poſtea cultum Divinum inſtituebant; quod cuivis Literato poteſt notum eſſe, adhuc enim tales Libri vetuſti exſtant: hunc modum ſcribendi traxerunt ab Antiquiſſimis, qui ante diluvium, qui Cœleſtia & Divina ſibi per illa, quæ conſpicua fuerunt in terra & mundo, repræſentabant, & ſic mentem & animam implebant jucundis & delitioſis cum ſpectabant univerſi objecta, imprimis quæ pulchra ex forma & ordine; quare omnes Libri Eccleſiæ illorum temporum ita ſcripti ſunt; talis eſt Liber Hiobi; ad imitationem illorum tale eſt Canticum canticorum Salomonis; tales fuerunt bini Libri, quorum meminit Moſes Num: XXI: 14 & 27. præter plures qui perierunt. Hic ſtylus dein ex antiquitate veneratus eſt, tam inter gentes, quam inter Jacobi poſteros, uſque adeo, ut quicquid non ita ſcriptum eſſet, non ut Divinum venerarentur; quare quando acti Spiritu prophetico, ut Jacobus Gen: XLIX: 3 ad 17. Moſes Exod: XV: 1 ad 21. Deut: XXXIII: 2 ad f. Bileamus, qui ex filiis orientis e Syria, ubi adhuc Eccleſia Antiqua, Num: XXIII: 7 ad 10, 19 ad 24. Cap: XXIV: 5 ad 9, 17 ad 24. Debora & Barakus, Jud: V: 2 ad f. Channah, 1 Sam: II: 2 ad 10; & alii plures, tunc ſimiliter loquuti ſunt, & hoc ob plures arcanas cauſas; quæ tametſi non intelligebant, nec ſciebant, niſi pauciſſimi, quod ſignificarent cœleſtia Regni & Eccleſiæ Domini, uſque admirationis ſtupore tacti & perfuſi, Divinum &

Sanctum

Sanctum illis ineſſe; ſentiebant. Sed quod Hiſtorica Verbi ſimilia ſint, nempe repræſentativa & ſignificativa cœleſtium & ſpiritualium Regni Domini, quoad ſingula nomina, & quoad ſingulas voces, nondum Orbi Erudito notum fuit, modo quod Verbum quoad minimam jotham inſpiratum ſit, & quod arcana cœleſtia omnibus & ſingulis inſint.

Continuatio
De loquela ſpirituum, & diverſitatibus ejus.

1757. *Loquela Spirituum cum homine, ut prius dictum, fit per voces: ſed Loquela Spirituum inter ſe per ideas, originarias vocum, quales ſunt cogitationis, ſed non ita obſcuræ, ut ſunt hominis dum vivit in corpore, verum diſtinctæ, ſicut ſunt loquelæ: Cogitatio humana, poſt corporis ſeceſſum, fit diſtinctior & clarior, & ideæ cogitationis fiunt diſcretæ, ita ut pro formis loquelæ diſtinctis inſerviant; obſcurum enim cum corpore diſſipatum eſt, & ſic cogitatio a ſuis quaſi pedicis, quibus irretita, proinde ab umbris, quibus involuta, liberata, fit momentanea magis, inde præſentior ſingularium intuitio, apperceptio, & enuntiatio.*

1758. *Spirituum loquela eſt diverſa, unaquævis ſocietas ſeu familia ſpirituum, internoſci poteſt a loquela, imo unuſquiſque ſpiritus, vix aliter ac homines; nec ſolum per affectiones quæ vitam loquelæ faciunt, & quæ implent aut vehunt voces, & per accentus, ſed etiam per ſonos, ut & per alia indicia non ita enuntiabilia.*

1759. *Spirituum cæleſtium Loquela non facile influere poteſt in ſonos articulatos ſeu voces apud hominem, nam nulli voci inaptari poteſt in qua eſt aliquid ſonans ſtridule, aut in qua eſt duplicatio durior conſonantium, nec cui ineſt idea ex ſcientifico, quare raro influunt in loquelam aliter ac per affectiones, quæ inſtar fluvii aut auræ emolliunt voces. Spirituum, qui medii ſunt inter cæleſtes & ſpirituales, Loquela eſt dulcis, fluens inſtar leniſſimæ atmoſphæræ, mulciens organa recipientia, & molliens ipſas voces, quoque cita & certa; fluiditas & amœnitas loquelæ inde eſt, quod cæleſte bonum in ideis illorum, tale ſit, nec aliquid diſſentiens loquelæ a cogitatione; omne harmonicum dulce in altera vita eſt a bonitate & charitate. Spiritualium Loquela etiam fluida eſt, ſed non ita mollis & lenis; hi ſunt qui imprimis loquuntur.*

1760. *Geniorum malorum Loquela quoque datur fluens, ſed ſolum ad auditum extrinſecus, intus vero eſt ſtridens, quia ex ſimulatione boni, & nulla*

nulla ejus affectione: etiam datur talium loquela abſque fluido, in qua diſſenſus cogitationum percipitur ut tacitum reptile.

1761. *Sunt ſpiritus, qui non fluviatili modo influunt, ſed per vibrationes & reciprocationes quaſi lineares, acutiores magis & minus; iidem non ſolum influunt cum loquela, ſed etiam cum reſponſo; ſunt illi, qui interiora Verbi ex multiplici cauſa rejiciunt, reſpicientes hominem ut ſuum organum, ac ut nauci, ſibi ſolis ſtudentes.*

1762. *Sunt Spiritus, qui non loquuntur, ſed per mutationes inductas faciei meæ expreſſerunt ſenſa animi ſui, & ſiterunt ideas ita vive, ut pateret inde cogitatio eorum quaſi in forma, hoc factum per variationes circumcirca regionem labiorum, & inde in faciem, tum circumcirca oculos, dum interiora animi ſui ſenſa commmunicabant, circum ſiniſtrum oculum cum vera & affectiones veri, circum dextrum cum bona & affectiones boni.*

1763. *Audita quoque ſpirituum plurium loquela ſimultanea, undulans inſtar voluminis, influens in crebrum varia determinatione. Tum loquela quorundam ſpirituum, quæ terminatur quadruplicato, quaſi ad tonum & ſonum triturantium; hi ſpiritus ab aliis ſeparati ſunt, capiti inducunt dolorem tanquam attractionis ſyringicæ. Auditi, qui loquuti voce ſonora, ſed quaſi intus in ſe, ſed uſque, ut loquela, ad auditum perveniret. Alii qui loquuti per egurgitationem vocum ſicut a ventre, ſunt tales qui nihil attendere volunt ad ſenſum rei, ſed ad loquendum ab aliis adiguntur. Audivi, qui loquuti ſono rauco ſicut bifido, applicant ſe ſiniſtro lateri ſub ulna, etiam ſiniſtræ auriculæ. Tum quoque qui ſonore loqui non poterant, ſed ſicut illi qui in rheumatiſmo ſunt; ex illis ſunt, qui eliciunt aliorum arcana ſine nocendi, per inſinuationes in jucunda eorum. Sunt ſpiritus parvi, qui, tametſi pauci, uſque loquuntur ſicut ingens multitudo, quaſi tonantes; auditi ſupra caput, & putabam eſſe multitudinem, ſed tunc unus ad me venit ad ſiniſtrum latus infra brachium, & ſimiliter cum voce tonante loquutus; diſceſſit quoque & ſimiliter faciebat; unde tales, ex Divina Domini Miſericordia, alibi. Sed hæ ſpecies Loquelæ ſunt rariores. Hæc, quod mirum, tam alte & ſonore audiuntur, cui auditus organa interiora aperta ſunt, tum ſpiritibus, ſicut audiuntur ſoni & loquelæ hominis in tellure: at cui non aperta ſunt, ne hilum.*

1764. *Semel etiam mecum loquuti ſunt ſpiritus per mera repræſentativa viſualia, repræſentando varii coloris flammas, lumina, nubes aſcendentes & deſcendentes, diverſi generis domunculas & pulpita, vaſa, perſonas diverſimode amictas, & plura alia, quæ omnia ſignificativa erant, ex quibus ſolis ſciri potuit, quid vellent.*

GENESEOS,

GENESEOS,

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Scriptura ſacra ſeu Verbo, quod Divina recondat, quæ patent coram ſpiritibus bonis & angelis.

1767. *VERBUM Domini cum legitur ab homine, qui amat Verbum, & in charitate vivit, etiam ab homine qui ex ſimplici corde credit quod ſcriptum, nec principia formavit contra verum fidei quod in ſenſu interno, ſiſtitur illud a Domino coram Angelis in tali pulchritudine, & in tali amœnitate, etiam cum repræſentativis, & hoc inexpreſſibili varietate ſecundum omnem ſtatum illorum in quo tunc ſunt, ut percipiantur ſingula quaſi vitam habere, quæ vita eſt, quæ in Verbo, & ex qua natum eſt Verbum cum demiſſum e Cælo; ob hanc cauſam Verbum Domini tale eſt, quod, tametſi rude apparet in litera, uſque intus recondat ſpiritualia & cæleſtia, quæ patent coram Spiritibus bonis, & coram Angelis, cum ab homine legitur.*

1768. *Quod Verbum Domini ita ſiſtatur coram bonis Spiritibus & coram Angelis, audire & videre mihi datum eſt; quare licet ipſas experientias afferre.*

1769. *Quidam ſpiritus ad me venit, non diu poſt exceſſum ejus e corpore, quod concludere potui ex eo, quod adhuc neſciret ſe in altera vita eſſe, putans ſe vivere in mundo; perceptum, quod is deditus fuerit ſtudiis, de quibus loquutus cum eo; ſed tunc ſubito ſublatus eſt in altum, quod miratus, autumabam quod eſſet ab illis qui alta ſpirarunt, nam tales ſolent in altum ferri; aut quod poſuerit cælum in altiſſimo, qui ſimiliter ſolent in altum auferri, ut inde ſciant, quod cælum non ſit in alto, ſed in interno; ſed mox appercepi, quod ſublatus ſit ad Spiritus Angelicos qui antrorſum paulo ad dextrum in primo cœli limine; inde dein mecum loquutus eſt, dicens, quod ſublimiora videat, quam uſquam mentes humanæ capere poſſent; cum hoc fiebat, legebam Caput* I: *Deuter: de populo Judaico, quod miſſi ſint, qui explorarent terram Canaanem & quæ ibi, quod cum legerem, dixit, quod nihil apperciperet quæ in ſenſu literæ, ſed quæ in ſenſu ſpirituali, & quod hæc mirabilia, quæ deſcribere non poſſet: hoc erat in primo limine Cæli Spirituum Angelicorum;*

licorum, quid non in ipſo illo Cælo, & quid non in Cælo Angelico. Spiritus quidam tunc, qui apud me erant, prius increduli, quod tale ſit Verbum Domini, cæperunt pænitere, quod non crediderint, dicebant in illo ſtatu, quod credant, quia audiverunt illum dixiſſe, quod audiverit, viderit & perceperit, ita eſſe. Sed alii ſpiritus adhuc in ſua incredulitate perſtabant, & dicebant non ita eſſe, ſed eſſe phantaſias, quare etiam hi ſubito ſublati ſunt, & inde mecum loquuti, & faſſi, quod nihil minus ſit quam phantaſia, quia realiter percipiunt, quod ita ſit, & quidem perceptione exquiſitiore, quam uſquam dari poſſit alicui ſenſui in vita corporis. Mox etiam alii in idem cælum ſublati, & inter eos unus in vita corporis mihi notus, qui idem teſtatus, inter alia etiam dicens, quod præ ſtupore gloriam Verbi in ſenſu illius interno, deſcribere non poſſet; ex miſeratione quadam tunc loquens, inquiit, mirum eſſe, quod homines ne hilum ex talibus ſciant: præterea dixit, quod inde cogitationes meas & affectiones meas intueri penitus poſſet, in quibus perciperet plura quam potuiſſet edicere, ſicut cauſas, influxus, unde, & a quibus, ideas quomodo mixtæ eſſent terrenis, & quod ſeparandæ omnino, præter alia.

1770. *Binis vicibus poſtea vidi alios ſublatos in alterum Cælum inter Spiritus Angelicos, & inde mecum loquuti, cum legerem, Cap: III: Deuter: a principio ad finem, dicebant quod ſolum in ſenſu interiori Verbi eſſent, aſſeverantes tunc, quod ne apex quidem eſſet in quo non ſenſus ſpiritualis pulcherrime cum reliquis cohærens, tum quod Nomina ſignificent res; ita confirmati quoque, quia prius non crediderant, quod omnia & ſingula in Verbo a Domino inſpirata fuerint; hoc voluerunt etiam coram aliis juramento confirmare, ſed non permittebatur.*

1771. *Quidam Spiritus etiam in incredulitate erant de Verbo Domini, quod talia in ſinu ſeu intus reconderet; ſunt enim Spiritus in ſimili incredulitate in altera vita, in qua fuerunt in vita corporis, quæ non diſſipatur quam per media a Domino proviſa, & per vivas experientias; quare cum legerem aliquos Pſalmos Davidis, interior eorum intuitio ſeu mens aperiebatur; hi non ſublati ſunt inter Spiritus Angelicos; tunc interiora Verbi in Pſalmis illis percipiebant, quibus obſtupefacti dicebant quod talia nuſquam crediderint. Auditum tunc fuit Verbum hoc a pluribus aliis ſpiritibus, ſed qui omnes capiebant illud cum diverſitate; apud quoſdam implebat cogitationis illorum ideas pluribus amœnis & jucundis, ita quadam vita, ſecundum cujuſvis capacitatem, & ſimul efficacia penetrante ad illorum intima; apud quoſdam tanta, ut viſi ſibi verſus interiora cœli elevari, ac propius & propius ad Dominum, ſecundum gradus, quo vera & veris injuncta bona afficerent.*

Ad

Ad quoſdam tunc ſimul allatum eſt Verbum, qui nihil de ſenſu interno Verbi capiebant, ſed ſolum de ſenſu externo ſeu literali, quibus apparebat litera nullius vitæ: inde conſtabat, quale Verbum, cum Dominus vivificat illud, quod illius efficaciæ ſit ut penetret ad intima, & quale cum non vivificat, quod tunc ſolum litera ſit, vix ullius vitæ.

1772. *Ex Divina Domini Miſericordia, etiam mihi conceſſum fuit ſimiliter videre Verbum Domini in ſua pulchritudine in ſenſu interno, & hoc multoties, non ſicut dum ſingulæ voces quoad ſenſum internum explicantur, ſed omnia & ſingula in una ſerie; quod dici poteſt, ex Paradiſo Terreſtri videre Paradiſum Cæleſtem.*

1773. *Spiritus, qui in vita corporis, delectati ſunt Verbo Domini cum jucunditate, illi in altera vita habent Calorem quendam jucundum cæleſtem, quem quoque ſentire mihi datum eſt. Qui aliquantum delectati ſunt, Calor eorum mecum communicatus, erat ſicut æſtus vernus, incipiens a regione labiorum, & ſe diffundens circum genas, & inde uſque ad aures, & aſcendens quoque ad oculos, deſcendens etiam verſus mediam pectoris regionem. Qui adhuc plus affecti ſunt delectatione Verbi Domini, & ejus interioribus, quæ Ipſe Dominus docuerat, eorum Calor mecum communicatus interior erat, incipiendo a pectore, aſcendendo inde verſus mentum, & deſcendendo verſus lumbos. Qui adhuc magis delectati & affecti ſunt, Calor eorum adhuc interius jucundior & magis vernus fuit, & quidem a lumbis ſurſum verſus pectus, & inde per ſiniſtrum brachium ad manus: inſtruebar ab Angelis, quod ita ſe res habeat, & quod approximatio illorum tales calores ſiſtat, quamvis illi eos non ſentiant, quia in illis ſunt; ſicut ſolent infantes, pueri, & adoleſcentes, non ſentire ſuum calorem quem habent præ adultis & ſenibus, quia in illo ſunt. Calor quoque ſentitus eorum, qui quidem delectati ſunt Verbo, ſed de ejus intellectu non ſolliciti fuerunt, erat ſolum in brachio dextro. Quod Calorem attinet, poſſunt etiam mali ſpiritus artificiis ſuis producere calorem, qui mentitur jucundum, & eum cum aliis communicare, ſed eſt modo calor externus abſque origine ab internis; talis calor eſt qui putreſcit, & faceſſit in excrementitium, ſicut calor adulterorum, & illorum qui ſpurcis voluptatibus immerſi ſunt.*

1774. *Sunt ſpiritus, qui de interioribus Verbi nihil audire volunt, imo quamvis poſſunt intelligere uſque nolunt, ſunt ii imprimis qui in operibus poſuerunt meritum, & qui ideo quia bona ex amore ſui & mundi, ſeu propter dignitatem aut opulentiam ſibi acquirendam, & famam inde, fecerunt, ita non propter Regnum Domini; tales in altera vita volunt præ cæteris intrare in cælum, ſed extra cælum manent, nam nolunt*

 imbui

imbui cognitionibus veri, & ita affici bono, ſenſum Verbi ex litera ſecundum ſuas phantaſias interpretando, & quicquid aſſenſu favet cupiditatibus, producendo: tales repræſentabantur per Vetulam faciei indecoræ, ſed uſque pallide niveæ, cui inerant inordinata, a quibus deformis: at vero, qui interiora Verbi admittunt & amant, repræſentabantur per puellam in ſua prima virginea ætate, ſeu flore juventutis decore veſtitam, cum corollis & cæleſtibus decoramentis.

1775. *Loquutus ſum cum quibuſdam ſpiritibus de Verbo, quod neceſſum fuerit, ut aliqua Revelatio, ex Divina Domini Providentia, exſtiterit; nam Revelatio ſeu Verbum eſt commune vas recipiens ſpiritualium & cæleſtium, ita conjungens cælum & terram, alioquin disjuncta fuiſſent, & periiſſet humanum genus: præter quod alicubi cæleſtes veritates eſſent, quibus inſtrueretur homo, quia ad cæleſtia natus, & poſt vitam corporis inter cæleſtes venire debet; ſunt enim veritates fidei leges ordinis in Regno; in quo victurus in æternum.*

1776. *Paradoxon poteſt videri, ſed uſque eſt veriſſimum, quod Angeli melius & plenius intelligant ſenſum internum Verbi, cum infantes pueri & puellæ legunt illud, quam cum adulti qui non in fide charitatis; cauſa mihi dicta, quia infantes pueri & puellæ ſunt in ſtatu amoris mutui & innocentiæ, ita vaſa illorum tenerrima pœne cæleſtia, & modo facultates recipiendi, quæ ita a Domino diſponi queunt, tametſi hoc ad illorum perceptionem non perveniat, niſi per jucundum quoddam illorum geniis conforme. Ab Angelis dictum, quod Verbum Domini ſit litera mortua, ſed quod in legente vivificetur a Domino ſecundum cujuſvis facultatem, & quod vivum fiat, ſecundum ejus charitatis vitam & innocentiæ ſtatum, & hoc cum innumerabili varietate.*

1777. *Continuatio ſequitur ad finem hujus Capitis.*

CAPUT XV.

1. POST verba hæc, factum eſt verbum JEHOVÆ ad Abram, in viſione, dicendo, ne timeas Abram, Ego clypeus tibi, merces tua multa valde.

2. Et dixit Abram, DOMINE JEHOVIH, quid dabis mihi, & ego ambulans improlis, & filius procurator domus meæ, is Damaſcenus Eliezer.

3. Et dixit Abram, en mihi non dediſti ſemen, & ecce filius domus meæ hæreditans me.

4. Et ecce verbum JEHOVÆ ad illum, dicendo, non hæreditabit te hic, verum qui egredietur e viſceribus tuis, ille hæreditabit te.

5. Et educens illum foras, & dixit, ſpecta quæſo verſus cœlum, & numera ſtellas, ſi poteris numerare illas, & dixit illi, ita erit ſemen tuum.

6. Et credidit in JEHOVAM, & imputavit illud ipſi in juſtitiam.

7. Et dixit ad illum, Ego JEHOVAH, Qui eduxi te ex Ur Chaldæorum, ad dandum tibi terram hanc, ad hæreditandum illam.

8. Et dixit, DOMINE JEHOVIH, ex quo cognoſcam quod hæreditabo illam.

9. Et dixit ad illum, accipe tibi vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem, & turturem, & pullum.

10. Et accepit ſibi omnia illa, & partitus eſt illa in medium, & dedit quamvis partem ſuam obviam alteri, & volucrem non partitus.

11. Et deſcendit volatile ſuper corpora, & abegit illa Abram.

12. Et fuit, ſol ad occidendum, & ſopor cecidit ſuper Abram, & ecce terror tenebrarum magnarum cadens ſuper illum.

13. Et dixit Abramo, cognoſcendo cognoſces, quod peregrinum erit ſemen tuum in terra, non illis, & ſervient iis, & affligent illos quadringentis annis.

14. Et etiam gentem, cui ſervient, judicabo Ego, & poſtquam ita, exibunt acquiſitione magna.

15. Et tu venies ad patres tuos in pace, ſepelieris in ſenio bono.

16. Et generatione quarta redibunt huc, quia non conſumata iniquitas Emoræorum uſque huc.

17. Et fuit, ſol occidit, & caligo facta, & ecce, furnus fumi, & fax ignis, quæ tranſivit inter ſegmenta illa.

18. In die illo pepigit JEHOVAH cum Abramo fœdus, dicendo, ſemini tuo dabo terram hanc, a fluvio Ægypti, uſque fluvium magnum, fluvium Phrath.

19. Kenitam, & Keniſſitam, & Kadmonitam.

20. Et Chittitam, & Periſitam, & Rephaim.

21. Et Emoritam, & Canaanitam, & Girgaſchitam, & Jebuſitam.

CONTENTA.

1778. Continuatur hic de Domino, in ſenſu interno, poſtquam in pueritia ſuſtinuit graviſſimas pugnas tentationum, & illas contra amorem, quem fovit erga univerſum genus humanum, in ſpecie erga Eccleſiam; quare anxius de futuro ſtatu, Ipſi promiſſio facta; at una oſtenſum, qualis ſtatus Eccleſiæ fieret circa fines, cum exſpirare inciperet, ſed uſque quod nova Eccleſia reviviſceret quæ ſubitura loco prioris, & Regnum cœleſte immenſum augeretur.

1779. Conſolatio Domini poſt pugnas tentationum, de quibus in Capite præcedente, verſ: 1.

1780. Querela Domini de Eccleſia, quod ſolum Externa ſit, verſ: 2, 3. Promiſſio de Interna, verſ: 4. De ejus Multiplicatione, verſ: 5. Quod Dominus Juſtitia, verſ: 6. Et Ipſi Soli Regnum in cœlis & in terris, verſ: 7.

1781. Et quia voluit certus fieri quod ſalvaretur Genus humanum, verſ: 8. Ipſi oſtenſum, quomodo ſe habet cum Eccleſia in communi, in ſpecie, & in particulari, verſ: 9 ad 17.

1782. Vitula, capra, aries, ſunt repræſentativa cœleſtium Eccleſiæ, turtur & pullus ſunt ſpiritualium ejuſdem, verſ: 9. Eccleſia ab una parte, & Dominus ab altera, verſ: 10. Quod Dominus mala & falſa diſſiparet, verſ: 11. Sed quod uſque falſa infeſtarent illam, verſ: 12, 13. A quibus liberatio, verſ: 14. Ita Domino conſolatio, verſ: 15. Sed quod mala occupatura, verſ: 16. Et ultimo non niſi quam falſitates & cupiditates regnaturæ, verſ: 17. Quod tunc Regnum Domini, & nova Eccleſia, cujus extenſio deſcribitur, verſ: 18. Falſa & mala inde expellenda ſunt gentes nominatæ, verſ: 19, 20, 21.

SENSUS INTERNUS.

1783. QUÆ hic continentur, ſunt, ut prius dictum, hiſtorica vera, nempe quod a Jehovah ita loquutum cum Abramo, & quod ei in hæreditatem promiſſa terra Canaan; quod ei mandatum, ut ſic poneret vitulam, capram, arietem, turturem & pullum; quod volatile deſcenderit ſuper corpora; quod ceciderit ſuper eum ſopor, & in ſopore terror tene-

brarum;

brarum; & cum ſol occidiſſet, quod viſum ei ſicut furnus fumi cum face ignis inter partes, præter cætera; hæc ſunt hiſtorica vera, ſed uſque omnia & ſingula, quoad minimum facti, repræſentativa, & ipsa verba quibus deſcribuntur, quoad minimam jotham ſignificativa, hoc eſt, in omnibus & ſingulis eſt ſenſus internus; ſunt enim omnia & ſingula, quæ in Verbo, inſpirata, & quia inſpirata, non poſſunt aliter quam eſſe ab origine cœleſti, hoc eſt, cœleſtia & ſpiritualia in ſinu ſuo recondere, aliter nuſquam foret Verbum Domini; hæc ſunt quæ continentur in ſenſu interno; qui ſenſus cum patet, obliteratur ſenſus literæ ſicut nullus foret, ut & viciſſim, cum ad ſolum ſenſum hiſtoricum ſeu literæ attenditur, obliteratur ſenſus internus, ſicut nullus foret: hæc ſe habent ſicut Lux cœleſtis ad lucem mundi, & viciſſim ſicut lux mundi ad Lucem cœleſtem; cum apparet Lux cœleſtis, tunc lux mundi eſt ſicut caligo, quod per experientiam mihi notum factum eſt, at cum quis in luce mundi eſt, tunc Lux cœleſtis, ſi apparet, foret ſicut caligo; ſimiliter ac in mentibus humanis, qui in ſapientia humana ſeu in ſcientiis ponit omne, ei ſapientia cœleſtis apparet ſicut obſcurum nullum, at qui in ſapientia cœleſti eſt, ei ſapientia humana eſt ſicut commune quoddam obſcurum, in quo niſi cœleſtes radii inſunt, foret ſicut caligo.

1784. Verſ: 1. *Poſt verba hæc, factum eſt verbum Jehovæ ad Abramum, in viſione, dicendo ne timeas Abram, Ego clypeus tibi, merces tua multa valde.* Poſt verba hæc factum eſt verbum Jehovæ ad Abramum in viſione, ſignificat poſt pugnas in pueritia quod revelatio; viſio eſt intima revelatio quæ perceptionis: ne timeas Abram, Ego clypeus tibi, ſignificat tutationem contra mala & falſa cui confiditur: merces tua magna, ſignificat finem victoriarum.

1785. Quod poſt verba hæc factum verbum Jehovæ ad Abramum in viſione, ſignificet poſt pugnas in pueritia quod revelatio, conſtat a ſignificatione verborum, tum verbi Jehovæ ad Abramum, ut & a ſignificatione viſionis; per verba in Lingua Hebræa ſignificantur res, hic res peractæ, quæ ſunt pugnæ tentationum Domini, de quibus in Capite præcedente: verbum Jehovæ ad Abramum, non aliud eſt quam Domini verbum ſecum; at in pueritia, inque pugnis tentationum, cum Eſſentiæ nondum unitæ ut unum, non aliter apparere potuit ac revelatio; quod Internum eſt, quando agit in Externum in ſtatu & momentis, cum hoc remotius, non aliter ſiſtitur; hic ſtatus eſt, qui appellatur ſtatus humiliationis Domini.

1786. Quod viſio ſit intima revelatio quæ perceptionis, conſtare poteſt a viſionibus, quæ ſe habent ſecundum ſtatum hominis; viſio coram illis, quibus interiora clauſa ſunt, prorſus aliter ſe habet, ac viſio coram illis, quibus interiora aperta; ut pro exemplo, cum Dominus apparuit toti congregationi in Monte Sinai, apparitio illa fuit viſio, quæ alia fuit populo, quam Aharoni, & alia Aharoni quam Moſi, porro alia viſio fuit Prophetis quam Moſi; Viſionum dantur plures ſpecies, de quibus ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: viſiones eo perfectiores ſunt, quo interiores, apud Dominum omnium perfectiſſima fuit, quia Ipſi tunc Perceptio omnium quæ in mundo ſpirituum & in cœlis, & Ipſi cum Jehovah immediata communicatio;

hæc

hæc communicatio per viſionem, in qua apparuit Jehovah Abramo, repræſentatur, & in ſenſu interno ſignificatur.

1787. Ne timeas Abram, Ego clypeus tibi, quod ſignificet tutationem contra mala & falſa cui confiditur, conſtat a ſignificatione clypei, de qua mox: hæc verba, quod nempe Jehovah clypeus & quod merces valde, ſunt verba conſolationis poſt tentationes; omnis tentatio ſecum habet aliquam ſpeciem deſperationis, alioquin non eſt tentatio, quare etiam conſolatio ſequitur; qui tentatur, in anxietates fertur, quæ inducunt ſtatum deſperationis de fine; ipſa pugna tentationis non aliud eſt: qui in certitudine eſt de victoria, is non in anxietate eſt, ita nec in tentatione: Dominus, quia ſuſtinuit omnium diriſſimas & crudeliſſimas tentationes, non potuit aliter, ac quod etiam in deſperationes actus eſſet, quas diſpelleret & evinceret propria potentia; ut ſatis conſtare poteſt a Tentatione Ipſius in Gethſemane, de qua ita apud Lucam, "Cum Jeſus eſſet in loco, dixit diſcipulis, orate ut non ingrediamini in "tentationem; Ipſe autem abſtractus eſt ab illis quaſi ad jactum lapidis, & "ponens genua oravit, dicens, Pater, ſi velis, ut tranſeat calix hic a Me, "attamen non voluntas mea, ſed tua fiat: viſus autem Ipſi angelus e cœlo "confortans Ipſum; cumque eſſet in angore, intentius oravit; factus vero ſu-"dor Ipſius ut guttæ ſanguinis deſcendentes ſuper terram," xxii: 40 ad 45. Apud Matthæum, "Incipit affici dolore & angore; tunc dixit diſcipulis, "mæſta tota eſt anima mea uſque ad mortem, & progreſſus paulum cecidit "ſuper faciem ſuam precans, dicens, Pater Mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a "Me calix hic; veruntamen non ſicut Ego volo, ſed ſicut Tu: rurſus ſecunda "vice abiit, & precatus eſt, dicens, Pater Mi, ſi non poteſt hic calix tran-"ſire a Me, niſi bibero illum, fiat voluntas tua; & precatus eſt tertia vice, "idem verbum dicens," xxvi: 36 ad 44. Apud Marcum, "Cæpit expave-"ſcere & valde angi, dixit diſcipulis mæſtitia circumdata eſt anima mea uſque "ad mortem, progreſſus paululum, cecidit ſuper terram, & oravit, ut, ſi "poſſibile eſſet, tranſiret ab Ipſo hora, dixit, abba Pater, omnia poſſibilia "Tibi, transfer calicem a Me hunc, non tamen ut Ego volo, ſed ſicut Tu: "hoc ſecundo, & hoc tertio," xiv: 33 ad 41. Ex his conſtare poteſt, quales Domini Tentationes fuerunt, quod omnium immaniſſimæ, & quod Ipſi ab intimis angor, uſque ad ſudores ſanguinis, & quod tunc in ſtatu deſperationis de fine & eventu, & quod Ipſi conſolationes; hæc verba, Ego Jehovah clypeus tuus, & merces tua valde, involvunt ſimiliter conſolationem poſt pugnas tentationum, de quibus in Capite præcedente actum.

1788. Quod clypeus ſit tutatio contra mala & falſa cui confiditur, conſtat abſque explicatione, nam ex frequenti uſu loquutio familiaris facta eſt, quod Jehovah clypeus & ſcutum: quid autem in ſpecie per clypeum ſignificatur, conſtare poteſt a Verbo, nempe reſpective ad Dominum tutatio, & reſpective ad hominem confidentia in tutatione Domini; ſicut bellum ſignificat tentationes, ut oſtenſum n: 1664, ita omnia arma belli aliquid ſpeciale tentationis, & defenſionis contra mala & falſa, ſeu contra diabolicam turbam, quæ inducit tentationem & tentat; quare aliud

aliud ſignificat clypeus, aliud ſcutum, aliud parma, aliud galea, aliud haſta, tum lancea, aliud gladius, aliud arcus & tela, aliud lorica, de quibus ſingulis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus: quod clypeus ſignificet reſpective ad Dominum tutationem contra mala & falſa, & reſpective ad hominem confidentiam in Domino, cauſa eſt, quia tutamen pectoris fuit, & per pectus ſignificatum bonum & verum, bonum quia inibi cor, & verum quia inibi pulmo; quod clypeus id ſignificet, conſtat apud Davidem, "Benedi-" "ctus Jehovah rupes mea, docens manus meas *pugnam*, digitos meos bellum, "miſericordia mea, & propugnaculum meum, arx munita mea, & ereptor "meus mihi, *Clypeus meus & in quo confido*," Pſalm: CXLIV: 1, 2. ubi pugna & bellum eſt tentationum, & ibi tentationum Domini in ſenſu interno; clypeus reſpective ad Jehovam eſt tutatio, reſpective ad hominem, confidentia, ut manifeſte patet: apud Eundem, "O Iſrael, *confide in Jehovah*, auxi-" "lium illorum, & *Clypeus* illorum Ipſe: domus Aharonis *confidite in Jeho-* "*vah*, auxilium eorum, & *Clypeus* eorum Ipſe: timentes Jehovæ *confidite* "*in Jehovah*, Hic auxilium eorum, & *Clypeus* eorum Ipſe," Pſalm: CXV: 9, 10, 11, ſimiliter: apud Eundem, "Jehova propugnaculum meum, Deus "meus Cui *confidam*, ala ſua obteget te, & ſub alis tuis *confides*, *ſcutum* & "*parma* veritas Ipſius," Pſalm: XCI: 2, 4. ubi ſcutum & parma pro tutatione contra falſa: apud Eundem, "Jehovah petra mea, & propugnaculum "meum, & ereptor meus, Deus meus, rupes mea, *cui confido*, *Clypeus meus*, "& cornu ſalutis meæ," *Clypeus Jehovah omnibus confidentibus in Ipſo*," Pſalm: XVIII: 3, 31, ſimiliter: apud Eundem, "Qui probas corda & re-" "nes, Deus juſtus, *Clypeus* meus ſuper Deo ſalvante rectos corde," Pſalm: VII: 10, 11. pro confidentia. Apud Eundem, "Dediſti mihi *Clypeum* ſalu-" "tis tuæ, & dextra tua ſuſtentabit me," Pſalm: XVIII: 36, pro confidentia. apud Eundem, "Deo *Clypei terræ*, valde exaltatus eſt," Pſalm: XLVII: 10. pro confidentia. Apud Eundem, "Sol & *Clypeus Jehovah Deus*, gratiam & "gloriam dabit Jehovah, non prohibebitur bonum ab ambulantibus in in-" "tegritate," Pſalm: LXXXIV: 12, pro tutatione. Apud Moſen, "Beati-" "tudines tuæ, tu Iſrael, quis ſicut tu, populus ſalvatus in Jehovah, *Clypeus* "auxilii tui, & qui *gladius* excellentiæ tuæ, & fallentur hoſtes tui tibi," Deut: XXXIII: 29, clypeus pro tutatione. Sicut arma belli prædicantur de illis qui in pugnis tentationum ſunt, ita quoque eadem arma belli prædicantur de hoſtibus qui impugnant & tentant, & tunc contraria ſignificant, ut clypeus mala & falſa, ex quibus pugnant, & quæ defendunt, & in quibus confidunt; ut apud Jeremiam, "Diſponite *Clypeum* & *ſcutum*, & acce-" "dite ad *prælium*, alligate equos, & aſcendite equites, & ſiſtite vos in *ga-* "*leis*, expolite *lanceas*, induite loricas," XLVI: 3, 4. præter pluries alibi.

1789. Merces tua magna, quod ſignificet finem victoriarum, conſtat a ſignificatione Mercedis, quod ſit præmium poſt pugnas tentationum, hic finis victoriarum, quia Dominus nuſquam aliquod præmium victoriæ pro ſe exſpectavit; præmium victoriarum Ipſius, fuit Salus univerſi generis humani, ex amore erga univerſum genus humanum pugnavit; qui ex amore hoc pugnat, ſibi

ſibi non aliquod præmium poſcit, quia amor ille eſt talis, ut omnia ſui dare & transferre velit in alios, & nihil pro ſe habere; quare ſalus univerſi generis humani ſignificatur hic per mercedem.

1790. Verſ. 2. *Et dixit Abram, Domine Jehovih, quid dabis mihi, & ego ambulans improlis, & filius procurator domus meæ, is Damaſcenus Eliezer.* Dixit Abram, Domine Jehovih, ſignificat Domini perceptionem; Abram eſt Interior Homo; Dominus Jehovih eſt Internus reſpective ad Interiorem; quid dabis mihi, & ego ambulans improlis, ſignificat quod nulla Eccleſia Interna: & filius procurator domus meæ, ſignificat Eccleſiam Externam: is Damaſcenus Eliezer, eſt Eccleſia Externa.

1791. Dixit Abram, Domine Jehovih, quod ſignificet Domini perceptionem, conſtare poteſt inde, quod Dominus intimam & perfectiſſimam omnium perceptionem habuerit; Perceptio erat, ut prius dictum, ſenſatio & cognitio perceptiva omnium quæ fiebant in cœlo, fuitque continua communicatio & interna colloquutio cum Jehovah, quæ ſola Domino fuit; hæc in ſenſu interno intelligitur per id quod dixerit Abram ad Jehovam, ita repræſentata per Abramum quando loquutus cum Jehovah; ſimiliter in ſequentibus, ubi occurrit, quod Abram dixerit ad Jehovam.

1792. Quod Abram ſit Interior homo, ſeu quod Abram repræſentaverit Interiorem ſeu Rationalem Hominem Domini, prius dictum eſt; quid Interior Domini Homo, in Capite præcedente indicatum eſt.

1793. Quod Dominus Jehovih, ſit Internus reſpective ad Interiorem, conſtat ex illis quæ de Interno Homine Domini dicta ſunt, quod nempe fuerit Ipſe Jehovah, a Quo conceptus, & cujus unicus Filius, cui Domini Humanum unitum factum, poſtquam maternum, hoc eſt illud, quod a matre traxit, per pugnas tentationum purificaverit; in Verbo ſæpius occurrit Dominus Jehovih, imo quoties Jehovah Dominus dicitur, appellatur non Dominus Jehovah ſed Dominus Jehovih, & hoc imprimis, ubi de tentationibus agitur, ut apud Eſaiam, "Ecce *Dominus Jehovih* in forti venit, & brachium Ipſius dominans Ipſi, ecce *Merces* Ipſius cum Ipſo, & opus Ipſius coram Ipſo, ſicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachium ſuum colliget agnos, & in gremio ſuo portabit, lactentes ducet," XL: 10, 11. ubi Dominus Jehovih in forti venit de victoria in pugnis tentationum, brachium Ipſius dominabitur Ipſi, pro quod ex propria potentia; quid merces, de qua in verſ: præc. hic dicitur, nempe quod ſalus univerſi generis humani, hoc eſt, ut paſtor gregem paſcat, in brachium colligat agnos, in gremio portet, lactentes ducat, quæ omnia ſunt amoris intimi ſeu Divini. Apud Eundem, "*Dominus* Jehovih aperuit mihi aurem, & ego non rebellavi, retro non receſſi, corpus meum dedi percutientibus, & maxillas meas vellicantibus, facies meas non occultavi ab ignominiis & ſputo, & *Dominus Jehovih* auxiliabitur mihi; ecce *Dominus Jehovih* auxiliabitur mihi,' L: 5, 6, 7, 9. ibi manifeſte de tentationibus, præter alibi.

1794. Quid dabis mihi, & ego ambulans improlis, quod ſignificet quod nulla Eccleſia Interna, conſtare poteſt a ſignificatione ambulare improlis;

ambulare

ambulare in ſenſu interno eſt vivere, ut oſtenſum prius, n: 519; improlis autem, cui non ſemen ſeu poſteritas propria, de qua in verſibus ſeq: 3, 4, 5 agitur, ubi quid improlis, ſeu cui non ſemen, explicatur.

1795. Et filius procurator domus meæ, quod ſignificet Eccleſiam Externam, conſtat a ſignificatione procuratoris domus in ſenſu interno, hoc eſt, reſpective ad Eccleſiam; Eccleſia Externa dicitur Procurator domus, cum ipſa Eccleſia Interna Domus, & paterfamilias Dominus; Eccleſia Externa non aliter ſe habet; omnis enim procuratio pertinet ad Externum Eccleſiæ, ſicut adminiſtratio ritualium, & plurium quæ ſunt Templi & ipſius Eccleſiæ, hoc eſt, Domus Jehovæ ſeu Domini. Externa Eccleſiæ abſque internis nihili ſunt, ſed ab internis habent, quod ſint, & talia ſunt qualia interna; ſe habet hoc ſicut homo, externum ejus ſeu corporeum eſt in ſe quoddam nullum, niſi internum ſit quod animet & vivificet, quale itaque eſt internum, tale eſt externum; ſeu qualis eſt animus & mens, talis æſtimatio omnium quæ exiſtunt per externum ſeu corporeum; quæ cordis ſunt, faciunt hominem, non quæ oris & geſtuum; ita quoque Interna Eccleſiæ; ſed uſque Externa Eccleſiæ ſe habent ſicut Externa hominis, quod procurent & adminiſtrent, ſeu quod idem eſt, Externus ſeu corporeus homo ſimiliter dici poteſt procurator ſeu adminiſtrator domus, cum domus eſt interiorum: ex his patet, quid improlis, nempe cum non Internum Eccleſiæ, ſed modo Externum, ſicut fuit tempore illo, de quo Dominus conqueſtus.

1796. Is Damaſcenus Eleazar, quod ſit externa Eccleſia, exinde nunc conſtat, tum ex ſignificatione Damaſceni; Damaſcus fuit urbs principalis Syriæ, ubi reliquiæ cultus Eccleſiæ Antiquæ fuerunt, & unde Heberus ſeu gens Hebræa, apud quam non niſi quam Externum Eccleſiæ fuit, ut prius dictum, n: 1238, 1241. ita ibi non niſi quam procuratio domus. Quod in his ſit aliquid deſperationis, proinde tentationis Domini, patet ex verbis, tum ex conſolatione, quæ ſequitur de Eccleſia Interna.

1797. Verſ: 3. *Et dixit Abram, en mihi non dediſti ſemen, & ecce filius domus meæ hæreditans me.* Dixit Abram, en mihi non dediſti ſemen, ſignificat quod non internum Eccleſiæ, quod eſt amor & fides: ecce filius domus meæ hæreditans me, ſignificat quod Externum modo foret in Regno Domini.

1798. Quod dixit Abram, en mihi non dediſti ſemen, ſignificet quod non Internum Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione ſeminis, quod ſit amor & fides, de qua prius, n: 255, 256. 1025, & in ſequentibus a ſignificatione hæredis: quod amor & inde fides ſit Internum Eccleſiæ, prius aliquoties dictum & oſtenſum eſt; non alia fides, quæ internum Eccleſiæ eſt, intelligitur, quam quæ eſt amoris ſeu charitatis, hoc eſt, quæ eſt ex amore ſeu charitate: Fides in ſenſu communi eſt omne doctrinale Eccleſiæ; ſed Doctrinale ſeparatum ab amore ſeu charitate nuſquam facit Internum Eccleſiæ, nam doctrinale eſt ſolum ſcientia, quæ eſt memoriæ, quæ datur quoque apud peſſimos, etiam apud infernales; ſed doctrinale, quod eſt ex charitate, ſeu quod eſt charitatis, hoc facit Internum, nam hoc eſt vitæ; ipſa vita eſt internum omnis cultus, & ſic omne doctrinale, quod fluit ex vita charitatis, hoc doctrinale eſt quod eſt

 fidei,

fidei, quæ hic intelligitur : quod hæc fides ſit, quæ Internum eſt Eccleſiæ conſtare poteſt ex eo ſolo, quod, qui vitam charitatis habet, norit omnia fidei ; ſi velis, explores modo doctrinalia, quæ & qualia ſunt, anne omnia ſint charitatis, proinde fidei ex charitate ; ut ſolum Præcepta decalogi, cujus Primum eſt, ut colas Dominum Deum, qui vitam amoris ſeu charitatis habet, is colit Dominum Deum, quia hoc eſt vita ipſius : Alterum, ut Sabbathum obſerves, qui in amoris vita eſt, ſeu in charitate, is ſancte obſervat Sabbathum, nam nihil ei dulcius eſt, quam colere Dominum, & glorificari ipſum omni die : præceptum ne Occidas, hoc prorſus eſt charitatis, qui amat proximum ut ſemet, horret quicquam facere quod illum lædit, magis illum occidere : ne Fureris, ſimiliter, qui enim vitam charitatis habet, is potius ex ſuo dat proximo, quam ut quicquam ei auferat : ne Adulteris, pariter, qui in charitatis vita eſt, proximi uxorem potius cuſtodit, ne aliquis tale damnum ei inferat, & adulterium ſpectat ut facinus contra conſcientiam, & tale, quod amorem conjugialem & ejus debita, deſtruit : Concupiſcere quæ ſunt proximi, ſunt quoque contra illos, qui in charitatis vita ſunt, nam charitatis eſt velle aliis bonum ex ſe & ſuo, ita nuſquam concupiſcunt, quæ alterius ſunt : hæc ſunt præcepta decalogi, quæ exteriora doctrinalia fidei, quæ ab illo qui in charitate & ejus vita eſt, non memoria tenus ſciuntur, ſed ſunt in corde ejus, & illa habet ſibi inſcripta, quia ſunt in charitate, ita in ipſa ejus vita : præter alia quæ dogmatica ſunt, quæ ſimiliter novit ex ſola charitate, vivit enim ſecundum conſcientiam recti ; rectum & verum, quod non ita poteſt intelligere & explorare, hoc credit ſimpliciter ſeu ex ſimplici corde, quod ita ſit, quia Dominus ita dixit, & qui ita credit, is non malum facit, tametſi non eſſet verum in ſe, ſed verum apparens ; ut pro exemplo, quod Dominus iraſcatur, puniat, tentet, & ſimilia ; tum quoque, quod in Sacra Cœna Panis & Vinum ſit ſignificativum quid, vel quod caro & ſanguis adſit aliquo modo quo explicant, hoc nihil facit, ſive unum ſive alterum dicant, tametſi pauci ſunt qui de hoc cogitant, ſique cogitant, modo fiat ex ſimplici corde, quia ita inſtructi, & uſque in charitate vivunt ; ii cum audiunt, quod Panis & Vinum in ſenſu interno ſignificent amorem Domini erga univerſum genus humanum, & quæ amoris ſunt, & reciprocum hominis in Dominum & erga proximum, illico credunt, & gaudent, quod ita ſe habeat ; nuſquam illi qui in doctrinalibus ſunt, & non in charitate, hi litigant de omni, & damnant quoſcunque, qui non dicunt, quod vocant *Credere*, ſicut illi : ex his conſtare unicuivis poteſt, quod Amor in Dominum, & Charitas erga proximum ſit Internum Eccleſiæ.

1799. Quod ecce filius domus meæ hæreditans me, ſignificet quod Externum modo foret in Regno Domini, conſtat ex ſignificatione hæredis & hæreditare in ſenſu interno ; hæres fieri ſeu hæreditare, ſignificat vitam æternam in Regno Domini ; omnes, qui in Regno Domini, ſunt hæredes, nam vivunt ex vita Domini, quæ eſt vita amoris mutui, & inde appellantur filii ; Domini filii ſeu hæredes ſunt omnes qui in Ipſius vita ſunt, quia ex Ipſo illorum vita, & ab Ipſo nati, hoc eſt, regenerati ; qui ab aliquo naſcuntur, ſunt hæredes, ita omnes qui a Domino regenerantur, nam tunc vitam accipiunt Domini.

mini. Sunt in Regno Domini, Externi, Interiores, & Interni; Spiritus boni, qui in Primo Cœlo, ſunt Externi; Spiritus angelici, qui in Altero cœlo, ſunt Interiores; Angeli qui in Tertio, ſunt Interni; qui Externi ſunt, non ita propinqui aut prope ſunt Domino, ac qui Interiores, nec hi ita propinqui ſeu prope, ac qui Interni; Dominus ex Amore Divino, ſeu Miſericordia, omnes vult habere prope ſe; utque non foris ſtent, hoc eſt, in Primo Cœlo, ſed vult ut in Tertio, & ſi poſſet, non modo apud Se, ſed in Se; talis eſt Amor Divinus ſeu Domini: & quia Eccleſia tunc ſolum erat in Externis, conqueſtus hic eſt, dicens, ecce filius domus meæ hæreditans me, quo ſignificatur, quod ſic Externum modo eſſet in Regno Ipſius; ſed conſolatio ſequitur, & promiſſio de Internis, in verſibus mox ſequentibus; quid Externum Eccleſiæ dictum eſt prius, n: 1083, 1098, 1100, 1151, 1153. ipſum Doctrinale, non facit Externum, minus Internum, ut ſupra dictum, nec diſtinguit apud Dominum Eccleſias, ſed eſt Vita ſecundum doctrinalia, quæ omnia, dum vera ſunt, ſpectant Charitatem, ut ſuum fundamentale; quid Doctrinale, niſi ut doceat quomodo homo erit: in orbe Chriſtiano, ſunt Doctrinalia, quæ diſtinguunt Eccleſias, & vocant ſe inde Romano-Catholicos, Lutheranos, Calviniſtas, ſeu Reformatos, & Evangelicos, præter alia Nomina; quod ita dicantur, eſt ex ſolo Doctrinali, quod nuſquam ita foret, ſi Amorem in Dominum, & Charitatem erga proximum, facerent principale fidei, tunc forent illa ſolum varietates opinionum de myſteriis fidei, quas vere Chriſtiani unicuique relinquerent ſecundum ſuam conſcientiam, & corde ſuo dicerent, quod vere Chriſtianus ſit, quando vivit ſicut Chriſtianus, ſeu ſicut Dominus docet; ita ex omnibus diverſis Eccleſiis fieret una, ac omnia diſſidia, quæ ex ſolo Doctrinali exiſtunt, evaneſcerent, imo odia unius contra alium momento diſſiparentur, & fieret Regnum Domini in terris. Eccleſia Antiqua, proxime poſt diluvium, tametſi per plura Regna ſparſa, uſque talis fuit, nempe quod quoad Doctrinalia inter ſe multum differrent, ſed uſque principale fecerunt Charitatem, & cultum ſpectarunt non a Doctrinalibus quæ fidei, ſed a Charitate quæ vitæ, quod intelligitur per id, quod omnibus fuit unum labium, & una verba, Geneſ: Cap: XI: 1. de quibus videatur, n: 1285.

1800. Verſ: 4. *Et ecce verbum Jehovæ ad illum, dicendo, non hæreditabit te hic, verum qui egredietur e viſceribus tuis, ille hæreditabit te.* Ecce verbum Jehovæ ad illum, ſignificat reſponſum: dicendo, non hæreditabit te hic, ſignificat quod externum non erit hæres Regni Ipſius: verum qui egredietur e viſceribus tuis, ſignificat illos qui in amore in Ipſum & in amore erga proximum: ille hæreditabit te, ſignificat quod illi hæredes fient.

1801. Ecce verbum Jehovæ ad illum, quod ſignificet reſponſum, nempe quod non erit Externum Eccleſiæ, ſed erit Internum, ut conſtat ab illis quæ ſequuntur; verbum Jehovæ ſeu reſponſum, hoc eſt, conſolatio.

1802. Dicendo non hæreditabit te hic, quod ſignificet, quod Externum non erit hæres Regni Ipſius, conſtat a ſignificatione hæres fieri aut hæreditare, de qua mox prius; hæres Regni Domini non eſt Externum ſed eſt Internum; Externum quoque eſt ſed per Internum, nam tunc unum agunt: ut ſciatur quomodo hoc ſe habet, tenendum, quod omnes qui in Cœlis, tam qui in

Primo, quam qui in Altero, ſicut qui in Tertio, hoc eſt, tam qui Externi ſunt, quam qui Interiores, ſicut qui Interni, ſunt hæredes Regni Domini, nam omnes unum Cœlum faciunt; in Cœlis Domini ſe prorſus habent Interna & Externa, ſicut apud hominem; Angeli qui in Primo cœlo, ſubordinati ſunt Angelis qui in Secundo, & hi ſubordinati Angelis qui in Tertio, ſed ſubordinatio non eſt imperii, verum eſt, ſicut in homine, influxus internorum in exteriora, influit nempe Domini vita per Cœlum tertium in alterum, & per hoc in primum, hoc per ordinem ſucceſſionis, præter quod etiam immediate in omnes Cœlos; Angeli interiores ſeu ſubordinati non ſciunt, quod ita ſe habeat, niſi detur illis reflexio a Domino, ita non eſt ſubordinatio imperii: quantum Internum eſt apud Angelum tertii cœli, tantum eſt hæres Regni Domini, tum quantum Internum eſt apud Angelum ſecundi cœli, tantum eſt hæres, ſimiliter quantum Internum eſt apud Angelum primi cœli, tantum quoque eſt hæres, Internum facit hæredem eſſe; apud Angelos interiores plus eſt Internum, quam apud Angelos exteriores, quare propriores ſunt Domino, & magis hæredes: Internum eſt amor in Dominum, & charitas erga proximum, quantum itaque amoris & charitatis habent, tantum ſunt filii ſeu hæredes, nam tantum habent a Domini vita. Sed a Primo ſeu Externo Cœlo nuſquam aliquis, in Alterum ſeu Interius Cœlum evehi poteſt, priuſquam inſtructus eſt in bonis amoris & veris fidei, quantum inſtructus, tantum poteſt evehi & venire inter Spiritus angelicos; ſimiliter hi antequam evehi ſeu venire poſſint in Cœlum tertium, ſeu inter angelos; per inſtructionem formantur interiora, & ſic interna, & adaptantur ad recipiendum bona amoris & vera fidei, & ſic perceptionem boni & veri; nemo poteſt percipere, quod non ſcit & credit, ita non donari facultate percipiendi bonum amoris & verum fidei, niſi per cognitiones, ut norit quid ſit & quale ſit; ſimiliter ſe habet cum omnibus, etiam cum infantibus, qui omnes inſtruuntur in Regno Domini, at hi facile, quia nullis principiis falſi imbuti: ſed inſtruuntur modo in veritatibus communibus, quæ cum recipiunt, tunc indefinita ſunt quæ percipiunt; ſe habet hoc, ſicut qui perſuaſus eſt de aliqua veritate in communi, is communium particularia, & particularium ſingularia, quæ confirmantia ſunt, facile & quaſi ex ſe, aut ſponte, arripit, a veritate enim in communi afficitur, inde etiam ab ejuſdem veritatis particularibus & ſingularibus, quæ confirmant, nam hæc cum jucunditate & amœnitate intrant in communem affectionem, & ſic illam jugiter perficiunt; hæc ſunt interna, per quæ hæredes dicuntur, ſeu per quæ hæreditare poſſunt Regnum Domini; at tunc primum hæredes ſunt, ſeu hæreditant, cum in affectione boni ſunt, hoc eſt, in amore mutuo, in quem per cognitiones boni & veri, & illorum affectiones, introducuntur; & quantum in affectione boni ſeu amore mutuo, tantum hæredes ſunt ſeu hæreditant; nam amor mutuus eſt ipſiſſimum vitale quod accipiunt ab eſſentia Domini, ut a ſuo Patre; hæc quoque conſtare poſſunt, ex illis quæ mox in verſ: 5 ſequuntur.

1803. Verum qui egredietur e viſceribus tuis, quod ſignificet illos, qui in amore in Ipſum, & in amore erga proximum, conſtat a ſignificatione viſcerum, & egredi ex viſceribus, quod ſit naſci, hic quod ſint illi, qui naſcuntur

a Do-

a Domino: qui naſcuntur a Domino, hoc eſt, qui regenerantur, Domini vitam accipiunt; Domini vita eſt, ut dictum, amor Divinus, hoc eſt, amor erga univerſum genus humanum, quod totum, ſeu quod omnes, ſi poſſibile, ſalvare velit in æternum; qui non Domini amorem habent, hoc eſt, qui non proximum amant ſicut ſe, nuſquam habent Domini vitam, ita nuſquam ab Ipſo nati, ſeu a viſceribus Ipſius egreſſi ſunt, quare non poſſunt eſſe hæredes Regni Ipſius; ex quibus conſtat, quod per egredi e viſceribus, in ſenſu interno, hic ſignificentur illi, qui in amore in Ipſum, & in amore erga proximum ſunt, ut apud Eſaiam, "Sic dixit Je- "hovah Redemptor tuus, Sanctus Iſraelis, Ego Jehovah Deus tuus, docens "te ad proficiendum, faciens ire te in via, quam ambules, utinam auſcul- "taſſes præceptis meis, & eſſet ſicut fluvius pax tua, & juſtitia tua ſicut "fluctus maris, & eſſet ſicut arena ſemen tuum, & *egreſſi viſcerum tuorum* "ſicut ſcrupi ejus," XLVIII: 17, 18, 19. ſemen ſicut arena pro bono, egreſſi viſcerum ſicut ſcrupi, pro vero, ita pro illis qui in amore, nam ii ſoli ſunt in amore boni & veri. Præterea Viſcera in Verbo etiam ſignificant Amorem, ſeu Miſericordiam, ex cauſa, quia viſcera generationis, imprimis Uterus maternus, repræſentant & ſic ſignificant amorem caſtum conjugialem, & inde amorem erga infantes, ut apud Eſaiam, "Commotio *Viſcerum tuorum*, & *miſerationum* tu- "arum erga me ſe continuerunt," LXIII: 15. apud Jeremiam, "Nonne "filius pretioſus mihi Ephraim, nonne natus delitiarum, propterea contur- "bata ſunt *Viſcera mea* illi, *miſerando miſerabor* illum," XXXI: 20. Inde conſtat, quod ipſe amor, ſeu ipſa miſericordia, ac miſeratio Domini erga Genus humanum, ſunt, quæ in ſenſu interno per viſcera, & per egredi e viſceribus ſignificantur, conſequenter per egreſſos viſceribus illi, qui in amore ſunt: quod Regnum Domini ſit amor mutuus, videatur prius, n: 548, 549 684, 693, 694.

1804. Quod ille hæreditabit, ſignificet quod illi hæredes fient, conſtat ex ſignificatione hæredis, de qua actum.

1805. Verſ: 5. *Et educens illum foras, & dixit, ſpecta quæſo verſus cœlum, & numera ſtellas, ſi poteris numerare illas, & dixit illi, ita erit ſemen tuum.* Educens illum foras, ſignificat Interioris Hominis viſum, qui ab externis videt interna: & dixit, ſpecta quæſo verſus cœlum, ſignificat repræſentationem Regni Domini in univerſi intuitione: & numera ſtellas, ſignificat repræſentationem bonorum & verorum in ſiderum intuitione: ſi poteris numerare illas, ſignificat fructificationem amoris & multiplicationem fidei: & dixit illi, ita erit ſemen tuum, ſignificat hæredes Regni Domini.

1806. Educens illum foras, quod ſignificet Interioris Hominis viſum qui ab externis videt interna, conſtare poteſt ex ſignificatione educere foras, & ſimul ex ſequentibus; Interna educuntur, cum quis contemplatur oculis corporis cœlum ſtelliferum, & inde cogitat de Regno Domini; quoties homo aliquid oculis ſuis videt, & illa quæ videt, ſicut non videt, ſed ex illis videt ſeu cogitat illa quæ ſunt Eccleſiæ aut quæ ſunt cœli, tunc viſus interior ſeu ſpiritus aut animæ ejus educitur foras; ipſe oculus

proprie

proprie non eſt aliud quam viſus ipſius ſpiritus eductus foras, & quidem ob finem imprimis, ut ab externis videat interna, hoc eſt, ut ab objectis in mundo jugiter reflectat ſuper illa, quæ ſunt in altera vita, nam hæc vita eſt, propter quam vivit in mundo; talis fuit Viſus Antiquiſſimæ Eccleſiæ; talis eſt Viſus Angelorum apud hominem; & talis fuit Viſus Domini.

1807. Et dixit, ſpecta quæſo verſus cœlum, quod ſignificet repræſentationem Regni Domini in univerſi intuitione, conſtat ex ſignificatione cœli; Cœlum in Verbo, in ſenſu interno, non ſignificat cœlum, quod oculis apparet, ſed Regnum Domini in univerſali & ſingulari; qui ſpectat interna ab externis, cum videt cœlum, ne hilum cogitat de cœlo ſtellifero, ſed de cœlo angelico; cumque videt ſolem, non cogitat de ſole, ſed de Domino, quod ſit Sol cœli; ſimiliter cum videt lunam, tum quoque ſtellas; imo cum videt immenſitatem cœli, non cogitat de immenſitate ejus, ſed de immenſa & infinita potentia Domini; ita quoque cum cætera, nam nihil non eſt repræſentativum; ſimiliter quæ in terris ſunt, ut cum videt auroram diei, non cogitat de aurora ſed de omnium ortu a Domino, & progreſſione in diem ſapientiæ; ſimiliter cum videt hortos, arboreta & floreta, non hæret oculus in aliqua arbore, ejus flore, folio & fructu, ſed in cœleſtibus quæ repræſentant, nec in aliquo flore, ejuſque formoſitate & amœnitate, ſed in illis quæ repræſentant in altera vita; nam nihil uſquam datur in cœlis & in terris, pulchrum & jucundum, quod non aliqua ratione eſt repræſentativum Regni Domini, de quo videatur quod dictum n: 1632, hæc ſunt ſpectare verſus cœlum, quo ſignificatur repræſentatio Regni Domini in univerſi intuitione; cauſa quod repræſentativa ſint omnia & ſingula quæ in cœlo & in terra, eſt, quia exſtiterunt, & continue exiſtunt, hoc eſt, ſubſiſtunt, ab influxu Domini per cœlum: ſe habent illa ſicut humanum corpus, quod exiſtit & ſubſiſtit per ejus animam, quare in corpore omnia & ſingula ſunt repræſentativa ejus animæ; hæc in uſu & fine eſt, corpus autem in illorum exercitio: omnes effectus, quicunque ſunt, ſimiliter ſunt repræſentativa uſuum qui ſunt cauſæ, & uſus repræſentativi finium qui ſunt principiorum. Qui in Divinis Ideis ſunt, nuſquam ſubſiſtunt in objectis viſus externi, ſed jugiter ex illis & in illis vident interna; ipſiſſima interna ſunt illa, quæ ſunt Regni Domini, ita ſunt in ipſiſſimo fine. Similiter ſe habet cum Verbo Domini; qui in Divinis eſt, nuſquam ſpectat Verbum Domini ex litera, ſed literam & ſenſum literalem ut repræſentativum & ſignificativum cœleſtium & ſpiritualium Eccleſiæ & Regni Domini, ſenſus literalis eſt illi ſolum pro medio inſtrumentali cogitandi de illis. Talis fuit viſus Domini.

1808. Et numera Stellas, quod ſignificet repræſentationem bonorum & verorum in ſiderum intuitione, conſtat ab illis quæ nunc dicta ſunt, tum a repræſentatione & ſignificatione ſtellarum, quod ſint bona & vera; Stellæ in Verbo pluries memorantur, & ubivis ſignificant bona & vera, etiam in contrario ſenſu, mala & falſa; ſeu quod idem eſt, Angelos ſeu Angelorum ſocietates, tum in contrario ſenſu ſpiritus malos & eorum conſortia; cum Angelos ſeu

ſeu Angelorum ſocietates, tunc ſunt ſtellæ fixæ, at cum ſpiritus malos & eorum conſortia, tunc ſunt ſtellæ errantes, quæ multoties viſæ. Quod omnia quæ in cœlis & in terris ſunt, repræſentativa cœleſtium & ſpiritualium ſint, inde conſtare manifeſto indicio potuit, quod ſimilia, quæ coram oculis apparent in cœlo & in terra, etiam ſiſtantur videnda in Mundo ſpirituum, & hoc tam manifeſte ſicut in clara die, & ibi non ſunt niſi repræſentativa; ſicut dum apparet Cœlum ſtelliferum, & Stellæ ibi fixæ, illico noſcitur, quod ſignificent bona & vera; & cum apparent Stellæ errantes, illico noſcitur, quod ſignificent mala & falſa; ex ipſa rutilatione & ſcintillatione ſtellarum conſtare quoque poteſt, qualia ſunt; præter innumerabilia alia; inde, ſi quis ſapienter velit cogitare, ſcire poteſt, unde eſt ortus omnium in tellure, quod nempe a Domino; & quod in tellure non idealiter, ſed actualiter exiſtant, eſt, quia omnia & cœleſtia & ſpiritualia, quæ a Domino, viva & eſſentialia ſunt, ſeu ut appellantur, ſubſtantialia, quare in ultima natura, etiam actualiter exiſtunt, videatur n: 1632. Quod ſtellæ repræſentent & ſignificent bona & vera, conſtare poteſt ab his in Verbo locis; apud Eſaiam, " *Stellæ* cœlorum & *ſidera* eorum non lucent luce " ſua, obtenebratus eſt *ſol* in egreſſu ſuo, & *luna* non ſplendere facit lucem " ſuam; & viſitabo ſuper orbem malum, & ſuper impios iniquitatem eorum, XIII: 10. ubi de die viſitationis, quiſque videre poteſt, quod per ſtellas & ſidera hic non intelligantur ſtellæ & ſidera, ſed vera & bona, & per ſolem amor, perque lunam fides, nam agitur de falſis & malis, quæ obtenebrant. Apud Ezechielem, " Obtegam, cum exſtinxero te, *cœlos*, atrabo *Stellas* eo- " rum, *ſolem* nube obtegam, & *luna* non lucere faciet lucem ſuam; omnia " *luminaria lucis* atrabo ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam, XXXII: 7, 8. ſimiliter. Apud Joelem, " Coram Ipſo commota eſt terra, contre- " muerunt *cœli*, *ſol* & *luna* atrati ſunt, & *Stellæ* contraxerunt ſplendorem " ſuum," II: 10. Cap: IV: 15. ſimiliter. Apud Davidem, " Laudate Je- " hovam *ſol* & *luna*, laudate Ipſum omnes *Stellæ lucis*, laudate Ipſum cœli " cœlorum, Pſalm: CXLVIII: 3, 4. Similiter. Quod per ſtellas non ſtellæ, ſed bona & vera, ſeu quod idem, qui in bonis & veris, ſicut Angeli, ſignificentur, manifeſte dicitur apud Johannem, " Vidi Filium Hominis habentem " in dextera ſua manu *Stellas ſeptem:* myſteria *ſeptem Stellarum*, quas vidi- " ſti ſuper dextra mea, & ſeptem candelabra; *Septem ſtellæ, Angeli ſeptem Ec-* " *cleſiarum ſunt*; ſeptem autem Candelabra, quæ vidiſti ſeptem Eccleſiæ ſunt," Apoc: I: 20. Apud Eundem, " Quartus Angelus clanxit, ita ut percuſſa ſit " tertia pars *ſolis*, & tertia pars *lunæ*, & tertia pars *Stellarum*, ut obtenebraretur " tertia pars eorum, & dies non luceret tertia ſui parte, & nox ſimiliter," Apoc: VIII: 12. hic quod bonum & verum obtenebratum ſit, clare conſtat: apud Danielem, " Exivit cornu unum exiguum, & crevit plurimum ad meridiem, & " ad ortum, & ad decus, & crevit uſque ad *exercitum cœlorum*, & dejecit " in terram de *exercitu*, & de *Stellis*, & conculcavit eas," VIII: 9, 10. manifeſte, quod exercitus cœlorum & ſtellæ ſint bona & vera, quæ conculcata.

cata. Ex his conſtare poteſt, quid intellectum per hæc Domini Verba, apud Matthæum," In conſummatione ſæculi, ſtatim poſt afflictionem dierum iſtorum, " Sol obſcurabitur, & *Luna* non dabit lumen ſuum, & *Stellæ cadent de cælo*, " & virtutes cœlorum commovebuntur," xxiv: 29. & apud Lucam, " Tunc erunt ſigna in *Sole* & *Luna* & *Aſtris*, & ſuper terra, anguſtia gen- " tium in deſperatione, reſonante mari & ſalo," xxi: 25. ubi nuſquam per ſolem ſignificatur ſol, nec per lunam luna, nec per ſtellas ſtellæ, nec per mare mare, ſed illa quæ repræſentant, nempe per ſolem cœleſtia amoris, per lunam ſpiritualia, per ſtellas bona & vera, ſeu cognitiones boni & veri, quæ circa conſummationem ſæculi, cum nulla fides, hoc eſt, nulla charitas, ita obtenebrantur.

1809. Si poteris numerare illas, quod ſignificet fructificationem amoris, & multiplicationem fidei, ſeu quod idem, fructificationem boni, & multiplicationem veri, conſtare poteſt abſque explicatione, nempe quod numerari nequeant.

1810. Ita erit ſemen tuum, quod ſignificet hæredes Regni Domini, conſtat ex ſignificatione ſeminis, quod ſit amor & inde fides, ſeu quod idem, illi qui ſunt in amore & fide, tam angeli quam homines; quod ſemen hoc ſignificet, prius paſſim dictum & oſtenſum eſt. Hæc in communi ſignificant Regnum Domini, quod tam vaſtum eſt & numeroſum, ut nuſquam aliquis credere poſſit, ſic ut non exprimi queat quam per IMMENSUM, de cujus Immenſitate, ex Divina Domini Miſericordia, alibi, quæ hic ſignificatur per verba hujus verſus, " ſpecta quæſo verſus cœlum, & numera ſtellas ſi poteris numerare illas, & dixit illi, ita erit ſemen tuum": præter quod ſignificentur per eadem verba, illa innumerabilia bona & vera, quæ ſunt ſapientiæ & intelligentiæ, cum illorum ſelici, apud unumquemvis Angelum.

1811. Verſ: 6. *Et credidit in Jehovam, & imputavit illud ipſi in juſtitiam.* Credidit in Jehovam, ſignificat fidem Domini tunc: & imputavit illud ipſi in juſtitiam, ſignificat quod Dominus Juſtitia in hoc primum factus.

1812. Credidit in Jehovam, quod ſignificet fidem Domini tunc, conſtat ex ipſis Verbis, tum ex ſerie rerum in ſenſu interno, quæ eſt, quod Dominus, dum vixit in mundo, in continuis pugnis tentationum fuerit, & in continuis victoriis; ex intima confidentia & fide continue, quod, quia pugnabat pro ſalute univerſi generis humani, ex puro amore, non poſſet aliter ac vincere, quod hic eſt credere in Jehovam. Ab amore, ex quo aliquis pugnat, noſcitur quæ fides; qui ex alio amore, quam ex amore erga proximum, & erga Regnum Domini, non pugnat ex fide, hoc eſt, non credit in Jehovam, ſed in illud quod amat; ipſe enim amor, pro quo pugnat, eſt fides ejus; ut pro exemplo, qui pugnat ex amore, ut maximus in cœlo fiat, is non credit in Jehovam, ſed potius in ſe; nam maximus velle fieri, eſt velle imperare aliis, ita pro imperio pugnat, ſimiliter in reliquis; quare ex ipſo amore, ex quo pugnatur, ſciri poteſt, quæ fides: Dominus autem in omnibus ſuis pugnis tentationum, nuſquam ex amore ſui, ſeu pro ſe, pugnavit, ſed pro omnibus in univerſo,

univerſo, proinde non ut maximus fieret in cœlo, nam hoc contrarium eſt Amori Divino, vix ut minimus, modo omnes alii fierent aliquid & ſalvarentur; ut quoque Ipſe dicit, apud Marcum, "Dixerunt duo "Zebedæi filii, da nobis, ut unus e dextris tuis, & alter a ſiniſtris tuis ſedea-"mus in gloria tua: Jeſus dixit, quiſquis voluerit eſſe magnus inter vos, "erit miniſter veſter; & quicunque voluerit veſtrum eſſe primus, erit om-"nium ſervus; nam etiam Filius Hominis non venit ut miniſtretur Ipſi, ſed "ut miniſtret, & det animam ſuam pretium redemptionis pro multis," x: 37, 44, 45. hic amor, ſeu hæc fides eſt, ex qua pugnavit Dominus, quæ intelligitur hic per credere in Jehovam.

1813. Quod imputavit illud ipſi in juſtitiam, ſignificet quod Dominus Juſtitia in hoc primum factus, conſtare quoque poteſt ex ſerie rerum in ſenſu interno, in quo de Domino agitur: quod Dominus Solus Juſtitia factus pro univerſo genere humano, conſtare poteſt ex illo, quod Ipſe Solus pugnavit ex Divino Amore, nempe ex Amore erga univerſum genus humanum, cujus ſalutem in pugnis ſuis unice deſideravit, & flagravit. Dominus non natus eſt Juſtitia quoad Humanam Eſſentiam, ſed factus eſt Juſtitia per pugnas tentationum & victorias, & hoc ex propria potentia; & quoties pugnavit & vicit, Ipſi hoc imputatum eſt in juſtitiam, hoc eſt, additum Juſtitiæ, quæ fieret, continue ut incrementum, uſque dum pura Juſtitia factus. Homo qui a patre homine, ſeu a ſemine hominis patris naſcitur, nuſquam ex alio amore pugnare poteſt, dum ex ſe, quam ex amore ſui & mundi, ita non ex amore cœleſti, ſed ex infernali, nam proprium ejus a patre, præter proprium a ſe actualiter acquiſitum, tale eſt; quare qui putat ex ſe pugnare contra diabolum, enormiter fallitur; ſimiliter qui ſe juſtum facere vult propriis viribus, hoc eſt, credere quod bona charitatis & vera fidei ſint ex ſemet, conſequenter per illa mereri cœlum, is contra bonum & verum fidei agit & cogitat, nam verum fidei, hoc eſt, ipſa veritas eſt, quod Dominus pugnet; ſic quia contra verum fidei tunc agit & cogitat, Domino derogat quod Ipſius eſt, & quod Domini eſt ſuum facit, aut quod idem eſt, ſemet loco Domini ſubſtituit, ita id apud ſe quod infernale eſt; inde eſt, quod velint magni ſeu maximi fieri in cœlo; & inde eſt, quod falſe credant, quod Dominus pugnaverit contra inferna, ut maximus eſſet; proprium humanum ſecum habet tales phantaſias, quæ apparent tanquam forent veritates, ſed prorſus contrarium eſt. Quod Dominus in mundum venerit, ut fieret Juſtitia, & quod ſit Solus Juſtitia, etiam a Prophetis prædictum eſt; ita hoc notum potuit eſſe ante adventum Ipſius; tum quod aliter Juſtitia non fieri potuerit, quam per Tentationes & Victorias ſuper omnia mala, & omnia inferna; ut apud Jeremiam, "In diebus Ipſius ſalvabitur Jehuda, & Iſrael "habitabit confidenter, & hoc *nomen Ipſius, quod appellabunt Ipſum, Jehovah* "*Juſtitia noſtra*," xxiii: 6. apud Eundem, "In diebus illis, & in tempore "illo, germinare faciam Davidi *Germen Juſtitiæ*, & faciet judicium & *Juſti-* "*tiam* in terra: in diebus illis ſalvabitur Jehuda, & Hieroſolyma habitabit "confidenter; *hoc autem quod appellabunt Illum, Jehovah Juſtitia noſtra*," xxxiii: 15, 16. apud Eſaiam, "Vidit, & non vir, & obſtupuit, quod non

 inter-

" intercedens, & ſalutem præſtitit Ipſi brachium Ipſius, & *Juſtitia Ipſius* fulcivit Ipſum; & induit *Juſtitiam* ſicut loricam, & galeam ſalutis ſuper caput ſuum," LIX: 16. videatur imprimis Eſai: LXIII: 3, 5. brachium Ipſius pro potentia propria: quia Dominus Solus Juſtitia, etiam dicitur *Habitaculum Juſtitiæ*, Jer: XXXI: 23. Cap: L: 7.

1814. Verſ: 7. *Et dixit ad illum, Ego Jehovah, qui eduxi te ex Ur Chaldæorum, ad dandum tibi terram hanc, ad hæreditandum illam.* Dixit ad illum, Ego Jehovah, ſignificat Internum Hominem Domini, qui Jehovah, unde perceptio: qui eduxi te ex Ur Chaldæorum, ſignificat primum ſtatum Externi hominis: ad dandum tibi terram hanc ad hæreditandum illam, ſignificat Regnum Domini, cujus Solus eſt poſſeſſor.

1815. Dixit ad illum, Ego Jehovah, quod ſignificet Internum Hominem Domini, qui Jehovah, unde perceptio, conſtat ex illis, quæ paſſim prius dicta ſunt, nempe quod Internum Domini, hoc eſt, quodcunque Dominus ex Patre accepit, in Ipſo fuerit Jehovah, nam ex Jehovah conceptus eſt: aliud eſt quod homo accipit a patre, & aliud quod a matre; a patre accipit homo omne quod internum eſt, ipſa anima ſeu vita eſt ex patre, ſed a matre accipit omne quod externum eſt; verbo interior homo, ſeu ipſe ſpiritus eſt a patre, ſed exterior homo ſeu ipſum corpus eſt a matre; quod quiſque capere poteſt ſolum ex eo, quod ipſa anima implantetur a patre, quæ inchoat ſe induere corpuſculari forma in ovulo, quicquid dein adjicitur, tam in ovulo quam in utero, eſt matris, nam aliunde accrementum non habet: inde conſtare poteſt, quod Dominus quoad Interna fuerit Jehovah: at quia Externum, quod Dominus accepit a matre, uniendum eſſet Divino ſeu Jehovæ, & hoc per tentationes & victorias, ut dictum, non potuit aliter, in ſtatibus illis, Ipſi apparere, quam, quando cum Jehovah loquutus eſt, quod eſſet quaſi cum alio, cum tamen Ipſe loquutus fuit ſecum, quantum nempe conjunctus fuit. Perceptio, quam Dominus habuit perfectiſſimam præ omnibus qui nati ſunt, fuit ex Interno Ipſius, hoc eſt, ex Ipſo Jehovah, quod hic in ſenſu interno ſignificatur per id, quod dixerit ad illum Jehovah.

1816. Qui eduxi te ex Ur Chaldæorum, quod ſignificet primum ſtatum Externi hominis, conſtare poteſt ex ſignificatione Ur Chaldæorum: maternum, quod Dominus ex nativitate accepit, ſeu hæreditarium ex matre, eſt, quod hic ſignificatur per Ur Chaldæorum: quale hoc fuit, prius deſcriptum eſt: ex materno hoc, ſeu hæreditario a matre, eſt, e quo eductus, quoties evicit mala & falſa, hoc eſt, inferna.

1817. Ad dandum tibi terram hanc ad hæreditandum illam, quod ſignificet Regnum Domini, cujus Solus poſſeſſor, conſtat ex ſignificatione terræ, hic Terræ Sanctæ ſeu Canaanis, quod ſit Regnum cœleſte, tum ex ſignificatione hæreditare, de quibus paſſim prius. Hæreditare terram, quo ſignificatur poſſidere Regnum cœleſte, prædicatur hic de Humana Ipſius Eſſentia; nam quoad Divinam, Poſſeſſor fuit univerſi, proinde Regni cœleſtis, ab æterno.

1818. Verſ: 8. *Et dixit, Domine Jehovih, ex quo cognoſcam, quod hæreditabo illam.* Dixit, Domine Jehovih, ſignificat Interioris hominis quaſi colloquutionem

quutionem cum Interno: ex quo cognoſcam, quod hæreditabo illam, ſignificat tentationem contra Amorem Domini, qui voluit certus fieri.

1819. Dixit, Domine Jehovih, quod ſignificet Interioris hominis quaſi colloquutionem cum Interno, conſtat ex illis, quæ in præc: verſu dicta ſunt ad illa verba, "dixit ad illum Jehovah," tum ex illis quæ in verſ: 2. hujus Capitis, de Domino Jehovih, quod ſit Interioris Hominis collocutio cum Interno, ſeu Jehovah; imprimis cum fuit in tentatione.

1820. Ex quo cognoſcam quod hæreditabo illam, quod ſignificet tentationem contra Amorem Domini, qui voluit certus fieri, conſtare poteſt ex dubitatione, quæ in ipſis verbis eſt; qui in tentatione eſt, is in dubio eſt de fine, finis eſt amor, contra quem pugnant mali ſpiritus & mali genii, & ponunt ſic finem in dubio, & eo magis in dubio, quo magis amat; niſi finis qui amatur, poneretur in dubio, imo in deſperatione, nulla foret tentatio; certitudo de eventu, præcedit victoriam, & eſt victoriæ. Quia pauci ſciunt, quomodo ſe Tentationes habent, licet breviter hic exponere; mali ſpiritus nuſquam pugnant contra alia, quam quæ homo amat, & eo acrius pugnant, quo ardentius amat; mali Genii ſunt, qui pugnant contra illa quæ ſunt affectionis boni, & mali Spiritus contra illa quæ ſunt affectionis veri; ut primum animadvertunt vel minimum, quod homo amat, aut appercipiunt quaſi olfactu quod ei jucundum & charum eſt, illico hoc aggrediuntur & conantur deſtruere, ita totum hominem, quia vita ejus conſiſtit in amoribus ejus; ſic deſtruere hominem nihil uſquam iis jucundius eſt; nec deſiſtunt, ſi vel foret in æternum, niſi a Domino rejiciantur: qui maligni ſunt & doloſi, inſinuant ſe in ipſos amores, illis adblandiendo, & ſic introducunt hominem, & mox cum ſic introduxerint, deſtruere amores, & ſic necare hominem tentant, & hoc mille modis, qui incomprehenſibiles ſunt: nec pugnant eo modo, quod ratiocinentur contra bona & vera, tales pugnæ ſunt nihili, nam ſi millies vincerentur, uſque inſiſtunt, quippe ratiocinia contra bona & vera nuſquam deeſſe poſſunt; ſed pervertunt bona & vera, & inflammant quodam igne cupiditatis, & perſuaſionis, ut non ſciat homo aliter quam quod in ſimili cupiditate & perſuaſione ſit, & accendunt illa ſimul jucundo, quod arripiunt ex hominis jucundo aliunde, & ſic doloſiſſime inficiunt & infeſtant, & hoc tam ſolerter, ferendo ab uno in alterum, ut niſi Dominus opem ferret, nuſquam ſciret homo aliter ac quod ita ſit: ſimiliter contra affectiones veri, quæ faciunt conſcientiam, ut primum appercipiunt aliquid conſcientiæ, qualecunque ſit, ex falſis & infirmis apud hominem formant ſibi affectionem, & per hanc, veri lucem inumbrant, & ſic pervertunt, vel anxietatem inducunt, & cruciant; præter quod cogitationem pertinaciter teneant in una re, & ſic phantaſiis illam implent, & ſimul tunc clandeſtine cupiditates phantaſiis involvunt; præter innumerabiles alias artes, quæ nuſquam deſcribi poſſunt ad captum; pauca ſunt, & communiſſima modo, quæ ad conſcientiam hominis pervenire poſſunt, quam præ aliis deſtruere maxime delectantur. Ex his paucis, imo pauciſſimis, conſtare poteſt, quales ſunt Tentationes, in genere quod tales ſint tentationes, quales amores: inde quoque conſtare poteſt, quales

Tentationes Domini, quod omnium atrociſſimæ; quantus enim eſt amor, tanta atrocitas eſt; Domini Amor fuit, ſalus univerſi generis humani, ardentiſſimus, proinde omnis affectio boni, & affectio veri, in ſupremo gradu; contra hæc pugnarunt maligniſſimis dolis & venenis omnia inferna, ſed uſque omnia evicit Dominus propria potentia; victoriæ hoc ſecum habent, quod maligni genii & ſpiritus dein nihil auſint; vita enim eorum conſiſtit in eo, ut poſſint deſtruere, ſed cum percipiunt hominem talem eſſe, ut reſiſtere poſſit, in primo aggreſſu tunc aufugiunt, ſicut ſolent, dum ad primum limen cœli accedunt, horrore & terrore illico corripiuntur, & ſe præcipitant retro.

1821. Verſ: 9. *Et dixit ad illum, accipe tibi vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem, & turturem, & pullum.* Dixit ad illum, ſignificat perceptionem: accipe vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem, ſignificat illa, quæ repræſentativa ſunt cœleſtium Eccleſiæ; vitula, cœleſtium exteriorum; capra, cœleſtium interiorum; aries, cœleſtium ſpiritualium; quod triennis, erat quia involverent omnia Eccleſiæ quoad tempora & ſtatus: & turturem & pullum, ſignificat illa quæ repræſentativa ſunt ſpiritualium Eccleſiæ; turtur quæ exteriora; pullus quæ interiora.

1822. Dixit ad illum, quod ſignificet perceptionem, conſtat ex illis quæ ſupra ad verſ: 2 & 7 dicta; ipſa perceptio non aliud eſt quam quædam loquela interna, quæ ſe manifeſtat ita, ut percipiatur quod dicitur; omne dictamen interius, etiam conſcientia, nec aliud eſt; ſed perceptio eſt gradus ſuperior, ſeu interior.

1823. Accipe vitulam triennem, & capram triennem, & arietem triennem, quod ſignificet illa, quæ repræſentativa ſunt cœleſtium Eccleſiæ, conſtat ex ſignificatione eorundem in ſacrificiis: nemo, qui ſane cogitat, poteſt credere, quod diverſa animalia, quæ ſacrificabantur, nihil aliud ſignificarent quam ſacrificia, aut quod bos & juvencus aut vitulus, ſimile ac ovis, hædus, capra, & hæc idem ac agnus, & quod ſimile turtur & pulli columbarum, cum tamen unumquodvis animal ſuam ſpecialem ſignificationem habuit; quod conſtare ſatis poteſt ex eo, quod nuſquam unum oblatum ſit pro altero, & quod expreſſe nominata ſint quæ in holocauſtis & ſacrificiis quotidianis, ſabbathorum & feſtorum, quæ in voluntariis, votivis & euchariſticis, quæ in expiatoriis reatus & peccati, quæ in purificatoriis, eſſent; quod nuſquam fuiſſet, niſi ſpeciale quid per unumquodvis animal repræſentatum & ſignificatum fuiſſet; quid autem ſignificet unumquodvis in ſpecie, nimis prolixum foret hic exponere; ſatis eſt ſcire hic, quod cœleſtia ſint, quæ per animalia ſignificantur, & quod ſpiritualia per aves, & quod per unumquodvis aliquid ſpeciale cœleſte & ſpirituale; ipſa Eccleſia & omnia Eccleſiæ Judaicæ fuerunt repræſentativa talium quæ ſunt Regni Domini, ubi nihil niſi cœleſte & ſpirituale eſt, hoc eſt, nihil niſi quam quod amoris & fidei, ut ſatis quoque conſtare poteſt a ſignificatione beſtiarum mundarum & utilium, de quibus n: 45, 46, 142, 143, 246, 714, 715, 776. quæ quia in Antiquiſſimis Eccleſiis cœleſtia bona ſignificabant, poſtea in Eccleſia, cum cultus modo externus & is repræſentativus æſtimabatur & agnoſcebatur, repræſentativa facta ſunt. Quia hic de ſtatu Eccleſiæ agitur,

& præ-

& prædicitur qualis futurus, oſtenſum eſt per ſimilia repræſentativa coram Abramo, prorſus ut hic memoratur, ſed uſque in ſenſu interno ſignificantur talia; quod quiſque poteſt ſcire & cogitare; quid enim opus foret vitulam triennem, capram triennem, arietem triennem, turturem & pullum, ſumere, in binas partes illa dividere, & ita ponere, niſi omnia & ſingula ſignificativa fuiſſent; quid autem ſignificant, conſtare poteſt a ſequentibus.

1824. Quod vitula ſignificet illa quæ ſunt repræſentativa cœleſtium exteriorum, capra illa quæ ſunt cœleſtium interiorum, & aries illa quæ ſunt cœleſtium ſpiritualium, conſtare poteſt a Sacrificiis, de quibus, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus ubi de ſacrificiis. Sunt cœleſtia exteriora & cœleſtia interiora, tum cœleſtia ſpiritualia; Cœleſtia exteriora ſunt quæ ſunt Externi hominis, Cœleſtia interiora ſunt quæ Interni, Cœleſtia ſpiritualia ſunt quæ inde; ipſum Cœleſte eſt amor in Dominum, & amor erga proximum; Cœleſte hoc influit a Domino, & quidem per Internum hominem in Externum; in Interiori Homine dicitur hoc cœleſte interius, in Exteriore cœleſte exterius; Cœleſte exterius eſt omnis affectio boni, imo etiam eſt omnis voluptas quæ ab affectione boni; quantum in illa & in hac, hoc eſt, in affectione boni, & voluptate inde, eſt bonum amoris & charitatis, tantum eſt cœleſte, & tantum eſt felix: Cœleſte autem ſpirituale eſt omnis affectio veri in qua affectio boni, ſeu affectio veri quæ generatur ex affectione boni; ita eſt fides in qua charitas, ſeu fides quæ generatur a charitate.

1825. Quod triennis involvat omnia Eccleſiæ quoad tempora & ſtatus, conſtat a ſignificatione Trium in Verbo, Tria ſignificant plenum tempus Eccleſiæ, ab origine ejus uſque ad finem, ita omnem ejus ſtatum; ultimum tempus Eccleſiæ ideo ſignificatur per diem tertium, & per ſeptimanam tertiam, & per menſem tertium, & per annum tertium, & per ſæculum tertium, quæ idem ſunt: ſicut ſtatus Eccleſiæ ſignificatur per numerum ternarium, ita quoque cujuſvis qui eſt Eccleſia, imo unumquodvis quod eſt Eccleſiæ; ut conſtare poteſt a ſignificatione illius numeri ex locis e Verbo allatis, n: 720, 901. Quod vitula triennis ſignificet ſic tempus ſeu ſtatum Eccleſiæ uſque ad ultimum, cum nempe vaſtata eſt ſeu deſolata, conſtare quoque poteſt, apud Eſaiam, "Cor meum ſuper Moabo clamat, profugi ejus uſque ad "Zoar, *Vitula triennis*, quia in aſcenſu Luchith, in fletu aſcendet in eo, quia "via Choronaim clamorem confractionis excitabunt," XV: 5. tum apud Jeremiam, "Collecta eſt lætitia & exultatio de Carmele, & de terra Moabi, & "vinum ex torcularibus ceſſare faciam, non calcabit hedad, hedad non hedad: "a clamore Cheſbonis uſque ad Elealeh, uſque ad Jahaz dederunt vocem ſuam, "a Zoare uſque a Choronaim, *Vitula triennis*, quia etiam aquæ Nimrim in "deſolationes," XLVIII: 33, 34. hæc nuſquam aliquis perciperet quid ſint, niſi ſciat, quid ſignificatur per Moab, per Zoar, per aſcenſum Luchith, per clamorem Cheſbonis ad Elealeh, per Jahaz, per Choronaim, per aquas Nimrim, & per Vitulam triennem; quod ultima vaſtatio, patet.

1826. Quod acciperet turturem & pullum, quod ſignificet illa quæ ſunt ſpiritualium Eccleſiæ, conſtat a ſignificatione avium in genere, ac turturum & co-

& columbarum in ſpecie; quod Aves ſignificent ſpiritualia, quæ ſunt fidei ſeu veri, proinde intellectualia & rationalia, oſtenſum eſt prius n: 40, 745, 776, 991. & quod Columbæ bona & vera fidei, n: 870, præterea quid in ſacrificiis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus, ubi de ſacrificiis, dicendum. In Verbo, cumprimis Prophetico, cum dicitur de cœleſtibus, etiam dicitur de ſpiritualibus, & ſic conjunguntur, quia unum eſt ab altero, ſic ut unum ſit alterius, ut dictum prius, n: 639, 680, 683, 707, 793, 801.

1827. Quod turtur ſignificet illa quæ repræſentativa ſpiritualium exteriorum, & pullus quæ interiorum ſunt, conſtare poteſt ab illis quæ dicta ſunt de cœleſtibus, quorum exteriora ſignificata ſunt per vitulam, & interiora per capram, & quæ intermedia ſunt per arietem.

1828. Verſ: 10. *Et accepit ſibi omnia illa, & partitus eſt illa in medium, & dedit quamvis partem ſuam obviam alteri; & volucrem non partitus.* Accepit ſibi omnia illa, ſignificat ita factum: & partitus illa in medium, ſignificat Eccleſiam & Dominum: & dedit quamvis partem ſuam obviam alteri, ſignificat paraleliſmum & correſpondentiam quoad cœleſtia: & volucrem non partitus, ſignificat ſpiritualia quod talis non paraleliſmus & correſpondentia.

1829. Accepit ſibi omnia illa, quod ſignificet ita factum, conſtat abſque explicatione.

1830. Et partitus illa in medium, quod ſignificet Eccleſiam & Dominum, conſtat ex illis quæ ſequuntur; fuerunt enim cœleſtia, quæ ſignificata ſunt per vitulam, capram & arietem, & ſpiritualia quæ per turturem & pullum, quæ cum partita & ſibi e regione poſita, non aliud ſignificare poſſunt.

1831. Et dedit quamvis partem ſuam obviam alteri, quod ſignificet paraleliſmum & correſpondentiam quoad cœleſtia, conſtare poteſt ex eo, quod partes ab una parte ſignificent Eccleſiam, partes ab altera Dominum, quæ cum ponuntur ſibi mutuo e regione, non aliud eſt quam paraleliſmus & correſpondentia; & quia vitula, capra & aries ita diviſa ſunt & poſita, per quæ ſignificantur cœleſtia, ut mox ſupra ad verſ: 9. dictum, conſtat quod paraleliſmus & correſpondentia ſit quoad cœleſtia; aliter vero quoad ſpiritualia, de quibus mox: cœleſtia ſunt, ut ſæpe dictum, omnia quæ ſunt amoris in Dominum, & amoris erga proximum; Dominus eſt Qui dat amorem & charitatem, Eccleſia eſt quæ recipit; quod unit eſt Conſcientia, cui implantatur amor & charitas; quare ſpatium medium inter partes ſignificat illud apud hominem quod appellatur perceptio, dictamen internum, & conſcientia; quæ ſupra perceptionem, dictamen & conſcientiam, ſunt Domini, quæ infra, ſunt apud hominem; ita quia ſe mutuo ſpectant, dicitur paraleliſmus, & quia ſibi mutuo correſpondent, ut activum & paſſivum, dicitur correſpondentia.

1832. Et volucrem non partitus, quod ſignificet ſpiritualia, quod talis non paraleliſmus & correſpondentia, conſtat ex ſignificatione volucris quod ſit ſpirituale, de qua in verſu 9 mox ſupra, & ex eo quod volucrem non in medium diviſerit,

diviſerit, conſequenter quod talis paralelismus & correſpondentia non ſit: per ſpiritualia ſignificantur, ut prius ſæpe dictum, omnia quæ ſunt fidei, proinde omnia doctrinalia, nam hæc vocantur fidei, tametſi non ſunt fidei priuſquam charitati conjuncta; inter hæc & Dominum non datur paralelismus & correſpondentia, ſunt enim talia quæ non influunt per dictamen internum & conſcientiam, ſicut illa quæ ſunt amoris & charitatis, ſed influunt per inſtructionem, & ſic per auditionem, ita non ab interiori ſed ab exteriori, & ita apud hominem formant ſua vaſa ſeu recipientia; plurima pars eorum apparent ſicut vera, & non ſunt vera, ut illa quæ ſunt ſenſus literalis Verbi, & repræſentativa veri, & ſignificativa veri, ita in ſe nec vera; quædam etiam ſunt falſa, quæ uſque pro vaſis & recipientibus inſervire poſſunt; apud Dominum autem non ſunt niſi eſſentialiter vera, quare non paralelismus & correſpondentia illorum datur; ſed uſque adaptari poſſunt, ut inſerviant cœleſtibus, quæ ſunt amoris & charitatis, pro vaſis; ſunt hæc quæ conſtituunt nubem partis intellectualis, de qua prius, cui Dominus inſinuat charitatem, & ſic facit conſcientiam: ſicut, pro exemplo, apud illos, qui manent in ſenſu literæ Verbi, & putant, quod Dominus ſit qui inducit in tentationem, qui tunc cruciat conſcientiam hominis, & quia permittit malum, quod ſit cauſa mali; quod malos in infernum detrudat, & ſimilia, hæc ſunt apparentia vera, ſed non ſunt vera; & quia non ſunt vera in ſe, non eſt paralelismus & correſpondentia; hæc uſque Dominus relinquit integra apud hominem, & adaptat illa miraculoſe per charitatem ut poſſint inſervire cœleſtibus pro vaſis: ſimiliter etiam Gentium probarum cultus, doctrinalia & moralia, imo idola, hæc pariter Dominus relinquit integra, & uſque per charitatem adaptat illa, ut quoque pro vaſis inſerviant: ſimiliter perplurimi ritus in Eccleſia Antiqua, & poſtea in Eccleſia Judaica, qui in ſe nihil aliud fuerunt, quam ritualia in quibus non verum, quæ tolerata & permiſſa, imo juſſa, quia a parentibus eorum pro ſanctis habita, & ſic eorum animis ab infantia ſicut vera implantata & impreſſa; hæc & talia ſunt quæ ſignificantur per id quod volucres non ſint diviſæ; quæ enim ſemel implantantur hominis opinioni, & pro ſanctis habentur, modo non ſint contra ordinem Divinum, relinquit Dominus integra, & tametſi non paralelismus & correſpondentia datur, uſque adaptat; hæc quoque ſunt, quæ ſignificata in Eccleſia Judaica per id, quod in ſacrificiis aves non diviſæ ſint, nam dividere eſt ſibi ex oppoſito ponere ut adæquate correſpondeant; & quia illa, de quibus dictum, non adæquate correſpondentia ſunt, in altera vita apud eos qui ſe inſtrui patiuntur, obliterantur, & ipſa vera affectionibus boni implantantur; quod nec aves diviſæ fuerint in Eccleſia Judaica, ex cauſa hujus repræſentationis & ſignificationis, conſtat apud Moſen, "Si de *ave* holocauſtum munus ſuum Jehovæ, & adducet de *turturibus* aut de *filiis columbæ*, & findet illam cum alis ejus, non *dividet*," Levit: I: 14, 17. pariter in ſacrificiis pro peccato; Lev: v: 7, 8.

1833. Verſ: II. *Et deſcendit volatile ſuper corpora, & abegit illa Abram.* Deſcendit volatile ſuper corpora, ſignificat mala & inde falſa, quæ deſtruere vellent: & abegit illa Abram, ſignificat quod Dominus illa profugavit.

1834. Deſcendit volatile ſuper corpora, quod ſignificet mala & inde falſa, quæ deſtruere vellent, conſtat a ſignificatione volatilis quod ſit falſum; Volatile in Verbo ſignificat verum, ut oſtenſum ſupra, tum in oppoſito ſenſu falſum, ut ſolent fere omnes ſignificationes talium in Verbo, quod nempe in utroque ſenſu; quod quoque falſum, oſtenſum eſt prius, n: 778. 866. 988. Quiſque videre poteſt, quod hoc arcana ſignificet, alioquin non memoratu dignum fuiſſet; quodnam arcanum ſignificat, etiam dictum, & patet a ſerie rerum in ſenſu interno, quod nempe ſit de ſtatu Eccleſiæ; Eccleſia cum exſuſcitatur a Domino, principio inſons eſt, & tunc unus amat alterum, ut fratrem, ſicut notum eſt ab Eccleſia Primitiva poſt adventum Domini; omnes tunc filii Eccleſiæ vixerunt inter ſe ut fratres, & quoque vocabant ſe fratres, ſeque mutuo amabant, ſed poſt tractum temporis charitas diminuta eſt, & evanuit; qua evaneſcente ſucceſſerunt mala, & cum malis ſe quoque inſinuarunt falſa, inde ſchiſmata & hæreſes, quæ nuſquam forent, ſi Charitas regnaret & viveret; tunc ne quidem ſchiſma appellarent ſchiſma, nec hæreſin hæreſin, ſed doctrinale ſecundum ejus opinionem, quod relinquerent cujuſque conſcientiæ, modo non negaret principia, hoc eſt, Dominum, Vitam æternam, Verbum; & modo non eſſet contra ordinem divinum, hoc eſt, contra præcepta decalogi. Mala & inde falſa, quæ ſuccedunt in Eccleſia, evaneſcente charitate, ſunt quæ hic intelliguntur per Volatile, quod Abram abegit, hoc eſt, quod Dominus, qui hic per Abram repræſentatur, profugavit; Abram nihil niſi quam volatile abegit, & nihil uſquam mali & falſi; nec cognoſcitur Abraham in Cœlo, quam ut alius homo, qui nihil prorſus ex ſe poteſt, ſed Solus Dominus; ut quoque per Eſaiam dicitur, "Tu "Pater noſter, quia Abraham non cognoſcit nos, & Iſrael non agnoſcit nos; "Tu Jehovah Pater noſter, Redemptor noſter, a ſæculo nomen tuum," LXIII: 16.

1835. Quod abegit illa Abram, ſignificet quod Dominus illa profugaverit, conſtat ex illis, quæ dicta ſunt: ſe habet quoque ita cum Eccleſia, quando hæc recedere incipit a charitate, tunc mala & inde falſa facilius profugantur, nam uſque adhuc in quodam ſtatu eſt, non ita remoto a charitate, ita flexibiliores eorum animi; ſucceſſu temporis, mala & inde falſa increſcunt, ſic confirmantur & corroborantur, de quibus agitur in ſequentibus. Dominus continue, quantum poſſibile eſt, mala & falſa profugat, ſed hoc per conſcientiam; quæ cum relaxatur, non datur medium, per quod influat Dominus, nam influxus Domini apud hominem eſt per charitatem in ejus conſcientiam; ſed tunc novum medium ſuccedit & formatur, quod eſt externum, nempe per timorem legis, timorem vitæ, honoris, opum, & famæ inde; ſed hæc non ſunt conſcientiæ, ſunt modo vincula externa, quæ faciunt, ut homo in ſocietate cum aliis vivere poſſit, & apparere ſicut amicus, qualiſcunque intus eſt; ſed hoc medium, aut hæc vincula, nihil quicquam faciunt in altera vita, externa enim ibi removentur, & qualis eſt intus ibi manet; perplures ſunt, qui moralem & civilem vitam vixerunt, neminem læſerant, amicitias & civilitates præſtiterant, imo bonum pluribus fecerant, ſed ſolum ſui cauſa, proprer honores, lucrum,

lucrum, & talia, in altera vita inter infernales ſunt, quia intus illis nihil boni & veri, ſed malum & falſum, imo odium, vindicta, crudelitas, adulteria, quæ non apparent coram homine, & in tantum non apparent, in quantum timores illi, qui ſunt vincula externa, valent.

1836. Verſ: 12. *Et fuit ſol ad occidendum, & ſopor cecidit ſuper Abramum, & ecce terror tenebrarum magnarum cadens ſuper illum.* Fuit ſol ad occidendum, ſignificat tempus & ſtatum ante conſumationem: & ſopor cecidit ſuper Abramum, ſignificat quod Eccleſia tunc in tenebris eſſet: & ecce terror tenebrarum magnarum cadens ſuper illum, ſignificat quod tenebræ terribiles eſſent; tenebræ ſunt falſitates.

1837. Fuit ſol ad occidendum, quod ſignificet tempus & ſtatum ante conſumationem, conſtat a ſignificatione ſolis; ſol in ſenſu interno ſignificat Dominum, & inde cœleſtia, quæ ſunt amoris & charitatis, proinde ipſum amorem & charitatem, de qua prius n: 30 ad 38, & n: 1053; inde patet, quod occaſus ſolis ſit ultimum tempus Eccleſiæ, quod vocatur conſumatio, cum amplius nulla charitas: Eccleſia Domini comparatur quoque temporibus Diei, prima ejus ætas ortui ſolis ſeu auroræ & mane, ultima occaſui ſolis ſeu veſperæ & umbris quæ tunc, nam ſe ſimiliter habent; pariter comparatur temporibus Anni, prima ejus ætas Veri cum omnia florent, quæ ante ultimam Autumno, cum incipiunt torpeſcere; imo etiam comparatur Metallis, prima ejus ætas appellatur aurea, ultima ferrea & argillacea, ut apud Danielem Cap: 11: 31, 32, 33. ex his patet, quid ſignificatur per quod ſol eſſet ad occidendum; & quod ſignificet tempus & ſtatum ante conſumationem, quia nondum ſol occidit; in ſequentibus agitur de ſtatu Eccleſiæ cum ſol occidit, quod tunc caligo facta, & fumus furni & fax ignis tranſiret inter ſegmenta.

1838. Quod ſopor cecidit ſuper Abramum, ſignificet quod Eccleſia tunc in tenebris eſſet, conſtat ex ſignificatione ſoporis; ſopor eſt ſtatus tenebroſus reſpective ad vigiliam, qui ſtatus hic prædicatur de Domino, qui repræſentatur per Abramum; non quod ſopor ſeu ſtatus tenebroſus uſquam apud Illum, ſed apud Eccleſiam; ſe habet hoc ſicut in altera vita, ubi Dominus ſemper eſt Sol, & ipſa Lux, ſed coram malis apparet ut tenebræ, nam ſecundum ſtatum cujuſvis apparet Dominus, ita hic de Eccleſia, cum eſt in ſtatu tenebroſo; pro exemplo etiam ſit, vaſtatio, punitio & damnatio, quæ multoties in Verbo prædicantur de Domino, cum tamen eſt hominis Eccleſiæ, qui ſe vaſtat, punit & damnat; apparet ita coram homine, quod quaſi Dominus vaſtaret, puniret & damnaret, & quia ita apparet, ſecundum apparentias ita dicitur; nam niſi homo per apparentias inſtrueretur, nuſquam pateretur ſe inſtrui, quod contrarium eſt apparentiæ, hoc non credit, nec capit, niſi ſero, cum judicio pollet, & fide charitatis donatus eſt: ita ſe habet cum Eccleſia, quando illa eſt in tenebris, tunc obſcuratur coram illis Dominus, adeo, ut non appareat, hoc eſt, agnoſcatur, tametſi Dominus nuſquam obſcuratur, ſed homo, in quo & apud quem Dominus foret, ſed uſque prædicatur obſcuratio de Domino; ſimiliter hic ſopor, quo ſignificatur ſtatus Eccleſiæ tenebroſus.

1839. Quod ecce terror tenebrarum magnarum cadens ſuper illum, ſignifi-

cet quod tenebræ terribiles eſſent, & quod tenebræ ſint falſitates, conſtat a ſignificatione tenebrarum quod ſint falſitates, de qua mox: ſtatus Eccleſiæ ante conſumationem, ſed cum ſol eſſet ad occidendum, deſcribitur per terrorem tenebrarum magnarum; ſtatus autem cum ſol occidit, deſcribitur per caliginem, & plura, Verſ: ſeq: 17. a Domino ita apud Matthæum, "Sol obſcu-"rabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & vir-"tutes cœlorum commovebuntur," XXIV: 29. non quod ſol mundi obſcurabitur, ſed cœleſte quod eſt amoris & charitatis; nec quod luna, ſed ſpirituale quod eſt fidei; nec quod ſtellæ cadent de cœlo, ſed quod cognitiones boni & veri, apud hominem Eccleſiæ, quæ ſunt virtutes cœlorum; nec in cœlo hæc, nam cœlum nuſquam obſcuratur, ſed in terra. Quod terror tenebrarum magnarum caderet ſuper illum, eſt quod horruerit tantam vaſtitatem; quantum aliquis in cœleſtibus amoris, tantus eſt horror cum percipit conſumationem; apud Dominum præ aliis, Qui in ipſo amore cœleſti & Divino fuit. Quod tenebræ ſignificent falſitates, conſtat a plurimis locis in Verbo; ut apud Eſaiam, "Væ ponentibus *Tenebras* in lucem, & lucem in *Tenebras*," V: 20. tenebræ pro falſis, & lux pro veris: apud Eundem, "Spectabit in terram, & ecce "*Tenebræ*, anguſtia, & lux *obtenebrata eſt*," V: 30. tenebræ pro falſis, lux "obtenebrata pro quod non appareat verum: apud Eundem, "Ecce *Tene-*"*bræ* obtegunt terram, & *Caligo* populos," LX: 2. apud Amos, "Dies "Jehovæ ille *Tenebrarum*, & non lux; nonne *Tenebræ* dies Jehovæ & non "lux, & *Caligo* & non ſplendor ei," V: 18, 20. apud Zephaniam, "Pro-"pinquus dies Jehovæ magnus, dies excandeſcentiæ dies ille, dies anguſtiæ "& coarctationis, dies vaſtitatis & deſolationis, dies *Tenebrarum* & *Caliginis*, "dies *nubis* & *opacitatis*," I: 14, 15. ubi dies Jehovæ pro ultimo tempore & ſtatu Eccleſiæ, tenebræ & caligo pro falſis & malis. Dominus quoque falſitates appellat tenebras, apud Matthæum, "Si oculus tuus malus fuerit, totum "corpus obtenebratum eſt, ſi ergo lumen quod in te eſt, *Tenebræ* ſunt, *Tene-*"*bræ* quantæ," VI: 23. tenebræ pro falſis, quæ occupant eos, qui in cognitionibus, quæ quantæ ſunt præ tenebris illorum ſeu gentium, quæ non habent cognitiones, intelliguntur; ſimiliter apud Eundem, "Filii Regni eji-"cientur in *Tenebras* exteriores," VIII: 12. Cap: XXII: 13. tenebræ exteriores pro falſitatibus dirioribus eorum, qui in Eccleſia ſunt, nam ii obtenebrant lucem, & inducunt falſitates contra vera, quod gentes nequeunt: apud Johannem, "In Ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, lux autem "in *Tenebris* apparet, ſed *Tenebræ* illam non comprehenderunt," I: 4, 5. tenebræ pro falſitatibus intra Eccleſiam: Falſitates extra Eccleſiam etiam vocantur tenebræ, ſed quæ illuminari poſſunt, de quibus apud Matthæum, "Populus ſedens in *Tenebris* vidit lumen magnum, & ſedentibus in regione "& umbra mortis, lux exorta illis eſt," IV: 16. tenebræ pro falſis ignoran-"tiæ, quales ſunt gentium: apud Johannem, "Hoc eſt judicium, quod "Lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines magis *Tenebras*, quam Lu-"cem, erant enim opera eorum mala," III: 19. lux pro veris, & tenebræ pro falſis; & Lux pro Domino quia ab Ipſo omne verum, tenebræ pro in-

fernis

fernis, quia inde omne falſum: apud Eundem, "Jeſus dixit, Ego ſum Lux "mundi, qui Me ſequitur, non ambulabit in *Tenebris*," VIII: 12. apud Eundem, "Ambulate, quouſque lucem habetis, ne *Tenebræ* vos apprehendant; nam qui ambulat in *Tenebris*, non ſcit quorſum abeat. Ego lux "in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in *Tenebris* non maneat," XII: 36, 46. Lux pro Domino, a Quo omne bonum & verum, tenebræ pro falſis, quæ a Solo Domino diſcutiuntur. Falſitates ultimorum temporum, quæ hic tenebræ vocantur, ſeu de quibus prædicatur terror tenebrarum magnarum, repræſentatæ ſunt & ſignificatæ per *Tenebras* factas ſuper univerſam terram, ab hora ſexta uſque ad nonam; tum quod tunc *ſol obtenebratus*, quo repræſentatum & ſignificatum, quod tunc nullus amor, ſeu nulla fides amplius, Matth: XXVII: 45. Marc: XV: 33. Luc: XXIII: 44, 45.

1840. Verſ: 13. *Et dixit Abramo, cognoſcendo cognoſces, quod peregrinum erit ſemen tuum in terra, non illis; & ſervient illis, & affligent illos quadringentis annis.* Dixit Abramo, ſignificat perceptionem: cognoſcendo cognoſces, ſignificat quod certum: peregrinum erit ſemen tuum, ſignificat quod rara charitas & fides: in terra quæ non illis, ſignificat ubi Eccleſia ſicut non foret illorum qui in charitate & fide: & ſervient illis, ſignificat oppreſſionem: & affligent illos, ſignificat tentationes illorum graves: quadringentis annis, ſignificat durationem & ſtatum.

1841. Dixit Abramo, quod ſignificet perceptionem, conſtat ex illis quæ dicta ſunt ſupra ad verſ: 9. & alibi, ubi eorundem verborum eadem ſignificatio.

1842. Quod cognoſcendo cognoſces, ſignificet quod certum, conſtat abſque explicatione.

1843. Quod peregrinum erit ſemen tuum, ſignificet quod rara charitas & fides, conſtat a ſignificatione peregrini, & a ſignificatione ſeminis; peregrinum ſignificat quod non natum in terra, ita quod non agnoſcitur pro indigena, proinde quod ſpectatur ſicut alienum; ſemen autem ſignificat charitatem & ejus fidem, ut oſtenſum prius n: 255, 1025. & ſupra ad verſ: 3. quia peregrinum dicitur, quod ſpectatur ut alienum, & alienum eſt quod non in terra ſeu ex terra, ſequitur quod ſit id quod rarum, proinde quod charitas & fides charitatis erit rara, quæ eſt ſemen; agitur de tempore ante conſummationem quando tenebræ magnæ, hoc eſt, falſitates, quod tunc ſemen peregrinum, ſeu charitas & fides rara: quod fides rara ultimis temporibus a Domino prædictum, ubi de conſummatione ſæculi, apud Matth: XXIV: 4 ad f. Marc: XIII: 3 ad f. Luc: XXI: 7 ad f. ubi quicquid dicitur, involvit quod illis temporibus rara charitas & fides, & quod tandem nulla; per Johannem in Apocalypſi ſimiliter; tum quoque apud Prophetas multoties; præter illa quæ in Hiſtoricis Verbi; ſed per fidem, quæ ultimis temporibus peritura, nihil aliud intelligitur, quam charitas, nuſquam alia fides datur, quam fides charitatis; qui non charitatem habet, ne hilum fidei habere poteſt; eſt charitas ipſe fundus cui implantatur; eſt cor ejus ex quo eſt & vivit; ideo Antiqui amo-

rem & charitatem compararunt cordi, & fidem pulmoni, quorum utrumque in pectore; ſimile etiam eſt, nam vitam fidei abſque charitate ſibi fingere, eſt ſicut vitam ex ſolo pulmone abſque corde, quæ quod non dabilis ſit, unicuivis conſtare poteſt; ideo cordis vocabant omnia quæ charitatis; & ſolius oris, ſeu pulmonis per reſpirationis influxum in loquelam, omnia quæ fidei abſque charitate; formulæ inde antiquæ de bonis & veris, quod ex corde exire debeant.

1844. In terra quæ non illis, quod ſignificet ubi Eccleſia ſicut non foret illorum qui in charitate & fide, conſtat ex ſignificatione Terræ quod ſit Eccleſia, de qua n: 566, 662, 1066, 1067. Hodie Eccleſiam prædicant ex ſolis doctrinalibus fidei, & ex illis diſtinguunt Eccleſias Domini, non curantes quali vita ſint, ſive odia inteſtina foveant, & ſicut feræ unus alterum dilanient, ſpolient, deprivent fama, honore, opibus, & corde negent quicquid ſanctum eſt; cum tamen apud tales nuſquam eſt Eccleſia, ſed apud illos, qui Dominum amant & proximum ſicut ſemet, conſcientiam habent, & talia odia, de quibus dictum, averſantur; hi uſque inter illos ſunt ſicut peregrini, & eos, quantum poſſunt, dicteriis lædunt & perſequuntur, vel ſpectant illos ſicut ſimplices, viles & nauci; hoc nunc eſt, quod peregrinum erit ſemen tuum in terra.

1845. Et ſervient illi, quod ſignificet oppreſſionem, conſtare poteſt ab illis, quæ nunc dicta ſunt.

1846. Et affligent illos, quod ſignificet tentationes illorum graves, conſtare poteſt a ſignificatione affligere ſeu afflictionis, quod ſit perſecutio, proinde quod ſit tentatio; in Verbo Domini nihil aliud per afflictionem ſignificatur, ut apud Eſaiam, "Purgabo te, & non argento, ſeligam te in catino *Afflictionis*," XLVIII: 10. afflictio pro tentatione: apud Moſen, "Recordaberis omnis viæ, "qua duxit te Jehovah Deus tuus his quadraginta annis in deſerto, propterea "ad *Affligendum* te & ad *Tentandum* te. Jehovah cibans te manna in deſerto, "quam non noverunt patres tui, propterea ad *Affligendum* te, & propterea "ad *Tentandum* te, ad benefaciendum tibi in poſtremo," Deut: VIII: 2, 16. affligere manifeſte pro tentare: apud Eundem, "Cum malefecerunt nobis Ægyp-"tii, & afflixerunt nos, & dederunt ſuper nos *ſervitutem* duram, & clamavimus "ad Jehovam Deum patrum noſtrorum, & exaudivit Jehovah vocem noſtram, "& vidit *Afflictionem* noſtram, & laborem noſtrum, & oppreſſionem noſtram," Deut: XXVI: 6, 7. hic eadem quæ in hoc verſu, quod ſervirent & affligerentur, per quæ ſignificatæ ſimiliter tentationes fidelium, ſicut etiam per afflictiones eorum in deſerto, per quas quoque repræſentatæ Domini tentationes, ut apud Eſaiam, "Contemtus, vir dolorum, unde quaſi occultatio facierum "ab Ipſo, contemtus, & non reputavimus illum; verumtamen morbos no-"ſtros Ipſe tulit, & dolores noſtros portavit, nos vero reputavimus Ipſum "plagatum, percuſſum Dei, & *Afflictum*," LIII: 3, 4. per hæc ſignificantur Tentationes Domini; quod morbos noſtros tulerit, & dolores noſtros portaverit, non intelligitur, quod fideles nullam tentationem ſubituri, nec quod

peccata

peccata in ſe derivaverit & ſic ſuſtulerit, ſed quod per Tentationum pugnas & victorias vicerit inferna, & ſic ſolus, etiam quoad Humanam Eſſentiam, ſuſtineret tentationes apud fideles. A Domino etiam tentationes vocantur *Afflictiones*; apud Marcum, "Qui ſuper petroſa ſeminantur, quando audive-"rint ſermonem, non habent radicem in ſeipſis, verum temporarii ſunt; po-"ſtea quando *Afflictio* & perſecutio oritur propter ſermonem, ſtatim ſcanda-"lizantur," IV: 16, 17. afflictio manifeſte pro tentatione; non radicem habere in ſeipſis, eſt non charitatem, in hac enim radicatur fides, qua radice qui non gaudent, in tentationibus ſuccumbunt: apud Johannem, "In mundo "*Afflictionem* habetis, ſed confidite, Ego vici mundum," XVI: 33. afflictio pro tentatione. Apud Matthæum, "Excitabitur gens contra gentem, & "regnum contra regnum, omnia hæc initium dolorum, tunc tradent vos "in *Afflictionem*. Erit tunc *Afflictio* magna, qualis non fuit ab initio mundi. "Statim poſt *Afflictionem* dierum iſtorum ſol obſcurabitur," XXIV: 7, 8, 9, 21, 29. ubi de conſumatione ſæculi, ſeu ultimis temporibus Eccleſiæ; Afflictio pro tentationibus externis & internis; externæ ſunt perſecutiones a mundo, internæ a diabolo; nulla charitas ſignificatur per quod gens contra gentem, regnum contra regnum, & per quod ſol, hoc eſt, Dominus, amor & charitas, obſcurabitur.

1847. Quadringentis annis quod ſignificet durationem & ſtatum nempe tentationum, conſtat a ſignificatione quadringenta, qui numerus idem ſignificat ac quadraginta, nempe tentationum durationes & ſtatus, de qua, n: 730, 862, tentationum durationes breviores & diuturniores per quadraginta in Verbo deſcribuntur. In ſenſu literali ſpectant hæc durationem filiorum Jacobi in Ægypto, quæ quod fuerit 430 annorum, conſtat Exod: XII: 40, tametſi duratio tanta non fuerit ab adventu Jacobi in Ægyptum, ſed a peregrinatione Abrami ibi, ut prius obſervatum; ab hac 430 dictum, quia numerus hic involvit tentationes, quas repræſentabant per ſervitutem in Ægypto, tum poſtea per quadraginta annorum afflictiones in deſerto.

1848. Verſ: 14. *Et etiam gentem, cui ſervient, judicabo Ego; & poſtquam ita, exibunt acquiſitione magna.* Etiam gentem, cui ſervient, ſignificat malos qui opprimunt: judicabo Ego, ſignificat viſitationem & judicium: & poſtquam ita, exibunt acquiſitione magna, ſignificat liberationem, & quod illis bona cœleſtia & ſpiritualia.

1849. Etiam gentem cui ſervient, quod ſignificet malos qui opprimunt, conſtat a ſignificatione gentis, & ſervire; Gens in genuino ſenſu ſignificat bona, ſeu quod idem, bonos, nam bona cum abſtracte dicuntur, ſunt apud ſubjectum, quod eſt homo, ſpiritus, vel angelus; gens autem in oppoſito ſenſu ſignificat mala, ſeu quod idem eſt, malos, de qua, n: 1159, 1258, 1259, 1260. Servire autem, ſeu Servitus, ſignificat oppreſſionem, ut in verſ: præc:

1850. Judicabo Ego, quod ſignificet viſitationem & judicium, conſtare poteſt abſque explicatione. Per judicare ſeu judicium, non ſignificatur aliquod ultimum judicium, ſicut vulgus opinatur, nempe quod Cœlum & Terra peritura, & ſic quod novum Cœlum & nova Terra creanda, de quibus apud

Pro-

Prophetas & in Apocalypſi; ac ita quod omnia interitura; quæ opinio tam late ſe diffudit, ut etiam inſtructiſſimorum animos occupaverit, imo uſque adeo, ut non credant mortuos reſurrecturos quam eo tempore; quare quia prædictum hoc tempus, & uſque poſt tot inde ſæcula præterlapſa vident non evenire, nec inſtare, ſecuri ſe confirmant in ſua ſecuritate, quod tale nihil ſit, ita quod non reſurrecturi: ſed ſciendum, quod nuſquam per Ultimum Judicium, ſeu per quod Cœlum & Terra interitura, tale intellectum ſit; ſecundum ſenſum literæ ita eſt, nuſquam autem ſecundum ſenſum internum; ſecundum ſenſum internum per Ultimum Judicium intelligitur ultimum tempus Eccleſiæ, per Cœlum & Terram quæ peritura, intelligitur Eccleſia quoad cultum internum & externum, quæ Eccleſia nulla fit, quando nulla charitas: Ultimum Judicium fuit Antiquiſſimæ Eccleſiæ, cum deſiit omnis charitas & fides, & cum nulla perceptio, quod factum proxime ante diluvium, ipſum diluvium, de quo ſupra, fuit Ultimum Judicium iſtius Eccleſiæ, tunc periit Cœlum & Terra, hoc eſt, Eccleſia, & novum Cœlum & nova Terra creata ſunt, hoc eſt, nova Eccleſia, quæ Eccleſia Antiqua appellata, de qua etiam actum eſt; hæc quoque Eccleſia ſuum ultimum tempus habuit, tunc nempe, cum omnis charitas frigeſcebat, & omnis fides obtenebrabatur, quod fuit circa tempus Eberi, hoc tempus fuit Ultimum Judicium iſtius Eccleſiæ, quæ fuit Cœlum & Terra quæ perierunt; Cœlum novum & Terra nova fuit Eccleſia Hebræa; hæc quoque ſuum ultimum tempus, ſeu Ultimum Judicium habuit, cum idololatrica facta; quare Nova Eccleſia exſuſcitata, & hoc apud Jacobi poſteros, quæ Eccleſia Judaica appellata, quæ non alia Eccleſia erat, quam Eccleſia Repræſentativa Charitatis & Fidei; in illa Eccleſia, ſeu apud poſteros Jacobi, nulla fuit charitas & fides, quare nec ulla Eccleſia, ſed modo Repræſentativum Eccleſiæ, ob cauſam, quia immediata non dari potuit communicatio Regni Domini in Cœlis cum aliqua Eccleſia vera in terris, quare facta eſt communicatio mediata per Repræſentativa; hujus ſic dictæ Eccleſiæ ultimum tempus, ſeu Ultimum Judicium fuit, cum Dominus in mundum venit, nam tunc ceſſarunt repræſentativa, nempe ſacrificia & ſimiles ritus, qui ut ceſſarent, ex terra Canaane ejecti ſunt: poſt hoc, Novum Cœlum & Nova Terra, creata ſunt, nempe nova Eccleſia, quæ dicenda eſt Eccleſia Primitiva, incepta a Domino, & dein ſucceſſive corroborata, quæ primitus in charitate & fide fuit; de hujus Eccleſiæ interitu prædicitur a Domino apud Evangeliſtas, & per Johannem in Apocalypſi, qui interitus eſt qui vocatur Ultimum Judicium; non quod nunc Cœlum & Terra peritura, ſed quod nova Eccleſia in quodam terrarum orbe excitabitur, manente hac in ſuo cultu externo, ſicut Judæi in ſuo, in quorum cultu quod nihil charitatis & fidei ſit, hoc eſt, nihil Eccleſiæ, ſatis notum eſt; hæc in communi de Ultimo Judicio: In particulari, eſt Ultimum Judicium cuivis, ſtatim cum moritur, nam tunc tranſit in alteram vitam, in qua, cum venit in vitam quam habuit in corpore, judicatur vel ad mortem vel ad vitam. Ultimum Judicium quoque eſt in ſingulari, apud hominem qui judicatur ad mortem, ſunt omnia & ſingula quæ condemnant, nam nihil tam minimum datur in ejus cogitatione & voluntate, quod non ſimile eſt ultimo ejus judicio,

& eum

& eum ad mortem trahit; apud hominem qui judicatur ad vitam, ſimiliter, omnia & ſingula ejus cogitationis & voluntatis apud eum habent Ultimi ejus Judicii imaginem, & illum ferunt ad vitam; nam qualis homo eſt in communi, talis eſt in ſingularibus cogitationis & affectionis. Hæc ſunt quæ per Ultimum Judicium ſignificantur.

1851. Et poſtquam ita, exibunt acquiſitione magna, quod ſignificet liberationem, & quod illis bona cœleſtia & ſpiritualia, conſtat ex ſignificatione exire, quod ſit liberari, & a ſignificatione acquiſitionis quod ſit bonum cœleſte & ſpirituale, nam hæc acquiſitio eſt illorum, qui patiuntur perſecutiones, & ſubeunt tentationes, oppreſſiones, afflictiones ſeu ſervitutem, de quibus in hoc & præc: verſu: hæc bona quoque repræſentata & ſignificata ſunt per acquiſitionem filiorum Jacobi, cum exiverunt Ægypto, Exod: XI: 2. Cap: XII: 36, tum quoque per acquiſitionem eorum in terra Canaane expulſis gentibus; & paſſim apud Prophetas, ubi de ſpoliis ab hoſtibus, quibus diteſcent, agitur.

1852. Verſ: 15. *Et tu venies ad patres tuos in pace, ſepelieris in ſenio bono.* Tu venies ad patres tuos in pace, ſignificat quod nihil a bonis & veris lædetur: ſepelieris in ſenio bono, ſignificat fruitionem omnium bonorum ab illis qui Domini ſunt.

1853. Quod tu venies ad patres tuos in pace, ſignificet quod nihil a bonis & veris lædetur, conſtare poteſt a ſignificatione patrum, tum venire ad patres, ut & pacis: Patres in ſenſu interno ſignificant hic idem, ac ſimul filiæ & filii; quod filiæ ſignificent bona, & filii vera, oſtenſum eſt prius, n: 489, 490, 491, 533, 1147. inde patres ſimul quæ filiarum & filiorum: venire ad patres eſt tranſire a vita corporis in vitam ſpiritus, ſeu a mundo in alteram vitam; in pace ſignificat quod nihil amittet, ita quod nihil lædetur; nam qui tranſit in alteram vitam, nihil amittit ab illis quæ hominis ſunt, omnia & ſingula retinet & ſecum habet, præter corpus quod impediit exercitium interius ejus facultatum: quod hic nulla mors, ſeu tranſitio ad patres per mortem, ſignificetur, conſtare poteſt a mox ſequentibus.

1854. Quod ſepelieris in ſenio bono, ſignificet fruitionem omnium bonorum ab illis qui Domini ſunt, conſtat ex eo, quod ii qui moriuntur & ſepeliuntur, non moriantur, ſed tranſeant a vita obſcura in claram, nam mors corporis eſt modo continuatio, ut & perfectio, vitæ, & tunc primum veniunt in fruitionem omnium bonorum illi qui Domini ſunt, quæ fruitio ſignificatur per ſenium bonum. Sæpius occurrit, quod mortui ſint, ſepulti & collecti ad patres, ſed hæc non ſignificant in ſenſu interno illa quæ in ſenſu literæ; in ſenſu interno ſunt illa quæ ſunt vitæ poſt mortem & quæ æterna, at in ſenſu literæ illa quæ ſunt vitæ in mundo, & quæ temporaria; proinde qui in ſenſu interno ſunt, ſicut Angeli, cum talia occurrunt, nuſquam morantur in talibus quæ ſunt mortis & ſepulturæ, ſed in talibus quæ ſunt continuationis vitæ, nam mortem nihil aliud conſiderant, quam exuitionem illorum quæ ſunt naturæ craſſiſſimæ & temporis, & quam ipſius vitæ continuum, imo ignorant mortem, nam nihil cogitant de morte: ſimiliter ſe habet cum ætatibus hominis; quod

hic

hic dicatur in ſenio bono, Angeli nuſquam percipiunt ſenium, imo ignorant quid ſenium, nam jugiter ad vitam juventutis & adoleſcentiæ tendunt; talis vita; proinde ejus cœleſtia & ſpiritualia ſunt, quæ intelliguntur, cum ſenium bonum & ſimilia in Verbo occurrunt.

1855. Verſ: 16. *Et generatione quarta redibunt huc, quia non conſumata iniquitas Emorræorum uſque huc.* Generatione quarta redibunt huc, ſignificat tempus & ſtatum reſtitutionis: quia non conſumata iniquitas Emorræorum uſque huc, ſignificat ultimum tempus, dum non amplius ullum bonum.

1856. Generatione quarta redibunt huc, quod ſignificet tempus & ſtatum reſtitutionis, conſtat a ſignificatione generationis quartæ; generatio quarta ſignificat idem ac quadraginta & quadringenta, nempe tentationis durationem & ſtatum, de qua ſupra ad verſ: 13, eſt diminutivum quoddam inde; ſive major numerus ſive minor, modo ejuſdem proſapiæ, idem involvit, ut prius aliquoties dictum: quod Generatio quarta non aliquam generationem ab Abramo, nec ab Iſaco, nec a Jacobo, ſignificet, conſtat ab Hiſtoricis Verbi, generationes enim plures fuerunt, & hæ diverſæ a ſuis patribus, cum redibant; alibi ſimiliter occurrit Generatio quarta, ſed nuſquam ſignificat in ſenſu interno generationem, hic vero, tempus & ſtatum reſtitutionis, quia finem illorum, quæ ſignificantur per quadraginta, ſeu quadringinta, videatur, n: 862, & 1847.

1857. Quia non conſumata iniquitas Emorræorum uſque huc, quod ſignificet ultimum tempus dum non amplius ullum bonum, conſtat a ſignificatione Emorræi, tum a ſignificatione Conſumationis: per Emorræum in Verbo ſignificatur malum in genere, ex cauſa quia terra Canaan vocata eſt terra Emorræorum, ut conſtat apud Ezech: XVI: 3, 4. & Amos II: 9. 10. quare hic per Emorræum ſignificantur omnes gentes terræ Canaanis, per quas ſignificata ſunt mala & falſa in ſpecie, ut prius dictum, inde per Emorræum omnia mala in genere. Per Conſumationem ſignificatur ultimum tempus, cum amplius nullum bonum. Quid autem in ſenſu interno intelligitur per id, quod non conſumata iniquitas Emorræorum uſque huc, arcanum eſt; ita ſe habet cum malis in altera vita, quod non puniantur antequam mala eorum ad ſummum perducta ſint, & hoc in communi & in particulari; tale enim eſt æquilibrium in altera vita, ut ipſum malum ſe puniat, ſeu quod mali incurrant in pœnam mali, ſed tunc cum ad ſummum perductum eſt; unumquodvis malum habet ſuum terminum, & hoc cum diverſitate apud unumquemvis, quem terminum tranſgredi non licet, cum malus tranſgreditur, tunc ſe præcipitat in pœnam, hoc in omni particulari: ſimiliter in communi, ſe mali in infernum detrudunt non momento, ſed ſucceſſive: hoc trahit originem a Lege univerſali Ordinis a Domino inſtituti, quod Dominus nuſquam aliquem in infernum demittat, ſed quod ipſum malum, ſeu ipſe malus, ſe detrudat, & hoc ſucceſſive uſque dum malum conſumatum eſt, nec aliquid boni amplius appareat; quamdiu aliquid boni, elevatur ab inferno, at cum non niſi malum, ipſe detruditur in infernum; unum ab altero prius ſeparandum eſt, nam ſibi oppoſita ſunt; utrinque pendere non conceſſum eſt; hæc ſunt, quæ ſignificantur per

quod

quod iniquitas Emorræorum conſumanda: boni autem aliter, elevantur continue a Domino verſus cœlum, & malum ſucceſſive abſtergitur. Se habet cum ſtatu Eccleſiæ ſimiliter, non prius viſitatio venit, quam cum conſumatum eſt malum, hoc eſt, cum non amplius bonum charitatis & verum fidei, de qua conſumatione ſæpius apud Prophetas; ut apud Eſaiam, "*Conſumationem* & *deciſionem* audivi a cum Domino Jehovih Zebaoth ſuper omnem "terram," XXVIII: 22. apud Jeremiam, "Babel, quæ habitas ſuper aquis "multis, magna theſauris, venit finis tuus, *menſura lucri* tui," LI: 13. Apud Danielem, "Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum tuum, "& ſuper civitatem ſanctitatis tuæ, ad *conſumandum prævaricationem*, & ad "*obſignandum peccata*, & ad *expiandum iniquitatem*, & ad adducendum Juſtitiam ſæculorum, & ad obſignandum viſionem & prophetam, & ad ungendum Sanctum ſanctorum," IX: 24. "Tandem ſuper avem abominationum deſolatio, & uſque ad *Conſumationem* & *deciſionem* effundet ſe ſuper "devaſtationem," ibid: verſ: 27. Ab Ipſo Domino etiam prædicitur Conſumatio his verbis apud Lucam, "Cadent ore gladii, & captivabuntur inter "omnes gentes; & tandem Hieroſolyma erit conculcata a gentibus, uſque "dum *implebuntur tempora gentium*," XXI: 24. cadere ore gladii ſignificat a falſis, gladius enim in Verbo eſt falſi pœna; Hieroſolyma pro Regno Domini & Eccleſia, n: 402, gentes pro malis, n: 1260; ita quod tunc conſumatio, cum Eccleſia poſſeſſa a malis & falſis, & ſic deſtructa a ſe.

1858. Verſ: 17. *Et fuit, ſol occidit, & caligo facta, & ecce furnus fumi, & fax ignis, quæ tranſivit inter ſegmenta illa.* Et fuit, ſol occidit, ſignificat extremum tempus cum conſumatio: & caligo facta, ſignificat cum odium loco charitatis: & ecce furnus fumi, ſignificat denſiſſimum falſum: & fax ignis, ſignificat cupiditatum æſtus: quæ tranſivit inter ſegmenta illa, ſignificat quod ille diviſit illos, qui fuerunt ab Eccleſia cum Domino.

1859. Et fuit, ſol occidit, quod ſignificet extremum tempus cum conſumatio, conſtat ab illis quæ ſupra ad verſ: 12. de occaſu ſolis & ejus ſignificatione dicta ſunt, quod nempe ſit extremum tempus Eccleſiæ.

1860. Et caligo facta, quod ſignificet cum odium loco charitatis, conſtat a ſignificatione caliginis; in Verbo tenebræ ſignificant falſa, ſed caligo mala, de quibus mox infra; tenebræ ſunt cum falſum loco veri, & caligo cum malum loco boni, ſeu quod prorſus idem eſt, cum odium loco charitatis; cum odium loco charitatis, tanta caligo eſt, ut homo prorſus neſciat, quod malum ſit, minus quod tantum malum, ut illum in altera vita ad infernum detrudat; qui enim in odio ſunt, appercipiunt quoddam jucundum, & quaſi quoddam vitale in eo, ipſum jucundum hoc & vitale facit, ut vix ſciat aliter quam quod bonum ſit, quicquid favet hominis voluptati & cupiditati, quia amori, hoc ſentit ſicut bonum, uſque adeo, ut cum ei dicitur, quod infernale ſit, vix poſſit credere; minus cum ei dicitur, quod tale jucundum & vitale vertatur in altera vita in fœtidum excrementitium & cadaveroſum; minus adhuc credit, quod ipſe fiat diabolus & horrenda inferni imago; infernum enim non niſi quam ab odiis & talibus diabolicis formis conſiſtit; hoc uſque ſcire poteſt, qui aliqua facultate

 cogitandi

cogitandi pollet, nam ſi ipſe deſcriberet, aut repræſentaret, aut ſi poſſet, aliquo modo depingeret, Odium, non aliter faceret ac per diabolicas formas, quales etiam poſt mortem fiunt; & quod mirum, tales uſque dicere poſſunt, quod in altera vita in cœlum venturi, quidam per ſolum id quod dicant ſe fidem habere, cum tamen in Cœlo non ſunt niſi formæ charitatis, quæ quales ſunt, videatur ab experientia, n: 553, cogitent, nunc, quomodo binæ illæ formæ, odii & charitatis, ſimul in uno loco concordare poſſint. Quod tenebræ ſignificent falſum & caligo malum, conſtare poteſt ab his in Verbo locis; apud Eſaiam, "Ecce *Tenebræ* obtegunt terram, & *Caligo* populos," LX: 2. Apud Joelem, "Cohorreſcant omnes habitatores terræ, quia venit dies Jehovæ, "dies *Tenebrarum* & *Caliginis*," II: 1, 2. apud Zephaniam, "Dies excan-"deſcentiæ dies ille, dies vaſtitatis & deſolationis, dies *Tenebrarum* & *Caligi-*"*nis*, I: 15. Apud Amos, "Nonne *Tenebræ* dies Jehovæ, & non lux, & "*Caligo*, & non ſplendor illi," V: 20. ubi dies Jehovæ pro ultimo tempore Eccleſiæ, de quo hic; tenebræ pro falſis, caligo pro malis, ideo utrumque dicitur, alioquin foret unius rei repetitio, ſeu exaggeratio inanis; vox autem in lingua originali, qua exprimitur caligo in hoc verſu, involvit utrumque, tam falſum quam malum, ſeu denſum falſum ex quo malum, tum denſum malum ex quo falſum.

1861. Et ecce furnus fumi, quod ſignificet denſiſſimum falſum, & fax ignis quod ſignificet cupiditatum æſtus, conſtat ex ſignificatione furni fumi, quod ſit denſum falſum; & a ſignificatione facis ignis, quod ſit cupiditatum æſtus: furnus fumi dicitur, quia homo, cumprimis homo Eccleſiæ, qui cognitiones veri habet, & uſque non agnoſcit, ſed corde negat, inque contrariis vero vitam agit, non aliter apparet ac furnus fumi, ipſe ut furnus, & falſum ex odiis ut fumus; cupiditates ex quibus falſa, non aliter ac faces ignis ex tali furno, ſicut etiam conſtat ex repræſentativis in altera vita, de quibus ab experientia, n: 814, 1528. ſunt cupiditates odiorum, vindictarum, crudelitatum, & adulteriorum, magis eorundum quando cum dolis mixta ſunt, quæ tales apparent & fiunt. Quod per furnum, fumum, & ignem, talia in Verbo ſignificentur, conſtare poteſt ab his locis; apud Eſaiam, "Unuſquiſque "hypocrita & malitioſus, & omne os loquens ſtultitiam, quia *flagrat* ſicut "*Ignis malitia*, ſenticetum & vepretum comedit, & *incendit* implexa ſylvæ, "& elevant ſe *elatione fumi*; in excandeſcentia Jehovæ Zebaoth obſcurata eſt "terra, & factus eſt populus ſicut *cibus ignis*, vir fratri ſuo non parcent," IX: 17, 18. ubi ignis pro odiis, elatio fumi inde pro talibus falſis; odium deſcribitur per quod vir fratri ſuo non parcent; qui cum inſpiciuntur ab Angelis non aliter apparent quam hic ſunt deſcripti. Apud Joelem, "Dabo "prodigia in cœlis & in terra, ſanguinem, & *Ignem*, & columnas *Fumi*; "ſol vertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam venit dies Je-"hovæ magnus & terribilis," III: 3, 4. ubi ignis pro odio, columnæ fumi pro falſis, ſol pro charitate, luna pro fide: apud Eſaiam, "Erit terra in "*picem ardentem*, nocte & die non extinguetur, in æternum aſcendet *Fumus* "ejus," XXXIV: 9. 10, pix ardens pro diris cupiditatibus, fumus pro falſitatibus: apud Malachiam, "Ecce dies veniens *ardens* ſicut *Furnus*, & erunt

"omnes

" omnes ſuperbi, & omnis faciens malitiam ſtipula, & *inflammabit* eos dies " veniens; non relinquet iis radicem & ramum," III: 19. ardens furnus pro ſimilibus; radix pro charitate, ramus pro veritate, quæ non relinquentur: apud Hoſcheam, " Ephraim reus factus in Baale, erit ſicut gluma e turbine abi-" gitur ex area, & ſicut *Fumus* ex *fumario*," XIII: 1, 3. Ephraim pro in-" telligente, qui ſic factus: apud Eſaiam, " Erit robuſtus in ſtuppam, & opus " ejus in favillam, & *ſuccendentur* ambo pariter, & nemo exſtinguens," I: 31. pro qui in amore ſui, ſeu quod idem, in odio contra proximum, quod ita ex cupiditatibus ſuis ſuccendentur: apud Johannem, " Babylon facta ha-" bitaculum dæmonum, clamabant videntes *Fumum combuſtionis* ejus, *Fumus* " aſcendit in ſæcula ſæculorum," XVIII: 2, 18. Cap: XIX: 2. Apud Eundem, " Aperuit puteum abyſſi, unde aſcendit *Fumus* e puteo, ſicut *Fumus* " *fornacis* magnæ; & obſcuratus eſt ſol, & aer e *Fumo* putei," Apoc: IX: 2. Apud Eundem, " Ex ore equorum exivit *Ignis*, & *Fumus*, & *ſulphur*; " ab his occiſi ſunt tertia pars hominum, ab *Igne*, & a *Fumo* & a *ſulphure*, " quod exibat ex ore eorum," Apoc: IX: 17, 18. Apud Eundem, " Qui " adorat beſtiam, bibat ex vino iræ Dei mixto mero in calice iræ Ipſius, & " cruciabitur *Igne* & *ſulphure*," Apoc: XIV: 9, 10. Apud Eundem, " Quartus angelus effudit phialam ſuam in ſolem, & datum illi eſt *æſtu a-*" *durere* homines per *Ignem*, itaque æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſ-" phemarunt nomen Dei, Apoc: XVI: 9. ſimiliter, quod conjecti ſint in " *ſtagnum Ignis ardens* in *ſulphure*," Apoc: XIX: 20. Cap: XX: 14, 15. Cap: XXI: 8. illis locis ignis pro cupiditatibus, fumus pro falſitatibus, quæ ultimis temporibus regnabunt; qualiter ſe habent in altera vita, viſa ſunt Johanni, cum viſus interior ei apertus fuit; ſimilia quoque ſpiritibus videntur, & animabus poſt mortem: exinde conſtare poteſt, quid ignis infernalis, quod nihil aliud ſit, quam odium, vindicta & crudelitas, ſeu quod idem, amor ſui, quæ talia fiunt; homo, quamdiu in vita corporis eſt, cum talis, utcunque apparet extus alius, ſi inſpiceretur ab angelis prope, coram oculis eorum non aliter appareret, nempe odia ejus ut faces ignis, & falſa inde ut furni fumi. De hoc igne ita Dominus apud Matthæum, " Omnis arbor non faciens fru-" ctum bonum, exſcinditur, & in *Ignem* conjicitur," III: 10. Luc: III: 9. per bonum fructum intelligitur charitas, qua qui ſe deprivat, ſe exſcindit, & conjicit in talem ignem: apud Eundem, " Mittet Filius Hominis angelos " ſuos, qui colligent e Regno Ipſius omnia offendicula, & eos qui faciunt " iniquitatem, & mittent eos in *Caminum Ignis*," XIII: 41, 42, 50. ſimiliter: apud Eundem, " Rex dicit iis,qui e ſiniſtris, diſcedite a me maledicti, in *Ignem* " *æternum*, paratum diabolis & angelis ejus," XXV: 41. ſimiliter. Quod mitterentur in *Ignem æternum*, *Gehennam ignis*, & quod vermis eorum non moriatur, & *Ignis* non exſtinguatur, Matth: XVIII: 8, 9. Marc: IX: 43 ad 49. ſimiliter: apud Lucam, " Mitte Lazarum, ut intingat extremum di-" giti in aquam, & refrigeret linguam, quia crucior in *flamma hac*," XVI: 24. ſimiliter. Qui arcana Regni Domini non norunt, putant quod Dominus demittat impios in infernum, ſeu in ignem talem, qui eſt odiorum, ut di-

 ctum,

ſtum, ſed aliter prorſus ſe res habet, eſt ipſe homo, & ipſe ſpiritus diabolicus, qui ſe præcipitat ; ſed quia ita apparet, ſecundum apparentiam, imo ſecundum fallacias ſenſuum, ita loquutum eſt in Verbo, cumprimis coram Judæis, qui nihil prorſus capere volebant, niſi quod eſſet ſecundum ſenſus, qualeſcunque fallaciæ eſſent ; quare ſenſus literæ, cumprimis Propheticæ, talibus plenus eſt, ſicut apud Jeremiam, "Sic dixit Jehovah, judicate mane judi- "cium, & eripite ſpoliatum e manu oppreſſoris, ne exeat ſicut *Ignis furor* "meus, & *ardeat*, & nemo exſtinguens, propter malitiam operum eorum," XXI : 12. judicare judicium eſt verum dicere, eripere ſpoliatum e manu oppreſſoris eſt bonum charitatis facere ; ignis pro pœna infernali eorum qui hæc non faciunt; hoc eſt, qui in falſo odii degunt ; in ſenſu literæ talis ignis & furor tribuitur Jehovæ, ſed in ſenſu interno prorſus contrarium eſt : ſimiliter apud Joelem, Dies Jehovæ, "ante eum comedit *Ignis*, & poſt eum *inflammat* "*flamma*," II : 1, 3. Apud Davidem, "Aſcendit *Fumus* ex naſo Ipſius, & "*Ignis* ex ore Ipſius comedit, *prunæ arſerunt* ex Ipſo, & caligo ſub pedibus "Ipſius," Pſalm : XVIII : 9, 10. Apud Moſen, "*Ignis* accenſus in ira mea, "& *ardebit uſque ad infernum infimum*, ac comedet terram & proventum ejus, "& *inflammabit* fundamenta montium," Deut : XXXII : 22. ubi ignis pro odiis, fumus pro falſis, quæ apud hominem ; quæ tribuuntur Jehovæ ſeu Domino, ex cauſis de quibus dictum ; apparet quoque ita infernis, quod Jehovah ſeu Dominus hoc faciat, ſed prorſus contrarium eſt, ii ſunt qui ſibi hoc faciunt, quia in odiorum ignibus ſunt ; inde patet, niſi ſenſus internus Verbi ſciatur, quam facile homo in phantaſias poſſit labi. Similiter ſe habuit cum *Fumo* & *Igne*, qui viſus populo e monte Sinai, cum lex promulgaretur ; Jehovah enim ſeu Dominus apparet unicuique qualis eſt, Angelis cœleſtibus ſicut Sol, Angelis ſpiritualibus ſicut Luna, bonis omnibus ſicut Lux variæ jucunditatis & amœnitatis, at malis ſicut fumus & ſicut ignis conſumens ; & quia Judæi, cum promulgaretur Lex, nihil charitatis habebant, ſed apud eos amor ſui & mundi regnabant, proinde non niſi quam mala & falſa, ideo apparuit iis ut *fumus* & *ignis*, cum in eodem inſtanti Angelis ut Sol & Lux cœleſtis, quod ita apparuerit Judæis, quia tales, conſtat apud Moſen, "Habitavit gloria Je- "hovæ ſuper monte Sinai ; & aſpectus gloriæ Jehovæ ſicut *Ignis comedens* in "capite montis, ante oculos filiorum Iſraelis," Exod : XXIV : 16, 17. Apud Eundem, "Mons Sinai fumabat totus ille, coram quod deſcendit ſuper illum "Jehovah in *Igne*, & aſcendit *Fumus* illius ſicut *Fumus fornacis*, & contre- "muit totus mons valde," Exod : XIX : 18, & alibi, "Acceſſiſtis & ſtetiſtis "ſub monte, cum mons *flagrans Igne*, uſque ad cor cœli, *tenebræ*, & *nubes*, "& *caligo* ; & loquutus eſt Jehovah ad vos e *medio Ignis*," Deut : IV : 11, 12, Cap : V : 19. tum, "Factum cum audiviſtis vocem e medio *tenebrarum*, & "mons *flagrans Igne*, & acceſſiſtis ad me, & dixiſtis, *quare moriemur*, *quia* "*comedet nos Ignis magnus hic* ; ſi addentes nos videre vocem Jehovæ Dei noſtri amplius, *moriemur*," Deut : V : 20, 21, 22. Similiter ſe haberet, ſi quis alius, qui in odio, & odiorum ſpurcis, degit, videret Dominum, non aliter Ipſum videre poſſet, quam ex odio & ejus ſpurcis, quæ ſunt recipientia radiorum boni

boni & veri ab Ipſo, quæ radios boni & veri in talem ignem, fumum & caliginem, verterent: Ex iiſdem locis quoque patet, quid fumus furni & quid fax ignis, quod nempe denſiſſimum falſum, & ſpurciſſimum malum, quæ ultimis temporibus Eccleſiam occupabunt.

1862. Quæ tranſivit inter ſegmenta illa, quod ſignificet quod ille diviſit illos qui fuerunt ab Eccleſia cum Domino, conſtare poteſt ab illis quæ dicta ſunt ſupra ad verſ: 10, de partitione animalium in medium, quod ſignificaverint paraleliſmum & correſpondentiam quoad cœleſtia, & quod una pars poneretur obviam alteri ſignificaverit Eccleſiam & Dominum, quodque ſpatium intermedium ſeu interſtitium, illud quod inter Dominum & Eccleſiam, ſeu inter Dominum & hominem Eccleſiæ, intercedit, quod eſt conſcientia, cui bona & vera per charitatem implantata ſunt: quando loco charitatis ſuccedunt odia, & loco bonorum & verorum mala & falſa, tunc nulla conſcientia boni & veri, ſed ſpatium hoc medium ſeu interſtitium apparet ſicut oppletum furno fumi & facibus ignis, hoc eſt, oppletum perſuaſionibus falſi & odiis, quæ ſunt quæ prorſus ſeparant Dominum ab Eccleſia; hæc ſunt quæ ſignificantur per quod ille tranſiret inter ſegmenta illa, principaliter fax ignis, quæ eſt, amor ſui, ſeu quod idem malum odiorum; quod quoque conſtare poteſt apud Jeremiam, ubi eadem pœne verba, "Dabo viros tranſgreſſos fœdus meum, qui non ſtabiliverunt verba fœderis, quod pepigerunt coram Me, *Vitulum quem conciderunt in duas, & tranſiverunt inter partes ejus:* principes Jehudæ, & principes Hieroſolymæ, eunuchos, & ſacerdotes, & omnem populum terræ, *tranſeuntes inter partes vituli*, & dabo eos in manum hoſtium eorum, & in manum quærentium animas eorum, & erit cadaver eorum in cibum avi cœlorum & beſtiæ terræ," XXXIV: 14, 18, 19, 20.

1863. Verſ: 18. *In die illo pepigit Jehovah cum Abramo fœdus, dicendo, ſemini tuo dabo terram hanc, a fluvio Ægypti, uſque ad fluvium magnum, fluvium Phrath.* In die illo pepigit Jehovah cum Abramo fœdus, ſignificat conjunctionem Interioris hominis Domini cum Interno ſeu Jehovah: dicendo, ſemini tuo dabo terram hanc, ſignificat conſolationes poſt tentationes has & horrores, quod illi qui in charitate & fide in Ipſum hæredes fient: a fluvio Ægypti ad fluvium magnum, fluvium Phrath, ſignificat extenſionem ſpiritualium & cœleſtium; ad fluvium Ægypti, eſt extenſio ſpiritualium; ad fluvium Phrath, eſt extenſio cœleſtium.

1864. In die illo pepigit Jehovah cum Abramo fœdus, quod ſignificet conjunctionem Interioris hominis Domini cum Interno, conſtat ex ſignificatione fœderis, quod ſit conjunctio, de qua prius n: 665. 666. 1023. 1038; & hic quia agitur in interno ſenſu de Domino, ſignificat conjunctionem interiorem; nam progreſſus eſt Dominus magis & magis ad conjunctionem & unionem cum Jehovah Patre Ipſius, uſque dum unus factus, hoc eſt, ipſa Eſſentia Humana etiam Jehovah, Qui fuit ipſum Internum Domini; hæc repræſentata ſunt per fœdus, quod Jehovah pepigit cum Abramo: quiſque videre poteſt, quod Jehovah nuſquam pangat fœdus cum homine, hoc foret contra Divinum,

num, quid homo niſi quoddam vile & ſpurcum, quod ex ſe nihil niſi quam malum cogitat & facit, omne bonum quod facit eſt ex Jehovah; ex quo conſtare poteſt, quod fœdus hoc, ſicut cætera fœdera cum poſteris Abrami, non aliud fuerit quam repræſentativum Divini & cœleſtium Regni Dei, hic quod fuerit repræſentativum conjunctionis Humanæ Eſſentiæ Domini, cum Ipſius Divina, hoc eſt, Jehovah: quod fuerit repræſentativum conjunctionis Interioris Hominis Domini cum Interno, hoc eſt, Jehovah, conſtat ex præcedentibus, quod nempe Dominus per tentationum pugnas & victorias magis & magis ſe conjunxit & univit. Quid Interior Homo, prius dictum eſt, nempe quod medius inter Internum & Externum.

1865. Dicendo, ſemini tuo dabo terram hanc, quod ſignificet conſolationem poſt tentationes has & horrores, quod illi qui in charitate & fide in Ipſum, hæredes fient, conſtat a ſignificatione ſeminis, & a ſignificatione terræ; per ſemen Abrami ſignificatur amor & inde fides, quod oſtenſum prius, n: 255. 256. 1025, proinde omnes illi qui in charitate & fide in Dominum ſunt; per terram Canaan autem ſignificatur Regnum Domini, quare dare terram ſemini tuo ſignificat, quod Regnum cœleſte daretur in hæreditatem illis qui ex charitate fidem in Ipſum habent; quod hæc conſolationi fuerint Domino poſt tentationes & horrores, conſtare poteſt abſque explicatione, nam poſt eventus illos duros qui viſi, nempe poſtquam profugavit mala & falſa, quæ ſignificata ſunt per volatile quod deſcendit ſuper corpora, quod abegit Abram, de quo verſ: 11, & uſque denſæ falſitates ſe infunderent, quas horruit, quæ ſignificatæ ſunt per terrorem tenebrarum magnarum, qui cecidit in ſopore ſuper Abramum, de quo verſ: 12; & tamen denique mera falſa & mala occuparent genus humanum, quæ ſignificata ſunt per furnum fumi, & facem ignis, quæ tranſivit inter ſegmenta, de quibus verſ: præc: 17, non potuit aliter quam in anguſtia & dolore eſſe; quare nunc conſolatio ſequitur, qualis ſupra verſ: 4 & 5, quod nempe ſemen Ipſius hæreditabit terram, hoc eſt, qui in charitate & fide; in Ipſum, quod hæredes fient Regni Ipſius ſalvatio generis humani ſola Ipſi conſolatio fuit, nam in Amore Divino & Cœleſti fuit, & factus eſt, etiam quod Humanam Eſſentiam, Ipſe Amor Divinus & Cœleſtis, in quo unice amor omnium ſpectatur & cordi eſt. Quod Amor Divinus talis ſit, conſtare poteſt ex amore parentum erga liberos, quod creſcat ſecundum gradum quo deſcendit, hoc eſt, major fiat in poſteris quam in ipſis liberis proximis; nihil uſquam datur abſque cauſa & origine, proinde nec amor hic erga poſteros ſucceſſive cum continuis incrementis apud humanum genus, cauſa & origo non poteſt alia eſſe quam a Domino, a quo omnis amor conjugialis & parentum erga liberos influit, ex eo quod Ipſius amor talis ſit, ut omnes ſicut Pater filios amet, & omnes hæredes facere velit, & hereditatem proſpiciat illis qui naſcendi, ſicut illis qui nati ſunt.

1866. A fluvio Ægypti ad fluvium magnum, fluvium Phrath, quod ſignificet extenſionem ſpiritualium & cœleſtium; ad fluvium Ægypti quod ſit extenſio ſpiritualium, ad fluvium Phrath, quod ſit extenſio cœleſtium, conſtat a ſignificatione fluvii Ægypti, & a ſignificatione fluvii magni ſeu Euphratis:

phratis: quod hi fluvii ſignificent extenſionem ſpiritualium & cœleſtium, conſtare poteſt a ſignificatione terræ Canaanis, quod ſit Regnum Domini in cœlis & in terris, in quo non niſi quam ſpiritualia quæ fidei, & cœleſtia quæ amoris mutui, ſunt, quare non aliud quam horum extenſio per terminos terræ Canaanis intelligi poteſt; nam quid terra Canaan, quid fluvius Ægypti, & quid fluvius magnus Euphrates, ſint, prorſus neſciunt qui in cœlis, imo quid termini alicujus terræ, ſed quid extenſio ſpiritualium & cœleſtium, &. ſtatuum illorum determinationes & terminationes, norunt; in his mentem habent, cum illa ab homine leguntur, evaneſcente ſic litera, & ejus ſenſu hiſtorico, qui inſerviit pro objecto ideis cœleſtibus. Quod fluvius Ægypti ſignificet extenſionem ſpiritualium, inde eſt, quia Ægyptus ſignificat ſcientifica, quæ una cum rationalibus & intellectualibus hominis ſunt ſpiritualia, ut dictum prius n: 1443 & paſſim alibi; & quod Ægyptus in ſenſu interno ſignificet ſcientifica, n: 1164. 1165. 1186. 1462: quod fluvius Euphrates ſignificet extenſionem cœleſtium, conſtare poteſt a terris, quas fluvius iſte terminat & diſterminat a terra Canaane, per quas paſſim quoque ſcientifica & cognitiones cœleſtium ſignificantur, hic vero quia appellatur fluvius, & fluvius magnus, non alia ſunt quam cœleſtia, & eorum cognitiones, nam magnus fluvius, & magnitudo, de illis prædicatur.

1867. Verſ: 19, 20, 21. *Kenitam, & Keniſſitam, & Kadmonitam. Et Chittitam, & Periſitam, & Rephaim. Et Emoritam, & Canaanitam, & Girgaſchitam, & Jebuſitam.* Kenita, & Keniſſita, & Kadmonita, ſignificant falſa, quæ expellenda a Regno Domini: Chittita, Periſita, & Rephaim, ſignificant perſuaſiones falſi: Emorrita & Canaanita, ſignificant mala: Girgaſchita & Jebuſita, ſignificant ex malis falſa.

1868. Quod hæc per gentes illas ſignificentur, nimis prolixum foret ex Verbo nunc confirmare, & hic non opus, quia ſolum nominantur; de quibuſdam actum eſt prius, ut de Rephaim, quod ſignificent perſuaſiones falſi, n: 567, 581, 1673. de Emorita, quod mala, n: 1680. de Canaanita, quod mala, ſupra ad verſ: 16: de Periſita, quod falſa, n: 1574. quid reliquæ gentes ſignificent in ſpecie, in ſequentibus, ex Divina Domini Miſericordia, ubi occurrunt, dicetur. Quod gentes attinet, quæ expellendæ e Regno Domini, ita ſe res habet; in altera vita ſpiritus mali & diabolici nihil plus cupiunt, quam ſubire in mundum ſpirituum, & infeſtare bonos ſpiritus, ſed toties ejiciuntur; ſimiliter ac apud hominem, qui regeneratur, falſa & mala quæ occuparunt illum, ſubjugantur & diſſipantur, & loco eorum vera & bona, quæ ſunt Regni Domini, implantantur; hæc repræſentata fuerunt per gentes, quæ expulſæ ſunt a filiis Jacobi e terra Canaane; pariter per ipſos Judæos, qui inde dein expulſi; ſimiliter factum cum pluribus gentibus olim, per quas ſimilia repræſentata ſunt, ut per Choritas, qui expulſi e monte Seir ab Eſaui poſteris, de quibus Deut: 11: 12, 22. & per Avæos, qui expulſi a Caphtoræis, de quibus Deut: 11: 23. tum per Emim aut Rephaim, qui expulſi a Moabi-

tis

tis, de quibus Deut: 11: 9, 10, 11. ut & per Samſumim ab Ammonitis, de quibus Deut: 11: 19, 20, 21. præter per alios plures, de quibus apud Prophetas.

Continuatio, de Scriptura Sacra ſeu Verbo.

1869. *Oſtenſum mihi eſt, quam multa uni voci Verbi inſunt, per id quod ideæ cogitationis apertæ ſint; in altera vita, quod mirabile, hoc fieri poteſt ita ad vivum, ut ipſæ ideæ appareant viſibiles in forma, ſic quaſi pictæ imagines: apertæ fuerunt ita ideæ unius, qui in charitate ſeu amore mutuo vixit, & delectatus fuit, cum vixit in mundo, Verbo, tunc apparuerunt innumerabilia pulchra, cum delitioſis & jucundis afficientibus; dictum, quod hæc quæ ita apparent viſibilia, iterum quoad interiora poſſint aperiri, quibus apertis quod adhuc pulchriora & delitioſiora cum ipſis felicibus ſiſterentur; omnes ideæ Angelicæ tales ſunt, nam illæ apertæ ſunt ab Ipſo Domino. Illuſtratum hoc coram ſpiritibus, qui mirati quod in altera vita ita ideæ cogitationis aperiri queant, per viſum oculi, cujus viſionis radii tam hebetes & obſcuri ſunt, ut minora naturæ, in quibus innumerabilia, non aliter videant ac opacum quoddam & nigrum informe, at cum per microſcopium eadem ſpectantur, ſiſtuntur videnda interiora, pulchra ſerie connexa, & jucundo ordine fluentia; & quod hæc ſimiliter per acutius microſcopium adhuc potuiſſent aperiri; ex his conſtare potuit, quomodo ſe habet cum viſu interno, cujus radii non alii ſunt quam ideæ, quod in ſe tam craſſæ ſint, ut vix craſſius in illa ſphæra dari queat, tametſi homo aliter putat: ſed de ideis, ex Divina Domini Miſericordia, in ſequentibus.*

1870. *Similiter ſe habet cum Verbo Domini, ſingulæ voces ibi formant ſuas ideas, nam vox non eſt niſi formata ſic idea, ut percipiatur ſenſus, in quibus tam innumerabilia ſunt, quæ non ad perceptionem hominis venire poſſunt, ſed ſolum ad Angelorum, ut nuſquam credi poſſit; quæ cum aperiuntur a Domino, ſiſtuntur formæ interiores perceptioni per jucunda & felicia, & viſui per repræſentativa & paradiſiaca, illa ex cæleſtibus & ſpiritualibus Amoris ſeu Miſericordiæ Domini, hæc a radiis lucis inde. Oſtenſum mihi eſt per mirabilem experientiam, quod Verbum non ſolum quoad ſingulas voces, ſed etiam quoad ſingulas literulas cujuſvis vocis, ita prorſus ſicut dicitur, quoad minimam*

jotham;

jotham, inſpiratum ſit; unicuivis enim jothæ ineſt aliquid ex affectione & vita, quæ communis eſt vocis, ita ſingulariſſimis correſpondenter inſinuata; ſed hæc abſque prævia cognitione plurium ad intellectum nequicquam explicari poſſunt.

1871. *Verbum Domini quomodo apparet coram Angelis, non deſcribi poteſt, ſed aliqua idea capi ab illis, qui in cimeliis viderunt Cylindros Opticos, in quibus repræſentantur imagines pulchræ ab illis quæ circum circa ruditer projecta ſunt; ibi tametſi illa quæ circum circa ſunt, apparent nullius formæ, ſeriei & ordinis, ſed modo projectiones confuſæ, uſque dum illa concentrantur verſus Cylindrum, repræſentant ibi imaginem venuſtam; ita ſe habet cum Verbo Domini, cumprimis Prophetico Veteris Teſtamenti; in ſenſu literali vix niſi inordinatum quoddam apparet, ſed cum legitur ab homine, imprimis ab infante puerulo ſeu puella, fit per gradus, ut aſcendit, formoſius & jucundius; & tandem ſiſtitur coram Domino ſicut imago hominis, in qua & per quam repræſentatur Cælum in ſuo complexu, non quale eſt, ſed quale vult Dominus ut ſit, nempe ut ſit ſimilitudo Ipſius.*

1872. *Apparuit mihi Puella pulchra & candida facie, pergens cito verſus dextrum ſurſum, paulum accelerans, ætate ut in primo flore, non infans nec juvenis, veſte nigra ſplendente decora, ſic læta feſtinabat a luce in lucem; dictum, quod interiora Verbi talia ſint, cum primum aſcendunt, veſtis nigra fuit Verbum in litera. Poſtea Puella adoleſcens volabat ad dextram genam, ſed viſu ſolum interiori appercepta; dictum quod illa ſint, quæ ex interno ſenſu Verbi ad captum non perveniunt.*

1873. *Loquuti ſunt ſpiritus de ſenſu interno Verbi, ut ſiſteretur ad intellectum, qualis eſt, illuſtrabatur per exemplum, quid Fructus fidei; & dictum, quod Bona Opera ſint fructus fidei in ſenſu externo ſeu literæ; ſed quod bona illa opera ſint inanimata niſi procedant a charitate, & quod ſic fructus fidei in ſenſu proxime interiori ſit Charitas; ſed quia charitas ſeu amor erga proximum procedere debet ex amore in Dominum, eſt hic fructus fidei in ſenſu interno; & quia omnis amor ex Domino, eſt Ipſe Dominus; ita enim Bono Operi ineſt Charitas, huic Amor in Dominum, & in hoc Ipſe Dominus.*

1874. *Loquutus cum Spiritibus bonis, quod multa, & plura quam aliquis credere poteſt, in Verbo dicta ſint ſecundum Apparentias, & ſecundum Fallacias ſenſuum, ut quod Jehovah in ira, excandeſcentia & furore ſit contra impios, quod gaudeat ad perdendum & delendum eos, imo quod occidat; at dicta ſunt ob cauſam, ne frangerentur perſuaſiones & cupiditates,*

ſed ut flecterentur, nam loqui aliter ac homo capit, quod eſt ex apparentiis, fallaciis, & perſuaſionibus, fuiſſet ſerere ſemen in aquas, & dicere tale quod illico rejiceretur: ſed uſque illa inſervire poſſunt pro vaſis communibus in quibus ſpiritualia & cæleſtia, nam illis inſinuari poteſt, quod omnia a Domino; dein quod permittat Dominus, ſed quod omne malum a ſpiritibus diabolicis; poſtea quod Dominus provideat & diſponat, ut mala vertantur in bona; demum quod nihil niſi bonum a Domino; ita perit ſenſus literæ, ſicut aſcendit, & fit ſpiritualis, dein cæleſtis, demum Divinus.

1875. *Datum appercipere ideas angelicas in Oratione Domini, circa hæc verba, ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos a malo; a ſpiritibus bonis proximis idea quadam apud me perceptibili rejiciebatur* Tentatio & Malum, *& hoc eo uſque, dum pure Angelicum, nempe* Bonum, *abſque idea tentationis & mali, remaneret, pereunte ſic prorſus ſenſu literali; de quo Bono in prima rejectione formabantur innumerabiles ideæ, quomodo bonum ex afflictione hominis veniat, & uſque afflictio ex homine & ejus malo, cui ineſt pœna, & hoc cum adjuncta ſpecie indignationis quod opinarentur tentationem & ejus malum aliunde venire, & quod cogitandum de malo, cum de Domino; hæ ideæ purificabantur quo aſcendebant altius; aſcenſus repræſentati ſunt per rejectiones, de quibus etiam, n:* 1393, *quæ fiebant velocitate & modo inexpreſſibili, uſque dum in umbram cogitationis meæ tranſirent, tunc erant in Cælo, ubi ideæ angelicæ ineffabiles ſolum de Bono Domini.*

1876. *Nomina virorum, regnorum, urbium, quæ in Verbo, ſimiliter ac voces loquelæ humanæ, pereunt in primo limine, cum aſcendunt, ſunt enim terreſtria, corporea & materialia, quæ ſucceſſive exeunt Animæ quæ veniunt in alteram vitam, & prorſus illi quæ veniunt in Cælum; Angeli ne minimum ideæ alicujus perſonæ, proinde ejus nominis, retinent; quid Abram, quid Iſac, & Jacob, non amplius ſciunt, formant ſibi ideam ex illis quæ per illos in Verbo repræſentantur & ſignificantur; ſunt nomina & voces ſicut grumi, ſeu ſicut ſquamæ, quæ decidunt, cum intrant in Cælum: inde conſtare poteſt, quod per Nomina in Verbo nihil aliud quam res ſignificentur; de quibus multoties cum Angelis loquutus, a quibus de veritate plene inſtructus ſum. Loquela Spirituum inter ſe, non eſt vocum, ſed eſt idearum, quales ſunt cogitationis humanæ abſque vocibus, quare univerſalis eſt omnium linguarum; at cum loquuntur cum homine, cadit eorum loquela in voces linguæ hominis, ut dictum, n:* 1635, 1637, 1639; *cum de hoc loquutus cum Spiritibus, dicere datum eſt, quod, dum colloquuntur inter ſe, ne unam quidem vocem linguæ humanæ,*

manæ, minus adhuc aliquod nomen, poſſent enuntiare, quod quidam eorum mirati, receſſerunt, & tentabant, ſed redeuntes dicebant, quod non pronuntiare potuerint, quia voces illæ craſſius materiales, ut eſſent infra ſphæram eorum, ex ſono aeris per organa corporea articulato, aut per influxum in talia per viam ducentem ad auditus organum internam formatæ: inde clare quoque conſtare potuit, quod nihil vocis, quæ in Verbo, tranſire poſſet ad Spiritus, minus ad Spiritus angelicos, quorum loquela adhuc univerſalior eſt, n: 1642. *minime ad Angelos, n:* 1643. *apud quos nihil remanet de ideis primis Spirituum, ſed loco eorum Spiritualia vera, & Cæleſtia bona, quæ ineffabili modo, formis minimis, continuis, connexis in unanima ſerie, cum originariis repræſentativorum ex felicitate amoris mutui amœniſſimorum & pulcherrimorum, & ex amœnitatibus & pulchritudinibus felicium, quia vita Domini inſpiratis, variantur.*

1877. *Qui in mundo ſpirituum ſunt animæ ſeu ſpiritus, imprimis mali, retinent primum illa, quæ habuerunt in vita corporis eorum, nempe terreſtria, corporea, & mundana, & cum illis principia quæ captarunt; inter quos ſunt illi, qui nihil de ſenſu interno Verbi audire volunt, ſed ſolum de ſenſu literali, imo uſque adeo, ut credant, quod duodecim Apoſtoli ſeſſuri ſint ſuper duodecim thronis & judicaturi duodecim tribus Iſraelis; pariter quod nulli intrare poſſint in cælum, niſi pauperes, miſeri & perſequutiones paſſi; cum tamen ibi ſint tam divites quam potentes, qui in charitate & fide in Dominum vixerunt: tales quia vindicant ſibi cælum ex meritis, vidi quod diſcurrant, & ubicunque veniunt, ſubſannent illa quæ ſunt ſenſus interni Verbi, quia contra eorum perſuaſiones & cupiditates, quod mereri velint cælum, & præferri omnibus aliis; ſed comparantur illi vitioſis & noxiis quæ influunt in ſanguinem, & pervadunt venas & arterias, ac maſſam ſanguinis inquinant.*

1878. *Sunt quoque, qui in vita corporis contemſerunt Verbum; ſuntque qui illis quæ in Verbo pro formulis irriſionis abuſi ſunt; ſunt qui putarunt Verbum nihil eſſe, ſed ſervire poſſe pro vulgo, ut teneatur in quodam vinculo; ſunt qui Verbum blaſphemarunt; & ſunt qui prophanarunt: horum ſors in altera vita eſt miſerabilis, cujuſvis ſecundum qualitatem & gradum contemtus, irriſionis, blaſphemationis & prophanationis; nam, ut dictum, Verbum tam ſanctum eſt in Cælis, ut iis Verbum ſit quaſi cælum, quare, quia omnium cogitationum datur communio, nuſquam poſſunt ſimul eſſe, ſed ſeparantur.*

1879. *Cum in lecto eſſem, dictum mihi, quod conſpirarent contra me ſpiritus mali, animo me ſuffocandi, ſed quia tutus & ſecurus a Domino;*

minas illas vilipendi, & indormivi; at media nocte expergefactus, ſenſi quod non reſpirarem a me, ſed e cœlo, nam nihil meæ reſpirationis erat, quod manifeſte percepi, dicebatur tunc quod conſpiratio adeſſet, & dictum, quod eſſent illi, qui odio habent interiora Verbi, hoc eſt, ipſas veritates fidei, nam hæ ſunt interiora Verbi, & hoc quia contra illorum fallacias, perſuaſiones & cupiditates, quibus ſenſus literæ patrocinari poſſet: poſtea anteſignani, cum irritus factus eorum conatus, tentabant intrare in corporis mei viſcera, & penetrare uſque ad cor, quo etiam admiſſi; quod ſemper manifeſto ſenſu perceptum, nam cui aperta ſunt interiora, quæ ſpiritus, ſimul etiam ſenſitivam perceptionem talium accipit; at tunc in ſtatum quendam cœleſtem immiſſus ſum, qui erat, quod nihil conarer repellere hoſpites illos, minus injuriam vindicare; dicebant tunc, quod pacificum ſit; ſed mox velut rationalitate orbati ſunt, vindictam ſpirantes, & conatus ſuos perficere conantes, ſed incaſſum; diſſipati ſunt dein a ſemet.

* * * * * * *

1880. *Præterea, quod in genere Spiritus & Angelos attinet, qui omnes ſunt Animæ hominum viventes poſt mortem corporis, multo exquiſitiores ſenſus habent, quam homines, nempe Viſum, Auditum, Olfactum & Tactum, non autem Guſtum: Sed Spiritus non poſſunt, minus adhuc Angeli, ſuo viſu, hoc eſt, viſu ſpiritus, videre quicquam quod in mundo, illis enim lux mundi ſeu ſolaris eſt velut denſa caligo; ſicut homo ſuo viſu, hoc eſt, viſu corporis, nec videre poteſt quicquam quod in altera vita, ei enim Lux Cœli, ſeu Cœleſtis Domini, eſt velut denſa caligo: Sed uſque Spiritus & Angeli, quando Domino beneplacet, poſſunt videre illa, quæ in mundo, per oculos hominis, ſed hoc non concedit Dominus apud alium, quam cui dat Dominus loqui cum Spiritibus & Angelis, & eſſe ſimul cum illis; per meos oculos datum eſt illis videre illa quæ in mundo, & tam manifeſte ſicut ego; tum etiam audire homines mecum loquentes; contigit aliquoties, quod aliqui amicos ſuos, quos habuerunt in vita corporis, per me viderint ita præſentes prorſus ſicut prius, & obſtupefacti; viderunt etiam ſuos maritos & infantes, & voluerunt ut dicerem illis quod adeſſent, & viderent eos, utque referrem de eorum ſtatu in altera vita; ſed dicere illis & revelare, quod ſic viſi, mihi interdictum erat, etiam ex ea cauſa, quod dixiſſent me inſanire, aut cogitaviſſent deliria animi eſſe, quia notum mihi fuit, quod tametſi ore dicerent, uſque corde non crederent, dari ſpiritus, & mortuos reſurrexiſſe: Quando primum apertus mihi fuit viſus interior, & per oculos meos viderunt mundum, & quæ in mundo eſſent, Spiritus & Angeli*

geli ita obſtupefacti ſunt, ut dicerent hoc miraculum miraculorum eſſe, & affecti ſunt novo gaudio, quod ſic communicatio daretur Terræ cum Cœlo, & Cœli cum Terra; aſt hæc delectatio perſiſtebat per menſes, ſed poſtquam familiare factum, nunc nihil mirantur. Inſtructus ſum, quod Spiritus & Angeli apud alios homines ne hilum videant quæ in mundo, ſed modo percipiant cogitationes & affectiones eorum, apud quos ſunt. Ex his conſtare potuit, quod homo ita creatus ſit, ut cum vivit in terra inter homines, ſimul etiam viveret in Cœlo inter Angelos, & viciſſim, ſic ut Cœlum & Terra ſimul eſſent, & unum agerent, & ſcirent Homines quid in Cœlo, & Angeli quid in Mundo; & cum decedunt, tranſirent ſic a Regno Domini in Terris in Regnum Domini in Cœlis, non ſicut in aliud, ſed ſicut in idem, in quo fuerunt cum vixerunt in corpore; ſed quia homo ita corporeus factus eſt, ſibi Cœlum clauſit.

1881. *Indignantur valde Spiritus, imo iraſcuntur, cum iis dicitur, quod homines non credant illos videre, illos audire, illos tactu ſentire, dixerunt, quod uſque ſcire debeant, quod abſque ſenſu non vita, & quo exquiſitior ſenſus eo præſtantior vita, & quod objecta quæ ſentiunt, ſe habeant adæquate ad præſtantiam eorum ſenſus, & quod repræſentativa quæ a Domino, ſint realia, nam inde omnia quæ in natura & mundo n:* 1632*:* quod ſentiant multo melius & præſtantius quam illi, *hæc ſunt indignationis eorum verba.*

1882. *Bina genera Viſionum ſunt, quæ extraordinaria, in quæ immiſſus, ſolum ut ſcirem, quomodo ſe habent, & quid intelligitur per id, quod legitur in Verbo, quod* abducti ſint a corpore*:* & *quod* a ſpiritu in alium locum ablati *ſint.*

1883. *Quod primum attinet, nempe abduci a corpore, ita ſe habet; homo reducitur in ſtatum quendam, qui medius eſt inter ſomnum & vigiliam, in quo ſtatu cum eſt, non aliter ſcire poteſt, quam quod prorſus vigil ſit, omnes ſenſus tam vigiles ſunt, ſicut in ſumma corporis vigilia, tam viſus, quam auditus, & quod mirabile, tactus, qui tunc exquiſitior eſt, quam uſquam dari queat in vigilia corporis; in quo ſtatu etiam viſi ſunt Spiritus & Angeli prorſus ad vivum, etiam auditi, & quod mirum, tacti, & tunc fere nihil corporis intererat: hic ſtatus eſt, de quo dicitur,* abduci a corpore, & *quod neſciant*, num in corpore vel extra corpus. *In hunc ſtatum modo ter aut quater immiſſus ſum, ut modo ſcirem quomodo ſe habet, & quod Spiritus & Angeli omni ſenſu gaudeant, etiam tactu præpollente & exquiſitiori tactu corporis.*

1884. *Quod*

1884. *Quod alterum attinet, a Spiritu in alium locum auferri, oſtenſum eſt mihi per vivam experientiam, quid ſit, & quomodo ſe habet; ſed hoc ſolum bis & ter; ſolam experientiam licet afferre: Per plateas urbis, & per campeſtria ambulans, tunc quoque in loquela cum ſpiritibus, non aliter ſcivi, quam quod ita vigil eſſem & videns ſicut aliis temporibus, ita ambulans abſque errore, & interea in viſione eram, videns lucos, fluvios, palatia, domus, homines, & plura; ſed poſtquam ita per horas ambulavi, ſubito eram in viſu corporis, & animadverti quod in alio loco eſſem, quo obſtupefactus valde, appercepi quod in tali ſtatu fuerim, in quo illi, de quibus dicitur, quod* abducti ſpiritu in alium locum, *nam dum perſtat, nihil reflectitur ſuper viam, & hoc ſi vel foret plurium miliarium; nec reflectitur ſuper tempus, ſi vel foret plurium horarum ſive dierum; nec fatigatio ulla percipitur; tunc quoque ducitur per vias, quas ipſe ignorat, uſque ad locum deſignatum. Hoc factum, ut quoque ſcirem, quod a Domino duci queat homo, præter quod ſciat, unde & quo.*

1885. *Sed hæ binæ ſpecies Viſionum, ſunt extraordinariæ, oſtenſæ mihi ſolum ob finem, ut ſcirem quales ſunt; ſed Viſa ordinaria ſunt omnia illa, quæ, ex Divina Domini Miſericordia, relata videas in Parte hac Prima, & præmiſſa & ſubnexa unicuivis Capiti; ſed hæc non Viſiones ſunt ſed Viſa in ſumma vigilia corporis, & nunc per plures annos.*

FINIS

PARTIS PRIMÆ.

BINDING SECT. SEP 8 1964

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED